DE RE SACRAMENTARIA

CONTRA PERDUELLES HÆRETICOS

LIBRI DECEM

QUATUOR TOMIS COMPREHENSI:

Quibus omnia, & singula Legis Evangelicæ Sacramenta Consensione, Universitate, Perpetuitate, adstruuntur, defenduntur, vindicantur: simul & graviores Quæstiones ad Disciplinam, & Moralem pertinentes; itemque Theologorum præcipuæ contentiones Scholarum methodo

AD MENTEM PRÆCEPTORIS ANGELICI

EXPENDUNTUR, DISCUTIUNTUR, EXPLICANTUR

CURA ET STUDIO R. P. F.

RENATI HYAC. DROUVEN

Doctoris Sorbonici Ordinis Prædicatorum.

EDITIO QUARTA.

CUM NOTIS ET ADDITIONIBUS

R. P. JOANNIS VINCENTII PATUZZI

Ejusdem Ordinis Sacræ Theologiæ Professoris.

TOMUS SECUNDUS.

VENETIIS MDCCLXXXIX.

Apud Thomam Bettinelli

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

Interroga Patrem tuum, & annuntiabit tibi: Majores tuos, & dicent tibi. Deuteron. Cap. XXXII, vers. 7.

INDEX

QUÆSTIONUM ET CAPITUM &c.

TOMI SECUNDI.

QUÆSTIONES LIBRI TERTII.

De Sacramento Confirmationis.

Di-

QUÆSTIONES LIBRI QUARTI.

De Sacramento Eucharistiæ.

Pro-

QUÆSTIONES LIBRI QUINTI.

De Sacrificio Eucharistico.

LIBER

LIBER TERTIUS

DE

SACRAMENTO CONFIRMATIONIS.

De Confirmatione deinceps dicturi sumus, quæ alterum a baptismo, administrationis ordine, locum habet: hanc novi hæretici procul amandare, & inter superstitiones diabolicas, suggerente Diabolo, annumerare, ausu sacrilego attentarunt. Opus itaque nostrum est, divini Sacramenti varitatem, sanctitatem, efficaciam vindicare: verius dixerim, Ecclesiæ, columnæ & firmamenti veritatis, illud est opus, cui acceptam a Christo sponso hæreditatem eripere nefarii homines moliuntur, quæque potentissimo Scripturarum & traditionum instructa præsidio, impetus adversariorum & machinamenta non pertimescit. Cum enim ubique, & semper ab omnibus confirmatio credita, servataque fuerit; habet sine dubitatione hoc omne quod merito *Vincentius Lirinensis*, ut dogma quodpiam vere sit proprieque Catholicum, requirebat (*Commonit. c.* 3.): adeoque ab inimicorum insultibus tutissima est. Illud autem ut pro modulo, solita methodo ostendamus, totam de Confirmatione disputationem sequentibus quæstionibus concludemus.

1. *Erit, utrum Sacramentum novæ legis vere sit & dicatur?* 2 *De natura ejus?* 3 *De materia*: 4 *De forma*: 5 *De effectibus*: 6 *De auctore*: 7 *De ministro*: 8 *De subjecto & necessitate*: 9 *De cæremoniis*.

Hæc autem dum veritatis stabiliendæ studio versabimus dubia, & ad mentem Ecclesiæ resolvemus; erit quidem cura præcipua, detegere hæreticorum versutiam, cavillos retundere, malam fidem & ignorantiam propalare, & ad vivum denique insana dogmata resecare. At non omittemus tamen, vanas quæ quorumdam e nostris incuria, negligentia antiquitatis, nimiaque in sectandis ratiunculis curiositate irrepserunt opiniones, (quæ sanæ plurimæ sunt) data opera refutare. Hoc enim Theologi officium est, sic quærere & adstruere veritatem; ut errori, etiam qui imprudenter amico exciderit, parcendum non putet. Jam sit

QUÆSTIO PRIMA.

Utrum Confirmatio novæ Legis Sacramentum vere sit, & dicatur?

Recensentur errores.

IN auferendam ex albo Sacramentorum Confirmationem, sæculo 16 nati hæretici conspirarunt: quamquam enim in *Lipsiensi* Conventu (*An.* 1548) Theologi *Lipsienses* & *Wittembergenses* 7 admittenda Sacramenta, & in hoc numero confirmationem esse ponendam sanxissent: ab ea tamen sententia non multo post, Ecclesiæ odio, & Lutheranæ factionis cœco studio recesserunt, sat bene actum cum confirmatione rati, si meram cæremoniam esse dicerent, ad examen puerorum qui forent in infantia baptizati, pie, & utiliter introductam. Sed neque in hac sententia persititerunt: Paulatim enim in pejus ruentes; quam primo Sacramentum confessi fuerat, ne cæremoniam quidem esse voluerunt.

Mirum est, prædixerat Lutherus (*lib. de capt. Babyl.*) *quod in mentem illis* (Catholicis) *venerit, ut Sacramentum confirmationis facerent ex impositione manuum, qua legimus, Christum parvulos tetigisse, Apostolos dedisse Sp. Sanctum: cur non ex Sacramento panis etiam confirmationem fecerunt, quando scriptum est, Act.* 9: & cum accepisset cibum confortatus est: & *Ps.* 104: panis cor hominis confirmet: *ut sic confirmatio tria complectatur Sacramenta, panem, ordinem, & ipsam confirmationem? si autem Sacramentum est quidquid Apostoli fecerunt, cur non magis prædicationem fecerunt, Sacramentum? ... nos autem pro hac vice Sacramenta divinitus instituta quærimus, inter quæ ut confirmationem numeremus, nullam invenimus causam: ad Sacramenti enim constitutionem ante omnia requiritur verbum divinæ promissionis, quo fides exerceatur. At nihil legimus Christum uspiam de confirmatione promisisse: quare satis est, pro quodam ritu Ecclesiastico, seu cæremonia Sacramentali confirmationem habere, similem cæteris cæremoniis consecrandæ aquæ, aliarumque rerum.*

Confirmatio, ait Melanchton (*in loc. commun.*) *olim fuit exploratio doctrinæ, in qua singuli recitabant summam doctrinæ, & ostendebant se dissentire ab Ethnicis & Hæreticis: & erat mos ad erudiendos homines, item ad discernendos profanos & pios admodum utilis. Postea fiebat publica precatio, & Apostoli imponebant eis manus, & ita donabantur manifestis donis Sp. Sancti. Sed nunc ritus confirmationis quem retinent Episcopi, est prorsus otiosa cæremonia.*

Hic mos olim fuit, ait Calvinus, (*Inst. lib.* 4, *c.* 19, §. 4) *ut Christianorum liberi, postquam adoleverant, coram Episcopo sisterentur ut officium illud implerent, quod ab iis exigebatur, qui se ad baptismum adulti offerebant: hi enim inter Catechumenos sedebant, donec rite fidei mysteriis instituti, poterant fidei confessionem coram Episcopo ac populo edere: qui ergo baptismo initiati erant infantes, quia fidei confessione apud Ecclesiam tunc defuncti non erant, sub finem pueritiæ aut ineunte adolescentia repræsentabantur iterum a parentibus, ab Episcopo examinabantur, secundum formulam Catechismi, quam tunc habebant certam & communem: quo autem hæc actio, quæ alioqui gravis, sanctaque merito esse debebat, plus reverentiæ haberet & dignitatis, cæremonia quoque adhibebatur manuum impositionis ita puer ille fide sua approbata, cum solemni benedictione dimittebatur .... (Ibid.* §. 5) *posterior autem ætas re prope obliterata, fictitiam nescio quam confirmationem pro Dei Sacramento posuit ... (Ibid.* §. 6) *hoc ministerium quo tunc Apostoli fungebantur, si adhuc in Ecclesia maneret, manuum quoque impositionem oporteret servari. Sed ubi gratia illa* (visibilis) *conferri desiit, quorsum pertinet manuum impositio?* quorum similia paragraphis sequentibus repetit, ubi confirmationem, *vacuum & frigidum signum, abortivum Sacramenti larvam*, impudorate appellat. Nullibi vero audacius quam in *Antidoto Concilii Trid.* (*ad Canon.* 1 *de confirm.*) ubi præter cætera: *ex eorum*, ait, *numero me nequaquam esse profiteor, qui otiosam confirmationis cæremoniam esse putant: qualis sub Papatu Romano observatur, utpote qui eam inter maxime exitiales satanæ præstigias numerem. Meminerimus nusquam in Scripturis nobis commendari quod fingunt Sacramentum, neque hoc nomine, neque hoc ritu, neque hac significatione.*

Nec aliter censuerunt, *Kemnitius*, *Antonius de Dominis*, *Dallæus*, & ii denique omnes qui *Lutherum* & *Calvinum* antesignanos secuti sunt, quorum Doctrina ad hæc capita revocatur: impositionem manuum per quam Sp. Sanctum Apostoli dabant, Sacramentum non fuisse: præter manifesta dona nil contulisse: verbum Divinæ promissionis annexum non habuisse: nihil quidquam fuisse nisi publicam, omnique, ex opere operato, effectu vacuam pre-

precationem, manuum impositioni pro illius temporis usu conjunctam: pro solo probandæ & confitendæ fidei ritu habendam: abortivam Sacramenti esse larvam, otiosam cæremoniam, quin & inter maxime exitiales satanæ præstigias numerandam.

Est autem hic error eo notabilior, quod ex tota retro antiquitate, ne ex hæreticorum quidem scholis, tam portentosi dogmatis exemplum quod sequerentur proferre potuerint: licet enim antiquitus plerique erraverint, aut negando ullum de suscipienda confirmatione esse præceptum; aut ordinariam ejus administrationem ad simplices Presbyteros, ipsosque inferiores Clericos transferendo: nulli tamen conceptis terminis negasse comperiuntur, confirmationem esse Sacramentum, ut ex dicendis infra constabit. Itaque contra *Lutheranos* & alios sit

CONCLUSIO.

Confirmatio est verum Legis Evangelicæ Sacramentum.

Fidei doctrina hæc est, adversum novas hæreses a Trid. Patribus asserta & confirmata: *si quis dixerit*, inquiunt, (*Sess.* 7, *de Sacr. in gen. can.* 1) *Sacramenta novæ Legis . . . . . esse plura vel pauciora quam septem, videlicet baptismum, confirmationem &c. . . . . . aut etiam aliquod eorum septem non esse vere & proprie Sacramentum: anathema sit . . . .* (*ibid. de confir. can.* 1) *si quis dixerit, confirmationem baptizatorum otiosam cæremoniam esse, & non potius verum & proprium Sacramentum; aut olim nihil aliud fuisse, quam Catechesim quandam, qua adolescentiæ proximi fidei suæ rationem coram Ecclesia exponebant; anathema sit.*

Ad veritatis defensionem tria occurrunt argumenta, præscriptionis, Scripturæ, & traditionis, quæ totidem capitibus quantum perspicue fieri poterit, adstruemus. Si itaque

CAPUT PRIMUM.

Confirmationem esse Sacramentum ex præscriptione probatur.

EST istud argumenti genus, omnium longe facillimum & convincentissimum. Nam in cæteris quæ ex Scripturæ & traditionis auctoritate inferuntur, viam elabendi Heterodoxi, ut quidem putant, facilem habent, milleque inventis effugiis, simplici populo fucum faciunt. Scripturam, ut nemo nescit, contempto traditionis tramite, *privato*, ut ajunt, *spiritu* interpretari, & ad suum quisque arbitrium inflectere solemne habent: frustra itaque id genus hominibus sacra opponas eloquia, quæ aliter atque aliter, alius atque alius explicant, Ecclesiasticæ intelligentiæ neglecta auctoritate. Jam ubi ad testimonia majorum venitur, quanta Deus bone discussione, quanta diligentia, quanto ratiociniorum circuitu opus est? nam præter quam quod Patres ludibrio habent, & non tantum singulos, sed omnes conjunctim falli potuisse, sæpeque falsos esse contendunt; etiam quando revereri videri volunt, vitilitigandi finem non faciunt: *hic liber non est Augustini genuinus: iste, librariorum incuria adulteratus: corruptus ille contra sentientium mala fide: in hoc loco dormitavit Ambrosius: ita quidem sensit Cyprianus, sed erravit, Montanistarum quos in hac parte secutus est auctoritate delusus: Hieronymi, Gregorii, aliorumque verba inutiliter jactas, non enim strictim & accurtate, uti oportuerat, sed hyperbolice Rhetorum more locuti sunt.* Hos, inquam, similesque prætextus obtrudunt, ut Patrum auctoritatem elevent; adeoque Theologis necessarium quidem, magnum tamen laborem objiciunt. Ast argumentum a præscriptione hoc habet præ cæteris commodi, quod tum certissimum sit, tum ab omni mala tergiversatione liberrimum, tum omnium qui sensu communi non sint destituti captui accommodatissimum: difficile namque non est novorum paucorumque, in aliorum comparatione, hominum mendacia redarguere testimonio populorum & gentium, in una quadam re, (maxime ubi de fide agitur) plene consentientium. Nemo enim tam rudis, tam feris est moribus, quin dogmati ultro libensque assentiatur, quod sciverit ab omni retro ætate creditum, & summa reverentia observatum.

Porro sic se habet res in præsenti: quo fit ut facillimum sit, hujus generis argumento Sacramentum confirmationis asserere. Quod etsi l. 1 copiose tractavimus, non pigebit in præsenti breviter retractare: *quæro*, inquiet mihi aliquis, *utrum debeat confirmatio in Sacramentis proprie dictis computari*? cui ego respondeo: si bona fide hoc quæris, erit tibi protinus satisfactum. Ecce tibi scholam aperio, quæ certissime est schola veritatis, unde vel prima die doctus evadas: *memento dierum antiquorum*, (*Deut.* 32, 7) *cogita generationes singulas: interroga Patrem tuum, & annuntiabit tibi; majores tuos, & dicent tibi.*

Quo tempore *Lutherus*, *Calvinus*, eorumque sequaces nati sunt, res erant constitutæ, omniumque judicio & testificatione probata,

confirmationem in Sacramentorum numero habere locum: ita credebat per omnes Occidentis partes Latina Ecclesia: ita *Lutheri* & *Calvini* genitores crediderant, in Ecclesia Catholica enutriti; hanc fidem *Lutherus* ipse & *Calvinus* antequam contra matrem rebellarent, profitebantur: ita Græci omnes, ut ex eorum ad Theologos *Wittembergenses*, & ad aliorum quæsita responsis patet: ita Orientales nemine excepto, variis licet tum ab invicem, tum a Latina Ecclesia distracti dissidiis prædicabant, prout datis qualibet occasione testimoniis declararunt. Ergo sentiebant contra omnes *Lutherus* & *Calvinus*: atque adeo quibus crederetur indigni erant: quam enim illis fidem adhibeas, qui communem oppugnant sine fundamento sententiam? nec est quod regeras ita quidem sæculo decimo sexto ubique creditam, sed falsam & nudius tertius natam persuasionem fuisse, Pontificum Romanorum Tyrannide (uti oblatrant Heterodoxi) introductam & propagatam.

Confirmationem enim esse verum Legis Evangelicæ Sacramentum, non velut dogma novum, defendebat Oriens Occidensque, sed ut Doctrinam antiquam ab Apostolicis temporibus derivatam: cujus rei argumentum certissimum est, quod non solum in *Gregorii Magni Sacramentario*, in veteri *ordine Romano*, & Ritualibus Latinorum antiquissimis, verum etiam in Græcorum & Orientalium vetustissimis Euchologiis, quæ tum Catholicis, tum Hæreticis, tum Schismaticis in usu erant, hodieque sunt, confirmationis officium, quo ritu, quibus cæremoniis, quo ministro, ad quem obtinendum effectum conferatur, late describeretur. Quæ porro esse potuit hujus tantæ concordiæ causa, quam nec hæreses, nec schismata, nec inveterata Orientalium contra Romanam Ecclesiam odia abrumpere potuerunt; nisi vis ipsa veritatis, quam omnes gentes Doctoribus Apostolis, antequam hæreses & schismata orirentur, susceperant?

Vel enim ingenue confitendum, fidem hancce cum Ecclesia Catholica natam; vel dicendum, decursu temporum in cujusdam male feriati cerebro superstitionem esse confictam, paulatimque de gente in populum alterum propagatam: nihil est tertium; atqui secundum sine summa absurditate dici non potest. Quis enim sanæ mentis concedat, omnes ubique Pastores & populos ad novam fidem amplectendam, nemine reclamante, unanimiter inflectendos; fatendum ergo fidem Sacramenti confirmationis in Thesauro Ecclesiæ contineri, & a Christo ad Apostolos, ad nos ab Apostolis invariabili traditione transmissam. Huc namque redit inconcussum, & toties contra hæreticos decantatum sancti Augustini axioma: (*lib.* 4, *de bapt. cap.* 24) *quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi auctoritate Apostolica traditum rectissime creditur.*

Eliduntur Hæreticorum Cavilli, simulque vis argumenti augetur.

Objiciunt. Gratis & contra veritatem fingitur, *Lutheranos*, & *Calvinistas* confirmationem Sacramentum esse negando, a fide omnium gentium recessisse. Ergo nihili est, quod jactant tantopere præscriptionis argumentum.

Probant ant. A fide omnium non recedit, qui in aliquo dogmate adstruendo, non est inventor, sed custos, non institutor, sed sectator; non ducens, sed sequens; atqui *Lutherani* & *Calvinistæ* confirmationem a Sacramentorum numero expungendo, tum in Latina, tum in Græca, & Orientali Ecclesia duces plurimos habuerunt. Ergo &c.

Probant minorem per partes. Ac 1 quidem in Latina Ecclesia confirmationem esse Sacramentum, negavit sæculo 3 *Novatianus*, qui referente *Cornelio Papa* (*in Epist. ad Fabium Antioch.*) *non est ab Episcopo consignatus*: negarunt sequaces ejus, de quibus *Theodoretus* sic scribit: (*lib.* 3 *hæretic. fabularum*, *cap. de Novat:*) *Novatiani iis, qui ab ipsis tinguntur, sacrum Chrisma non præbent:* negarunt sæculo 12 *Albigentes*, de quibus *Alanus* coætaneus Scriptor: *nullam*, inquit (*l.* 1) *dicunt esse virtutem Sacramenti confirmationis, cum non legatur in libris novi Testamenti esse instituta vel a Christo, vel ab ejus Discipulis*: negarunt eadem ætate *Waldenses*, prout *Reynerus*, (*in lib. contra Waldenses cap.* 5) *Philchdorphius*, & alii plerique affirmant. Negarunt sæculo 14 *Wiclefus* ejusque discipuli: sic enim testatur *Thomas Valdensis*, (*Doctrinalis part.* 2, *capp.* 112, & 113) nec *Estius* vir apprime Catholicus diffitetur (*in* 4 *sent. dist.* 7, §. 3): negarunt denique *Hussitæ*, sive *Thaboritæ*, duce *Joanne Huss* sæculo 15 exorti: quos *Eneas Silvius* de confirmatione & extrema unctione nihil sensisse affirmat: (*in Epist. ad Cardinlem Carvajal.*) ergo temerario Catholici & calumniando effutiunt, primos omnium *Lutheranos* & *Calvinistas* de ablegenda confirmatione, in Occidentis Partibus cogitasse.

Secundo quod ad Græcos & Orientales pertinet, innumeros in his partibus suæ Doctrinæ Patronos & duces habent. Nam

1. *Cyrillus* (*Lucar*) Alexandrinus primum, deinde Constantin. Patriarcha, anno 1629 gentis nomine fidei confessionem emisit, cui con-

confessionis Orientalis titulum inscripsit, in qua, præter cætera, professus est, duo tantum a Græcis Evangelica Sacramenta, velut a Christo accepta agnosci, baptismum & Eucharistiam. Hanc paucis post annis (An 1633) Calvinistæ typis Genevensibus Græco Latinoque sermone edi curarunt, præmisso, uti par erat, præstantissimi Cyrilli encomio: interest, inquiebant, (in præfat.) præsentis ætatis, & piæ posteritatis, istius primarii & gravissimi viri de Doctrina Christiana sententiam publicis tabulis consignari.

2. Certum est, Armenos, Æthiopes, Ægyptios, & plerosque alios, prout a viris doctis qui Regiones has peragrarunt, diligenter observatum est, confirmationis ne nomen quidem cognoscere. Ergo Lutheranis & Calvinistis Oriens Occidensque consentiunt.

℞. nego ant. primi argumenti, & min. secundi: ad cujus probat. quoniam multa complectitur, quæ de Latinis, Græcis, & Orientalibus affirmat, sigillatim resolvere opus est.

Ad Latinos quod attinet, dato & non concesso, *Novatianos*, *Albigenses*, *Waldenses*, & alios qui tanta ostentatione jactantur, confirmationis Sacramentum revera negasse; quando constat hos omnes fuisse hæreticos, ab Ecclesia propter fidem violatam præcisos, quid quæso inde præsidii hæresis *Lutherana* & *Calviniana* haberet? numquid enim ab adversariis veritatis expectanda & quærenda veritas, & non magis a nostris, ab iis scilicet qui Ecclesiæ Christi & acceptæ a majoribus doctrinæ indivulse hæserunt? numquid ideo erit schisma permittendum, quia schismatis impius *Novatianus* exemplum dedit? Numquid nutabit Dei unitas, quia *Albigenses* Manichæorum fuligine tincti, duo rerum prima principia, bonum unum, malum alterum stultissime posuerunt? numquid *Lutheranorum* & *Calvinistarum* erroribus putabitur aliqua conciliari auctoritas, quia *Waldenses*, *Wiclefitas*, *Hussitas*, Ecclesia contempta, secuti sunt? hos enim similesque homines licet pios & doctos haberi velint; constat a vera scientia & pietate longe alienos fuisse. Itaque enim si tales ad negandam confirmationem duces haberent; constaret nihilominus veritas argumenti a præscriptione petiti.

Verum quia falso horum omnium patrocinio gloriantur, nego absolute antecedens, quantum ad omnes partes. *Novatianus* enim confirmationem quidem neglexit suscipere, idemque ejus discipuli, illius exemplo moti fecerunt: sed non ideo Sacramentum esse negarunt. Unde hanc ipsis hæresim nec *S. Epiphanius*, nec *S. Aug.*, nec *Philastrius*, nec *S. Joann. Damascenus* affingunt, qui eorum errores diligentia summa notarunt: immo nec *Theodoretus* ipse si bene ejus verba pensetur: ait enim *Novatianos Neophytis suis sacrum Chrisma non præbere*, nec ultra quid adjicit. Unde negatam ab iis confirmationem ex hoc testimonio non magis eruitur, quam si quis inde inferret, Insularum Occidentalium incolas, quas Principes Catholici occupant, Sacramentum confirmationis non admittere, quia plerumque confirmationem (propter ministrorum penuriam) non recipiunt.

Venio ad *Albigenses*, quos equidem ut fere argumentum negatæ confirmationis *Alanus* accusat: sed *Alano* non tantum deferimus, ut ejus persuadeamur auctoritate, præsertim cum ejus testimonio *Guido Carmelita*, in summa de hæresibus, *Bernardus Lutzembergensis* in Catalogo hæreticorum, *S. Antoninus* part. 4, tit. 11, *Alphonsus a Castro* l. 4 contra hæreses, & plerique alii, suo silentio contradicant: hanc enim illis hæresim nemo eorum attribuit. Unde conjectura non levis est, *Alanum* falso rumore deceptum, aut quod aliquibus forte Albigensibus in mentem venerat pravum dogma, universis inconsiderate attribuisse.

De *Vualdensibus* quod confirmationem pro vero Sacramento habuerint, certior res est, quam ut disquisitione egeat: fidem enim ipsi suam propalarunt, tum in Oratione apologetica ad *Uladislaum* Hungariæ Regem, ubi expresse & sancte dejerant, se de Sacramentis Ecclesiæ non aliter sentire quam alios; tum in confessione fidei ad eumdem directa, in qua sic habent: *Sacramenta septenario inclusa numero, Ecclesiæ Christi utilia esse pandimus:* de confirmatione vero nominatim ita loquuntur: *fide ex divinis Scripturis sumpta, profitemur temporibus Apostolorum istud observatum fuisse.*

Quid ergo, inquies, *Reynerus* & *Philchdorphius* sibi volunt, quando affirmant, ille quidem, *Waldenses Sacramentum confirmationis reprobasse:* iste vero, *explosisse Chrismatis & olei unctiones, dicentes illas res taliter consecratas nihil omnino singularis sanctitatis percipere?* Quæ pariter *Innocentio III* Pontifici Max. causa fuit, a *Vualdensibus* in Gremium Ecclesiæ redeuntibus exigendi, ut hunc inter cæteros profiterentur articulum: *confirmationem, ab Episcopo factam, id est, impositionem manuum sanctam, & venerande accipiendam esse censemus?*

℞. Decreto *Innocentii III*, & prædictorum Scriptorum verbis hoc unum significari quod non negamus, *Waldenses* scilicet, non contra Sacramentum, sed contra legitimum ejus ministrum errasse. Id quod verba *Rayneri* satis osten-

ostendunt? *reprobant*, inquit, *confirmationis Sacramentum*: *mirantur etiam quare solis Episcopis liceat confirmare*: ubi quod ait: (*reprobant*:) non est absolute intelligendum, quasi omnino confirmationem rejicerent; sed ratione ministri, quem solum Episcopum dici moleste ferebant. Idemque verba *Innocentii* innuunt, ut attendenti patebit.

De *Wiclefo* & *Joanne Hus*, eorumque sequacibus idem esto judicium: non enim circa Sacramentum, sed circa ministrum errabant, uti aperte in *Constant.* Concilio declaratur, ubi hunc Wiclefi art. proscriptum legimus: (*Sess.* 8) *confirmatio juvenum*, *Clericorum ordinatio*, *locorum consecratio*, *reservantur Papæ & Episcopis propter cupiditatem lucri temporalis*. Et vero damnata *Wiclefi* doctrina *Trialogo* ejus tota continetur; atqui in hoc opere nec verbum reperias, quo veritas Sacramenti confirmationis tantisper lædatur: huinc *Guillelmus Widefordus* in opere quod adversus *Wiclefi* errores scripsit, hoc unum in eo reprehendit, quod administrationem confirmationis Episcopis reservatam esse negaret: *quintus articulus*, inquit, *condemnatus ut erroneus est*, *quod collatio Sacramenti confirmationis non est Episcopis reservata*.

Nec aliter de *Joanne Hus* sentiendum, qui ab *Wiclefi* opinionibus nec latum unguem discessit, tamque immodicus ejus admirator fuit, ut assereret in ejus libris omnem veritatem contineri: unde inter ejusdem articulos in *Concilio Constantiensi* damnatos (*Sess.* 15) iste legitur: (n. 25) *condemnatio 45 articulorum Joannis Wiclefi per Doctores facta*, *est irrationabilis*, & *iniqua*, & *male facta*. Quod itaque in contrarium videtur asserere *Æneas Sylvius* quando dicit *Joannem Hus* nihil de confirmatione sensisse, vel facti errore affirmat, vel eo sensu debet accipi, quo vere dicitur de aliquo dogmate nil sentire, qui insigniter illud corrumpit & depravat.

De Latinis dictum satis.

Græcos porro mirum est ab Hæreticis velut suæ sententiæ patronos laudari, quos constat ab eorum doctrina, quantum cœlum a terra distare: equidem fidei confessionem quæ opponitur, *Cyrillus* edidit, *Orientalis Confessionis*, ut fert objectio, splendido titulo insignitam; sed dicimus *Cyrillum* Sycophantam Vaferrimum, nullius, ne humanæ quidem fidei hominem, impudenter esse mentitum; tantumque in hac fabricanda confessione a fide suæ Ecclesiæ recessisse, quantum *Lutherani* & *Calvinistæ* novæ Religionis auctores a receptis apud Latinos dogmatibus aberrabant. Nam

1. Si in confessione *Cyrilli* fidem suam Græci recognovissent, haud dubie approbassent, & inito cum *Lutheranis* & *Calvinianis* fœdere, contra Latinos quos capitaliter oderat, collatis viribus, novo impetu, dimicassent; atqui nedum probaverint, ad singula pseudo-confessionis capitula velut ad totidem portenta exhorruerunt, male feriatum hominem diris devoverunt, ejusque stultitiam egregie confutarunt.

Confutavit *Georgius Coressius* ab Ecclesia Constantin. delegatus, (*anno* 1635) ut contra *Leodegarium* ministrum Calvinianum causam fidei ageret.

Confutavit ejus discipulus *Gregorius* protosyncellus *in Synopsi Divinorum mysteriorum* eodem tempore, probantibus Archiepiscopis, Episcopis, Presbyteris Græcis, & Clero universo vulgata.

Confutavit *Cyrillus Beræensis*, Apostatæ *Cyrilli* successor, in Synodo de hac re specialiter habita, (*anno* 1638) cui interfuerunt, *Metrophanes* Patriarcha Alex. *Theophanes* Patriarcha Hierosol. Episcopi 21, Sacerdotes secundi gradus quamplurimi: hic enim præter cætera, dictum *anathema Cyrillo nova dogmata invehenti*, & *neganti septem esse Ecclesiæ Sacramenta baptismum videlicet*, *Chrisma* &c. *Falsoque affirmanti*, *duo tantum a Christo instituta*, *baptismum*, & *Eucharistiam*.

Confutavit Synodus altera, quarto post anno (*anno* 1642) *Jassi in Moldavia*, itemque altera, *Constantinopoli* sub idem tempus congregata, ubi nomine tacito Cyrillus damnatus est, quod pseudo-confessionis art. 15, Sacramenta Ecclesiæ, nominatim vero sanctum Chrisma rejiceret.

Confutavit *Meletius Syrigus*, Græcorum ea ætate doctissimus (*anno* 1640) edito contra *Cyrillum* tractatu, cui Græcorum omnium approbatio & consensus accessit.

Confutarunt ii omnes qui Galliarum Regis Christianissimi apud Turcarum Imperatorem legatis, testimonia fidei authentica dederunt, a *Cyrilli* confessione alienissima.

Confutavit Synodus *Leucosiæ* in Cypri Insula celebrata, (*anno* 1668) ubi 3 cap. de sacro Chrismate sic statutum: *si quis Sacratissimum Chrisma non unum proprie fateatur ex septem Sacramentis*, *per traditionem Apostolorum ab ipsomet omnium Rege Christo institutis*, *novamque gratiam ac sanctificationem propriam ex hoc*, *iis qui inunguntur*, *præstari . . . is integritatem Ecclesiasticæ tollit pulchritudinis*, *quam*, *ædificans suam domum Sapientia*, *per septem columnas prænotavit* &c.

Confutavit Synodus *Hierosol.* præside *Dositheo* celebrata (*anno* 1672) ubi assistente pa-

pariter & consentiente *Nectario* ejus prædecessore, qui Patriarchatum paulo ante abdicaverat, sic definitum: *septem in Ecclesia credimus esse Evangelica Sacramenta nec plura nec pauciora: quem mutare numerum Hæreticorum insanum commentum est. Septenarium numerum non secus ac alia fidei Catholicæ dogmata Evangelii auctoritas adstruit.*

Confutarunt denique, si unum aut alterum Apostatam demas, qua voce, qua scripto Græci omnes; quos si quis latis contra Cyrillum decretis, gratificari Latinis voluisse existimat, næ ille se mente captum omnique judicio orbum ostendet. Tantum enim aberant a voluntate Latinos sibi conciliandi, ut ab iis ferali, (quod observatione dignum est) schismate pene omnes scinderentur, & contra eos multis modis contumeliosi existerent. Non ideo itaque *Cyrillum* ejusque signiferos *Calvinistas* impugnarunt, quia Latinis, quorum concordiam non quærebant, sed quia sibimet contrarios compererunt.

2. Si fidem Orientalis Ecclesiæ hac sua confessione vere expressam *Cyrillus* putasset, debuerat Græcos contradicentes pro officio redarguere, eorumque sive perfidiam sive inscitiam Patrum testimoniis, latis majorum judiciis, & populorum consensione, revincere. Nec sane occasio defuit, nec defuit zelus, si credimus Calvinistis: præsens enim Constantinopoli aderat, (*anno* 1635) quando *Coressium* inter & *Leodegarium* quam prædiximus disputatio est excitata. Deinde strenuus, si Deo placet, erat ille athleta Christi, Apostolicæ fidei homo, pro qua etiam, ut quidem fabulantur, Martyr occubuit. Quidni ergo laboranti fidei in tanto periculo suppetias ferret? quidni *Leodegarium*, interposita qua vigebat Patriarchali auctoritate juvaret? Quod si, destitutus animo, non auderet, saltem confessionis quæ suo nomine circumferebatur, se fateretur auctorem, suorumque deploraret paternis fletibus cœcitatem, & ad antiquam doctrinam hortatione pastorali reduceret; atqui longe diversam Cyrillo fuisse mentem, demonstrant ejusdem in hac emittenda confessione dolo plenissimæ cautiones: quas ego inter clarissima impietatis, & in Deum irreverentiæ argumenta numeraverim. Non enim illam proprio nomine solemniter, ut debuerat, publicavit, non Notarii publici authentica attestatione, non suffraganeorum subscriptione, non cleri Constantinopolitani approbatione munivit: sed clanculum ministris Calvinianis ad Latinos Hæreticos transmittendam commisit. Quo factum est ut *Genevæ* citius quam *Constantinopoli* ejus Apostasia innotuerit: quin, quod deterius est, unde ingenium hominis versipelis & natum ad asturiam plene cognoscas, quod furtim Occidentalibus hæreticis declarabat, publice, ne suorum incurreret invidiam, etiam interposito juramento deprecabatur, sibique ipsi contrarius quod Genevæ negabat esse Sacramentum, Constantinopoli, disciplinæ suæ Ecclesiæ serviens, observabat, & observari a suis curabat: viderint ergo *Genevenses*, quam illi fidem haberi velint, cujus ore tam perspicue mentita est iniquitas sibi; viderint quam male causæ suæ in futurum prospexerint, quando *Cyrilli* confessionem Genevæ publicatam hoc elogio adornarunt: *interest præsentis ætatis & piæ posteritatis, istius primarii & gravissimi viri de doctrina Christiana sententiam publicis tabulis consignari*. Plurimum scilicet piæ eruditæque posteritatis intererat, *Geneva* procurante moneri, qui *Calvino & Luthero* in Orientis partibus ad dogmata Catholica exterminanda, ipsamque nominatim diruendam confirmationem assentiretur; inter tot Sacerdotum millia unum esse repertum, falsarium, impostorem, hypocritam, omni destitutum sensu Religionis, mendacii convictum a suis, labe simoniæ, aliorumque, nec paucorum criminum suspicione gravissima diffamatum.

3. In tantum Cyrilli Sycophantia patuit, ut Lutheranis ipsis, aliisque novæ Reformationis proceribus innotuerit. Statim enim atque confessionis, *Genevensis* editio prodiit, a *Grotio*, *Georgio*, *Felbavio*, aliisque Lutheranorum, præsertim vero confessionis *Augustanæ* doctissimis, pro merito est exagitata. Probatum omnibus, confessionem hanc non e Græcorum scriniis, non ex Orientis doctrina, sed ex *Calvini* institutionibus de verbo ad verbum expressam, a fide & disciplina Græcorum penitus discedere, nedum repræsentaret; itaque non alios præter *Calvinistas* defensores natus infeliciter libellus habuit: sed nec omnes habuit. *Albertinus* enim *Calvinianæ* factionis Scriptor, *confessionem* hanc non Græcorum Ecclesiæ, sed *Cyrilli* ad antiquam fidem reversi, privatam fuisse affirmat: *nostris temporibus*, inquit, (*lib.* 3, *part. ult.*) *novissimus Patriarcha Cyrillus Constantin. ad primitivam rediens fidem &c.*

2. Tandem mendacii atrocitatem confirmat temporum anteactorum memoria, unde constat confirmationem in Sacramentorum numero indubitanter a Græcis omni retro ætate admissam, anno enim 1575, antequam suam daret *Cyrillus* confessionem circiter 55, ejus in Constantin. Patriarchatu decessor *Jeremias* acceptam a Theologis Wittembergensibus Augustanam confessionem per singula capita dispuuxit, ac refutavit. Quod vero ad præsentem spectat quæstio-

stionem, *Sacramenta*, inquit, (*resp.* 1) *& sacræ cæremoniæ quæ in Catholica Christianorum Orthodoxorum Ecclesia observantur septem sunt, nec plura, nec pauciora: baptismus, unctio divini Chrismatis &c. . . . alia utilia omnibus, ut baptismus, confirmatio, & communio: alia aliquibus &c.* idem longe ante prædixerat *Symeon Thessalonicensis*: (*de Sacram. cap.* 43) idem denique Græcorum libri omnes Rituales præscribunt. Ergo contra manifestam veritatem *Cyrillus* duo tantum a suis admitti Sacramenta asseruit. Unde patet quam immerito a *Calvinistis* ejus testimonium profertur.

Nec aliter de *Armenis*, *Æthiopibus*, *Ægyptiis*, cæterisque Orientalibus sentiendum: illos enim pro vero Sacramento confirmationem non secus ac Græcos habere constat:

1. Ex eorum Euchologiis ubi confirmatio facienda, & ritus in ea observandus præscribitur: qui enim disciplinam habent Græcorum institutis plane consonam, stultum fuerit negare unam & eamdem habere fidem.

2. Eo quod in tantis discordiarum hæresumque tumultibus quibus agitantur hi populi, antiquitusque fuerant, nusquam legantur confirmationem e Sacramentorum numero expunxisse.

3. Idem expressa eorum testimonia luce clarius manifestant: e multis pauca affero quæ ad eorum fidem vindicandam sat erunt.

Anno 1667 *Uscanus* Erivanensis in Armenia Episcopus, Amstelodami ubi tum temporis versabatur, præter cætera interrogatus, *an non damnent Armeni eorum sententiam... qui negant per Chrismatis unctionem & manus impositionem conferri baptizatis Sp. Sanctum, tamquam per proprie dictum Sacramentum?* Respondit: *damnant, quamvis apud ipsos administratio istius Sacramenti sit infrequens, quod factum per varios motus & tempestates quibus Ecclesia fuit jactata.*

Eodem anno Vir Clarissimus *Nicolaus Spadarius Moldavus*, Baro, ac olim generalis Wallachiæ, *Holmiæ* librum publicavit, in quo Orientalium fidem exponens, præter cætera, septem ab illis admitti Sacramenta declarat: *quo vero plenius cognoscas*, inquit, *Ecclesiæ Orientalis 7 Sacramenta; ecce tibi exhibeo. Sunt autem ista, baptismus, Eucharistia, Sacerdotium, sive ordo, pœnitentia, matrimonium, extrema unctio, confirmatio: quæ omnia præter ordinem & confirmationem, a Sacerdote conferuntur. Hinc omnes qui hæc septem Sacramenta non agnoscunt, Ecclesia Orientalis tamquam hæreticos censet & anathematizat.*

Anno 1668 Synodus de qua ante diximus, *Leucosiæ* in Insula Cypri congregata, postquam confirmationem esse proprie unum ex 7 Evangelii Sacramentis, & alia quædam fidei capita definivit, in Epilogo sic concludit: *hæc est Orthodoxa Ecclesiæ Orientalis fides: hanc tuentur quatuor SS. Patriarcharum Orientalium, Venerabilium Fratrum nostrorum & comministrorum Sedes, Constantinopolitana videlicet, Alexandrina, Antiochena, & Hierosolymitana: hanc cæteræ quæque nationes, nobis ritu & communione conjunctæ profitentur, inprimis amplissimum Moscorum Imperium, Russorum longè lateque sparsi populi, itemque Bulgariæ, Serviæ, superioris & inferioris Mysiæ, tum Epirotæ, Arabes, Ægyptii, & ne cæteras Asiæ & Europæ gentes enumeremus, quicumque septimam Œcumenicam Synodum acceptant & venerantur: hanc etiam incorruptam & inviolatam huc usque servavit Dei beneficio hæc S. nostra Cypriorum Ecclesia, &c.*

Anno 1669 *Jacobus* Armenorum Patriarcha ab Excellentissimo D. D. *Carolo Olier*, Marchione *de Nointel*, qui tum temporis Constantinopoli pro Rege Christianissimo legationem obibat, de quibusdam Calvinistarum propositionibus rogatus sententiam, quarum 14 hæc erat: *in Ecclesia non sunt 7, sed duo tantum Sacramenta*: responsum dedit: *hanc esse doctrinam, a Domino nostro Jesu Christo receptam, a S. Apostolis traditam, a sacris Conciliis confirmatam, & a se ipso suaque universali Ecclesia semper creditam, 7 esse Sacramenta &c.* Pariterque sub idem tempus respondit Armenorum Constantinopolitanorum Archiepiscopus eadem a prædicto Excellentissimo Legato quæstione pulsatus.

Poteramus his testimoniis pleraque alia nec minus authentica addere. Quoniam autem volumus disputationis tenere modum, hæc in præsenti sat superque erunt, ad ostendendum cavillis suis hæreticos causam Ecclesiæ Catholicæ magis juvare quam infringere, quippe qui præter mendacia falsasque suppositiones nil quo se tueantur adducant: legat veri amans Theologus Clarissimi Viri *Eusebii Renaudot* de *perpetuitate fidei* tomos 4 & 5, ubi hoc argumentum fuse summaque eruditione explicatum reperiet.

Inst. 1. Græcos & Orientales confirmationis Sacramentum non habere, & ne nomine quidem cognoscere, non *Calvinistæ* tantum affirmant, sed plerique Catholici, non mediocris inter suos existimationis memoriæ prodiderunt. De Æthiopibus quidem, testis est *Alvares* Hispanus (*in itinerario Æthiopiæ*): idem de Chaldæis *Antonius de Govvea* Lusitanus testatur (*lib. 3 de Reb. Persic.*) generatim

ratim

ratim vero de omnibus Græciæ & Orientis incolis idipsum *Guido Carmelitanus*, *Caucus*, *Prateolus*, & plerique alii asserunt. Ergo non potest hoc Sacramentum universali consensione defendi; adeo ruit, quod tanti facimus argumentum præscriptionis.

℟. Concesso ant. n. conseq. Numquid enim *Alvarezii*, *Guidonis*, & aliorum, quovis tandem numero sint, major erit auctoritas, quam Ecclesiæ ipsius Orientalis, Conciliorum, Patriarcharum, Episcoporum, unanimi calculo affirmantium, septem se Sacramenta, & in hoc numero confirmationem, ex Christi institutione & traditione Apostolica accepta habere? numquid Euchologiorum omnium quæ ubique in Oriente extant, ubi confirmationis ritus, officium, minister & efficacia describitur, nutabit vigor, quia in obscuris quibusdam itinerum historiis, verius dixerim fabulis contrarium invenitur? numquid enim vero poterant *Antonius de Govvea*, *Alvarez* & alii, Æthiopiam, Persidem, & cæteras remotissimas Regiones præcipitanter peragrando, de harum Ecclesiarum disciplina & moribus æquum ferre judicium, qui Romanæ ne noverant quidem; aut si noverant, ita suis erant præjudiciis occupati, ut quidquid usibus nostris ac ritibus tantisper dissimile reperirent, illico velut superstitiosum damnarent? hoc enim non eorum tantum, sed & Scholasticorum vitium fuit, magnorumque origo malorum, quod Sacramentorum veritatem ex præsenti Latinæ Ecclesiæ disciplina, & scholarum opinionibus diiudicando, Græcos violati sacri numeri speciatim vero abrogatæ confirmationis temerario accusaverint: a quibus sane criminationibus temperassent, si ad morem antiquum pro officio attendissent, & Sacramentorum naturam non ex novellis scholarum placitis, sed ex antiquis Canonibus, Summorum Pontificum decretis, & Patrum sententiis æstimassent.

Inst. 2. Ut validum firmumque consistat præscriptionis argumentum, non satis est ostendere quod hi temporibus Græci & Orientales pro Sacramento confirmationem habeant; sed est præterea, quod ab antiquo habuerint, demonstrandum; atqui licet primum Catholici aliquantisper suadeant; secundum sane non possunt: admodum enim verisimile est Latinos quo tempore Constantinopoli dominabantur, Ecclesiæ suæ nova figmenta in Græciam cum terreno imperio intulisse, unde in Orientem deinceps propagari facile potuerunt. Ergo &c.

℟. Concessa maj. n. min. Quod enim ab antiquo habuerint, argumenta convincentissima sunt, Euchologiorum vetustissimorum in ritu confirmationis præscribendo forma unanimis, populorum omnium in quavis hæresi, & in quantalibet Orientalium discordia, ed eam admittendam nusquam violata consensio, testimonia Patrum evidentia, de quibus c. 3 dicturi sumus. Quod a Latinis non receperint, probat Scriptorum omnium hujus ætatis æqualium aut suppariurn de hac tam prodigiosa mutatione silentium. Quod denique nec recipere potuerint, multis modis adstruitur.

1. Nemo nescit numquam Latinis Græcos fuisse infensiores, quam ubi eorum dominatum experti sunt. Itaque qui affirmant hoc tempore Constantinopolim, & in Græciam Ritus Romanæ Ecclesiæ introductos, consequens est ut dicant potuisse Græcorum animos inflecti, ut spreta antiqua religione, novam ab iis edocerentur, quos ut crudeles in temporalibus dominos, ut inimicos irreconciliabiles, denique ut hæreticos execrabatur. Lutheranis & Calvinistis, qui hoc credat?

2. Inversionem hanc tam parvo tempore, in tam dissitis Regionibus, in re adeo gravi, non gradu, sed præcipiti cursu, & quasi ictu oculi factam, qui possibilem dictitant, indigni sane sunt quibuscum disputatio ineatur, quippe qui sensum ipsum communem, & mores hominum hoc tam portentoso paradoxo offendant.

3. Si Græci a Latinis confirmationem aliaque Sacramenta susceperint, dicendum pariter quod ab iisdem eorum tradendorum ritus, cæremoniasque comites indivulsas Sacramentorum edocti sint. Atqui hoc prorsus impossibile Latinis fuit. Quam enim ignorabant disciplinam Græcis insinuare non poterant; atqui disciplinam quam Græci, in administratione Sacramentorum, cæterique Orientales usurpant, Latini penitus ignorabant; immo a Græcis observari plerique impatienter tulerunt, indeque arripuere occasionem, eos graviter accusandi, quasi confirmationem, extremam unctionem, aliaque Sacramenta abrogassent, quæ videbant ritu dissimili consecrari. Ergo disciplinam hanc, adeoque nec ipsa Sacramenta Græcis Latini obtrudere potuerunt.

Inst. ultimo. Si confirmationem esse Sacramentum, ex præscriptione certum foret, deberet pariter de ejus natura & proprietatibus, in quo sint reponendæ constare; atqui confirmatio in quo constitui debeat, hactenus nihil est certo definitum: de quidditate enim, deque adjunctis affectionibus, & denique de cæteris quæ ad illam quomodocumque spectant, quotidie in Ecclesia non secus ac de naturæ arcanis in Philosophia, controvertitur: ad problema omnia revocantur; & cum auctoritatis divinæ pondus, quo se se tueantur Theologi hinc inde

inde non habeant, præter testimonium hominum, & rationes e dialecticæ fonte petitas nil afferunt: quo fit, ut eo quisquis pugnet felicius, non quo rebus divinis magis versatus, sed quo acutior & ingeniosior fuerit: hoc autem ne gratis videatur & cum exaggeratioue dictum, juvat contrariarum opinionum exempla aliqua, (nec enim omnia possumus) in propatulo ponere.

De institutione confirmationis, a quo & quo tempore facta fuerint, non a Latinis tantum, sed a Græcis disceptatur: alii volunt a Christo immediate, sive ante sive post passionem, (nam neque de hoc convenit;) alii ab Apostolis; alii post Apostolica tempora longe serius, in nescio quo *Meldensi* Concilio institutam.

Jam de ejus conferendæ ministerio cui concreditum sit, quam ancipites pugnantesque sententiæ! quidam ita contendunt commissum Episcopis, ut ad Presbyteros simplices ne extraordinarie quidem, quacumque exigente necessitate, transferri queat. Alii Presbyteros, in hac parte, Episcopis pares faciunt, alii certis dumtaxat casibus, hoc in eos jus per dispensationem Ecclesiæ devolutum censent: alii denique (quæ satis communis est Canonistarum opinio) eo principio nixi: (*quod quisque habet, communicare cum altero potest*,) hoc ipso quod confirmatus aliquis fuerit, cujuscumque sit in Ecclesia gradus, posse alterum confirmare assseverant.

Quantum ad materiam, rixandi nullus est finis: quibusdam sola arridet impositio manuum, alii partem quidem confirmationis essentialem assentiuntur, sed non solam: alii manuum impositione rejecta, in sola unctione elementum essentiale reponunt, ad quod accedente verbo, Sacramentum fiat. Hic vero quis valeat omnia de unctione dubia recensere, quæ a nostratibus Theologis sic moventur, ut modis diversissimis resolvantur? quæritur enim an ex oleo solo, aut balsamo solo, aut utroque commixto, aut præter utriusque mixturam, ex diversis generis aromatibus debeat sacrum unguentum esse confectum? deinde utrum & quomodo præcedere debeat Chrismatis benedictio? an Sacramenti, an præcepti divini, an Ecclesiastici solum necessitate? præterea a quo fieri hæc consecratio debeat? num ab Episcopo, ita ut alioquin vana materia sit futura & ad Sacramentum insufficiens? utrum ordinario, aut saltem in necessitate sufficiat simplicis benedictio Sacerdotis, aut ministri inferioris? insuper in qua parte corporis debeat unctio fieri? an in pluribus, an in una? habet denique modos suos ritus ungendi, de quo utrum per modum crucis, aut aliter debeat fieri, non levis est, si placet superis, controversia. In his similibus explicandis, quot capita, tot sensus.

Sequuntur & de forma propriæ quæstiones, in quibus debeat verbis locari; utrum in iis, quibus Chrismatis benedictio fit? aut in iis quæ impositionem manuum, aut in aliis quæ unctionem comitantur? aliis prima, aliis secunda, aliis tertia arridet sententia: aliis ex secunda & tertia unam faciendo, quomodo duplicem materiam esse volunt, formam pariter duplicant: nec prætermittenda Græcorum mutua cum Latinis certamina. Græci Latinorum, Græcorum isti formam contemnunt, seque vicissim irritati Sacramenti acriter reprehendunt.

Nec adhuc controversiæ modus est. Supersunt namque de necessitate hujus Sacramenti, medii sit, aut præcepti? de effectibus, utrum & quomodo conferat sanctitatem? utrum peccatorum remissionem operetur? utrum interato possit suscipi? de subjecto, infans ne esse debeat, an adultus? recens natus septennis, an duodennis? mentis compos, an e contra? de his inquam & aliis supersunt innumeræ & interminatæ quæstiones, quas suo quisque arbitrio solvunt. Ergo de confirmatione nihil est certum: adeoque nec potest illi per viam præscriptionis, Sacramenti conditio vindicari.

℟. 1. Hoc argumentum, quo *Dallæus* & alii Neotericorum Pseudo-ministri plurimum delectantur, quasi decretorium foret, si quid probatur tam contra ipsos, quam contra Catholicos esse facturum. Inde enim sequeretur, in hæresi Lutherana & Calviniana nullum penitus esse Sacramentum quod illi inficiantur, cum baptismum & Eucharistiam pro veris signis & sigillis fidei habeant a Christo Domino institutis: sic autem ex iisdem principiis posset argumentum inflecti.

Si in Lutheri parte, & factione Calvini, baptismum & Eucharistia essent veri nominis Sacramenta, de natura eorum adjunctisque affectionibus deberet inter illos certo constare; atqui nedum in iis assignandis consentiant, æternis discordiis & certaminibus confligantus. Disputant de baptismi & Eucharistiæ materia: disputant de forma: disputant de sensu verborum Evangelii, *nisi quis renatus fuerit ex aqua &c. hoc est corpus meum, hic est sanguis meus*: disputant de ministro & necessaria ejus intentione: disputant de necessitate: disputant de effectibus: disputant de reali præsentia Christi in Eucharistia: de his inquam, aliisque longe pluribus acriter contendunt, & a se invicem opinionibus diversissimis abstrahuntur. Ergo duo, hæc pro veris Sacramentis habere non possunt.

Quod

Quod si contra hæreticos hoc argumentum infidelis aliquis intorqueret, nisi vehementer fallor, hoc unum quod prudenter responderent, occurreret, scilicet disputationes has Academiarum limitibus contineri, nec ulterius progredi; in praxi enim omnia fieri quæ Evangelio præscribuntur; adeoque propter opiniones contrarias non desinere vera esse Sacramenta, quæ a solo Dei verbo, non ab hominum opinione dependent: quam autem meliori titulo hoc ipsum nos Catholici contra Lutheranos & Calvinistas reponimus? licet enim diversis plerumque circa confirmationem aliaque Sacramenta opinionibus distrahamur; in hac tamen fide unanimiter consentimus, confirmationem verum esse Sacramentum: pro hac fide ad martyrium usque pugnare, unicuique vere Catholico certissimum est. Uno verbo, de materia, forma, & cæteris ad confirmationem pertinentibus disputamus in scholis, plerumque, ut verum fatear, animosius; sed nihilominus confirmationem in templis damus, & recipimus; nostrum quisque morem ac disciplinam a majoribus traditam, in ejus consecratione utrimque servamus: non hic opinionibus indulgemus, sed Ritualia & Euchologia sequimur, quæ dandi Sacramenti normam præscribunt: adeoque in vera fide firmiter stamus. Hoc dicere de se ipsis hæretici non possunt, quos disputandi pruritus eo perduxit, ut confirmationem penitus abolerent, & inventis Diaboli per summum sacrilegium accenserent.

R. 2. Conces. maj. n. min. E quibus enim fontibus confirmationem verum esse Sacramentum habemus, ex iisdem certo haurimus in quo debeant materiam ejus, & forma, & affectus, & minister & pleraque alia ad ea pertinentia constitui: stultum namque fuerit autumare, de confirmatione, quod Sacramentum sit, verbo Dei scripto & tradito esse revelatum; de partibus vero quibus necessario constat, de ministro, effectibus &c. nihil penitus constitutum, sed omnia in bivio, & hominum opinione esse relicta.

Ad probat. dist. ant. De natura & affectionibus confirmationis deque aliis ad eam pertinentibus in Ecclesia disputatur, plerumque *contra ecclesiæ mentem ac voluntatem*, con. *secus*, n. ant. & conseq.

E. D. Si ad scholarum exercitationem & culturam ingeniorum, moderate hæc certamina miscerentur; quamquam hinc culpabilia viderentur, quod a pristina simplicitate recederent, (nec enim majores nostri querelas hujusmodi agitabant:) tolerabilia tamen forent. Quod autem nostrorum plerique faciunt, de omnibus ad confirmationem & reliqua Sacramenta pertinentibus sine discrimine ad gravim usque disputando, se se mutuo violatæ fidei accusando, omniaque etiam certissima dogmata, cavillis scriptiunculis in dubium adducendo, non dubium est contra mentem Ecclesiæ facere. Id quod speramus in hujus Libri, & sequentium decursu certo demonstrandum: interim sat erit unum exemplum afferre. Græcos in confirmationis administratione ritus habere a nostris diversos, nemo nescit. Hinc sumpta sæpe a Latinis occasio, eos proditæ veritatis impotentius accusandi, quasi Sacramentum confirmationis exturbassent, atqui hoc contra mentem Ecclesiæ factum, constat ex rescriptis Romanorum Pontificum, *Leonis X*, *Clementis VII*, *Urbani VIII*, quibus expresse vetitum est, ne Græcis in disciplinæ suæ ac rituum observatione molestia inferretur. Ergo in ritu Græcorum, quamquam a nostris diverso, verum Sacramentum Ecclesia recognoscit: adeoque contra mentem ejus Theologi Latini in contrarium disputant.

Sequitur

CAPUT SECUNDUM.

Eadem veritas Scripturarum auctoritate adstruitur.

JAm vero huic adeo universali Ecclesiarum consensioni, Scripturæ suffragari auctoritatem, multis modis evincitur. Nam

1. Actuum 8, (v. 14, & seqq.) legitur: *cum audissent Apostoli qui erant Hierosolymis, quod recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eas Petrum & Joannem, qui cum venissent oraverunt pro ipsis, ut acciperent Sp. Sanctum, nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Jesu: tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Sp. Sanctum.*

Ibidem cap. 19 (v. 5, & seq.): de Discipulis Ephesiis dicitur: *baptizati sunt in nomine Domini Jesu, et cum imposuisset illis manus Paulus, venit Sp. Sanctus super eos, & loquebantur linguis et prophetabant.*

Hinc sic argumentor:

Sacramentum in nova lege est, res sensibus subjecta, quæ ex institutione Dei sanctitati & justitiæ tum significandæ tum efficiendæ vim habet: unde consequens est, tribus potissimum conditionibus contineri.

1. Est, ut sit ritus sensibilis & externus.
2. Ut gratiam sanctificantem ex opere operato producat.
3. Ut divinam habeat institutionem.

Atqui tria hæc confirmationi ex auctoritate Scripturæ conveniunt.

1. Est res sensibus subjecta. Nam ibi ritus externus est, ubi manuum impositio & oratio adhibetur; atqui duo hæc ex Scriptura confirmationi conveniunt. Ergo &c.

2. Est gratia sanctificans efficax ex opere operato. Nam ritus ille gratiam confert, per quem Sp. Sanctum accipiunt; atqui eo ab Apostolis observato ritu, Sp. Sanctum fideles accipiebant. Ergo &c.

3. Divinam habere institutionem hinc liquet, quod fuerit ab Apostolis observatus: erant enim illi, ut sæpius diximus, non auctores sed dispensatores mysteriorum quæ a Christo acceperant, nec quidquam in iis quæ ad cultum Dei & salutem hominis primario pertinent, proprio judicio decernebant; atqui Apostolos dedisse confirmationem ex verbis laudatis est manifestum. Habet ergo confirmatio ex Scriptura omnes veri Sacramenti conditiones.

2. Eamdem veritatem alia Scripturæ loca insinuant, quibus etsi absolute non indigemus, (tam enim certum est quod semel a Deo dictum, quam si foret sexcenties repetitum:) uti tamen volumus ac debemus, ne videamur Patrum a quibus usurpata in hac causa sunt, judicium parvipendere. Hujusmodi vero sunt:

2 ad Corinthios 1: (v. 21 & seq.) *qui confirmat nos vobiscum in Christo, & qui unxit nos Deus, qui & signavit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.*

Ad Ephesios 1. (v. 13 & seq.) *in quo & credentes signati estis Spiritu promissionis Sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ.*

Ad Hebræos: (v. 1. & seq.) *quapropter intermittentes incboationis Christi Sermonem, ad perfectiora feramur, non rursum jacientes fundamentum pœnitentiæ, ab operibus mortuis, & fidei ad Deum; bapsismatum doctrinæ, impositionis quoque manuum &c.*

1 Joannis 2: (v. 20, & 27.) *vos unctionem habetis a Sancto . . . & vos unctionem quam accepisti ab eo.... maneat in vobis.*

Hæc & similia SS. Patres, suis locis allegandi de Sacramento confirmationis intelligunt: quod si, ut ante fecerunt moleste ferant hæretici, dicant nobis utrum magis sibi credi velint, contra Ecclesiam ejusque præcipua dogmata, evoluta plusquam 1500 annorum ætate, nefarie litigantibus, quam Aug. Chrys. Theodoreto, & aliis, qui hos textus de Sacramento confirmationis explicuerunt, & in his materiam ac effectus ejus proprios, prælucente traditione intellexerunt? Quod si ridere, ut antehac pergunt, discant in re, qualis agitur, omnium maxime seria, non risu sed ratione & auctoritate pugnandum. Quam autem utraque parum valeant, ut ostendatur:

Diluuntur adversariorum oppositiones.

Obj. Ut possit ex Scriptura probari, impositionem manuum Apostolorum, verum fuisse Sacramentum, ostendi debet a Catholicis, hoc ritu datam gratiam sanctificantem; atqui datam ab Apostolis manuum impositione gratiam sanctitatis, numquam adstruent. Ergo &c.

Prob. min. Hæc verba: *accipiebant Sp. Sanctum*, non justitiam & sanctitatem internam significant, sed solas gratias quas Theologi gratis datas vocant, dona scilicet prophetiæ, linguarum, curationum &c. Ergo &c.

R. conc. maj. n. min. ad probat. nego ant. Nam Sp. Sanctus per manuum impositionem Apostolorum fidelibus datus, ille ipse est quem Christus promiserat his verbis: (*Joan.* 14, 16) *Ego rogabo Patrem, & alium paracletum dabet vobis, ut maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec scit eum: vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit, & in vobis erit.* Unde sic subsumo:

Atqui dona prophetiæ, linguarum, curationum, aliæque id genus gratiæ non præstant ut Sp. Sanctus apud fideles maneat, & in illis sit; cum etiam malis hæc dona concedi possint, qui Sp. Sanctum inhabitantem non habent. Ergo ea verba: *accipiebant Spir. Sanctum*, de solis gratiis gratis datis non debent intelligi.

Deinde, Spiritum de quo Christus loquitur, mundus non potest accipere, nec potest in mundo, id est homine secundum mundum vivente manere; atqui dona prophetiæ, linguarum &c. homo malus & mundi cupiditatibus serviens potest accipere. Ergo &c.

Inst. 1. Probando ant. Actuum 19, v. 5: *baptizati sunt*, inquit auctor Sacer, *in nomine Domini Jesu, & cum imposuisset illis manus Paulus, venit Sp. Sanctus super eos, & loquebantur linguis, & prophetabant.* Ergo hæc verba: *accipiebant Sp. Sanctum*, non internam justitiam & sanctitatem, sed gratias gratis datas significant.

R. Admitto auctoritatem, & concesso ant. n. conseq. & dico his verbis: *accipiebant Sp. Sanctum*, duplex debere gratiarum genus ex Ecclesiæ & traditionis sensu intelligi: primum erat, gratia sanctificans, per manuum impositionem in animos fidelium ad robur infusa, & ad singulare justitiæ incrementum. Alterum erat, donum Prophetiæ, miraculorum, linguarum &c. Primus effectus futurus erat in Ecclesia ex Christi institutione perpetuus: secun.

cundus, ad tempus tantum duraturus, donec fides per omnes gentes propagata foret ac solidata. Primus erat proprius ac principalis; secundus, accessorius; itaque per hæc verba: *venit Sp. Sanctus super eos, & loquebantur linguis & prophetabant*: non solæ gratiæ gratis datæ, sed etiam ipsa Sp. Sancti persona, & specialis gratiæ sanctificantis modus debent intelligi.

Inst. 2. Spiritus per manuum impositionem fidelibus datus, idem cum illo fuit, quem Apostoli die Pentecostes acceperant; atqui Spiritus ab Apostolis in Pentecoste acceptus, nihil aliud nisi linguarum & miraculorum gratia fuit, ad breve tempus duratura. Ergo &c.

℞. Concessa maj., n. min. Apostoli enim non ideo tantum Sp. Sancto repleti sunt, ut loquerentur variis linguis, prophetarent, & omnis generis miracula ederent; sed præcipue ut intrepide Christi nomen coram Judæis & Gentilibus prædicarent, illudque quod fuerat a Christo prædictum implerent: (*Act.* 1, 8) *accipietis virtutem supervenientis Sp. Sancti in vos, & eritis mihi testes in Hierusalem, & in omni Judæa, & Samaria, & usque ad ultimum terræ*. Statim enim atque venit Sp. Sanctus super eos, cœperunt omni timore deposito Evangelium Hierosolymis annunciare: hinc illud de iis dictum: (*Act.* 5, 41 *& seq.*) *ibant gaudentes a conspectu Concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati: omni autem die non cessabant, in templo & circa domos docentes, & Evangelizantes Christum Jesum*: hinc illud alterum a Petro & Apostolis pronuntiatum: (*Il. v.* 29) *obedire oportet Deo, magis quam hominibus*. Hæc porro tam nobilis, tamque omnis motus expers ad Christum confitendum audacia, ad gratiam sanctificantem haud dubie pertinebat. Falso igitur Hæretici dicunt, Spiritum ab Apostolis die Pentecostes acceptum, præter gratias gratis datas nihil intulisse.

Inst. 3 Atqui Spiritus S. Apostolica manuum impositione acceptus, non erat gratia sanctificans, sed gratiarum gratis datarum merus apparatus. Ergo &c. prob subs. Sp. Sanctus per manuum impositionem a Samaritanis, (Act. 8) & ab Ephesiis (Act. 19) acceptus, diversus ab eo erat, quem utrique dum baptizarentur, acceperant; atqui in baptismo gratia sanctificante perfusi erant. Non ergo ea per impositionem manuum Apostolorum donati sunt: adeoque Spiritus ille nihil quidquam fuit, nisi gratiarum gratis datarum ornatus.

℞. nego subs. ad probat. dist. maj. Sp. Sanctus a Samaritanis & Ephesiis per manuum impositionem acceptus, ab eo quem in baptismo acceperant erat diversus, *quantum ad gradum*, conc. *quantum ad rem*, n. maj. distinguo pariter min. In baptismo acceperant gratiam sanctificantem, *nativitati spirituali convenientem*, conc. *gratiam roboris*, qualem confirmationis proprium esse effectum fides Catholica docent, n. min. & conseq.

E. R. Omnibus novæ legis Sacramentis convenit, gratiam sanctificantem conferre; sed non omnia eumdem ejus gradum ac modum attingunt, ut constat ex dictis l. 1. Sic effectus baptismi est, gratia regenerationis, innovationis, adoptionis, & veluti Christianismi infantia, prout ab Apostolo Petro est dictum: (1 *Pet.* 2, *v.* 2) *sicut modo geniti infantes, sine dolo lac concupiscite, ut in eo crescatis in salutem*: effectus vero confirmationis est, gratia plenitudinis, & roboris, & hominis Christiani virilis ætas, juxta illud Joannis: (1, *Jo.* 2, *v.* 14) *Scribo vobis juvenes, quoniam fortes estis, & verbum Dei manet in vobis, & vicistis malignum*. Hæc vero gratia est, quam Samaritani & Ephesii manuum impositione Apostolica perceperunt. Immerito itaque Heterodoxi gratiam sanctificantem non fuisse Samaritanis manuum impositione collatam hinc inferunt, quia justitiam & peccatorum remissionem jam ante in baptismo perceperant. Hoc enim siquidem concluderet argumentum, probaret pariter, neque in Eucharistia, nec in cæteris Sacramentis, quæ Theologi *Vivorum* appellant Spiritum sanctificantem dari.

Inst. 4. Hoc tantum Samaritani manuum impositione accepisse putandi sunt, quod accepisse Scriptura testatur; nec enim homini licet, dona Dei, contra quam scriptum fuerit ampliare; atqui præter gratias gratis datas nihil accepisse leguntur: *venit*, inquit, *Spir. Sanctus super eos*: quid autem esset ille Spiritus continuo explicans, adjicit: *& loquebantur linguis & prophetabant*. Ergo præter hanc prodigia edendi virtutem, nihil hæc cæremonia afferebat: adeoque cum jam pridem desierit visibiliter communicari, debuit cæremonia ipsa cessare: unde iterum sequitur quod non modo nunc, sed ne Apostolicis quidem temporibus dici potuerit Sacramentum.

℞. 1. concessa maj. n. min. Verba enim Scripturæ ita debent intelligi, non quasi ad hoc tantum Sp. Sanctum Samaritani habuerint, ut linguis loquerentur & prophetarent; sed sensus est: *venit Spiritus S. super eos*, inhabitans, perficiens, & sanctificans: idemque præterea operans ut *loquerentur linguis & prophetarent*: quæ verba non ad præcedentium meram explicationem, sed ad augmentationem dicta sine dubio sunt: hæcque responsio licet ex ante dictis certa & perspi-

cua

cua sit, ad majorem tamen veritatis elucidationem.

℟. 2. distinguo maj. Hoc tantum Samaritani accepisse putandi sunt, quod eos accepisse Scriptura testatur, *& traditio explicat*, conc. quod accepisse Scriptura testatur, *aut testari creditur ab iis, qui tramitem & regulam traditionis contemnunt*, n. maj. & concessa hac sensu min. neg. cons.

E. ℟. Quam lubrica sit & facilis ad errorem via, Scripturam pro arbitrio explicantibus tum alibi sæpe, tum in præsenti controversia faciunt hæretici magno suo malo experimentum. Primum quod diximus, dixisse non pœnitet, quia verum; ex Scriptura scilicet, bonum ad ejus lectionem animum afferentibus liquido constare, quod fideles per manuum Apostolorum impositionem gratiam sanctificantem acceperint; sed & si daremus, paulum habere difficultatis Scripturæ textum, superest ad omnem dissipandam obscuritatem altera, nec minus ipso verbo Dei scripto certa infallibilisque regula traditio, Scripturarum interpres; atqui ex traditione constat; manuum impositionem non pro tempore tantum, nec pro obtinendis tantum gratiis gratis datis, sed velut cæremoniam Sacram, perpetuo ad sanctificationem animæ valituram, fuisse ab Apostolis usurpatam. Hæc enim unanimis est sententia Patrum, quos si *Luthero* & *Calvino* præponimus, dabunt, si potis est, veniam, modestissimi homines, qui nemini volunt credere, seque ipsos supra omnes, quin & supra Ecclesiam efferunt.

Primum profero *S. Cyprianum* in Epist. *ad Jubajanum*: (*Ep.* 73.); ubi quod de Samaritanis Actus Apost. memorant recolens: *quia legitimum*, inquit, *& Ecclesiasticum baptismum* (*a Philippo Diacono*) *consecuti fuerant, baptizari eos ultra non oportebat; sed tantummodo quod deerat, id a Joanne & Petro factum est, ut oratione pro eis habita, & manu imposita, invocaretur & infunderetur super eos Sp. Sanctus: quod nunc quoque apud nos geritur, ut qui in Ecclesia baptizantur, præpositis Ecclesiæ offerantur, & per nostram orationem ac manuum impositionem Sp. Sanctum consequantur, & signaculo Dominico consummentur*.

Consentit *S. Joannes Chrys.* eadem Actuum verba commentans: (*hom.* 18, *in c.* 8, *act. Apost.*) *Philippus*, inquit, *unus ex septem Discipulis erat, secundus a Stephano. Ideo & baptizans, Sp. Sanctum non dabat; neque enim facultatem habebat: hoc enim donum solorum Apostolorum erat .... nam virtutem quidem septem illi discipuli acceperant faciendi signa, non autem dandi aliis Sp. Sanctum. Igitur hoc erat in Apostolis singulare: unde & præcipuos & non alios videmus hoc facere*.

Innocentius. I Pont. Max. *de consignandis vero infantibus*, inquit, (*epist.* 1 *ad Decentium c.* 3) *manifestum est, non ab alio quam ab Episcopo fieri licere. Nam Presbyteri, licet sint Sacerdotes, Pontificatus tamen apicem non habent: hæc autem, Pontificibus solis deberi, ut vel consignent, vel Paraclitum Spiritum tradant, non solum consuetudo Ecclesiæ demonstrat, verum & illa lectio Actuum Apost. quæ asserit Petrum & Joannem esse directos, qui jam baptizatis traderent Sp. Sanctum. Nam Presbyteris, seu extra Episcopum, seu præsente Episcopo baptizent, Chrismate baptizatos ungere licet, sed quod ab Episcopo fuerit consecratum; non tamen frontem ex eodem oleo signare, quod solis debetur Episcopis, cum tradunt Sp. Sanctum*.

S. Augustinus tract. 6 in 1 Ep. Joannis: *primis temporibus*, ait, *cadebat super credentes Sp. Sanctus, & loquebantur linguis quas non didicerant ..... signa erant tempori opportuna: oportebat enim ita significari in omnibus linguis Sp. Sanctum, quia Evangelium Dei per omnes linguas cursurum erat toto orbe terrarum. Significatum est illud, & transiit: numquid modo, quibus imponitur manus ut accipiant Sp. Sanctum, hoc expectatur, ut linguis loquantur? aut quando imposuimus manum istis infantibus, attendit unusquisque vestrum, utrum linguis loquerentur? & cum videret eos non loqui, ita perverso corde aliquis vestrum fuit, ut diceret: non acceperunt isti Sp. Sanctum, quia si accepissent, linguis loquerentur? Si ergo per hæc miracula modo testimonium præsentiæ Sp. Sancti non fit, unde cognoscit quisque se accepisse Spir. Sanctum? interroget cor suum: si diligit fratrem, manet Spiritus Dei in illo*.

Similia habet lib. 3 de baptismo, c. 16.

Eadem S. Hieronymi (*in Dial. cont. Lucif.*): S. Isidori Hispalensis (*lib.* 2 *de offic. c.* 26), Vener. Bedæ, (*ad c.* 8 *act.*) & denique omnium pene quos Latina & Græca Ecclesia habuit probatos Scriptores, sententia fuit. De quo si quis dubitet, legat *Simeonem Thessalonicensem*, de Sacramentis *c.* 43, *Gregorium Proto-syncellum*, in Synopsi divinorum mysteriorum, *Alcuinum*, seu quisquis auctor est libris de Divinis officiis, c. 19, *Jesse Ambianensem Episcopum*, in l. de Baptismo, *Theodulphum Aurelianensem Episcopum*, l. de ordine baptismi c. 17, *Amalarium Fortun.* l. 1 de officiis c. 27, *Walafridum Strab.* l. de rebus Ecclesiasticis c. 26, *Ratramanum Corbejensem*, l. 4 contra Græcorum opposita, & plerosque alios; omnesque uno ore reperiet veritatem Sacramenti confirmationis ex Actuum Apost.

Apost. textibus adstruentes, & hoc ipsum quod Apostoli manus imponendo factitabant, suis quoque temporibus fieri in Ecclesia attestantes; atqui non ideo fieri dicunt, ut recentes baptizati gratiis gratis datis ornentur, quæ longe ante Cypriani ætatem, signis visibilibus communicari desierant. Ergo ut recipiant Sp. Sanctificantem: adeoque ex traditione certum est, Apostolos manus imponendo Spiritum sanctificantem contulisse, unde necessario sequitur ritum hunc primitus fuisse, & esse etiam nunc Legis Evangelicæ Sacramentum.

Nec est, quod cavillentur Hæretici, Sacramentum dici hac ætate non posse, cujus cessavit effectus. Non enim ideo ut gratias gratis datas conferret, fuit confirmatio principaliter instituta, sed ut gratiam roboris internam & sanctificantem tribueret: *signa erant tempora opportuna*, ait S. Aug. modo laudatus: *oportebat significari in omnibus linguis Sp. Sanctum; significatum est illud, & transiit; & nihilominus infantibus imponitur manus, ut accipiant Sp. Sanctum: & perversi cordis est dicere, non accepisse aliquem Spir. Sanctum, quia linguis post manuum impositionem non loquitur*; perverso ergo corde, Lutherani & Calvinistæ, judice S. Aug. sunt, qui contra Scripturæ & traditionis auctoritatem dicunt.

CAPUT TERTIUM.

Traditione confirmatio demonstratur.

CUM Scriptura traditionem ad asserendum confirmationis Sacramentum apprime cohærere, constat ex prædictis. Hoc autem ut plenius exequamur, & uberius fidem Catholicam contra Hæreticorum sophismata vindicemus, juvat testimonia Patrum colligere, eademque ad certas classes, & capita, ut vitetur confusio, hujusmodi collectionum comes plerumque individua, revocare. Sit itaque

§. PRIMUS.

Patrum de confirmatione sententiæ recensentur.

Dicendi difficultatem rerum dicendarum copia facit: hinc enim, nostram in tam gravi & necessaria controversia desiderari diligentiam ægrum foret: illinc vero tanta testimoniorum moles occurrit, ut brevi, ad studiosæ juventutis solatium, arctari spatio posse, pene desperatio sit. Age tamen tentabimus utrumque prolixitatis ac brevitatis vitium fugere; atque ita Patrum auctoritate utemur, ut nec nostra opera requiratur, nec veri amatoribus tædium objiciatur.

Sacramentum confirmationis, his fere oppositionibus convellere recentiores hæretici moliuntur. Contendunt nimirum

1. Confirmationem nihil quidquam prisca ætate fuisse nisi catechesim & examen adolescentium qui in infantia baptizati forent: *qui baptismo initiati erant infantes*, ait Calvinus (*Inst. lib. 4, c. 19, §. 4*) *quia fidei confessione apud Ecclesiam defuncti non erant, sub finem pueritiæ, aut ineunte adolescentia repræsentabantur iterum a parentibus, ab Episcopo examinabantur, secundum formulam Catechismi quam tunc habebant certam & communem .... posterior autem ætas re prope obliterata, fictitiam nescio quam confirmationem pro Dei Sacramento posuit.*

2. Ajunt, si manuum impositio, vel unctio, vel utraque simul, confirmatio nominetur, fuisse antiquitus meram ac simplicem cæremoniam baptismi administrationi conjunctam: *nam nullus est locus in Evangelio*, inquit Marcus Antonius de Dominis, (*de Republica Ecclesiæ lib. 5, c. 5*) *qui vel a longe innuat, hanc institutionem & mandatum de danda confirmatione: neque Apostoli unquam asseruerunt, se talem institutionem vel tale mandatum a Christo accepisse ..... cæremonia quidem confirmandi sive consignandi, fuit in antiqua Ecclesia per plura sæcula; sed tamquam cæremonia pure Ecclesiastica ad ritus baptismi pertinens.*

3. Negant, ritum confirmationis, Sacramentis Ecclesiæ a Patribus annumeratum: *si ab hominibus petendum esset fidei nostræ præsidium*, inquit Calvinus, (*Instit. lib. 4, c. 19, §. 12*) *babemus arcem inexpugnabilem, numquam veteribus agnita fuisse pro Sacramentis, quæ isti Sacramenta ementiuntur. De manuum impositione loquuntur veteres: sed an Sacramentum vocant?*

4. Etiamsi Sacramentum confirmatio dicta fuisset, nihil inde præsidii Catholicos recepturos affirmant; quando quidem certum sit, ritus mere accessorios, quos constat ab Ecclesia post promulgatum Evangelium institutos, hoc nomine a Patribus plerumque donatos.

Hæc autem quam futilia sint & contraria veritati, e re nostra est ex SS. Patribus demonstrare. Unde sit

PRO-

PROBATIO PRIMA.

Quod nihil magis traditioni repugnet, quam in mera catechesi, aut fidei professione confirmationem reponere.

Hoc enim si credi sibi vellent Hæretici, prolatis deberent testibus affirmare; atqui quod aliquando in Ecclesia confirmatio pro simplici puerorum Catechesi habita fuerit, nec uno possunt totius antiquitatis testimonio vel leviter indicare: quem enim ritum ad impetrandum neophytis Sp. Sancti illapsum, Apostoli observabant, ille ipse est quem confirmationem Catholici dicimus; atqui in eo nihil occurrit, quod Catechismum tantisper redoleat: *Oraverunt pro ipsis*, ait S. Lucas (*Act.* 8, 15, *& seq.*) *ut acciperent Sp. Sanctum .... tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Sp. Sanctum*. Ecquis vero unquam adeo ineptus & inops verborum fuit, qui impositionem manuum & orationem Catechismum esse effutierit? quis unquam putavit, professione fidei accipi Sp. Sanctum cum e contrario prius sit, Sp. Sanctum qui est Spiritus veritatis, accipere, quam fidem ejus profiteri? dicat, si potis est Calvinus, unde hauserit id quod velut ex historicis monumentis notissimum, tam confidenter affirmat: *Qui baptismo initiati erant infantes .... sub finem pueritiæ, aut ineunte adolescentia ..... ab Episcopo examinabantur secundum formulam Catechismi, quam tunc habebant certam & communem ..... posterior autem ætas, re prope obliterata, fictitiam nescio quam confirmationem pro Dei Sacramento posuit?* hanc prioris & posterioris ætatis pugnam, adeo diligens temporum observator, reseratis historiæ scriniis manifestet; quo Concilio, quo Pontificum Decreto, quo Sacerdotum & populorum consensu antiquitus constitutum, ut qui in infantia tincti forent, ritu solemni, adhibita ad majorem splendorem manuum impositione, de fide sua sub initium adolescentiæ interrogarentur, & arbitraria illa actione Sp. Sanctus illapsus in neophytos crederetur? in tanto Patrum numero cui unquam in mentem venit hujus examinis, his circumstantiis, hoc apparatu cæremoniarum ornati, vel levem, ac velut in transitu, injicere mentionem? quod si neminem hujus doctrinæ antecessorem valeat allegare, uti revera nec Calvinus nec vice ejus Calvinistæ hactenus potuerunt; discant tandem toties moniti, posterioris ætatis hoc esse ludibrium, quod in ea unus homo repertus sit, qui Sacramentum Christi, & priorem ætatem tam atroci mendacio diffamaret, quodque longe turpius est, tam ingentem populorum numerum in Apostasiam mendacio suo pertraheret.

Nam quod confirmationem pro mero Catechismo habere, a Patrum mente alienissimum semper fuerit, luce clarius eorum testimonia adstruunt, quibus constat, ipsis etiam unius diei infantibus, examinis & professionis fidei incapacibus, ritum hunc quem confirmationem, dicimus datum applicatumque fuisse: e multis pauca describam.

De consignandis vero infantibus, ait (*in Ep. ad Decent. cap.* 3) Innocentius I ineunte 5 sæculo Sum. Pontifex, *manifestum est, non ab alio quam ab Episcopo fieri licere .... hæc autem Pontificibus solis deberi, ut vel consignent, vel paracletum Spiritum tradant, non solum consuetudo Ecclesiastica demonstrat, verum & lectio actuum Apost. &c.*

Numquid modo, ait S. Aug. (*tract. 6 in 1 Ep. Joann.*) *quibus imponitur manus ut accipiant Sp. Sanctum, hoc expectatur ut linguis loquantur? aut quando imposuimus manum istis infantibus, attendit unusquisque vestrum utrum linguis loquerentur? & cum videret eos linguis non loqui, ita perverso corde aliquis vestrum fuit, ut diceret: non acceperunt isti Sp. Sanctum?*

Ordo Romanus (antiquus omnium Judicio liber) *Pontifex*, inquit, (*cap. de ordine in die Sabbati Sancti*) *veniens ad infantes* (*tenente Arcidiacono Chrisma*) *& imposita manu super capita eorum, dicit orationem super eos, cum invocatione septiformis gratiæ Sp. Sancti: oratione impleta interrogantibus Diaconibus nomina singulorum, Pontifex tincto pollice in chrismate, faciat crucem in frontibus singulorum, ita dicendo: Confirmo te in nomine Patris &c.*

Liber de divinis officiis, quem Alcuino plerique adscribunt: *Postquam Pontifex baptizaverit*, inquit, (*cap. de Sabbato Sancto Paschæ*) *... levant* (*Patrini*) *ipsos infantes in manibus, & offerunt eos uni de presbyteris .... & postquam induti fuerunt, dicit Pontifex super eos orationem &c. .... hac finita facit crucem de chrismate cum pollice in singulorum frontibus, ita dicendo: in nomine Patris &c. .... sed & hoc prævidendum est, ut nullum cibum accipiant, neque lactentur antequam communicent.* Liquet ex hoc testimonio confirmationem & Eucharistiam infantibus una cum baptismo antiquitus administratas fuisse: quem morem diu Latina Ecclesia tenuit, & etiam num Græca & Orientalis juxta antiquam disciplinam observat, prout ex omnibus Euchologiis notum est: jam sic contraho argumentum.

Si

Si nihil aliud confirmatio ad mentem Patrum fuisset, quam examen adolescentium in infantia baptizatorum, erga infantes ipsos, hujus examinis & fidei professionis incapaces, observari non potuisset; atqui nihil ex Patrum traditione certius est, quam quod ipsis infantibus confirmatio data fuit. Ergo &c.

PROBATIO SECUNDA.

Ostenditur confirmationem a Patribus numquam pro simplici baptismi cæremonia habitam. Nec tutius eorum effugium est, qui confirmationem pro nudo baptismi ritu a Patribus habitam fuisse obtendunt.

Ideo enim cæremonia baptismo conjuncta putata esset, quia eodem tenore temporis cum Sancto lavacro ministrabatur; atqui hæc ratio nulla est, alioquin dicendum foret divinam Eucharistiam non alio quam simplicis cæremoniæ loco habitam, quam constat pariter baptismo ratione temporis conjungi solitam, quemadmodum itaque hoc consequens ne ipsis quidem Lutherani & Calvinistæ admittunt: ita neque nos de confirmatione concedimus, quia Sacramentorum unitas aut diversitas, non a tempore quod unum aut varium sit, sed a ritu & ab effectu dependet: quantum autem a baptismo penes ritum & efficaciam confirmatio differat, tum ex prædictis intelligitur, tum ex modo dicendis magis patebit.

Deinde, si mera baptismi cæremonia confirmatio esset a Patribus existimata, eumdem atque baptismus ministrum solemnem habuisset, quia qui potest quod majus est, potest a fortiori id quod est in eodem ordine minus: porro Sacramentum adjacente cærimonia dignius & nobilius esse, nemo sapiens negaverit; atqui ex innumerabilibus Patrum testimoniis certum est, Diaconos qui certis in casibus, ipsosque presbyteros qui ordinatione sua baptismi solemniter ministrandi jus habebant, conferre confirmationem non potuisse, ex S. Cypriano, Joanne Chrys. Innocentio I, Ordine Romano, & Libro de Divinis Officiis. Loca huc pertinentia jam attulimus, eodem spectant quæ sequuntur.

Si quis Diaconus regens plebem, ait (*can.* 77) Synodus Eliberitana, ineunte 4 sæculo habita, *sine Episcopo, vel presbytero aliquos baptizaverit, Episcopus eos per benedictionem perficere debebit.*

S. Hieronymus *in Dial. contra Lucif.* postquam adversarium ita loquentem induxit: *An nescis Ecclesiarum hunc esse morem, ut baptizatis postea manus imponantur, & ita invocatur Sp. Sanctus: exigis ubi scriptum sit? in Actibus Apost. sed etiam si scripturæ auctoritas non subesset, totius orbis in hanc partem consensus instar præcepti obtineret &c.* orthodoxi nomine sic respondet: *Non abnuo*, inquit, hanc *esse Ecclesiarum consuetudinem, ut ad eos qui longe in minoribus urbibus per presbyteros & Diaconos baptizati sunt, Episcopus ad invocationem Sancti Sp. manum impositurus excurrat.*

S. Gregorius Magnus, desinente 6 sæculo S. Pontifex: *Presbyteri*, inquit, (*lib.* 3, *Epist.* 9 *ad Janua. Calarit.*) *baptizatos infantes signare sacro in fronte chrismate non præsumant: sed presbyteri baptizatos tangant in pectore, ut Episcopi postmodum tangere debeant in fronte.*

S. Isidorus Hispalensis, 7 sæculi scriptor: *Post baptismum*, inquit, (*lib.* 2 *de offic. cap.* 26) *per Episcopos datur Sp. Sanctus, cum manuum impositione: hoc in actibus Apost. fecisse meminimus Apostolos, &c.*

Vener. Beda qui 8 sæculo floruit: *Notandum*, inquit, (*in c.* 8 *act.*) *quod Philippus, qui Samariæ Evangelizabat, unus de septem* (Diaconis) *fuerit: si enim Apostolus esset, ipse utique manum imponere potuisset, ut acciperent Sp. Sanctum: hoc enim solis Pontificibus debetur: nam presbyteris, sive extra Episcopum, sive præsente Episcopo baptizent, chrismate baptizatos ungere licet: sed quod ab Episcopo fuerit consecratum, non tamen frontem ex eodem oleo signare, quod solis debetur Episcopis, cum tradunt Spiritum Paracletum baptizatis.*

Plures addere, quandoquidem omnibus confessa res est, superfluum fuerit. Ergo &c.

Atque hinc exurgit alterum, nec contemptibile argumentum: illi confirmationem velut cæremoniam baptismo accidentaliter adjacentem non respiciebant, qui confirmationem longum plerumque tempus post solemnem baptismatis consecrationem differebant; atqui confirmatio in longum sæpe tempus, propter Episcoporum absentiam, post baptisma solemniter a presbyteris aut Diaconis datum protrahebatur. Ergo &c.

Præterea quod nonnisi completo baptismo fit, non est aliquid pertinens ad baptismum; atqui juxta SS. Patres confirmatio baptismati peracto accedit. *Sicut Joannes ante præcursor Domini fuit*, ait Tertullianus (*lib. de bapt. c.* 7) *Præparans vias; ita & Angelus* (Minister) *baptismi arbiter, superventuro S. Sancto vias dirigit ablutione delictorum quam fides impetrat, obsignata in Patre, & Filio, & Sp. Sancto . . . . . exinde egressi de lavacro, perungimur benedicta unctione . . . . . in nobis carnaliter currit unctio, sed spirituali-*

ter proficit, quomodo & ipsius baptismi carnalis actus, quod in aqua mergimur spiritualis effectus quod delictis liberamur.

Concilium Laodicenum 4 sæculo celebratum: *Oportet eos qui illuminantur*, inquit (*can.* 48) *post baptisma inungi supercœlesti chrismate, & esse Regni Christi participes.*

Parique ratione alii loquuntur, quotquot de baptismo & confirmatione tractarunt: eorum ergo judicio confirmatio non erat ritus baptismo ad merum ornatum conjunctus.

Insuper: Si Patribus confirmatio simplex baptismi cæremonia visa foret, non magis de illa supplenda, quam de cæteris accidentariis ritibus fuissent solliciti, cum non magis illa quam isti ad Sacramenti substantiam pertineret: atqui in contrarium semper hæc cura majorum fuit, ut qui in necessitate foret a Laico baptizatus, ad Episcopum confirmatione perficiendus adduceretur: de cæteris vero ritibus, quos necessitatis minister prætermisisset, vel nulla, vel certe non adeo anxia fuit unquam sollicitudo: *Peregre navigantes*, ait Concilium Eliberitanum, (*can.* 38) *aut si Ecclesia in proximo non fuerit*, (statuimus) *posse fidelem, qui lavacrum suum integrum habeat, nec sit bigamus baptizare in necessitate: ita ut si supervixerit, ad Episcopum eum perducat: ut per manus impositionem perfici possit.* Hic vides de Exorcismis, insufflationibus, abrenuntiationibus, lactis & mellis prægustatione, aliisque cæremoniis quas in baptismo solemni observari religio erat, nullam fieri mentionem: tantumque præcipi, ut ad Episcopum neophytus, manuum impositione perficiendus perducatur, quorsum vero? nisi quia longe excellentiori loco habebatur, nec simplex baptismi cæremonia putabatur. Ergo &c.

Denique: quanti confirmationem Patres fecerint, quantoque discrimine a ritibus baptismi distinxerint, vel inde patet, quod solius baptismi susceptione nisi confirmatio accederet, non putarent hominem proprie fieri Christianum, & Filiis Dei annumerari: *Patrum est*, inquit S. Cyprianus, (*Ep.* 72) *eis manum imponere ad accipiendum Sp. Sanctum, nisi accipiant & Ecclesiæ baptismum: tunc enim demum plene sanctificari, & esse Filii Dei possunt, si utroque Sacramento nascantur.*

Et S. Cyrillus Hieros. (*catec.* 3) *hujus Sancti Chrismatis dono accepto merito appellamini Christiani, veram efficientes appellationem in ipsa regeneratione: ante enim quam hæc gratia vobis donata esset, non eratis proprie digni eo nomine, sed pergentes eo usque progressi estis, ut efficeremini Christiani.*

Omnes fideles, ait Scriptor Epistolæ (*Ep. ad omnes Christianos c. ult.*) Urbano I Pont. Max. perperam attributæ, *per manus impositionem Episcoporum, Sp. Sanctum post baptismum accipere debent, ut plene Christiani inveniantur.*

Atqui de cæremoniis baptismi nihil unquam tam magnifice a Patribus dictum, etsi aliunde earum sanctitatem, excellentiam, mysticasque significationes, uti par erat laudaverint: itaque a primo ad ultimum evidens est, Hæreticos a Patrum mente longissime recedere, quando confirmationem nihilo pluris quam cæteras baptismi cæremonias æstimatam, temerario effutiunt.

PROBATIO TERTIA.

Confirmatio Sacramentum a Patribus dicta est.

Accedit ad præcedentium robur appellatio Sacramenti, quam S. Patres confirmationi non secus ac reliquis Sacris symbolis detulerunt: id quod vel turpe est ignorasse Calvinum, vel dissimulasse turpissimum: *Si ab hominibus*, inquit, (*Inst. l.* 4, *c.* 19, §. 12) *petendum esset fidei nostræ præsidium, habemus arcem inexpugnabilem, numquam veteribus agnita fuisse pro Sacramentis, quæ isti Sacramenta ementiuntur: de manuum impositione loquuntur veteres; sed an Sacramentum vocant?*

Ita sane, homo omnium audacissime, Sacramentum vocant, & vocant sæpissime: quod videre tute ipse facile poteras, si sanos ad eorum lectionem oculos attulisses, nec te impotens contra Ecclesiam furor excæcasset: audiat itaque quisquis amat veritatem, & odio habet mendacium, Patres loquentes.

Tertullianus, Diabolum Dei simiam æmulumque esse ostendens: *Ipsas quoque res divinorum Sacramentorum*, inquit, (*de præscript. c.* 4) *in idolorum mysteriis æmulatur: tingit & ipse quosdam, utique credentes & fideles suos . . . . . signat illic in frontibus milites suos: celebrat & panis oblationem.* Itaque Tertulliano teste tria hæc, baptismus, confirmatio, & Eucharistia, Dei Sacramenta ex æquo sunt & dicuntur.

Idem alibi Jesum Christum non esse Dei Creatoris adversarium, nec reprobare opera ejus demonstrans: *Sed ille quidem*, ait, (*lib.* 1 *com. Marcion. c.* 14) *usque nunc nec aquam reprobavit creatoris, qua suos abluit, nec oleum quo suos ungit; nec mellis & lactis societatem qua suos infantat, nec panem quo ipsum corpus suum repræsentat, etiam in Sacramentis propriis egens mendicitatibus Creatoris:*

toris: (donis videlicet sensibilibus a creatore emendicatis).

S. Cyprianus paulo ante laudatus de baptismo & confirmatione agens: *Tunc plenè sanctificari*, inquit (*Ep.* 72) *& esse Filii Dei possunt, si utroque Sacramento nascantur*.

Et in Ep. sequente: (*Ep.* 73) *baptizari eos oportet, qui de hæresi ad Ecclesiam veniunt: ut qui legitimo, & vero, atque unico S. Ecclesiæ baptismo ad regnum Dei regeneratione divina præparantur, Sacramento utroque nascantur*.

S. Aug. de confirmatione agens: *Sp. sanctus*, inquit, (*lib.* 3 *de bapt. c.* 16) *quod in sola Ecclesia Catholica per manus impositionem dari dicitur, nimirum hoc intelligi majores nostri voluerunt, quod Apostolus, ait*, quoniam caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Sp. Sanctum qui datus est nobis... *non habent Dei Caritatem qui Ecclesiæ non diligunt unitatem; ac per hoc rectè intelligitur dici, non accipi nisi in Catholica Sp. sanctus . . . aliud est Sacramentum quod habere etiam Simon Magus potuit, aliud operatio Spiritus, quæ in malis hominibus etiam fieri solet, sicut Saul habuit Prophetiam: aliud operatio ejusdem Spiritus, quam nisi boni habere non possunt, sicut est caritas*.

Idem Donatistas, Hæreticorum baptismum, & confirmationem rejicientes, sic refutat: *Quomodo*, inquiebant illi, *aquam mundat & sanctificat homicida? quomodo benedicunt oleum tenebræ* (Hæretici videlicet)? quibus ita reponit S. Doctor: (*lib.* 5 *de bapt. cap.* 20) *Si Deus adest Sacramentis & verbis suis, per qualeslibet administrentur, & Sacramenta Dei ubique recta sunt . . . . si ad hoc valet quod dictum est in Evangelio*: Deus peccatorem non audit: *ut per peccatorem Sacramenta non celebrentur: quomodo exaudit homicidam deprecantem, vel super aquam baptismi, vel super oleum, vel super Eucharistiam, vel super capita eorum quibus manus imponitur? quæ omnia tamen & fiunt & valent, etiam per homicidas*.

Idem: *Ungimur modo in Sacramento*, inquit, (*Enarrat.* 2 *in Ps.* 26) *& Sacramento ipso præfiguratur quiddam quod* (in altera vita) *futuri sumus*.

Denique, ne singula memorem, l. 2 contra litteras Petiliani Donatistæ, (*c.* 104) *Sacramentum chrismatis*, ait, ... *in genere visibilium signaculorum Sacrosanctum est, sicut & ipse baptismus: sed potest esse & in hominibus pessimis . . . . . discerne ergo visibile Sanctum Sacramentum, quod esse & in bonis & in malis potest; illis ad præmium, istis ad judicium, ab invisibili unctione caritatis, quæ propria bonorum est*.

Tertulliano, Cypriano, Aug. alii omnes vel paris, vel sequentis ætatis consentiunt, prout quisquis eos vel mediocriter legerit facile deprehendet: viderit ergo Calvinus, qua fronte dicat, confirmationem nusquam a Patribus Sacramentum esse vocatam.

PROBATIO QUARTA.

Sancti Patres confirmationi omnes veri Sacramenti conditiones adscribunt.

Quamquam, etsi nomen tacuissent, hoc ipso quod constat, rem Sacramenti nomine significatam de confirmatione intellexisse, rixandi locus non esset: nam Sacramenti vox cum æquivoca sit, & de sacris quibuslibet symbolis indifferenter dici queat, quod ritus aliquis sit hoc titulo decoratus, non continuo sequitur debere proprie dictis mysteriis accenseri, at si Divini Sacramenti omnes conditiones importet, etiamsi hactenus hoc nomine caruisset, debet omne cessare litigium, quod inter Theologos non de verbis suscipitur, sed de rebus: porro ex doctrina Patrum habere confirmationem omnes veri legis novæ Sacramenti conditiones, duobus argumentis, multa involventibus, sic evinco.

ARGUMENTUM PRIMUM.

Ex comparatione confirmationis cum baptismo, & Eucharistia.

Primum est: si Patres in confirmatione omnes veri Sacramenti conditiones non agnovissent, eam sane cum baptismo & Eucharistia non contulissent, non enim comparantur nisi quæ æqualia sunt: atqui Patribus familiare, peneque quotidianum est, comparare cum baptismo & Eucharistia confirmationem, eamdemque in his tribus genericam ad sanctificandum virtutem admittere.

Sic Tertullianus: *Caro*, inquit, (*lib. de resurrect. cap.* 8) *abluitur ut anima emaculetur; caro ungitur, ut anima consecretur; caro signatur, ut anima muniatur; caro manus impositione adumbratur, ut & anima Spiritu illuminetur; caro corpore & sanguine Christi vescitur, ut anima de Deo saginetur*: in quo testimonio quod primum, de baptismo, quod ultimum de Eucharistia, quæ vero media sunt, carnis scilicet unctio, signaculum & manuum impositione adumbratio, de confirmatione dicta ut intelligantur, interpretatione non indigent.

digent: nemo pariter est, qui non videat, sicut baptismo, purgatio a peccato, Eucharistiæ, divini pabuli saginatio, ita confirmationi consecrationem animæ, munimen, & illuminationem attribui.

Et alibi, de Romana Ecclesia sermonem habens: *Fideles*, inquit, (*de præscript. c.36*) *aqua signat*, *Sancto Sp. vestit*, *Eucharistia pascit* . . . . *& adversus hanc institutionem, neminem recipit*: ubi signaculum de baptismo, vestimentum de confirmatione, de Eucharistia spiritualis nutritio affirmatur.

Horum similia sunt, quæ superius ex l. *de præscript.* c. 40, & l. 1 *contra Marcionem*, c. 14 exscripsimus.

S. *Pacianus*, 4 sæculo Barcinonensis in Hispania Episcopus, Novatianos contendentes, verba Christi; (*Matth.* 18, 18) *quæcumque alligaveritis super terram*, *erunt ligata & in cœlo* &c. ad solos Apostolos respexisse, nec posse ad eorum successores extendi, baptismi & confirmationis exemplo ita refellit: (*Ep.* 1 *ad Sympronianum*) *an ligare ac solvere solis Apostolis licet? ergo & baptizare solis licet*, *& Sp. sanctum dare solis*, *& solis gentium peccata purgare*: *quia totum hoc non aliis quam Apostolis imperatum est*: *si ergo & lavacri & chrismatis potestas*, *majorum longe charismatum, ad Episcopos inde descendit*: *& ligandi quoque jus adfuit*, *atque solvendi*.

Et alibi: (*in ser. de bapt.*) postquam probavit; fideles Christo parente, & Dei Spiritu seminis vices gerentes, in alvo Matris Ecclesiæ concipi: *Hæc autem*, inquit, *compleri alias nequeunt*, *nisi lavacri*, *& chrismatis*, *& Antistitis Sacramento*; *lavacro enim peccata purgantur*, *chrismate sanctus Sp. superfunditur*: *utraque vero ista*, *manu & ore antistitis impetramus*; *atque ita totus homo renascitur & innovatur in Christo*: igitur ex S. Paciano confirmatio est Sacramentum, divinitus institutum, Apostolis & eorum successoribus imperatum, Spiritum superfundens, gratiæ gratum facientis efficax, in Christo non secus ac baptisma hominem innovans, & majus ipso pœnitentiæ Sacramento Charisma.

Audistis *Pacianum*, confirmationem baptismo æquantem: audi nunc S. *Cyrillum* Hierosolym. eamdem cum Eucharistia conferentem: *Vobis*, inquit, (*Catec.* 3) *Postquam ex aquis sacri lavacri ascendistis*, *datum est chrisma*, *quod imaginem geret illius*, *quo unctus est Christus*: *hoc autem est Sp. sanctus*: *quemadmodum panis Eucharistiæ post Sancti Sp. invocationem non amplius est panis communis*, *sed est corpus Christi*, *sic & sanctum hoc unguentum non amplius est unguentum nudum*, *postquam jam consecratum est*: *sed est chrisma Christi*, *quod adventu Sp. sancti*, *per ipsius divinitatem energiam habet*, *quo frons & alii sensus symbolice inunguntur*, *& corpus quidem isto visibili unguento perungitur*, *anima vero sancto ac vivifico Spiritu sanctificatur*. Itane vero S. Doctor de humana cæremonia loqueretur, cui nomen Sacramenti non putaret nisi improprie convenire?

S. *Augustinus*, præter cætera testimonia laudata superius, ad rem nostram contra *Faustum* Manichæum scribens, (*lib.* 19, *cap.* 14) apposite loquitur: postquam enim cum novis Sacramentis vetera contulit: *Si ergo antiqui justi*, inquit, *pro illis prænunciativis Sacramentis*, *& rerum nondum impletarum figuris*, *omnia dura & horrenda perpeti parati fuerunt*, *& plerique perpessi sunt*, ... *quanto magis nunc pro baptismo Christi*, *pro Eucharistia Christi*, *pro signo Christi*, *ad omnia perferenda paratior esse debet Christianus*: *cum illa fuerint promissiones rerum complendarum*, *hæc sint indicia completarum*? Ecce signum Christi, confirmationem videlicet, in eodem cum baptismo & Eucharistia ordine collocatum, & novæ legis Sacramentis annumeratum, de quibus affirmat quod antiquis longe præcellant: quid porro haberet confirmatio signis veteribus excellentius, si simplex cæremonia foret, hominum arbitrio instituta?

S. Cyrillus 5 sæculo Patriarcha Alex. hæc Joelis verba commentans: (*Joel* 2, 23, 24) Filii Sion exultate, & lætamini in Domino Deo vestro: quia dedit vobis Doctorem justitiæ, & descendere faciet ad vos imbrem matutinum & serotinum sicut in principio: & implebuntur areæ frumento & redundabunt torcularia vino & oleo: *Sciendum*, inquit, *etiam secundum mysticum eventum promissionem veram esse*: *data est nobis*, *ceu pluvia*, *aqua vivens sacri baptismatis*, *& tamquam in frumento panis vivus*, *& tamquam in vino sanguis*: *accessit usus olei*, *qui per sacrum baptisma in Christo justificatis confert ad consummationem*.

Synodus *Toletana* 4, septimo sæculo, ad annum 633 celebrata, postquam vetuit ne cuiquam Judæorum ad amplectendam Christianam religionem deinceps vis inferatur: *Qui autem*, ait, (*c.* 57) *jam pridem ad christianitatem venire coacti sunt* . . . . . . *quia constat eos esse Sacramentis divinis associatos & baptismi gratiam percepisse*, *& chrismate unctos esse*, *& Corporis Domini & Sanguinis extitisse participes*, *oportet ut fidem etiam quam vi*, *vel necessitate susceperunt*, *tenere cogantur*, *ne nomen divinum blasphemetur*.

S. Isi-

S. *Isidorus* Hispalensis: *sunt autem*, ait, (*lib.* 6 *originum cap. ult.*) *Sacramenta*, *baptismus & chrisma*, *Corpus*, *& Sanguis Christi*, *quæ ob id Sacramenta dicuntur*, *quia sub tegumento corporalium rerum virtus divina salutem secretius operatur*: *unde & a secretis virtutibus vel sacris Sacramenta dicuntur*: *quæ ideo fructuose penes Ecclesiam fiunt*, *quia Sanctus in ea manens Spiritus*, *eorumdem latenter Sacramentorum operatur effectum* . . . *chrisma Græce Latine unctio nominatur*, *ex cujus nomine & Christus dicitur*, *& homo post lavacrum sanctificatur*: *nam sicut in baptismo peccatorum remissio datur*, *ita per unctionem sanctificatio Spiritus adhibetur* . . . *manus impositio ideo fit*, *ut per benedictionem advocatus invitetur Sp. sanctus*, *tunc enim ille paraclætus post mundata & benedicta corpora libens a Patre descendit*.

Idem denique ne plura faciam, *Job Monachus*; (*apud Photium codice* 222) S. *Maximus* Martyr (*in scholiis ad c.* 2 *lib. de Eccl. Hierarch.*): *Jonas*, *Aurelianensis* (*de instit. cler. lib.* 1, *c.* 7): & alii plerique omnes affirmant, quos mirum foret ad hanc comparationem faciendam consensu tam unanimi conspirasse, si putassent confirmationem in gradu infimo cæremoniarum jacere, nusquam vero cæteras baptismi cæremonias, quæ in hæreticorum hypothesi confirmationi sanctitate & significatione æquales sunt, pari honore dignatos esse, ut in eodem cum baptismo & Eucharistia ordine collocarent: fatendum itaque hanc Patrum constantem fidem fuisse, confirmationem baptismati & Eucharistiæ in ratione Sacramenti æquari.

ARGUMENTUM SECUNDUM.

Confirmationi ex Patribus omnes veri Sacramenti affectiones vindicantur.

Hoc argumentum etsi, scripturæ auctoritatem expendendo, tractavimus, non omittemus ad coronidem Patrum sententiis roborare: itaque verum novæ legis Sacramentum, ut dictum est saepe, tria requirit, mandatum & institutionem divinam, ritum externum, sanctitatis atque justitiæ præstandæ virtutem; atqui tria hæc in confirmationem bene quadrare, majorum invariata doctrina fuit.

Ac 1 quidem, quod in ritu externo consistat, ne ipsi quidem hæretici diffitentur: quod enim orando, manum imponendo, & chrismate inungendo fit, in ritibus sensibilibus sine dubio continetur; atqui confirmationem orando & gratiam Sancti Sp. invocando celebrari omnium Patrum una vox est: chrismationem pariter & manuum impositionem, aut saltem alterutram, (nec enim in præsenti quærimus an utraque necessaria sit, quod erit quæstione 3 discutiendum) plena consensione requirunt. Ergo &c.

Secundo, esse ad mentem Pâtrum divinitus institutam sic evinco.

1. Deus in lege veteri, sub tegumento figurarum non adumbravit, nisi quod erat in nova facturus; figurando namque promisit: porro id quod promisit, solus potens erat & facere: alioquin enim ut fidem suam liberaret humano subsidio eguisset; atqui confirmationem in antiqua lege esse præfiguratam, majorum doctrina est.

Sic *S. Cyrillus* Alex. supra memorata verba Joelis explicans (*Joel.* 2, 23 *& seq.*): *Sciendum præterea*, inquit, *etiam secundum mysticum eventum promissionem veram esse*: *data est nobis*, *ceu pluvia*, *aqua vivens sacri baptismatis*, *& tamquam in frumento panis vivus*, *& tamquam in vino sanguis*: *accessit usus olei*, *qui per sacrum baptismt in Christo justificatis*, *confert ad consummationem*.

Igitur ex S. Doctore quæ Deus per Prophetam prædixerat, pluviarum abundantiam, ubertatem frumenti, torcularia vino & oleo redundantia, baptismum, Eucharistiam, & confirmationem instituendo implevit.

Pariter *Job Monachus* quem 6 sæculo vixisse, communis opinio est, in Libris de Verbo Incarnato, e quibus *Photius* multa in *Bibliotheca* decerpsit, figuras veteres cum novæ legis veritate conferens: *Primo*, ait, (*Vide Photium codice* 222) *nunc baptizamur*, *deinde unguento ungimur*, *inde pretioso sanguine dignamur*: *sic prorsus & Moyses hæc adumbrans*, (Levit. toto c. 8.) *abluit primo aqua eos qui consecrabantur*: *mox induit & cingit*, *deinde confert olei unctionem*: *& tum sanguine aspergit*, *atque ad panis sumptionem adducit*.

Et *Rabanus Maurus*, 9 ineuntis sæculi scriptor, in Libris *de institutione Clericorum*: *baptismo*, inquit, (*lib.* 1, *cap.* 28) *continuatur* (additur) *chrismatis unctio*, *quia Sp. Sanctus qui per illud chrisma*, *suæ virtutis admixtione sanctificat credentes*, *baptizato Jesu*, *statim super illum in columbæ specie descendit*: *hujusce per unctionem sanctificationis typum præferebat columba illa*, *quæ in diluvio ad arcam reportavit ramum olivæ virentibus foliis*, *significans utique quod Sp. Sanctus per chrismatis unctionem in baptismate virorem confert fidelibus cælestis gratiæ*.

Prædictis Scriptoribus *Tertullianus* multo ante præiverat, affirmando, in lege antiqua non baptismum solum, sed & cætera Sacramenta, ipsam-

ipsamque nominatim confirmationem, esse prædicta: *In nobis*, inquit, (*de bapt.*) *carnaliter currit unctio, sed spiritualiter proficit ..... debinc manus imponitur, per benedictionem advocans & invitans Sp. Sanctum, sed & hoc quoque de veteri Sacramento, quo nepotes suos ex Joseph, Ephraim & Manassen, Jacob capitibus impositis & intermutatis manibus benedixerit*, (*Vide Gen.* 48, 13, & *seqq.*) & *quidem ita transversim obliquatis in se, ut Christum deformantes*, (præfigurantes) *jam tum protenderent benedictionem in Christum futuram, tunc ille Sanctissimus Spiritus super emundata & benedicta corpora libens a Patre descendit ..... ne hoc quidem sine argumento præcedentis figuræ, quemadmodum enim post aquas diluvii, quibus iniquitas antiqua purgata est, post baptismum, ut ita dixerim, mundi, pacem cœlestis iræ præco columba terris adnunciavit demissa ex arca, & cum olea reversa .... eadem dispositione spiritualis effectus, terræ, idest, carni nostræ emergenti de lavacro post vetera delicta, columba Sancti Sp. advolat, pacem Dei adferens, emissa de cœlis, ubi Ecclesia est arca figurata.*

Ergo confirmationem fuisse in primo testamento præfiguratam Patrum sententia est: unde sequitur in novo divinitus institutam: quod si quis columbam divinæ reconciliationis internunciam, & alia hujusmodi, futuræ confirmationis typum gessisse negaverit, nihil aget: non enim hoc modo probare intendimus, sed quid ex mente Patrum veras in rebus futurorum mysteriorum figuras agnoscentium, necessarium eruatur.

II. Deinde: quod Apostoli in ipsis Evangelicæ prædicationis exordiis, manuum neophytis imponendo, & Sp. Sanctum invocando fecerunt, fecerunt dubio procul imperante Deo, nec enim de se sic præsumebant, ut crederent signa gratiæ efficacia posse privata auctoritate præter Dei mandatum institui; atqui hoc ipsum quod factitabant Apostoli fieri in Ecclesia, quando per ministros suos ungit & manus imponit, omnium retro sæculorum Doctores voce clarissima attestantur.

SS. Cypriani, Joannis Chrysostomi, Innocentii I., Augustini, Hieronymi, sententias jam attulimus (*Vide ad fin. cap.* 2, & *capitis præsentis.* 2 §. *prob.* 2.): juvat aliquas addere.

Post baptismum, ait S. Isidorus Hispalensis (*de offic. lib.* 2, *cap.* 26) *per Episcopos datur Sp. Sanctus cum manuum impositione: hoc in actibus Apost. fecisse meminimus Apostolos.*

Ven. Beda hæc Actuum verba explicans: *Miserunt ad illos Petrum & Joannem: Notandum*, inquit, *quod Philippus, qui Samariæ Evangelizabat, unus de septem fuerit: si enim Apostolus esset, ipse utique manum imponere potuisset, ut acciperent Sp. Sanctum: hoc enim solis Pontificibus debetur.*

Theodulphus, Aurelianensis, desinente sæculo 8, Episcopus: *Quod presbyteris* ... (*lib. de ordine bapt. c.* 17) *Sp. Sanctum per manuum impositionem tradere non licet, antiquus iste mos ab Apostolis Ecclesiæ est traditus.*

Jesse, Ambianensis, 9 ineunte, Episcopus: (*in Epistola de bapt.*) *Post hæc*, ait, *confirmet eum Episcopus in fronte de chrismate; ideoque manus impositio fit, ut per benedictionem advocatus & invitatus Sp. Sanctus super eos descendat, juxta exemplum Apostolorum.*

Jonas Episcopus Aurelianensis, qui eodem sæculo floruit: (*lib.* 1 *de inst.*) *Quod solius Episcopi sit, per manuum impositionem fidelibus tradere Sp. Sanctum, Acta docet Apostolorum.*

Consulat qui volet alios supra memoratos, indeque certo colligat quam enormiter a scopo veritatis exorbitent Hæretici confirmationem humanis figmentis annumerando. Ergo &c.

III. Præterea: si non est divinitus instituta confirmatio, debet adscribi hominibus; atqui nihil est magis a Patribus alienum, quam dicere humanam institutionem habere: qui enim confirmationem dicunt esse *Sacramentum proprium Christi, Sacramentum Dei, Sacramentum Sp. Sancti, chrisma Sp. Sancti altissimum, signum Christi, oleum Christi, oleum salutaris, unctionem divinam, chrisma supercœleste &c.* haud dubie censent habere ab ipso Deo originem, cum hæc tam magnifica encomia in humanum inventum non cadant; atqui confirmationem, Sacramentum Christi proprium Tertullianus appellat: *Non reprobavit*, inquit, (*cont. Marcion. lib.* 1, *cap.* 14.) *oleum creatoris, quo suos ungit, etiam in Sacramentis propriis egens mendicitatibus creatoris:* appellat & S. Augustinus: *Quomodo*, inquiens, *Deus non est*, (*de Trin. lib.* 15, *cap.* 26.) *qui dat Sp. Sanctum? imo quantus Deus est, qui dat Deum? neque enim aliquis discipulorum ejus dedit Sp. Sanctum: orabant quippe ut veniret in eos, quibus manum imponebant, non ipsi eum dabant: quem morem in suis præpositis etiam nunc servat Ecclesia*: ab eodem. *Sacramentum Dei sacrosanctum sicut & ipse baptismus*, (l. 5 de bapt. c. 20, l. 2 contra litt. Petiliani, c. 104.) *signum Christi*, (l. 19 cont. Faustum c. 14) *oleum Christi, oleum Salutaris* (hom. 266) a Pa-

a Patribus Laodicenis (can. 48.) *chrisma supercæleste ad regni Christi participationem adducens*: a Concilio Toletano 4, (cap. 57) *Sacramentum divinum*: a Ven. Beda, (comment. in c. 22 Lucæ, & in c. 2], Ep. 1 Joannis, *Sacramentum*, *& altissimum chrisma Sp. Sancti* vocatur, eademque apud cæteros quos allegare immensum foret, alloquendi ratio est; ergo institutionem humanam confirmationi Patres numquam, nec somniando quidem, attribuunt.

IV. Postremo; non prætermittenda Græcorum mediæ ultimæque ætatis persuasio, quæ licet falsa sit, & a bona Theologia aliena, probat tamen eos antiquam Ecclesiæ fidem de institutis a Christo immediate omnibus Sacramentis inviolate servasse: putant, inquam, illi Christum Dominum omnia in se ipso suscepisse legis novæ Sacramenta, eoque, præter cætera, argumento nituntur ad adstruendum, ab eo omnia condita institutaque fuisse: hujus opinionis primus, quod quidem sciam assertor *Symeon Thessalonicensis* (*in tr. de Sacr. cap.* 43) fuit: quam deinceps *Jeremias* Patriarcha Constantin., *Gabriel* Philadelphiensis, *Meletius Syrigus*, peneque omnes recentiores ejus auctoritate commoti amplexi sunt: *Symeon Thessalonicensis*, inquit Arcudius (*de consensu Orientis & Occident. lib.* 2, *c.* 6) *ut ostendat Christum Dominum esse auctorem Sacramentorum, multis verbis satis prolixe, incompte, frigide, conatur probare Christum Dominum suscepisse omnia Sacramenta: quo vitio ex parte laborat Gabriel Philadelphiensis, eadem a Symeone mutuatus.*

Ergo confirmationi Divinam institutionem ex Patrum mente competere, veritas est extra omnem dubii aleam posita.

Tertio demum innatam gratiæ conferendæ virtutem habere, quamquam ex prædictis satis superque probatum videri possit, selectis aliquibus testimoniis confirmabimus.

Tertullianus: (*de bap. cap.* 7) *In nobis*, inquit, *carnaliter currit unctio, sed spiritualiter proficit, quomodo & ipsius baptismi carnalis actus, quod in aqua mergimur, spiritualis effectus quod delictis liberamur.*

Cornelius Sum. Pontifex, de Novatiano Antipapa in Ep. ad Fabium Antiochenum sic loquitur: (*apud Euseb. hist. lib.* 6, *c.* 43) *huic causam atque initium credendi præbuit satanas in ipsum ingressus, atque in ipso aliquandiu commoratus: cumque ab Exorcistis foveretur, in morbum gravissimum collapsus dum jam jamque moriturus creditur, in ipso, in quo jacebat lectulo perfusus, baptismum suscepit... sed neque postquam liberatus est a morbo, reliqua percepit, quæ juxta Ecclesiasticam regulam percipi debent, neque ab Episcopo consignatus est: hoc autem signaculo minime percepto, quo tandem modo Sp. Sanctum potuit accipere?*

S. Cyprianum ejusdem doctrinæ præconem non semel laudavimus. (*Vide sup.*)

Anonymus de baptismo contra Cyprianum scriptor, quem ejusdem ævi, & Stephanum ipsum Sum. Pontificem plerique putant; *Per manus impositionem Episcopi*, inquit, *datur unicuique credenti Sp. Sanctus, sicut Apostoli circa Samaritanos post Philippi baptisma, manum eis imponendo fecerunt, & hac ratione Sp. Sanctum in eos contulerunt: quod ut fieri posset, ipsi pro eis oraverunt*: quin & confirmationem potiori quam baptismum ipsum loco habet: *baptisma aquæ, quo quis baptizatus est in nomine Domini nostri Jesu Christi, minus est*, inquit (*Ib.*), *baptisma vero Spiritus, quo quis in Sp. Sancto per manus impositionem Episcopi baptizatus est, majus est.*

Ex Patrum Eliberitanorum sententia (*canonib.* 38, 39, & 72) confirmatio *baptizatum perficit, & facit christianum*: quid porro hoc est, nisi gratiam excellentissimam dare?

Ex Laodicenis (*can.* 48) *supercælestis chrismatis unctione homo in consortium regni Christi recipitur*: quod sane sine gratia non fit.

S. Ambrosius: (*lib. de initiandis cap.* 6, & 7) *post hæc*, inquit, *idest post baptisma susceptum, utique ascendisti ad Sacerdotem: considera quid secutum sit, nonne illud quod ait David: sicut unguentum in capite quod descendit in barbam barbam Aaron: repete quia accepisti signaculum Spirituale, Spiritum sapientiæ & intellectus, Spiritum consilii atque virtutis, Spiritum cognitionis atque pietatis, Spiritum Sancti timoris: & serva quod accepisti: signavit te Deus Pater, confirmavit te Christus Dominus, & dedit pignus Spiritus in corde tuo*: quæro utrum Lutherus & Calvinus, si cum Ecclesia Catholica, pro officio, consentiret, posset confirmtionis virtutem & efficaciam clarioribus verbis exprimere?

S. Augustinus totus in hac sententia est, ut liquet ex ejus testimoniis hactenus recitatis, in præsenti unum addemus, plura in posterum, ubi se dabit occasio, (& vero sæpe veniet) exscripturi: *Unctio Spiritualis*, inquit, (*tract.* 3 *in* 1 *Ep. Joan. num.* 5, & 12) *ipse Sp. Sanctus est, cujus Sacramentum est in unctione visibili .... Unctionis Sacramentum est, virtus ipsa invisibilis: unctio invisibilis, Sp. sanctus: unctio invisibilis, caritas illa est, quæ in quocumque fuerit, tamquam*

radix

radix illi erit; quamvis ardente Sole arescere non potest.

Quid plura? a S. Cyrillo Alex. (*comment. in Joel.*) confirmatio dicitur, *Per sacrum baptisma justificatis conferre ad consummationem*: a S. Leone Pont. Max. (*Ser. 4 de nat. Dom.*) *chrisma salutis, signaculum vitæ æternæ*: a Theodoreto, Typus gratiæ invisibilis: Reminiscere, ait, (*lib. 4 in cant.*) *Sacræ mystagogiæ, in qua qui initiantur, post Tyranni abnegationem & regis confessionem, velut sigillum quoddam regium suscipiunt, spiritualis unguenti chrisma, recipientes gratiam invisibilem sanctissimi Spiritus, unguento, tamquam in typo*: a S. Isidoro Hispalensi, sanctificationis Spiritus Sacramentum, *sicut in baptismo*, inquit, (*Orig. lib. 6 cap. ult.*) *peccatorum remissio datur: ita per unctionem sanctificatio Spiritus adhibetur*: a Theodulpho Aurelianensi, septiformis gratiæ Spiritum per chrismatis unctionem homini baptizato tribuere, (*lib. de ord. bapt. cap. 16*) *ut non solum Spiritus, qui unius est cum Patre & Filio substantiæ, sed totius S. Trinitatis habitaculum effici meretur*: a Paschasio Ratberto, *in l. de corpore & sanguine Domini, c. 3*, Rabano Mauro, *de institutione clericorum l. 1, c. 24 & seqq.* Jona Aurelianensi, *de institutione pariter clericorum l. 1, c. 7*, & aliis denique omnibus qui de mysteriis divinis quavis ætate scripserunt, *sub tegumento visibilium, gratiam Sp. sancti latenter pro salute fidelium operari.*

Ergo confirmationem esse verum ac proprium legis Evangelicæ Sacramentum, dogma est in Religione certissimum, quod si quis tot tamque validis argumentis non satis confectum putat, næ ille pari, idest insano judicio, poterit de omni quantumlibet comperta veritate ambigere.

§. SECUNDUS.

Hæreticorum argumenta diluuntur.

Veritate exposita superest ut adversariorum oppositiones repellamus, quod erit tanto munimine septis, facillimum. Itaque

Objiciunt: dogma quod traditionibus divinis & Apostolicis accensetur, debet ab ipsis Evangelii primordiis suam originem, non obscure sed perspicue patefacere, quod de confirmatione dici nequit: ab Apostolis enim, ad secundi sæculi finem longa series annorum interfluit: atqui toto illo temporum tractu nullibi confirmatio comparet, nedum faciem præferat Sacramenti: non in illius ætatis Euchologiis, quæ nulla extant: non in Ecclesiasticorum scriptorum operibus, quæ cum multa satis ad nos usque pervenerint, de confirmatione nec leve faciunt verbum, ut ex libris ac litteris *Ignatii*, *Polycarpi*, *Clementis*, *Justini*, *Athenagoræ*, *Theophili*, *Tatiani*, *Irænæi*, unicuique legenti est manifestum; ergo confirmatio est Evangelii promulgatione recentior; adeoque nec fructus Evangelii, cum tantum a radice distet, nec Dei legitimus, sed hominum fœtus spurius dici debet.

℞. Concessa maj. n. min. nego, inquam, quod ab Evangelii primordiis confirmatio suam originem non ostentet: ad probationem, concedo iterum majorem, & negata minore dico, tota illa intercapedine temporum, quæ ab Apostolis ad 2 sæculi finem fluxerunt, confirmationem unicuique oculorum usum habenti certissimo comparere, comparere in Actibus Apost. qui ubique per Ecclesias hoc tempore legebantur: comparere in Apostolorum exemplis & factis, quorum uti mandatum ipsi a Christo habuerant, ita posteris auctores & præceptores fuerunt: comparere in memoria hominum, quæ ut integra & incorrupta vigeret, Patrum lucubrationibus, non secus ac cætera ad traditionem pertinentia, non egebat: comparere in disciplina Ecclesiæ, cujus partem 1, ac 2 sæculo ritum confirmationis fuisse, *Tertullianus*, *Cornelius*, *Cyprianus*, & alii priscis temporibus proxime conjuncti, nemine contradicente testantur: comparere in consensione populorum, quæ sub finem 2 sæculi universalitatem habebat, non habitura sane, nisi fides illa ab ipso Evangelii principio inolevisset: comparere denique in Christi promissionibus, quibus infallibilitatem Ecclesiæ suæ asseruit, promissis porro suis summa veritas non stetisset, nisi errorem tam exitiabilem quo contra ejus institutum Sacramentorum numerus augeretur, habitam brevi ab institutione sua spatio passa esset.

Jam quod ajunt, scriptores 1 & 2 ætatis de confirmatione altum tenere silentium, multis modis refellitur.

1. Enim unde habent, de hoc Sacramento *Clementem*, *Justinum*, & cæteros in objectione appellatos penitus tacuisse? numquid omnia ab illis dictata legerunt, aut legere potuerunt, cum eorum magna pars injuria temporum, & exesa vetustate perierit, altera ad nos non integra, sed mutila & interpolata pervenerit? nam *Clementis* habemus unam ad Corinthios Ep. & ne illam quidem integram, sed lacunis multis & hiatibus interceptam: *Justini* plurima opera desiderantur, quorum Catalogum Eusebius & S. Hieronymus texnerunt; *Athenagoræ* duo supersunt; quem nume-

merùm hunc excessisse admodum probabile doctrina ejus & diligentia facit: *Theophili* unum manet, quem longe plura scripsisse Eusebius & Hieronymus attestantur: *Tatiani*, una extat ad Græcos oratio; a quo idem Eusebius infinita librorum volumina exarata refert: *Irenæi* unum restat, in 5 libros divisum, cum longe plures tractatus ediderit, quorum pariter Eusebius, & Hieronymus meminerunt: quis porro *Dallæo* ejusque similibus revelavit, eos quos opponunt scriptores, in aliis quæ nobis tempus omnium edax invidit libris de confirmatione penitus siluisse?

2. Si quid hoc argumentum valet, probabit pariter baptismi & Eucharistiæ nutare fidem, quorum nec *Clemens*, nec *Athenagoras*, nec *Theophilus*, nec *Tatianus* meminerunt: quod si reponant hæretici, baptismi & Eucharistiæ tam apertam in Evangelio & libris Apostolicis esse montionem, ut eorum certitudo non possit paucorum silentio minui, præsertim quia ut de iis loquerentur ratio instituti operis non sinebat: idem contras ipsos telum vibramus, quod silet *Clemens*, quod *Athenagoras*, quod *Theophilus*, quod aperte actus Apost. & sacræ litteræ clamant, etiamsi Lutherani & Calvinistæ non audiunt; ergo paucorum, qui non ideo scribebant ut exponerent Sacramenta, silentium, Catholicam veritatem non franget.

3. Nemini tantisper in disquisitione antiquitatis & critices regulis versato non notum est, argumentum negativum ex silentio petitum, in comparatione affirmantis, nullius roboris esse, quando nimirum id de quo silent aliqui, alii uniformiter asseverant: plus enim affirmat unus qui loquitur, quam negant mille qui tacent; atqui confirmationem esse legis Evangelicæ Sacramentum, ab ipso 2 sæculo ad nostram ætatem testes innumerabiles sine æquivocatione affirmant, hoc, inquam, attestantur, 2 sæculo *Tertullianus*: 3 *Cornelius* Sum. Pontifex, *Cyprianus* cum Coepiscopis suis Africanis: 4 Concilia Eliberitanum, Nicænum I, Laodicenum, *Optatus* Milevitanus, *Pacianus* Barcinonensis, *Cyrillus* Hieros. *Ambrosius*, *Chrysostomus*: 5 *Hieronymus*, *Innocentius* I, *Aug. Cyrillus* Alex. *Theodoretus*: 6 *Primasius*, & *Gregorius Magnus*, *Job* Monachus: 7 Concilium Toletanum IV, *Isidorus* Hispalensis, *Maximus* Martyr: 8 *Ordo* Romanus, Ven. *Beda*, *Alcuinus*, *Theodolphus* Aurelianensis: 9 *Jesse* Ambianensis, *Paschasius Ratbertus*, *Rabanus Maurus*, *Jonas* Aurelianensis, *Amalarius Fortunatus*, *Valafridus Strabo*: hi inquam, longeque plures, vel laudati hactenus, vel in posterum propriis verbis citandi, sua quisque ætate veritati testimonium perhibent, sequentibus porro sæculis longa, quod nec ipsi diffitentur Hæretici, idem affirmantium auctorum caterva occurrit, quod si cui parum videtur, accedit omnium gentium, omnium ubique in Oriente, & Occidente Ecclesiarum consensio, prædicantium confirmationem a Christo ad Apostolos, ab Apostolis ad matrices Ecclesias, cum cæteris Sacramentis transmissam: numquid ergo contra tantam testium nubem, aliquorum non negantium, sed silentium, taciturnitas poterit?

4. Demum negamus id quod *Dallæus*, ejusque similes adeo præfidenter affirmant, eos scilicet quos allegant scriptores de confirmatione omnes siluisse, in his paucis quæ supersunt eorum scriptis: ejus enim non obscure mentionem facit *S. Clemens*, in hac quæ, ut prædixi sola superest, Ep. ad Corinthios: ubi recensens gratias quibus Corinthii antequam fœdus concordiæ rumperent, donati a Deo fuerant: *Plena etiam*, inquit, *super omnes Sp. Sancti effusio facta est*: quæ verba Apostolicis bene respondent: *imponebant manus super illos*, & *accipiebant Sp. Sanctum*: adeoque non secus ac ista de confirmatione intelligenda videntur: Unctionis pariter meminit *Theophilus*, in eo quod unum restat ad *Autolycum* opere: ibi enim impium hominem a quo per risum ac contemptum, *Christianus* sive *unctus* appellabatur, sic refutat: *quod me per ludibrium, Christianum nuncupas, non magni facio, imo respondeo te nescire quid dicas: nam unctionis hoc nomen in primis bonum & suave est, nec risum meretur; quæ etenim navis bona & usui esse potest, nisi prius ungatur? quæ turris aut domus elegans & utilis esse potest, nisi prius ungatur? quis mortalium qui progreditur in hanc vitam, quæ certaminum arena est, & non oleo inungatur? quodnam opus ornatum haberi potest, nisi perungatur, & quasi splendore illustretur? præterea aer, & omnis quæ sub cœlo est creatura, quodammodo lumine & Spiritu inungitur: & tu recusas macerari Dei oleo? certe nulla alia ex re Christianorum nomen traximus, quam quod Divino oleo perfundimur*. Divino ergo oleo Christiani perfundebantur ætate *Theophili*, medio circiter 2 sæculo: quod cur divinum fuerit dictum, alia ratio non apparet, nisi quia divinitus, ut peculiarem infunderet gratiam, institutum: porro *Irenæus*, quem sibi temerario Hæretici vindicant, totus noster est, ut ex dicendis modo patebit.

Inst. 1. Si creditum foret primis temporibus confirmationem esse divinitus institutam, non illam dixissent Patres ab Hæreticis adinventam; atqui inventam ab hæreticis *Valentinianis* & *Gnosticis* confirmatoriam unctionem, *S. Irenæus* affirmat: postquam enim descripsit

modum quos suos baptizare consueverant, sic prosequitur: (*cont. hæreses lib. 1, cap. 18*) *tum autem eum qui initiatus est, opobalsamo inungunt: hoc enim unguentum, fragrantiæ illius quæ omnia exuperat, typum esse ajunt: sunt etiam ex ipsis, qui eos quidem ad aquam adducere, supervacaneum esse dicant: oleo autem & aqua una permixtis, cum vocibus quibusdam, iis quæ ante a nobis commemoratæ sunt, haud dissimilibus, in eorum quos initiant, caput injiciunt: idque redemptionem esse volunt: atque ipsi quoque balsamum adhibent*: ergo S. Irenæus confirmatoriam Unctionem Valentinianis & Gnosticis auctoribus tribuit; adeoque Sacramentum esse non putat.

℟. Concessa maj. n. min. non enim eo loci S. Doctor Hæreticis unctionis inventionem, sed corruptionem exprobrat: nec eos ullibi reprehendit, quod unctionem olei & balsami erga neophytos adhiberent, sed quod sanctum mysterium, portentosis vocibus, & prophana aquæ cum oleo admixtione, aut solius balsami, oleo rejecto, inunctione perverterent: responsionis veritatem vel ipsa textus oppositi lectio aperit, & sane quemadmodum unctiones hæreticorum, ita baptisma in hoc ipso capite *Irenæus* redarguit: atqui non ideo quod baptizarent, reprehendit, sed quod baptismi sanctitatem verbis sacrilegis depravarent, neque illis baptismi usum & institutionem, sed abusum & corruptelam attribuit; ergo pariter non ideo carpit quod suos ungant, sed quod ritus Religiosi formam materiamque adulterent: ecquis vero inducat in animum, unctionem si *Valentinianos & Gnosticos* Auctores habuisset, statim in omnibus Ecclesiæ Catholicæ partibus admittendam? hoc porro erit in hac hypothesi necessario dicendum: Tertullianus enim qui eadem qua Irenæus ætate vixit, de confirmatione tamquam de re ubique receptissima loquitur: *Exinde egressi de lavacro*, inquit, (*lib. de bapt. c. 7*) *perungimur benedicta unctione . . . in nobis carnaliter currit unctio, sed spiritualiter proficit . . .* (*lib. de resurrect. carnis c. 8*) *caro ungitur ut anima consecretur: caro signatur, ut anima muniatur: caro manus impositione adumbratur, ut anima Spiritu illuminetur*: itaque non rem, sed abusum rei *Valentinianis* Irenæus improperat, qui nimirum malis diaboli suasionibus ritum sanctum in superstitionem converterent, quamquam prolixiore defensione S. Doctor & Martyr non indiget: suam enim alibi de confirmatione mentem sic explicat, ut nullum evasioni locum relinquat: *Quibuscumque*, inquit, (*contr. hæres. lib. 4, c. 75*) *imponebant Apostoli manum, accipiebant Sp. Sanct. qui erat esca vitæ*: hunc locum, si audent hæretici, de gratiis gratis datis interpretentur, & escam vitæ, gratiam miraculorum dicant; quæ etiam impiis omni vitæ spiritualis sensu carentibus dari potest: quod si per escam vitæ debet necessario santificans gratia intelligi, ostendant hoc a solis Apostolis esse factum, neque in perpetuum a Christo Domino institutum.

Inst. 2. atqui non putarunt Patres confirmationem in nova lege divinitus institutam; ergo &c. prob. subs. ex verbis Tertulliani, c. 7 de baptismo modo cit. *Exinde egressi de lavacro, perungimur benedicta unctione, de pristina disciplina, qua ungi oleo in sacerdotium solebant*: hinc sic disputant:

Si confirmatio esset in nova lege divinitus instituta, non ad pristinam, idest Mosaicam, sed ad Christi disciplinam pertineret, a quo instituta sunt omnia legis novæ Sacramenta; atqui teste *Tertulliano* unctio quæ fit post baptismum, de pristina, id est, de Moysi disciplina descendit; ergo divinam in nova lege institutionem non habet.

℟. Nego subs. ad probationem admitto auctoritatem, & concessa maj. dist. min. unctio quæ fit post baptisma, de Mosaica disciplina est, idest legis veteris unctio, fuit figura unctionis in nova lege faciendæ, conc. idest, legis Mosaicæ merus est ritus, majorem virtutem non habens, quam in lege veteri, n. min. & conseq.

E. R. Hoc unum his verbis Tertullianus significat, in legis veteris unctionibus nostræ typum & figuram fuisse, quod quoniam §. præcedente, probatione 4, argumento 1, est demonstratum, nova explicatione non eget: minime vero iotendit unctionem nostram sic comparare veteribus, quasi non major sit in nostra, quam in antiquis fuerit virtus: hoc enim quando pertinaciter contendunt hæretici, Tertulliano apertissime contradicunt: quid enim hæc sibi verba volunt: *in nobis carnaliter currit unctio, sed spiritualiter proficit*? Quid item hæc confirmationis cum baptismo æquatio? *Quomodo & ipsius baptismi carnalis est actus, quod in aqua mergimur, spiritualis effectus, quod delictis liberamur*. Quid denique hæc alia ex libro de resur. carnis: *Caro ungitur, ut anima consecretur, caro signatur, ut anima muniatur: caro manus impositione adumbratur, ut & anima Spiritu illuminetur*: nisi spiritualem effectum, & peculiarem Sp. Sancti effusionem significant? itaque ad mentem Tertulliani sic debet figura a veritate distingui, ut figura legi veteri quam Moyses promulgavit, veritas adscribatur novæ quam Christus instituit.

Inst. 3. atqui institutio confirmationis, ex mente Patrum Christo non potest attribui. Ergo &c. prob. subs. variis SS. Patrum auctoritatibus.

Cor-

Cornelius S. Pontifex de Novatiano in ipso in quo præ morbi gravitate jacebat lectulo, baptizato: *Sed neque postquam liberatus est a morbo*, inquit, (*apud Euseb. hist. Eccl. lib.* 6, *c.* 43) *reliqua percepit, quæ juxta Ecclesiasticam regulam percipi debent, neque ab Episcopo consignatus est*.

S. Hieronymus, (*Dial. cont. Luciferianos*) Luciferiano id quod dixerat, assentitur: *an nescis, etiam Ecclesiarum hunc esse morem, ut baptizatis postea manus imponantur, & ita invocetur Sp. Sanctus? . . . . non quidem abnuo*, ait, *hanc esse Ecclesiarum consuetudinem, ut ad eos qui longe in minoribus urbibus, per Presbyteros & Diaconos baptizati sunt, Episcopus ad invocationem Sancti sp. manum impositurus excurrat: sed quale est, ut leges Ecclesiæ ad hæresim transferas?* &c.

S. Augustinus: *Sp. Sanctus*, inquit, (*lib.* 3 *de baptism. cont. Donat. c.* 16) *quod in sola Ecclesia Catholica per manus impositionem dari dicitur, nimirum hoc intelligi majores nostri voluerunt, quod Apostolus ait*: quoniam caritas Dei diffusa est in cordibus nostris &c.

Et alio in loco (*lib.* 15 *de Trinit. c.* 26) *Christum unxit Deus Sp. sancto, non utique oleo visibili, sed dono gratiæ, quod visibili significatur unguento, quo baptizatos ungit Ecclesia*.

Walafridus Strabo 9 sæculi scriptor, in libro *de Exordiis & incrementis rerum Ecclesiasticarum*, c. 26, *addiderunt alii baptismo*, inquit, *chrismatis unctionem, quam ex veteri sumptam consuetudine, nemo est, qui dubitet*.

His addi possunt plerique præcipuæ notæ Theologi, qui confirmationem propugnarunt, ab Ecclesia decursu temporum institutam: jam sic conficitur argumentum.

Illi negant confirmationem Christo auctori posse attribui, qui institutionem ejus repetunt ab Ecclesiastica regula, a consuetudine & more Ecclesiarum, a voluntate majorum; antiqui ita censent laudati Patres, ergo &c.

℞. Nego subs. ad prob. admitto auctoritates, & concessa maj. n. min. more suo hic agunt hæretici, dicta Patrum in sensum alienissimum intorquentes, quod ut planum faciamus, non aliis quam iis ipsis quæ opponunt testimoniis indigemus: *Cornelius* enim præterquam quod verba ejus (*sed neque postquam liberatus est a morbo, reliqua percepit, quæ juxta Ecclesiasticam regulam percipi debent*:) non ad confirmationem, sed ad baptismi cæremonias pertinent, ut ex ipso contextu patet, ubi Episcopi consignatio distinguitur a cæteris quæ juxta Ecclesiæ regulam percipi debent, eodem loci affirmat, confirmatione Sp. Sanctum infundi: *Hoc autem signaculo minime percepto*, inquit, *quo tandem modo Sp. sanctum potuit accipere?* quis vero, non dico Summus Pontifex, sed vel plebejus & rusticus doctrina fidei tantisper imbutus dixerit, per arbitrariam cæremoniam, ab Ecclesia institutam, infundi Sp. Sanctum, atque ita infundi, ut recipi alia ratione non possit?

Ad *Hieronymi* testimonium par esto responsio, in hoc enim dialogo interlocutor uterque confirmationem divinitus institutam affirmat: *An nescis*, inquit Luciferianus, *etiam Ecclesiarum hunc esse morem, ut baptizatis postea manus imponantur, & ita invocetur Sp. sanctus? exigis ubi scriptum sit? in Actibus Apost etiamsi scripturæ auctoritas non subesset, totius orbis in hanc partem consensus instar præcepti obtineret: nam & multa alia quæ per traditionem in Ecclesiis observantur, auctoritatem sibi scriptæ legis usurpaverunt . . .* cui orthodoxus: *non quidem abnuo*, reponit, *hanc esse Ecclesiarum consuetudinem, ut ad eos qui longe in minoribus urbibus per Presbyteros & Diaconos baptizati sunt, Episcopus ad invocationem sancti Sp. manum impositurus excurrat . . . quod si in hoc loco quæris, quare in Ecclesia baptizatus, nisi per manus Episcopi non accipiat Sp. sanctum . . . disce hanc observationem ex ea auctoritate descendere, quod post ascensum Domini Sp. sanctus ad Apostolos descendit*. In hoc itaque Luciferianum inter & Catholicum convenit confirmationem scripturæ & traditionis auctoritate fundari, adeoque non debere institutis hominum accenseri.

Augustinum porro opponi ab hæreticis, quibus e diametro adversatur, mirum esset, nisi dubium obtinuissent, ut ne eorum ineptias & cavillandi pruriginem miraremur; nam quæso quæ hæc argumenti species est: *Per Sp. Sanctum, qui in sola Ecclesia Catholica per manus impositionem datur, majores nostri caritatem intelligi voluerunt juxta S. Aug. ergo ex eodem Doctore manuum impositio est a majoribus instituta?* cum e contrario, si quid saperent, inferre debuissent; *ergo cum Sp. Sanctum ex Aug. manuum impositio conferat, a solo Deo est instituta*.

Quæ item hæc altera ratiocinatio est? *baptizatos, ex S. Aug. ungit Ecclesia: ergo ex eodem, non a Christo, sed ab Ecclesia est unctio instituta*. Pari namque modo inferre poterant, baptismum & Eucharistiam, non Christi sed Ecclesiæ leges esse: quia sæpe ait S. Aug. idemque alii absque offensionis periculo dicunt, ab Ecclesia baptismum & Eucharistiam consecrari: quemadmodum itaque quod Aug. affirmat, *Ecclesiam baptizare, baptismum Ecclesiæ esse*, Catholicæ veritati non officit: ita

D 2 nec

nec quod dicit, *Ecclesiam ungere*, divinæ confirmationis institutioni præjudicat, quia sicuti non suum dat baptisma, sed Christi, ita sanctificat non suo, sed Christi unguento: immo baptizando baptismo Christi, baptizat & suo, ungendo oleo Christi, ungit & suo: quia hæc bona a Christo, hæreditate accepit: quo sensu ab eodem S. Aug. dictum (*de bapt. cont. Donat. lib.* 1, *c.* 14) *non est baptismus hæreticorum vel schismaticorum, sed Dei & Ecclesiæ*.

Idem sit de *Strabone* judicium: non enim ille confirmationem, sed chrismatis unctionem dicit de veteri sumptam consuetudine. *Addiderunt alii baptismo*, inquit, *chrismatis unctionem, quam ex veteri sumptam consuetudine, nemo est qui dubitet: cum primis temporibus impositione manuum baptismus confirmari soleret, quod in Samaria fecisse Petrum legitur, & Joannem: quæ confirmatio & tunc ad primos Ecclesiæ pastores pertinuit, & nunc pertinere non dubitatur*. Itaque de confirmationis Sacramento quod sit divinitus institutum Strabo non ambigit, cum ejus veritatem ex Actibus Apost. repetat: solummodo manuum impositionem cum chrismatis unctione sic confert, ut primam in scriptura fundatam, alteram ex veteri consuetudine, idest ex traditione acceptam affirmat.

De Scholasticis qui ultimo loco opponebantur, quatenus rejici debeant, an valeant excusari, dicemus suo loco, ubi de confirmationis Auctore ex professo agetur.

Inst. 4. Ideo dicimus, Patres confirmationem Sacramentis annumerare, quia illi vim sanctificandi attribuunt; atqui hæc ratio nulla est: non enim omnia quæ dicuntur a Patribus virtutem habere sanctificandi, vera eorum judicio Sacramenta esse, testis est S. Aug. affirmans, (*de peccatorum meritis lib.* 2, *c.* 26) *Catechumenos secundum quemdam modum suum per signum Christi, & orationem manus impositionis sanctificari*: numquid enim ideo credidit vera hæc esse Sacramenta? Ergo &c.

℞. Concessa maj. n. min. ad probat. dis. ant. non omnia quæ dicuntur virtutem habere sanctificandi, *Secundum quid*, Sacramenta esse putantur, conc. etiam quæ *simpliciter* dicuntur virtutem habere sanctificandi, n. ant. & conseq.

E. R. Baptismum qui janua est Sacramentorum nulla veri nominis Sacramenta præcedunt: itaque quod ait S. Aug. Catechumenos per signum Christi, & Orationem, manuum impositioni conjunctam, sanctificari, de veris Sacramentis intelligere nec possumus nec debemus; deinde non ait S. Doctor, his ritibus catechumenos simpliciter, sed *secundum modum suum sanctificari*, idest ad sanctitatem per baptismum & alia Sacramenta percipiendam disponi, numquam vero quid simile de confirmatione pronuntiavit, immo eam baptismo quantum ad sanctificandi virtutem plenissime, ut sæpe diximus, adæquavit: eamdemque aliorum fuisse mentem ex eorum minime ambiguis testimoniis perspicuum est.

Inst. 5. Illi non credebant confirmationem veri nominis esse Sacramentum, qui eam non alio nisi cæremoniæ baptismi loco habebant; atqui SS. Patres ita sensuisse multis argumentis suadetur.

1. Confirmatio antiquitus semper baptismo conjuncta erat; ergo ejusdem cæremoniis annumerabatur.

2. *S. Cyprianus* de Samaritanorum baptismo loquens: *Quia legitimum*, inquit, (*Ep.* 73 *ad Jubajanum*) *& Ecclesiasticum baptismum consecuti fuerant, baptizari eos ultra non oportebat: sed tantummodo quod deerat, id a Petro & Joanne factum est, ut oratione pro eis habita, & manu imposita invocaretur & infunderetur super eos Sp. Sanctus*.

3. *Optatus* Milev. hæc Psalmistæ verba: (*Ps.* 140, *v.* 5) *Oleum peccatoris non impinguet caput eum*: de Christo & mysteriis ejus interpretans: *Quia nemo*, inquit, (*lib.* 4 *ad fin.*) *non est peccator nisi solus Deus*; *ideo Filius ejus timuit oleum hominis, quia fœdum erat, ut Deus ab homine ungeretur; ideo deprecatur Patrem, ut non ungatur ab homine, sed ab ipso Deo Patre, quod Filius petiit, complevit Pater in Jordane .... descendit in aquam, non quia erat quod in Deo mundaretur, sed quia venturum oleum aqua debuit antecedere, ad mysteria initianda, & ordinanda, & implenda baptismatis: lotus cum in Joannis manibus haberetur, secutus est ordo mysterii, complevit Pater quod rogaverat Filius, & quod nuntiaverat Sp. Sanctus, apertum est cœlum, Deo Patre ungente, spiritale oleum statim in imagine columbæ descendit, & insedit capiti ejus, & perfudit eum: unde cœpit dici Christus, quando inunctus est a Deo Patre: cui ne manus impositio defuisse videretur, vox audita est Dei de nubo dicentis*: hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.

Igitur ex Optato Milev. manuum impositio & chrismatio nihil quidquam habet, nisi quod in baptismi ritibus numeretur, quippe quæ pertineat *ad ordinem mysterii*, & ad *implenda baptismatis mysteria dirigatur*.

4. *S. Pacianus* in serm. de baptismo: *aperire desidero*, inquit, *qualiter in baptismo nascamur, & qualiter innovemur*; atqui inter ea

ea quibus renascimur & invocamur, confirmatorium chrisma recenset. Ergo &c.

5. *Primasius* Episcopus Africanus (*comment. in Ep. ad Hebr.*); *Donum Sp. Sancti*, inquit, *datur in baptismate*, *per impositionem manuum Episcoporum*: non est ergo novum aliquod, & diversum a baptismate Sacramentum.

6. Denique Patres confirmationem accensuisse baptismi ritibus, vel inde patet, quod non in aliis fere libris de confirmatione sermonem faciant, quam in iis qui de baptismate inscribuntur.

℟. Concessa maj. n. min. cujus falsitatem magna superius argumentorum mole evicimus (*Vide supr. §. 1, prob. 2*): ad probationes respondeo sigillatim.

1. Ut prædiximus, multis modis peccat.

1. Dato ant. n. conseq. Sacramentum enim, sit ne unum an multiplex, non ex temporis, sed ex formæ, materiæ & effectus ratione est exigendum; alioquin non confirmatio tantum, sed Eucharistia ipsa sacri symboli naturam amitteret, quam constat olim baptismo ubique fuisse conjunctam, & etiamnum apud Græcos, & Orientales conjungi.

2. Negamus ant. constat enim sæpe confirmationem, a baptismo etiam quando solemniter, a presbyteris scilicet aut Diaconis, ministrabatur, fuisse avulsam: hoc itaque argumentum utraque tibia claudicat.

Ad 2. quomodo hæc cohæreant, non videmus: *Erga Samaritanos a Philippo baptizatos, a Petro & Joanne quod deerat factum est, ergo id quod orando & manum imponendo fecerunt, non aliter quam ut baptismi cæremoniam respexerunt*: non enim baptismo, sed Samaritanis, juxta S. Cyprianum aliquid deerat, nec baptismo aliquid Apostoli addi, e S. Doctore, voluerunt, quippe qui legittime & juxta normam Ecclesiæ datus foret a Philippo, sed Samaritanis ipsis, *ut scilicet oratione pro eis habita & manu imposita, invocaretur & infunderetur super eos Sp. Sanctus*.

Sed esto diceret, baptismo ipsi manum impositionem, invocationemque ac infusionem Sancti Sp. defuisse, inde ne sequeretur a Cypriano ritum hunc pro nuda ac simplici baptismi cæremonia habitum? rei cuilibet id omne deest, quod ipsa non habet: nec tamen si advenerit, pro parte ejus habetur: nummum unum habenti, & indigenti duobus, si secundus datus fuerit, numquid pars illius dicetur, quem jam habebat? pariter in genere Sacramenti baptismo deest, quidquid homini præstare ipse non potest: deest spiritualis alimoniæ gratia, quam propriam Eucharistia vindicat; deest gratia roboris & perfectionis, per quam a spirituali baptismi infantia ad plenæ ætatis robur promovetur, deest gratia ministerii, quam sacra ordinatio confert: deest denique apparatus gratiarum quas cætera Sacramenta virtute accepta divinitus advehunt: numquid ideo debent baptismi cæremoniis accenseri? non serio agentium, sed jocantium hæc sunt argumenta.

Ad 3. admitto auctoritatem, & n. conseq. ideo enim *Optatus* unctionem ad baptismi mysteria revocat, non quia putat ejus merum esse ritum, sed tum quia baptismi consummatio est, tum quia eodem tempore ejus ætate conferri solebat: quo sane sensu Eucharistiam ipsam inter baptismi mysteria recensere, non est probatissimis scriptoribus insolens: quod vero S. Doctoris judicio confirmatio sit Sacramentum penitus a baptismo diversum, clariora ejus verba sunt, quam ut minimam difficultatem relinquant, hanc enim sacri olei virtutem esse affirmat (*lib. 7 ad finem*): *ut cutem conscientiæ molliat exclusa duritie peccatorum, animum innovet, sedem Sp. Sancto paret, ut invitatus illic, asperitate fugata, libenter inhabitare dignetur, condiat mores, & incendat lumen mentis ad salutarem & veram intelligentiam*, quin eodem in loco utrumque Sacramentum aperte distinguit, Donatistis nefariam Sacramentorum repetitionem exprobrans: *seduxistis homines*, inquit, *rebaptizastis, iterum unxistis: proh dolor!*

Ad 4. auctoritatem S. *Paciani* recipio, & min. assumptam distinguo: inter ea quibus renascimur & renovamur, confirmatorium chrisma recenset, *velut aliud a baptismo Sacramentum*, conc. *velut simplicem ejus ritum*, n. min. & conseq. nam quod utrumque in oratione Sacramenti distinguat, ex verbis ejus ibidem est manifestum: *Lavacro*, inquit, *peccata purgantur, chrismate Sanctus Sp. superfunditur*, recole alterum ejusdem testimonium ex Ep. 1 ad *Sympronianum* supra relatum; (*Probat. 4, argum. 1*) nec est quod in his vocibus insistatur (*renasci & innovari*) quasi de solo baptismate dici possint: esto enim baptismo nativitas & renovatio, tamquam vitæ spiritualis radici tribuatur: hoc tamen non impedit, quominus confirmationi conveniat eamdem, novæ gratiæ infusione, perficere: id quod ipse S. Thomas agnovit, quem nemo negaverit. *Secundum Sacramentum intrantium*, inquit, (*Lect. 1 in cap. 6 Epist. ad Heb.*) *est in ipsa manuum impositione, hæc autem est duplex: una est miracula faciens... alia est Sacramentalis: & hæc duplex: una in Sacramento Ordinis.... alia in Sacramento confirmationis ad renovationem: ad Titum 3, v. 5*: Salvos non fecit per lavacrum regenerationis & renovationis Sp. Sancti.

Ad

Ad 5 dist. ant. & explico *Primasii* mentem: donum Sp. Sancti datur in baptismate, *tempore scilicet baptismatis*, conc. *datur ab ipso baptismate*, n. ant. & conseq. his verbis continuatum baptismo confirmationis officium, non identitas utriusque significatur, ib. enim *Primasius* confirmationem a baptismo ratione effectus & ministri discriminat, immo in ejusdem Ep. commentario confirmationem dari post baptismum rotunde affirmat: *Impositionem manuum appellat Apostolus*, inquit, (*in c. 6 Ep. Hebr.*) *per quam plenissime creditur accipi donum Sp. Sancti, quod post baptismum ad confirmationem unitatis in Ecclesia, a Pontificibus fieri solet*.

6. Denique si quid valeat, probabit pariter Eucharistiam in baptismi ritibus, ex scriptorum Ecclesiasticorum sententia collocandam, quia in his libris quos de baptismo inscripserunt, non solum confirmationis, sed & Eucharistiæ faciunt satis communiter mentionem, quod nec ipsi Lutherani ac Calvinistæ admittent. Dicendum itaque hoc a Patribus factitatum, non propter Sacramenti identitatem, sed propter continuationem officii, quod vulgo, ut toties dictum est, baptismi, confirmationis, & Eucharistiæ administratione continebatur.

Inst. ultimo: ex verbis Tertulliani (*lib. de resurr. carnis c. 8*): *caro manuum impositione adumbratur, ut & anima Spiritu illuminetur*: unde sic efformant argumentum: actio illa pro mero baptismi ritu habetur, cui proprius baptismi effectus tribuitur: atqui baptismi proprium effectum, mentis scilicet illuminationem, confirmationi Tertullianus attribuit. Ergo &c.

℟. Admitto auctoritatem, & concessa maj. n. min. singularis enim vero hæc illuminatio est, quæ datur ad robur, sive ad Christi fidem intrepide confitendam: unde ibidem subjicit: *Caro ungitur, ut anima consecretur, caro signatur, ut & anima muniatur*. Judice ergo Tertulliano, quæ confirmationi illuminatio convenit, a baptismali diversa est. Sequitur

QUÆSTIO SECUNDA.

De natura Sacramenti confirmationis.

Postquam de confirmationis veritate & existentia dictum est, paucis est natura ejus aperienda, quam facile comprehendet qui finem propter quem a Christo est instituta, & ejus a baptismo discrimen semel intellexerit.

§. PRIMUS.

Confirmatio a baptismo quid differat?

Quid mihi prodest, inquiet aliquis, post baptismatis mysterium, mysterium confirmationis? nam si post fontem adjectione novi generis indigemus, non totum de fonte suscepimus: ita plane quisquis es; o Neophite, post lavacrum, novi accessione mysterii indigens, quia non quantum tibi opus erat gratiarum de fonte baptismatis suscepisti: *Oportet eos qui illuminantur*, inquiunt Patres Laodiceni, (*can. 48*) *post baptisma inungi supercœlesti chrismate, & esse regni Christi participes*: hæc autem in quo posita gratia sit, quæ juxta communem divinæ providentiæ cursum, sola confirmatione confertur, non meis, sed majorum verbis ac sententiis explicabo.

Caro abluitur, ait Tertullianus, (*lib de Resur. c. 8*) *ut anima emaculetur: caro ungitur, ut anima consecretur, caro signatur, ut anima muniatur: caro manus impositione adumbratur, ut & anima Spiritu illuminetur*: addit itaque baptismo, ex mente Tertulliani confirmatio excellentia quædam dona, quandoquidem emaculatam per lavacrum animam, Deo consecret, Sp. Sancto illuminet, & contra insurgentes hostium impetus muniat protegatque: id quod deinceps secuti Ecclesiastici scriptores, similibus pleneque consentaneis vocibus expresserunt.

In baptismo, inquit Petrus Damiani (*ser. 1 in dedic. Eccl.*) *Sp. Sanctus datur ad veniam: hic ad pugnam: ibi mundamur ab iniquitatibus: hic* (in confirmatione) *virtutibus præmunimur*.

Et Eucherius Lugdunensis (*in homil. de Pentecoste*): *Sp. Sanctus, qui super aquas baptismi salutifero descendit illapsu, in fonte plenitudinem tribuit ad innocentiam, in confirmatione augumentum præstat ad gratiam.... in baptismo regeneramur ad vitam, post baptismum confirmamur ad pugnam: in baptismo abluimur, post baptismum roboramur*.

Goffridus Vindocinensis (Opusc. 8) *in baptismate per Sp. Sanctum datur remissio peccatorum, in confirmatione Sp. Sanctus invitatur ut veniat, & domum ipsam quam sanctificavit, inhabitet, muniat, & defendat: ipsi etiam Apostoli post baptismum acceperunt Sp. Sanctum: quem in ipso baptismo jam acceperant in remissionem peccatorum, acceperunt iterum & in die Pentecostes, ad totius virtutis & scientiæ professionem*.

Rupertus Abbas (*Lib. 3 de operib. Spiritus S.*): *qui testis in baptismo factus & Spiritus,*

ritus, idem fit & tutor pupilli, ubi per impositionem manuum, sacrique chrismatis unctionem, secundam qui renatus est gratiam accepit.

S. Thomas (3 p. q. 72, *art. 1 in corp.*): *Dicendum*, inquit, *quod Sacramenta novæ legis ordinantur ad speciales gratiæ effectus, & ideo ubi occurrit aliquis specialis effectus gratiæ, ibi ordinatur speciale Sacramentum, quia vero sensibilia & corporalia ferunt Spiritualium & intelligibilium similitudinem, ex his quæ in vita corporali aguntur, percipere possumus, quid in spirituali vita gratiæ speciale existat: manifestum est autem, quod in vita corporali specialis quædam perfectio est, quod homo ad perfectam ætatem perveniat & perfectas actiones hominis agere possit: unde & Apostolus dicit*: (1 *Cor.* 13, 11) cum autem factus sum vir, evacuavi quæ erant parvuli*: Et inde est etiam, quod præter motum generationis, quo aliquis accipit vitam corporalem, est motus augmenti, quo aliquis perducitur ad perfectam ætatem: sic igitur & vitam spiritualem homo accipit per baptismum, qui est spiritualis regeneratio: in confirmatione autem homo accipit quamdam perfectam ætatem spiritualis vitæ*, &c.

§. SECUNDUS.

Confirmatio quomodo definienda.

Ex his & similibus testimoniis facile definitio intelligitur, per quam hujus Sacramenti natura sic explicatur.

Confirmatio est, *Sacramentum novæ legis, quo baptizatis additur robur Spiritus, tum ad firmiter credendum, tum ad fidem ipsam intrepide confitendam.*

1. Dicitur *Sacramentum*: res scilicet sensibus subjecta, ex divina institutione sanctitatis & justitiæ tum significandæ, tum efficiendæ vim habens.

2. Dicitur, *Sacramentum novæ legis*, a Christo videlicet in novo testamento sancitum; atque ita ejus proprium, ut licet adumbrari qualitercumque in antiquo potuerit, ad ejus tamen dignitatem nullum vetus Sacramentum, non dico pertingere, sed ne accedere quidem a longe potuerit: *Dicendum*, inquit S. Thomas, (3 p. q. 72, *art.* 1, *ad* 2) *quod quia confirmatio est Sacramentum plenitudinis gratiæ, non potuit habere aliquid respondens in veteri testamento, quia* nihil ad perfectum adduxit lex, *ut dicitur Hebr.* 7, 19.

3. Dicitur, *Sacramentum novæ legis, quo baptizatis additur robur*: ut significetur necessario baptismum debere præcedere, frustraque homini nondum sacro fonte expiato conferendum: hinc 8 sæculo (*ann.* 848) *Zacharias* Summ. Pontifex a *Bonifacio* Germanorum Apostolo consultus de quoddam presbytero, *Samsone* dicto, qui affirmabat, *sine mystica invocatione, aut lavaro regenerationis, posse fieri catholicum Christianum per Episcopalis manus impositionem*: Respondit (*Ep.* 10) hunc presbyterum excommunicatione plectendum, & a grege Christi pellendum: & vero cum confirmatio sit perfectæ ætatis Sacramentum, tam necesse est a baptismo præcedi, quam est necessarium, prius infantem fuisse, quam virum.

4. Dicitur, *quo baptizatis additur robur spiritus, tum ad firmiter credendum, tum ad fidem ipsam intrepide confitendam*: qui sunt proprii, ut prædictum est, confirmationis effectus.

§ TERTIUS.

Quam varie confirmatio a majoribus appellata?

Nec prætereunda hujus Sacramenti nomina, queis ejus natura virtusque significatur; porro omnia vel materiæ, vel effectuum respectu indita sunt: adeoque ad ejus notionem vel ingerendam, vel refricandam non parum conducunt.

Materiæ habita ratione, dictum est

1. *Manuum impositio*: quod nomen antiquissimum omnium, cum in sacro Scripturæ textu legatur, scriptores Ecclesiastici frequentissime usurparunt.

2. *Sacramentum chrismatis*: quam vocem variis Epithetis a SS. Patribus legimus exornatam: *μεγα μύρον, magnum chrisma*, Græci dixere: *chrisma Sanctum ac supercœleste*: Patres Laodiceni (*canonib.* 7, & 40): *chrisma salutis, chrisma spiritualis unguenti, oleum creatoris, oleum divinum, oleum Christi, oleum salutaris* &c. passim Græci Latinique Patres appellarunt, quorum hic testimonia recensere, vel jam citata, vel in posterum recitanda superfluæ operæ fuerit.

3. *Signaculum spiritale, signaculum Dominicum, signaculum vitæ æternæ, σφραγὶς*, Græce, Latine *sigillum*, &c. videmus sæpissime appellatum, quæ voces sive propter signum crucis fronti exterius impressum, sive propter spiritualem & indelebilem characterem in anima virtute ejus infixum, inditæ fuerint non contendimus: utraque sane ratione confirmationem apprime convenire certissimum est.

Cum vero ad effectus ejus spectarent, in hoc præcipue positos, quod hominem baptizatum ple-

plene Christianum efficiat, quod gratiæ plenitudine ditet ornetque, quod demum ad vincendas tentationes, & Christi fidem profitendam, confert robur divinum, hac quoque ratione Patres Sacramentum chrismatis propriis titulis decorarunt: ab aliquibus enim *perfectio*, ab aliis *Sacramentum plenitudinis gratiæ*, ab aliis *confirmatio* dictum est: *peregre navigantes*, ajunt Patres Eliberitani, (*art.* 38) *aut si Ecclesia in proximo non fuerit*, (statuimus) *posse fidelem.... baptizare in necessitate, ita ut si supervixerit, ad Episcopum eum perducat, ut per manus impositionem perfici possit....* (*can.* 77) *Si qui Diaconus regens plebem, sine Episcopo vel presbytero aliquos baptizaverit, Episcopus eos per benedictionem perficere debebit.... Dicendum*, inquit S. Thomas (3 *p. q.* 78, *art.* 1, *ad* 4) *quod illi qui confirmationem accipiunt, quæ est Sacramentum plenitudinis gratiæ, Christo conformantur, in quantum ipse a primo instanti suæ conceptionis, fuit plenus gratiæ & veritatis.... per frontis chrismationem* ait Innocentius III (*Extra de Sacram. Unct. cap. unico*, §. 4) *manus impositio designatur, quæ alio nomine dicitur confirmatio, quia per eam Sp. sanctus ad augmentum datur & robur.*

Et hæc quidem faciliora sunt, quam & morari nos debeant; pergemus itaque ad alia majoris momenti: unde sit

QUÆSTIO TERTIA.

De materia Confirmationis.

DE qua ut rectum judicium sit, ritum ipsum ponemus ob oculos, quo solet confirmatio ministrari: illum porro Gregorius M. in Sacramentario explicat his verbis: *Pontifex veniens ad infantes, tenente Archidiacono chrisma, involutis scapulis & brachiis ex panno lineo, elevata manu super capita omnium, dicit: omnipotens sempiterne Deus, qui regenerare dignatus es hos famulos tuos, ex aqua & Sp. sancto, quippe dedisti eis remissionem omnium peccatorum, emitte in eos septiformem Spiritum tuum, sanctum paracletum de cælis, Spiritum sapientiæ & intellectus, Spiritum consilii & fortitudinis, Spiritum scientiæ & pietatis: adimple eos Spiritu timoris tui, & consigna eos signo crucis in vitam propitiatus æternam: per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitate ejusdem Sp. sancti Amen: & interrogantibus Diaconibus nomina singulorum, Pontifex tincto pollice in chrismate, facit crucem in fronte unius, similiter per omnes sigillatim, quibus expletis* &c.

Tria hic quæ materiæ loco æstimari possint, occurrunt: impositio manus, unctio chrismatis; signi crucis in fronte per ipsum ungendi actum facta impressio: quæritur utrum omnia & singula ad essentiam confirmationis ex æquo pertineant, an aliquod eorum tantum.

I.

Hæreses recensentur.

Nemini non notum, ab hæreticis nostri temporis hos omnes ritus pari decreto repudiari: nam qui confirmationem e numero Sacramentorum exturbabant, consequens est ut ejus neque propriam materiam esse velint, neque formam, neque aliquid eorum per quæ ens constituitur: itaque ratum & fixum habent:

1. Confirmationis materiam in Scriptura nec leviter insinuari.

2. Impositionem manuum, quam veluti acceptam ab Apostolis Catholici jactitant, primis temporibus nullius Sacramenti partem fuisse, sed ritum simplicem ad obtinendas gratias visibiles, quas gratis datas dicimus, ab Apostolis observatum; adeoque cum visibiliter dona illa conferri dudum desierint, nunc inutiliter manus imponi, nec aliud quidquam esse, quæ modo manuum impositio sit, nisi vacuum & frigidum signum, ad præposteram Apostolorum imitationem, sine sensu, sine effectu, sine ratione confictum.

3. Contra chrismatis unctionem eo impudentius debacchantur; quod in Scriptura, quam unicam volunt fidei regulam, (atque utinam bene vellent) nullam ejus mentionem esse contendant: hinc *Kemnitius* (*in examine Concili Trid.*) divinitus factum affirmat, quod in confirmationem manuum impositio retenta non fuerit, & in ejus locum chrismatio substituta, ut Ecclesia animadversa palpabili differentia inter impositionem manuum, & chrismationem in fronte, non tam facile seduceretur allegatione historiæ quæ in Actis Apostolorum (*Act.* 8, & 19) refertur: omnium vero impudentissimus Calvinus: *Hoc*, inquit, (*instit. lib.* 4, *c.* 19, §. 7) *non a me, sed a Domino audacter pronuntio, qui oleum vocant oleum salutis, salutem quæ in Christo est abjurant, Christum abnegant, partem in regno Dei non habent*: hinc confirmationem non aliter definiendam affirmat, (*ib.* §. 8) nisi, *insignem baptismi contumeliam, quæ usum ipsius obscurat, imo abolet: falsam diaboli pollicitationem, quæ nos a veritate Dei abstrahit: aut si mavis, oleum diaboli mendacio pollutum, quod velut offusis tenebris simplicium mentes fallet.*

4. Chris-

4. Chrismate sublato, signum crucis cum ungendi actione conjunctum, ab hæreticis auferri oportuit: rei namque modus, si res ipsa non consistat, necessario evanescit; itaque Sacrosanctum hoc redemptionis nostræ signum, non secus ac cæteros ritus quos præstigiis diaboli, & humanis superstitionibus annumerant, exploserunt.

I I.

Scholarum opiniones enumerantur.

Qua fide certum est, confirmationem esse Sacramentum divinitus institutum, eadem Catholico cuique constare debet, habere materiam & formam divina auctoritate præscriptam: cum enim Sacramentum sit, *res sensibus subjecta, ex institutione Dei, Sanctitatis & justitiæ significandæ & efficiendæ vim habens*, manifestum est duo hæc, quod aliquid Sacramentum sit, quodque propria in se materia & forma definiatur, ex eodem fonte pendere: ita ut si nutet unum, alterum vacillare necesse sit: itaque nemo, opinor, huic nostræ propositioni sapiens contraibit, qua affirmamus confirmationis certam & determinatam quandam materiam, in fundamento & Thesauro fidei contineri, quæ si spreta, neglectaque in praxi fuerit, Sacramentum irritum sit futurum.

Quænam autem illa in individuo sit, nondum est ab Ecclesia expresso canone declaratum, quo factum est, ut Theologi, licet omnes consentiant, quidquid ritualibus præscribitur, in administratione confirmationis esse accurate implendum, neque tutum fore, aliquam vel minimam partem negligere, in diversas tamen sententias quæstionem hanc agitando abierint, dissidiisque necdum pacatis, neque quamdiu silebit Ecclesia compescendis, scholas impleverint.

1. Multorum, præsertim Canonistarum doctrina fuit, materiam confirmationis in sola manuum impositione consistere.

2. Alii voluerunt in sola chrismatis Unctione esse ponendam: eaque scholasticorum communior opinio fuit.

3. Alii utrumque pari gradu necessariam affirmarunt, neque esse Sacramentum ex essentia integrum, nisi manuum impositioni unctio chrismatis adjungatur: pro cujus sententiæ, quippe veritati proximioris defensione sit:

CAPUT PRIMUM.

Ostenditur materiam confirmationis essentialem in impositione manuum, simul & chrismatis Unctione consistere.

Quæstio agitur, non rationis, sed auctoritatis pondere dirimenda: illud porro videtur longe certissimum, eadem, divina scilicet, auctoritate constare, impositionem manuum, juxtaque chrismatis unctionem pariter ad confirmationis essentiam pertinere, prout argumentis sequentibus confidimus demonstrandum.

PROBATIO PRIMA.

Ex Scripturis.

Manuum impositionis *Actuum* 8, & 19, itemque Ep. ad Hebræos c. 6, mentio est: de unctione vero, *Pauli & Joannis* non obscura sunt, si interpres audiatur traditio, testimonia: *Qui confirmat nos in Christo*, inquit ille, (2 *Cor.* 1, v. 21, & *seq.*) & *qui unxit nos Deus, qui & signavit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris*: iste vero: (1 *Joan.* 2, *v.* 20, & 27) *vos unctionem, habetis a Sancto... & vos unctionem, quam accepistis ab eo, maneat in vobis*: eos vero textus conferenti proclive erit judicare, quod bene in unum idemque Sacramentum conveniat: quemadmodum enim impositioni manuum, unctioni pariter illapsus Sp. Sancti tribuitur: *imponebant manus super illos*, ait Lucas, (*Act.* 8, *v.* 17) & *accipiebant Sp. Sanctum*... (*ibid.* 19, *v.* 6) *cum imposuisset illis manus Paulus, venit Sp. sanctus super eos*: idemque de unctione Apostolus prædicans: *Unxit nos*, inquit, & *dedit pignus Spiritus in cordibus nostris*: itemque alter: *unctionem quam accepistis ab eo maneat in vobis*: quid enim, quæso, est, pignus Spiritus in corde receptum? quid unctio manens in nobis, nisi Spiritus ipse sanctificans quem dicuntur Samaritani & Ephesii per impositionem manuum accepisse? ergo confirmationem, impositione manuum & chrismatis unctione, velut materia essentiali constare, dogma videtur scripturæ apprime consentaneum.

Non me latet, eos qui confirmationem in sola manuum impositione reponunt, loca scripturæ ubi de unctione mentio fit, velle de sola unctione spirituali, cum exclusione omnis sensibilis unguenti debere intelligi; quos etsi non possumus iis ipsis textibus revincere, quando quidem unctionem de qua loquuntur, materialem esse non exprimunt: jure tamen nostro,

nostro, & merito redarguimus auctoritate majorum: quærimus enim nunquid velint haberi Patribus doctiores, qui hæc loca de Sacramento Confirmationis intelligunt, & de unctione externa, per quam, velut per signum efficax, unctio interior significatur & datur; ita namque Paulum & Joannem, *Cyrillus Hieros. Ambrosius*, *Aug. Theodoretus*, *Primasius*, & plerique alii explicant: ejusdemque sententiæ græci & orientales esse videntur, quos probabilissimum est, formam confirmationis qua ubique utuntur: *Σφραγὶς δωρεᾶς πνεύματος ἁγίυ, ἀμήν*: *Signaculum doni Spiritus sancti, amen*, ex verbis Apostoli expressisse: *unxit nos Deus, & signavit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris*.

Deinde, cur, rogo, in his Apostoli verbis Sacramentum confirmationis, adeo genuinis depictum coloribus, renuunt recognoscere? quod enim ait: *confirmat nos in Christo*: proprium hujus Sacramenti est nomen, quomodo proprium ejus est, novum baptizato ad fidei confessionem robur addere. Quod subjungit: *signavit nos*: vel ad signum Crucis in fronte impressum, vel ad spiritualem characterem, infixum in anima, vel simul ad utrumque alludit: quæ sequuntur: *dedit pignus Spiritus in cordibus nostris*: præcipuum Sacramenti effectum, gratiam videlicet Sp. Sancti per quam sumus participes regni Dei, significant: & denique ista: *unxit nos Deus*: pertinent quidem ad unctionem internam, caritatem videlicet quæ diffusa est in cordibus nostris, per Spir. sanctum qui datus est nobis. Sed hæc ipsa ratione spectant etiam ad externam, quæ signum est interioris practicum, & ex opere operato efficax, ut tota traditio docet. Quod ut melius innotescat, sit:

PROBATIO SECUNDA.

Ex traditione.

1. Sententias Patrum, non omnes quidem, quia hæc enumeratio ut superflua, ita pene impossibilis foret, sed præcipuas afferemus, quibus confirmationi impositionem manuum, velut partem necessariam vindicant.

2. Eorumdem selecta testimonia indicabimus, quæ hoc ipsum de Chrismatis unctione affirmant.

3. Ex utrisque argumenta ad propositum inferemus.

I.

Impositionem manuum, esse partem necessariam confirmationis traditio universa testatur.

Atque ut a prisca ætate dicendi exordium faciamus:

S. *Irenæus* 2 sæculi Scriptor: *quibuscumque*, ait, (*cont. hær. lib.* 4, *c.* 75) *imponebant Apostoli manum, accipiebant Spir. sanctum, qui erat esca vitæ*. Quorsum vero esca vitæ Sp. sanctus dicitur, nisi quia gratiam, pabulum hominis Spiritualis infundit?

Tertullianus Irenæo æqualis: (*de Resur. carnis c.* 8) *caro manus impositione adumbratur, ut & anima Spiritu illuminetur* . . . . . (*de bap. c.* 7) *dehinc manus imponitur, per benedictionem invocans & invitans Sp. sanctum.*

Origenes 3 sæculo: *in Actibus Apost.* ait, (*lib.* 1 *de principiis c.* 3) *per impositionem manuum Apostolicarum Spir. sanctus dabatur in baptismo*: (baptismi scilicet officio, cui confirmatio, non ut ritus ejus, sed ut novum Sacramentum adjungebatur.)

S. Cyprianus: *quod deerat*, inquit, (*Ep.* 73) (Samaritanis a Philippo baptizatis) *id a Petro & Joanne factum est, ut oratione pro eis habita & manu imposita, invocaretur & infunderetur super eos Sp. sanctus*: *quod nunc quoque apud nos geritur, ut qui in Ecclesia baptizantur, præpositis Ecclesiæ offerantur, & per nostram orationem ac manus impositionem Sp. sanctum consequantur, & signaculo Dominico consummentur.*

Eidem veritati, hoc ipso tempore, Synodus 3, præside Cypriano Carthagine habita, (*ann.* 256) *Firmilianus* Cæsareæ in Cappadocia Episcopus in Ep. ad *Cyprianum*, (*inter litteras Cypriani* 75) & Scriptor de baptismo Anonymus suffragantur.

Sæculo 4, Concilium Eliberitanum: *si supervixerit*, inquit, (*Can.* 38.) (quem scilicet Laicus in necessitate baptizaverit) *ad Episcopum eum perducat, ut per manus impositionem perfici possit* . . . . . (*Can.* 39) *Gentiles si in infirmitate desideraverint sibi manus imponi*; *si fuerit eorum ex aliqua parte honesta vita, placuit eis manus imponi, & fieri Christianos* . . . . . (*Can.* 77) *quos Diaconus regens plebem, sine Episcopo vel Presbytero aliquo baptizaverit*; *Episcopus eos per benedictionem perficere debebit.*

Concilium Arelatense 1, anno 314, *de his, qui in infirmitate credere volunt*, inquit, (*Can.* 6, & 8) *placuit eis debere manum imponi* . . . . . . *de Afris*, *quod propria lege sua utun-*

utuntur ut rebaptizent, *placuit ut si ad Ecclesiam aliquis de hac hæresi venerit*, *interrogent eum symbolum*; *& si perviderint eum in Patre*, *& Filio*, *& Sp. sancto esse baptizatum*, *manus ei tantum imponatur*, *ut accipiat Sp. sanctum*.

S. Joannes Chrys. (*ho.* 18 *in Act. Apost.*) *Philippus*, ait, *unus ex septem Diaconis erat*, *secundus a Stephano*: *ideo & baptizans Spir. sanctum non dabat*; *neque enim facultatem habebat*. *Hoc enim donum solorum Apostolorum erat . . . . hoc erat in Apostolis singulare*: *unde & præcipuos*, (Episcopos) *& non alios videmus hoc facere*.

S. Hieronymus 5 sæculo, quod a Luciferiano dictum fuerat: (*in dial. cont. Luciferianos*.) *an nescis Ecclesiarum hunc esse morem*, *ut baptizatis postea manus imponantur*, *& ita invocetur Sp. sanctus*; &c. propriis verbis confirmat: *non quidem abnuo*, inquit, *hanc esse Ecclesiarum consuetudinem*, *ut ad eos qui longe in minoribus urbibus per Presbyteros & Diaconos baptizati sunt*, *Episcopus ad invocationem Sancti sp. manum impositurus excurrat*.

S. Augustinus Christi divinitatem defendens: *quomodo*, inquit, (*lib.* 15 *de Trinit. c.* 26) *Deus non est*, *qui dat Sp. sanctum? immo quantus Deus est*, *qui dat Deum? neque enim aliquis discipulorum ejus dedit Sp. sanctum*: *orabant quippe ut veniret in eos*, *quibus manus imponebant*, *non ipsi eum dabant*: *quem morem in suis præpositis etiam nunc servat Ecclesia . . . . . nos accipere quidem hoc donum possumus pro modulo nostro*; *effundere autem super alios non utique possumus*, *sed ut hoc fiat*, *Deum . . . . invocamus*.

Lege S. Doctorem, *l.* 3 *de baptismo c.* 16, *tract.* 6 *in* 1. *Ep. Joannis*,: *& in exposit. inchoata Ep. ad Rom*.

Theodoretus: (*in c.* 6 *Epist. ad Hebr.*) *qui crediderunt*, ait, *accedunt ad divinum baptismum*, *& per manum Sacerdotalem spiritus gratiam accipiunt*.

Gennadius Patriarcha Constantin. in comment. Ep. ad Hebræos, cujus fragmenta quedam *Œcumentius* posteritati transmisit, (*Œcumenius comment. in Epist. ad Hebr.*) *ad fidem accedentes*, inquit, *merito primum adhortamur*, *ut a mortiferis operibus resipiscant*, *resipiscentes autem in Deum credant*, *credentes vero baptizentur*, *baptizati autem se ipsos subjiciant impositioni manuum Sacerdotum ad participationem Spiritus . . . . vigilate*: *neque enim licitum est*, *ut si segniter vivas*, *rursum baptizeris*, *& per manuum impositionem accipias Sp. sancti superventionem*.

Sæculo 6, *Primasius* in Africa Episcopus: *per impositionem manuum*, inquit, (*comm. in c.* 6 *Epist. ad Hebræos.*) *plenissime creditur accipi donum Sp. sancti*, *quod post baptismum ad confirmationem unitatis in Ecclesia a Pontificibus fieri solet . . . . . .* (*ib. ad finem*.) *gratiæ nomine debemus accipere fidem perfectam*, *cum executione bonorum operum*: *remissionem quoque peccatorum*, *quam percipiunt fideles tempore baptismatis*: *donum etiam Sp. sancti*, *quod datur in baptismate per impositionem manuum Episcoporum*: *quæ omnia gratis a Deo dantur*.

S. Gregorius Magnus, in Sacramentario, cujus verba supra descripsimus.

Sæculo 7 Concilium Hispalense II anno Christi 619 congregatum: *non licet Presbyteris*, inquit, (*c.* 7) *per impositionem manus fidelibus baptizatis*, *vel conversis ex hæresi paracletum Spir. tradere . . . . . quia Pontificatus apicem non habent*.

Ejusdem loci ac temporis *Isidorus* Hispalensis, qui prædictæ Synodo præfuit: *post baptismum*, inquit, (*de offic. Eccl. lib.* 2, *c.* 26) *per Episcopos datur Sp. sanctus cum manuum impositione*: *hoc in Actibus Apost. fecisse meminimus Apostolos*.

Sæculo 8, *Venerab. Beda*: *notandum*, ait, (*comment. in c.* 8 *Act. Apost.*) *quod Philippus qui Samariæ Evangelizabat*, *unus de septem fuerit*: *si enim Apostolus esset*, *ipse utique manum imponere potuisset*, *ut acciperent Sp. sanctum*: *hoc enim solis Pontificibus debetur*.

Gregorius III a' Bonifacio Germanorum Apostolo interrogatus, quid erga eos agendum, qui fuerant a Gentilibus in nomine Trinitatis baptizati? Respondit, (*Ep.* 7 *ad Bon.*) *oportere eos per manus impositionem*, *& sacri Chrismatis unctionem confirmari*.

Ordo Romanus ipsissimis Magni Gregorii verbis: *Pontifex*, inquit, (*cap. de ord. Sabbati Sancti.*) *veniens ad Infantes*, *tenente Archidiacono Chrisma*, *& imposita manu super capita eorum*, *dicit orationem super eos*, *cum invocatione septiformis gratiæ Spir. sancti &c*.

Eadem *Alcuini* in Ep. *de baptismi cæremoniis*, itemque in altera da ratione septuagesimæ, sexagesimæ & quinquagesimæ ad *Carolum Magnum*: *Theodulphi* Aurelian. in lib. *de ordine baptismi* c. 17, *Magni* Senonensis, in Ep. *ad Carolum Magnum*, hac ætate doctrina fuit.

Sæculo 9, Concilium Parisiense VI, anno 829 coactum: *emersit*, inquit, (*lib.* 1, *c.* 27) *quidam reprehensibilis*, *& valde jam inolitus usus*, *eo quod quidam Chorepiscopi ultra modum suum progredientes*, *& donum Sancti*.

cti spir. per impositionem manuum tradant, & alia quæque, quæ solis Pontificibus debentur, contra fas peragant: præsertim cum nullus ex septuaginta discipulis, quorum speciem in Ecclesia gerunt, legatur donum Sancti sp. per manuum impositionem tradidisse: quod autem solis Apostolis eorumque successoribus proprii sit officii tradere Spir. sanctum, liber Apostolorum docet, Act. 8, & 19

Rabanus Maurus Archiepiscopus Mogunt. (*de inst. cler. lib. 1, c. 30*) *a summo Sacerdote per impositionem manus, paracletus traditur illi* (baptizato) *Spir. Sanctus, ut roboretur per Spir. sanctum ad prædicandum aliis idem donum quod ipse in baptismate consecutus est, per gratiam vitæ donatus æternæ.*

Jonas Aurelian. Episcopus: (*de instit. cleric. l. 1, c. 7*) *perceptio Sp. sancti per manus impositionem ab Episcopis tribuitur . . . . credendum vero est, quod sicut baptismatis, & corporis & sanguinis Dominici Sacramenta per Sacerdotum ministeria visibiliter fiunt, & per Deum invisibiter consecrantur; ita nimirum Sp. sancti gratia per impositionem manuum, ministerio administratam Episcoporum, fidelibus invisibiliter tribuatur.*

Concilium VVormatiense anno circiter 868 habitum: (*Can.* 8) *non liceat Presbyteris per impositionem manus paracletum Spiritum tradere, nec Chrismate baptizatorum frontem signare: quia Pontificatus apicem non habent.*

Idem hoc ipso sæculo tradunt: *Amalarius Fortunatus*, Episcopus Trevirensis, de Ecclesiast. officiis l. 1, c. 26 & seqq. *VValafridus Strabo*, in libro de exordiis & incrementis rerum Ecclesiastic. c. 26, *Hincmarus* Rhemensis Archiepiscopus, in libro de variis capitulis Ecclesiast. cap. 16, & *Isaac* Episcopus Lingonensis, in collectione Canonum, tit. 11.

Sæculo 10 *Œcumenius* (*comment. in Ep. ad Hebr.*) verba *Genadii* Constantin. de Impositione manuum superius relata describit, & approbat. Quod si quis per id tempus de paucitate testium conqueratur; advertat ideo paucos occurrere, non quia doctrinæ aliqua mutatio contigit, sed quia desidiosa hæc ætas fuxit, & perquam tenuem Scriptorum proventum attulit.

Sæculo 11, *Lanfrancus* Cantuariensis Archiepiscopus (*comment. in c. 6 Ep. ad Hebræos*), hæc Pauli verba expendens: *non rursum jacientes fundamentum pœnitentiæ &c.* (Heb. 6, 1, & 2) *quicunque Doctor*, inquit, *infideles ad fidem convertit, hic inprimis fundamentum mentibus injicit, dicens oportere eos peccatorum suorum pœnitere, in Deum credere, in remissionem peccatorum baptizari pro accipiendis Sancti sp. donis, in impositione manuum Episcoporum consummari.*

Theophilactus Bulgarorum Archiepiscopus: (*comm. in Ep. ad Hebr.*) *post dimissionem peccatorum, sequitur participatio Sp. sancti; non enim habitat in corpore subdito peccatis, per impositionem autem manuum dabatur, uti supra dictum est.*

Ivo Episcopus Carnotensis (*serm. de Excellentia sacrorum ordin.*) *Christianam militiam*, inquit, *in baptismate professi estis, & arma spiritualia contra hostes invisibiles per manus impositionem accepistis &c.*

Sæculo 12, *Rupertus* (*de operibus Spiritus S. lib. 3, c. 10*) Abbas: *qui testis in baptismo factus est Spiritus*, ait, *idem fuit & tutor pupilli, ubi per impositionem manuum, sacrique Chrismatis unctionem, secundum qui Renatus est gratiam accepit.*

Hugo Vict. (*de Sacram. l. 2, par. 7, c. 2.*): *manus impositio*, inquit, *quæ usitato nomine confirmatio vocatur, qua Christianus unctione Chrismatis, per impositionem manus in fronte signatur, solis Episcopis Apostolorum Vicariis debetur, ut Christianum consignent, & Spiritum Paracletum tradant, sicut in primitiva Ecclesia Sp. sanctum per impositionem manuum dandi, soli Apostoli potestatem habuisse leguntur.*

Sæculo 13 *Innocentius III* Pontifex Max. (*lib. 1 decretal. tit. 4, cap. quarto*): *Sacramentum confirmationis*, inquit, *Chrismando Renatos soli debent Episcopi per manus impositionem conferre . . . .* (*Ib. tit. 15, c. cum venisset.*) *per frontis Chrismationem manus impositio designatur, quæ alio nomine dicitur confirmatio, quia per eam Spiritus sanctus datur ad robur . . . . . hanc non nisi summus sacerdos debet conferre, quia de solis Apostolis legitur, quod per manus impositionem S. sanctum dabant: quemadmodum Apostolorum lectio manifestat.*

S. Thomas (*lect. 1 in cap. 6 Ep. ad Hebr.*): *secundum Sacramentum intrantium est in ipsa manuum impositione . . . . . hæc autem est duplex: una est miracula faciens . . . alia est Sacramentalis: & hæc est duplex. Una in Sacramento ordinis . . . . . alia in Sacramento confirmationis ad renovationem: ad Tit. 3, v. 5: salvos nos fecit per lavacrum regenerationis & renovationis Sp. sancti: in confirmatione enim datur Sp. sanctus ad robur. Sicut enim in esse naturæ prius generatur homo; & postea augetur & roboratur: ita in esse gratiæ.*

Synodus Sarumensis in Anglia, *Salisbery*, anno 1230 habita: *secundum Sacramentum*,

in-

inquit, (*c.* 13) *est impositio manus quæ fit ab Episcopo, quæ confirmatio dicitur.*

Sæculo 14, & sequentibus, nemo dubitet doctrinam hanc defensores plurimos habuisse. Nam præter *Petrum Aureolum* Cardinalem, & Archiepisc. Aquensem, aliosque notæ optimæ Theologos, Canonum expositoribus universis arrisit. Nec defuit Conciliorum auctoritas.

Sic enim Concilium *Coloniense* an. 1536: *omnes fideles*, inquit, (*par.* 7, *c.* 8.) *per manus impositionem Episcoporum, Sp. sanctum post baptismum recipere debent, ut pleni Christiani inveniantur.*

Moguntinum an. 1547: (1 *par. c.* 17) *Sacramentum confirmationis ex institutione Christi & Apostolorum praxi Ecclesiæ relictum esse, in quo Spiritum S. . . . cum novo gratiæ suæ munere accipimus ad confessionem Christi . . . . actus ipsorum satis testantur. Unde Ecclesia Catholica Spiritum S. per manus Episcoporum fidelibus tradendi normam accepit.*

Rhemense ann. 1583, (*c. de confirmat.*): *quamvis unusquisque per baptismum catalogo fidelium sit adscriptus, ad Diaboli tamen, carnis, mundique tentationes perferendas ac superandas, non nisi per impositionem manuum Episcopi, plus roboris & gratiæ recipit.*

Narbonense an. 1609: (*c.* 15) *SS. Patrum institutionibus constat . . . post baptismum in hoc Sacramento, quo per impositionem manuum Episcopi, Sp. sanctus diffunditur in corda fidelium, robur atque fortitudinem dari.*

Ergo manuum impositionem ad confirmationis materiam necessario pertinere, res est ex traditione certissima.

II.

Unctionem Chrismatis confirmationem partem esse essentialem tota traditio clamat.

Nec minus de unctione hoc esse certum ultro assentietur, quisquis attenderit ad Patrum testimonia, quæ eadem methodo ob oculos ponimus.

Secundo sæculo, *Theophilus* Antiochenus (*in l. ad Autolycum*) *certe*, ait, *nulla alia ex re Christianorum nomen traximus, quam quod divino oleo perfundimur.* (Vide locum integrum supra cit.)

Huic merito *Irenæum* eadem ætate Episcopum Lugdun. adjungimus: is enim, ut prædiximus (*vide supra q.* 1, *c.* 3), Valentinianos & Gnosticos, lib. 1, c. 18, non ideo reprehendit, quod suos baptizarent & ungerent, sed quod Sacramenta bona de se, propriis additis superstitionibus mala facerent & corrumperent.

Tertulliani sane clara mens est, nec tergiversationi dat locum: *exinde*, inquit, (*de bapt. c.* 7) *egressi de lavacro perungimur benedicta unctione . . . in nobis carnaliter currit unctio, sed spiritualiter proficit; quomodo & ipsius baptismi carnalis est actus, quod in aqua mergimur; spiritualis effectus quod delictis liberamur . . .* (*de resurr. carn. c.* 8) *caro ungitur, ut anima consecretur &c.* consule eumdem l. 1 contra Marcionem, c. 14, & l. de præscript. c. 40.

Tertio sæculo, *Origenes* (*in c.* 6 *Ep. ad Rom.*): *secundum typum Ecclesiæ traditum*, ait, *omnes baptizati sumus in aquis istis visibilibus, & in Chrismate visibili*: scilicet per unctionem Chrismatis statim post baptismum, uno eodemque officio factam.

S. Cyprianus (*Epist.* 70): *ungi quoque necesse est eum qui baptizatus est, ut accepto Chrismate, idest unctione, esse unctus Dei, & habere in se gratiam Christi possit.*

Quarto sæculo, Concilium *Laodicenum*, (*Can.* 7) *oportet*, inquit, de (Novatianis & & quarto-decimanis præscribens) *ut ii qui apud eos dicebantur fideles, nostræ doceantur fidei symbolum, & uncti Sancto Chrismate, sic mysteriis communicent Sacrosanctis . . . .* (*Can.* 48) *oportet eos qui illuminantur, post baptismi inungi supercælesti Chrismate, & esse Regni Christi participes.*

Optatus, Milevitanus Episcopus (*lib.* 2): *ut omnia Sacrosancta*, inquit, *vestri memorati Episcopi* (Donatistæ) *violarent, jusserunt Eucharistiam canibus fundi . . . ampullam quoque Chrismatis per fenestram, ut frangerent, jactaverunt: & cum casum adjuvaret objectio, non defuit manus Angelica, quæ ampullam spirituali subvectione deduceret. Projecta, casum sentire non potuit: Deo muniente, illæsa inter saxa consedit.* Habes in hoc loco Chrisma Sacrosanctis annumeratum, æquiparatum Eucharistiæ in ratione mysterii, & divino miraculo a Donatistarum furore servatum.

Vide eundem l. 4, ubi olei unctionem mysteriis in baptismo implendis accenset: (*vid. sup.*) & l. 7 versus finem, ubi contra Donatistas sic invehitur: *vos exterminastis in rebaptizatione suavitatem olei illius, quod in nomine Christi confectum est . . . . vos exterminastis rem, ubi oleum fuit & suavitas . . . seduxistis homines, rebaptizastis, iterum unxistis: proh dolor! . . . exterminastis quod fuerat de nomine Christi confectum.*

S. Pacianus (*in ser. de bapt.*): *hæc autem*, in-

inquit, (*nimirum ut plene quis nascatur in Christo*) *compleri alias nequeunt*, *nisi lavacri*, *& chrismatis*, *& antistitis Sacramento. Lavacro enim peccata purgantur*, *Chrismate S. Spiritus superfunditur: utraque vero ista*, *manu & ore antistitis impetramus: atque ita totus homo renascitur & innovatur in Christo*. Ejusdem consule 1 Epistolam ad Sympronianum, unde textum supra exscripsimus. (*vide supra*).

S. Cyrillus Hierosol. *vobis*, inquit (*Catech.* 3) *postquam ex aquis sacri lavacri ascendistis datum est Chrisma, quod imaginem gerit illius quo unctus est Christus: hoc autem est Sp. sanctus . . . . . quemadmodum panis Eucharistiæ post S. Spiritus invocationem non amplius est panis communis*, *sed est corpus Christi; ita & Sanctum hoc unguentum non amplius est unguentum nudum*, *postquam jam consecratum est*, *sed est Chrisma Christi*, *quod adventu S. Sancti*, *per ipsius divinitatem energiam habet*, *quo frons & alii sensus symbolice inunguntur: & corpus quidem isto visibili unguento perungitur*, *anima vero Sancto ac vivifico Spiritu sanctificatur*.

S. Basilius (*lib. de Sp. Sancto cap.* 27): *consecramus aquam baptismatis*, *& oleum unctionis: ex quibus scriptis? nonne a tacita secretaque traditione? ipsam porro olei unctionem quis sermo scripto proditus docuit?*

S. Gregorius Nazianz. (*Orat.* 40 *in S. lavacrum*): *si tu*, inquit, *vel per baptismum te ipsum obfirmaveris*, *ac præclarissimo & firmissimo auxilio tibi in futurum caveris*, *animum scilicet & corpus unctione & Spiritu consignans. Quid tibi accidet? & quod tibi præsidium comparatum erit? audi Salomonis parœmias*: si sederis, *ait*, intrepidus eris, si dormieris, suavis erit somnus tuus.

S. Ambros. (*lib. de initiandis cap.* 6) *post hæc*, inquit, *utique ascendisti ad Sacerdotem: considera quid secutum sit: nonne illud quod ait David*: sicut unguentum in capite quod descendit in barbam barbam Aaron? . . . *ideo in barbam Aaron*, *ut fias electum genus*, *Sacerdotale*, *pretiosum. Omnes enim in regnum Dei*, *& in Sacerdotium ungimur gratia spirituali*.

Sæculo 5 *Innocent. I* (*in Epist. ad Decentium. c.* 3) *de consignandis infantibus*, inquit, *manifestum est*, *non ab alio quam ab Episcopo fieri licere . . . . nam Presbyteris*, *seu extra Episcopum*, *seu præsente Episcopo baptizent*, *chrismate baptizatos ungere licet*, *sed quod ab Episcopo fuerit consecratum; non tamen frontem ex eodem oleo signare*, *quod solis debetur Episcopis*, *cum tradunt Spiritum paracletum*.

S. Augustinus (*in* 1 *Epist. Joa. tract.* 3, *n.* 5, *&* 12): *unctio spiritualis*, inquit, *ipse Sp. sanctus est*, *cujus Sacramentum est in unctione visibili . . . . unctionis Sacramentum est*, *virtus ipsa invisibilis: unctio invisibilis Sp. sanctus*, *&c.*

Et alibi (*lib.* 15 *de Trin. c.* 26): *unxit Deus* (Christum) *Sp. sancto*, *non utique oleo visibili*, *sed dono gratiæ*, *quod visibili significatur unguento*, *quo baptizatos ungit Ecclesia*.

Et alio in loco (*Enarrat.* 2 *in Ps.* 26): *ad omnes Christianos pertinet unctio . . . inde autem apparet Christi corpus non esse*, *quia omnes ungimur*, *& omnes in illo & Christi*, *& Christus sumus . . . . . ungimur modo in Sacramento*, *& Sacramento ipso præfiguratur quiddam quod futuri sumus*.

Item (*lib.* 2 *contr. litt. Petiliani c.* 104): *Sacramentum Chrismatis . . . in genere visibilium signaculorum Sacramentum est*, *sicut & ipse baptismus: sed potest esse in hominibus pessimis . . . . . discerne ergo visibile sanctum Sacramentum*, *quod esse & in bonis & in malis potest*, *illis ad præmium*, *istis ad judicium*, *ab invisibili unctione caritatis*, *quæ propria bonorum*, (id est quam in solis bonis visibile unctionis Sacramentum producit.)

S. Cyrillus Patriarcha Alex. (*comm. in Joel*): *usus olei post sacrum baptisma in Christo justificatis confert ad consummationem*.

S. *Leo* Pontifex Max. (*Ser.* 4 *in Nat. Dom.*): *permanete stabiles in ea fide*, *quam confessi estis coram multis testibus*, *& in qua renati per aquam & Sp. sanctum*, *accepistis Chrisma salutis*, *& signaculum vitæ æternæ*.

Theodoretus Cyri in Syria Episc. (*lib.* 4 *in cant.*): *Reminiscere sacræ Mystagogiæ*, *in qua qui initiantur*, *post Tyranni abnegationem & Regis confessionem*, *velut sigillum quoddam Regium suscipiunt spiritalis unguenti*, *Chrisma*, *recipientes gratiam invisibilem Sanctissimi Spiritus unguento tamquam in typo*.

Sæculo 6 author libri de Eccles. Hierarchia, *Dionys. Areopagita* vulgo dictus: *est*, inquit, (*cap.* 4) *quædam perfectiva operatio*, *quam duces nostri*, *idest Apostoli*, *Chrismatis hostiam nominant*. Ideo porro librum hunc tam longe a prima ætate locamus; quia tum primum cœpit publice citari, & Areopagitæ attribui: merito an immerito, non contendimus: illum sane si quis antiquiorem, & Dionysii genuinum ostenderit; hoc magis Catholicorum caussam juvabit.

Primasius Episcopus Africanus, hæc Apostoli verba commentans: (2 Cor. 1, 21) qui unxit nos Deus, *unxit nos*, inquit, *Deus Sp. sancto vel Chrismate: unctio igitur Chrismatis divina est*, *eaque confertur Sp. sanctus*.

Gre-

Gregorii M. in Sacramentario, verba superius recitata sunt. Eodem pertinent hæc alia (*in cant. c. 1*): *balsamum cum oleo Pontificali benedictione Chrisma efficitur, quo dona Sancti Sp. exprimuntur.*

Job Monachus, a Photio, ut prædiximus, cum laude citatus (*codice 222*): *primo*, inquit, *nunc baptizamur; deinde unguento ungimur; inde pretioso sanguine dignamur*; habes hic unctionem baptismo & Eucharistiæ comparatam, adeoque pro vero Sacramento habitam.

Sæculo 7 Concilium *Toletanum* IV de Judæis ad fidem metu suppliciorum compulsis: *quia jam constat*, inquit (*c. 57*) *eos esse Sacramentis divinis associatos, & baptismi gratiam percepisse, & Chrismate unctos esse, & corporis Domini & Sanguinis extitisse participes, oportet, ut fidem etiam quam vi vel necessitate susceperunt, tenere cogantur, ne nomen divinum blasphemetur.*

S. *Isidorus* Hispalensis: *sunt autem Sacramenta*, ait (*lib. 6 Orig. c. ult.*), *baptismus, & Chrisma, Corpus & Sanguis Christi, quæ ob id Sacramenta dicuntur, quia sub tegumento corporalium rerum, virtus divina salutem secretius operatur . . . Chrisma Græce, Latine unctio nominatur, ex cujus nomine & Christus dicitur, & homo post lavacrum sanctificatur. Nam sicut in baptismo peccatorum remissio datur; ita per unctionem sanctificatio Spiritus adhibetur.*

S. *Maximus* Martyr (*in Scholiis ad c. lib. de Eccl. Hierarc.*): *descendit* (Episcopus) *ad eum qui conversus est* (baptizatus) *. . . ungit & obsignat, eique donum impertit . . . est ergo baptismus mortis Domini loco datus, aqua pro sepultura, oleum pro Sp. sancto, signaculum pro cruce: unguentum est confessionis confirmatio . . . .* (*ibid. in Scholiis ad c. 4*) *perficit enim omnia divinum unguentum, cum effunditur, quemadmodum sumptio Sancti corporis & sanguinis.*

Sæculo 8 Vener. *Beda* (*in c. 1 cant.*): *in vineis Engaddi*, inquit, *balsamum gignitur, quod in Chrismatis confectione, liquori olivæ admisceri, ac Pontificali benedictione consecrari debet, quatenus fideles omnes cum impositione manus Sacerdotalis, qua Sp. sanctus accipitur, hac unctione signentur.*

Et alibi (*comm. in c. 22 Lucæ*), expendens hæc verba: egressus (Jesus) ibat secundum consuetudinem in montem olivarum: *pulchre*, ait, *sui Corporis & Sanguinis mysteriis imbutos in montem Olivarum discipulos inducit, ut omnes in morte sua baptizatos, altissimo Sancti Spiritus Chrismate confirmandos esse designet.* Quorum similia habet, commentario in c. 2 Ep. 1 Joannis, & hom. in octav. Epiphaniæ.

Gregorii III & *Ordinis Romani* verba supra descripsimus.

Theodulphus Aurelianensis (*lib. de ordin. bapt. c. 16*): *baptizatis*, inquit, *septiformis gratiæ spiritus per Chrismatis unctionem conceditur, ut non solum Spiritus qui unius est, cum Patre & Filio substantiæ, sed totius S. Trinitatis habitaculum effici mereatur.*

Sæculo 9, *Paschasius Ratbertus* (*lib. de Corp. & Sang. Domini c. 3*): *sunt Sacramenta Christi in Ecclesia*, inquit, *baptismus & Chrisma, Corpus quoque Domini & Sanguis.*

Rabanus Maurus (*de instit. cleric. lib. 1, c. 25*): *primum Sacramentorum baptismus est, quia confertur antequam sacro Chrismate ungatur aliquis, aut Corpore & Sanguine Christi reficiatur . . . baptismo* (*ib. c. 28*) *continuatur Chrismatis unctio, quia Sp. sanctus qui per illud Chrisma, suæ virtutis admixtione sanctificat credentes, baptizato Jesu, statim super illum in columbæ specie descendit . . . hujus e per unctionem sanctificationis typum præferebat columba illa, quæ in diluvio ad arcam reportavit ramum olivæ virentibus foliis, significans utique quod Sp. sanctus per Chrismatis unctionem in baptismate virorem confert fidelibus cœlestis gratiæ.*

Concinunt eodem tempore, capitularia Caroli Magni *tit.* 4, *c.* 2, & 4, Aponius, *l.* 1 *comment. in cantica*: Lucas, Montis S. Cornelii Abbas, in *Epitome commentariorum Aponii*, Amalarius Fortunatus, *de Ecclesiast. officiis l.* 1, *c.* 27, Walafridus Strabo, *de exordiis & incrementis Rerum Ecclesiastic. c.* 26, Joannes VIII Pontifex Max. *Ep.* 232, & 233, & Synodus Wormatiensis *Can.* 8.

Sæculo 11, Ivo Episcopus Carnotensis (*in ser. de dedicatione Ecclesiæ*): *sunt autem portæ quæ elevantur in Ecclesia*, inquit, *maxime tres, id est, sacri verbi prædicatio, baptismi gratia, Chrismatis unctio, per quas Rex gloriæ ad corda eorum, qui ad fidem veniunt, intrat . . . est quidem satis congrue ordo servatus, ut post emundationem per aquam . . . perfundatur oleo altare: quia & S. Ecclesia prius aqua mundatur in fonte baptismatis, & sic unctione insignitur per manus Pontificis, ut S. sancti in se mereatur adventum: nam oleum gratiam significat Sp. sancti.*

Accedit *Goffridus Vindonensis* Opusculo nono.

Sæculo 12, *Malchus* Lismoriensis in Hybernia Episcopus: *puerum mente captum ex his quos lunaticos vocant, inter confirmandum, sacra unctione*, referente S. Bernardo (*in

(*in vita S. Malachiæ*) *sanavit:* duos itaque in uno textu testes habemus.

Rupertus Abbas (*de divinis officiis lib.* 5, *c.* 16): *Chrisma Sp. sancti signum est, cujus & virtutem continet. Pulchre Sp. sancto per hanc speciem, suam nobis complacuit dare gratiam: pinguedo enim oleæ significat pinguedinem Sp. sancti, qua impinguatur anima, juxta illud,* (Ps. 22, v. 5) impinguasti in oleo caput meum: *olea quæ pacis arbor est, significat fructum pacis: olea quæ luminis ministra est, significat donum intellectus & sapientiæ: & balsami odor in oleo, suavitatem ejusdem Sp. sancti significat . . . . bene ergo Sp. sanctus, qui propter nos idcirco agit visibilia, quo per hæc facilius capere queamus invisibilia, per hoc simile suam nobis suavem & odoriferam infundit gratiam.*

Recole ejusdem verba ex l. 3 *de operibus Sp. sancti*, c. 10 superius allegata, ubi impositionem manuum cum sacri Chrismatis unctione connectit.

Idem tradunt, *Hugo Vict.* de Sacramentis, l. 2, part. 7, *Honorius* Augustod. Ecclesiæ Presbyter, de divinis offic. l. 3, c. 80, & seq. & plerique alii.

Sæculo 13, *Innocentii III* verba ex lib. 1 decretalium supra retulimus.

S. Thomas (3 *p. q.* 72, *ar.* 2, *in corp.*): dicendum, inquit, *quod chrisma est conveniens materia hujus Sacramenti. Sicut enim dictum est, in hoc Sacramento datur plenitudo Sp. sancti ad robur spirituale, quod competit perfectæ ætati . . . . . gratia vero Sp. sancti in oleo designatur: unde Christus dicitur unctus esse oleo lætitiæ, propter plenitudinem Sp. sancti quam habuit: & ideo oleum competit materiæ hujus Sacramenti.*

S. Doctoris de Chrismatis unctione doctrina, a Theologis magno consensu, atque etiam (quod Scholarum vitium fuit) cum manuum impositionis exclusione suscepta est.

Sæculo 15, *Eugenius* IV Pontifex Max. in decreto pro instructione Armenorum: *secundum Sacramentum*, inquit, *est confirmatio, cujus materia est, Chrisma confectum ex oleo, quod nitorem significat conscientiæ, & balsamo, quod odorem significat bonæ famæ.*

Sæculo 16, *Concilium Trid.* (*Sess.* 7 *de confir. can.* 2) *si quis dixerit, injurios esse Sp. sancto eos, qui sacro confirmationis Chrismati virtutem aliquam tribuunt: anathema sit.*

Nec prætereunda Euchologiorum quæ in Græca & Orientali Ecclesia ubique vigent, auctoritas antiquissima: quæque faciendam in confirmatione Chrismatis unctionem, uniformiter præscribunt.

Igitur qua traditione, impositionem manuum, eadem certum est, unctionem Chrismatis partem esse confirmationis essentialem.

III.

Ex allegatis auctoritatibus argumenta inferuntur.

Sunt quibus, in quæstionibus pertractandis nihil æque ut brevitas placet, quibus ego ultro assentior si res explicanda permittat: alioquin prævaricatio est transire dicenda, cursimque ac breviter, quæ sint inculcanda, infigenda, repetenda, perstringere. Id quod in præsentia experimur: agitur enim de materia confirmationis, non ratione (quod in rebus divinis non possumus) sed auctoritate stabilienda. Fuerunt ergo majorum testimonia proferenda, quod fieri cum brevitate non poterat: jam ex Patrum sententiis quid sit inferendum, argumenta sequentia explicabunt.

ARGUMENTUM PRIMUM.

Ex eo quod nisi manuum impositio simul & unctio necessaria confirmationi dicatur, confirmationem Sacramentum negantes Hæretici revinci non possint.

1. Est, Confirmationem esse Sacramentum, contra Lutheranos & Calvinistas, congestis quæ modo proferebamus; & similibus testimoniis, Catholici probant, tantoque auctoritatum pondere obrui hæresim merito contendunt; atqui nisi fateamur, utraque, quam prædiximus, parte materiam ejus necessario constare, tantæ molis auctoritas evanescit, totaque nostra temeritate confringitur. Nam si negaveris unctionem ad confirmationis essentiam pertinere, aut si unctione retenta, ipsum de impositione manuum inficiatus fueris; quantum ad illam partem Patrum judicium parvipendis. Ergo tibimet arma eripis, quibus poteras hæresim feliciter debellare; nec jam locus supererit ad adstruendam traditione confirmationis materiam: cum enim Patres de una quam de altera expressius ac magnificentius non loquantur, sed apud illos unctionis & manuum impositionis par omnino ratio sit; quidquid ad unam negandam obtendes, ad exturbandam alteram hæresis regeret, atque ita ubi pedem certo figas spatium non habebis, totaque in incertum mittetur confirmationis materia: unde iterum consequens erit, nec Sacramentum ipsum traditione constare, quod sine materia divinitus determinata esse non potest: adeoque aliquatenus pervicaciam hæreticorum juvari. Quod cum cavere Theologi summopere

mopere debeant, fatendum facturos longe consultius, si evulsis contrariis quibus distrahuntur opinionibus, ad consensionem redirent, & manuum impositionem Chrismatis unctioni conjunctam, pertinere ex æquo ad confirmationis materiam, ad mentem Patrum, omni amoto litigio, recognosceret.

ARGUMENTUM SECUNDUM.

Ex eo quod Patres utrique materiæ confirmationis effectum æqualiter tribuant.

Nam quod parem utrique virtutem & efficaciam tribuant, ita certum ac liquidum est, ut nulla forte sit Theologica veritas, cui Patres patrocinentur apertius. Utriusque enim, non divisim, sed conjunctim meminerunt, *Ireneus*, *Tertullianus*, *Origenes*, *Cyprianus*, *Aug.*, *Theodoretus*, *Gregorius M.*, *Primasius*, *Gregorius III*, *Ordo Romanus*, *Venerab. Beda*, *Theodulphus Aurialen.*, *Concilium Wormatiense*, *Rabanus Maurus*, *Amalarius Fortunatus*, *Walafridus Strabo*, *Ivo Carnotensis*, *Rupertus*, *Hugo Victor.*, *Innocentius III*, *S. Thomas* &c. atqui de utraque sic loquuntur, ut utrique effectum Sacramentalem sine discrimine ullo adscribant.

Caro manus impositione adumbratur, ait Tertullianus, (*de Resur. carnis cap.* 8) *ut & anima Spiritu illuminetur . . . .* (*de bapt. c.* 7) *manus imponitur, per benedictiones advocans, & invitans Sp. Sanctum*: de unctione: (*Ibid.*) *in nobis carnaliter currit unctio, sed spiritualiter proficit*: (*de Resur. carnis cap.* 8) . . . *caro ungitur ut anima consecretur*. Idemque in cæteris conferendo eorum sententias comprobabis, nec unum reperies qui unctioni simul & impositioni manuum effectum Sacramenti, influxum nimirum Sp. Sancti, novumque gratiæ incrementum non vindicet. Ergo ab eorum mente aberrant longissime, qui unam ab altera sic distinguunt; ut uni quidem concedant vim gratiæ conferendæ, alteri vero pro arbitrio detrahant.

ARGUMENTUM TERTIUM.

Ex eo quod Patres utramque cum baptismo & Eucharistia conferant.

Deinde. Si Judicio Patrum alterutra harum partium minime ad confirmationis essentiam pertineret, immerito cum baptismo, & Eucharistia, quippe sterilis & evanida æquaretur; atqui Patres impositionem manuum & unctionem cum baptismo & Eucharistia comparant.

Caro abluitur, ait Tertullianus, (*de Resur. carnis cap.* 8) *ut anima emaculetur: caro ungitur, ut anima consecretur. . . . caro manus impositione adumbratur, ut & anima Spiritu illuminetur: caro corpore & Sanguine Christi vescitur, ut & anima de Deo saginetur. . . .* (*de bapt. c.* 7) *in nobis carnaliter currit unctio, sed spiritualiter proficit; quomodo & ipsius baptismi carnalis actus, quod in aqua mergimur, spiritalis effectus, quod delictis liberamur.*

Quod autem de *Tertulliano* exempli causa est dictum, in aliis Ecclesiasticis Scriptoribus locum habet: legat, relegatque studiosus Theologus adducta hactenus testimonia Patrum, eosque comperiet, modo unctionem, modo impositionem manuum baptismo & Eucharistiæ, quantum ad gratiæ conferendæ vim adæquantes: adeoque parem utrique virtutem attribuentes: unde sequitur quod utramque necessariam judicaverint.

ARGUMENTUM QUARTUM.

Ex eo quod Patres utramque partem Sacramentum indifferenter appellent.

Denique. Quæ Sacramenti appellationem communem habent, pari ratione credenda sunt ad ejus essentiam pertinere; atqui nihil est magis familiare Patribus, quam manuum impositionem & unctionem Chrismatis titulo Sacramenti indifferenter cohonestare.

De impositione quidem manuum, Scriptor Anonymus, contra S. Cyprianum, (*in tract. de bapt.*) affirmat illam esse baptisma Spiritus, a baptismo in nomine Christi collato, ratione Sacramenti diversum, immo baptismo aquæ præcellens: *baptisma aquæ*, inquit, *quo quis baptizatus est in nomine Domini nostri Jesu Christi, minus est; baptisma vero Spiritus, quo quis in Spiritu Sancto per manus impositionem Episcopi baptizatus est, majus est.*

De hac ipse S. Aug. (*tract. 6 in 1 Epist. Joan.*) *numquid modo quibus imponitur manus, ut accipiant Sp. Sanctum, hoc expectatur ut linguis loquantur?... ergo si vis nosse quia accepisti spiritum, interroga cor tuum: ne forte Sacramentum habeas, & virtutem Sacramenti non habeas. . .* (*lib. 3 de bapt. c.* 16) *aliud est Sacramentum, quod habere etiam Simon Magus potuit; aliud operatio Spiritus, quæ in malis hominibus etiam fieri solet, sicut Saul habuit Prophetiam; aliud operatio ejusdem Spiritus, quam nisi boni habere non possunt.*

De eadem *Jonas* Aurelian. *credendum*, inquit, (*de instit. cleric. lib.* 1, *c.* 7) *quod sicut baptismatis, & corporis & Sanguinis Dominici*

minici Sacramenta per Sacerdotum ministeria visibiliter fiunt, & per Deum invisibiliter consecratur; ita nimirum Sp. sancti gratia, per impositionem manuum ministerio administratam Episcoporum, fidelibus invisibiliter tribuatur.

Paria sunt aliorum pleraque testimonia.

De unctione vero,... Cyrillus Hierosol. (*Catech.* 3) *quemadmum panis Eucharistiæ post sancti Sp. invocationem non amplius est panis comunis, sed est Corpus Christi; sic & Sanctum hoc unguentum, non amplius est unguentum nudum, postquam jam consecratum est, sed est Chrisma Christi, quod adventu Sp. sancti per ipsius divinitatem energiam habet, quo frons & alii sensus symbolice inunguntur: & corpus quidem isto visibili unguento perungitur, anima vero sancto ac vivifico Spiritu sanctificatur.*

S. Augustinus: (*cont. litt. Petiliani lib.* 2, *cap.* 104) *Sacramentum Chrismatis in genere visibilium signaculorum Sacrosanctum est sicut & ipse baptismus.*

Scriptor libri *de Ecclesiast. Hierarch.* Dionysius Areopagita vulgo dictus: *verumtamen est & alia*, inquit, (*cap.* 4) *huic* (Eucharistiæ) *coordinata consecratio, quam unguenti mysterium præceptores nostri appellant.*

Concilium Toletan. IV: *quia jam constat*, inquit (*cap.* 57) eos (Judæos ad Christum metu suppliciorum conversos) *esse Sacramentis Divinis associatos, & baptismi gratiam percepisse, & Chrismate unctos esse, & corporis Domini, & Sanguinis extitisse participes, oportet &c.*

Ab aliis recensendis, quia non est necessarium, abstinemus.

Ergo manuum impositionem simul & unctionem manuum in confirmationis materia necessario contineri, ita ex Patribus certum est, ut vix possit dogma aliquod eorum auctoritate certius comprobari.

CAPUT SECUNDUM.

Solvuntur objectiones.

NON unius porro omnes generis sunt: quædam enim generatim negant, confirmationis duplicem esse materiam: quædam contra impositionem manuum, aliæ militant contra unctionem. Quas ut sigillatim & ordine diluamus, sit:

§. PRIMUS.

Diluitur objectio generalis contra utriusque materiæ necessitatem.

Obj. Si ex Scriptura & traditione, ac sola etiam traditione constet, manuum impositionem & unctionem ad confirmationis essentiam pertinere; dicendum ergo hoc dogma fidei esse; atqui tale consequens nemo sapiens admittet: alioquin enim deberent omnes qui contra sentiunt, hæresis & violatæ fidei accusari: quod nefarium est, & plenum temeritatis. Ergo confirmationis materiam impositione manuum & unctione conflari, ex Scriptura & traditione erui nequit.

℟. Conc. primum consequens. Fidei enim merito accensetur veritas, quæ in divinis revelationibus continetur; atqui hujusmodi est, de impositionis manuum conjunctæque unctionis necessitate assertio. Ergo jure nostro facimus, illam in thesauro fidei reponendo: & vero qui materiam confirmationis vel solam impositionem manuum, vel unctionem solam esse contendunt, suam plerumque sententiam fidei esse, pro aris ac focis propugnant; atqui quæ eos argumenta movent, ut partem alterutram fide divina necessariam esse affirment, eadem nos ad utramque conjungendam pertrahunt; testimonia scilicet Scripturæ & traditionis, quæ parem manum impositioni & unctioni Chrismatis ad effectum confirmationis producendum virtutem & efficaciam tribuunt. Ergo &c.

Non ideo tamen concedimus, (quod absit) eos qui contra sentiunt posse hæresis & violatæ fidei accusari: hæresis namque non intellectus solius vitium, sed etiam crimen est voluntatis, contra determinatam ab Ecclesia veritatem petulanter ac pertinaciter insurgentis; atqui in quo præcise constitui confirmationis materia debeat, quæstio est, quam Scholarum tricis & ambagibus obscuratam Ecclesia hactenus finiendam non censuit: deinde nemo Chatholicus est qui determinationi Ecclesiæ parere non sit paratus; nemo, qui non omnia in praxi implenda consentiat, quæ Rituale præscribit. Quamvis itaque negare utriusque partis in confirmationis administratione necessitatem, ex genere, ut loquuntur, & objecto, sive materialiter hæreticum sit, iniquum tamen fuerit, hujus sententiæ patronis tetram hæreseos notam inurere: hujus rei exempla in unaqualibet Theologiæ parte sat multa occurrunt. Unum afferam ad Sacramentorum, quam tractamus materiam opportunum: matrimonium esse Sacramentum, gratiæ ex opere operato, non secus ac alia sacra mysteria efficax, & est,

est, & semper ex quo Christus instituit Ecclesiam, fidei fuit: nec enim ad hoc determinandum *Eugenius* IV & Trid. Concilium nova revelatione, sed sola verbi Dei scripti & traditi investigatione opus habuerunt; atqui scholastici veteres aut negabant matrimonio gratiam produci, aut mere probabiliter affirmabant, ut apud S. Thomam videre est, supplementi 3 p. qu. 42, art. 3, ubi varias de hac re Magistrorum opiniones refert ac refutat. Ergo doctrinam fidei contrariam, & objective ac materialiter hæreticam propugnabant; sed numquid propterea dicturi sumus fuisse hæreticos? absit. Sic ergo pariter dicimus in præsenti: quid materiæ confirmatio habeat, fidei incertum est; nec minus salvo meliore judicio certum videtur, in manuum impositione & unctione esse ponendam; sed quia lis adhuc pendet sub judice, nec hactenus Ecclesiæ visum est scholarum controversiam definire; pacem tenemus, nec quemlibet, quantumlibet hæreat mordicus opinioni contrariæ, accusari posse censemus.

Inst. 1. In cæteris Sacramentis una est & simplex materia: cum ergo confirmationi duplex assignetur, utraque debet esse suspecta.

℞. 1. Nego ant. Nam habet Eucharistia in fieri duplex materiæ genus, panem & vinum, in corpus & sanguinem Christi realiter ac vere mutanda: habet pœnitentia materiam aut quasi materiam, actus pœnitentis multiplices, qui in contritione confessione, & satisfactione consistunt.

℞. 2. Dato ant. n. conseq. Sacramenta enim, quippe signa divina, materiam habent non consilio hominis, sed Dei voluntate præfixam: atqui voluit Christus in Sacramento confirmationis efficaciam gratiæ ex impositione manuum & adjuncta Chrismatis unctione pendere. Ergo &c.

Inst. 2. Tantum præstat sola manuum impositio, vel unctio sola, quantum utrique tribuitur; manuum enim impositio infundit Sp. sanctum ad robur: iterum unctio, ex nobis eumdem effectum habet. Actum ergo agit: adeoque alterutra superflua est: quod si superflua, sequitur, ad essentiam Sacramenti non pertinere.

℞. Nego ant. Quando enim ad unum effectum duæ causæ partiales concurrunt, non potest tantum uni, quantum utrique conjunctim attribui. Sic quia a digitis, a manu, a brachio &c. tamquam ab ejusdem causæ totalis partibus scriptio pendet; næ ille ridiculum se præberet, qui solis digitis etiam cum exclusione manus & brachii characterum delineationem attribueret, quia digiti a manu præcisi nec scribunt, nec vero possunt: atqui impositio manuum, & unctio Chrismatis ejusmodi sunt, neque una sine altera ad effectum confirmationis pertingit. Quod si unde hoc habeamus exquiras, non ad Philosophiam, sed ad Scripturam, multoque magis ad interpretem Scripturæ, traditionem recurrimus, quæ utramque ad Sp. sancti infusionem, & non alterutram indifferenter exigit: *Sacramentum confirmationis*, ait Innocentius III, cap. 4, *Chrismando Renatos soli debent Episcopi per manus impositionem conferre*.

Ad probationem dist. ant. manuum impositio infundit Sp. Sanctum ad robur, idemque unctio facit, *conjunctim una cum altera*, conc. *divisim*, n. ant. & conseq. solutio patet ex dictis.

§. SECUNDUS.

Refutantur eorum oppositiones qui negant impositionem manuum esse confirmationi essentialem.

Obj. Impositionem manuum ad confirmationis essentiam pertinere, nec Scriptura nec traditione adstrui potest. Ergo &c.

Prob. ant. quantum ad 1 partem: si aliquibus Scripturæ locis impositionis manuum necessitas probaretur, iis sane ubi dicuntur Apostoli Sp. Sanctum manus imponendo contulisse, atqui nihil inde quod faveat nobis erui potest. Ut enim ad propositum illa testimonia facerent, deberet certo constare, Apostolos imponendo manum Sacramentum administrasse; atqui nedum hoc certum sit, a Scholarum proceribus pernegatur, scilicet *Alexandro Alensi*, S. *Bonaventura*, *Joanne de Bacone*, & aliis quibus ipse S. *Thomas* consentit, affirmans, (*3 p. q. 72, ar. 2, ad 1*) Apostolos, quando manum imponebant, rem quidem hujus Sacramenti, id est Sp. Sancti plenitudinem, at non ipsum Sacramentum contulisse. Ergo &c.

℞. Nego ant. ad probationem concessa maj. n. min. & ad ultimum argumentum data iterum maj. minorem pariter nego. Apostolos enim quando manum imponebant verum administrasse Sacramentum, res est tum ex ipsis Scripturæ verbis perspicua, tum veteri traditione testata. Nam quod modo facit Ecclesia, quando Neophytis ad Sp. Sancti invocationem manus imponit, verum sine dubio reputat Sacramentum; atqui Patrum, aliorumque recentioris ætatis Scriptorum una vox est, hoc nunc Ecclesiam facere, quod Apostoli manum imponendo faciebant: *quod deerat*, S. Cyprianus non semel laudatus (*Ep. 73*), *id a Joanne & Petro factum est, ut oratione pro eis habita & manu imposita, invocaretur & infunderetur super eos Sp. sanctus*: *quod nunc quoque* apud

apud nos geritur, ut qui nunc in Ecclesia baptizantur, præpositis Ecclesiæ offerantur, & per nostram orationem ac manuum impositionem Sp. sanctum consequantur, & signaculo Dominico consummentur. Hic ut vides, non tantum effectus effectui, sed ritus ritui confertur: adeoque verum utrimque Sacramentum esse & fuisse agnoscitur . . . *hoc erat in Apostolis singulare*, inquit S. Joannes Chrysost. (*hom. 18 in cap. 8 Actuum Apost.*) *unde & præcipuos* (Episcopos) *& non alios videmus hoc facere*: & S. August. (*de Trin. lib. 15, c. 26*): *neque enim aliquis Discipulorum ejus dedit Sp. sanctum. Orabant quippe, ut veniret in eos quibus manus imponebant, non ipsi eum dabant: quem morem in suis præpositis etiamnum servat Ecclesia*. Innocentius I Pontifex Max. (*Epist. 1 ad* Decentium, *c. 3*): *Pontificibus solis deberi, ut vel consignent, vel Paracletum Spiritum tradant, non solum consuetudo Ecclesiæ demonstrat, verum & lectio Actuum Apost. quæ asserit Petrum & Joannem esse directos, qui jam baptizatis traderent Sp. sanctum* . . . S. Hieronymus (*in Dial. cont. Luc.*): hoc a Luciferiano dictum approbat: *an nescis Ecclesiarum esse morem, ut baptizatis postea manus imponantur, & ita invocetur Sp. sanctus? exigis ubi scriptum sit? in Actibus Apostolorum* . . . . Isidorus Hispalensis (*de offic. lib. 2, cap. 26*): *post baptismum per Episcopos datur Sp. sanctus cum manuum impositione: hoc in Actibus Apost. fecisse meminimus Apostolos* . . . Vener. Beda (*in Act. c. 8*): *si Apostolus esset* (Philippus) *ipse utique manum imponere potuisset, ut acciperent* (Samaritani) *Sp. sanctum; hoc enim solis Pontificibus debetur . . . cum tradunt Spiritum Paracletum baptizatis* . . . . . *ideo manus impositio fit*, ait Jesse Ambianensis (*Epist. de bapt.*) *ut per impositionem advocatus & invitatus Sp. sanctus super eos* (Neophytos) *descendat, juxta exemplum Apostolorum* . . . Theodulphus Aurelian. (*lib. de ord. bapt. c. 17*): *antiquus iste mos ab Apostolis Ecclesiæ est traditus* . . . & Amalarius Fortunatus: *ut ab Episcopis solis*, inquit (*de offic. lib. 1, c. 27*), *per manus impositionem & orationem detur Sp. sanctus, ab Apostolica auctoritate sumptum est, ut in Actibus Apost. scriptum est* . . . . Ratramus denique Corbejensis Monachus, ut longe plures prætercam (*contra Græcorum opposita lib. 4, c. 7*): *manus imponentibus super eos* (Neophytos) *Apostolis, acceperunt Sp. sanctum: quæ forma servatur hodie in Ecclesia, ut baptizentur, quidem fideles per Presbyteros, gratia vero Spir. sancti per impositionem manuum tribuatur ab Episcopis: quod tunc fit quando frontes baptizatorum Chrismate sancto liniuntur*.

Ergo Apostolos quando manus imponebant, verum Sacramentum contulisse, res est ex traditione certissima, cui paucorum contra sententium opinio adversa non derogat: eaque ad Alexandri Alensis, Bonaventuræ, & aliorum auctoritatem responsio in præsenti sufficiat. De iis enim redibit sermo quæstione sexta, ubi de institutore confirmationis agemus.

Angelici vero Præceptoris nec difficilis, nec diutius differenda defensio. Certa namque ejus & clara doctrina est, ab Apostolis non rem tantum Sacramenti, sed & Sacramentum ipsum ex Christi institutione esse collatum: *dicendum*, inquit, (*3 p. q. 72, art. 4, ad 1*) *quod per ministerium Apostolorum, quandoque dabatur effectus hujus Sacramenti, scilicet plenitudo Sp. sancti, quibusdam visibilibus signis miraculose a Deo effectis, qui potest effectum Sacramenti sine Sacramento conferre; & tunc non erat necessaria nec materia nec forma hujus Sacramenti. Quandoque autem tamquam ministri Sacramentorum hoc Sacramentum præbebant; & tunc sicut materia, ita & forma ex mandato Christi utebantur*. Quod itaque ibidem (*art. 2, ad 1*) affirmat, Apostolos quando manum imponebant, rem quidem Sacramenti, sed non Sacramentum ipsum contulisse, non absolute, sed hypothetice debet intelligi; pro iis scilicet casibus in quibus Sacramenti defectum Deus miraculose supplebat: *ad impositionem manus Apostolorum*, inquit, *& etiam ad eorum prædicationem, descendebat plenitudo Sp. sancti super fideles sub visibilibus signis, sicut & a principio descenderat super Apostolos. Unde Petrus dicit, Actuum 11, v. 15*, cum cœpissem loqui, cecidit Sp. Sanctus super eos, sicut & in nos in initio: *& ideo non erat necessaria sensibilis materia Sacramentalis, ubi sensibilia signa miraculose exhibebantur divinitus: utebantur tamen Apostoli communiter Chrismate in exhibitione Sacramenti, quando hujusmodi visibilia signa non exhibebantur*: idemque paulo post inculcans & repetens: *dicendum*, inquit, (*ib. art. 4, ad 1*) *quod per ministerium Apostolorum quandoque dabatur effectus hujus Sacramenti, scilicet plenitudo Sp. sancti, quibusdam sensibilibus signis miraculose a Deo affectis, potest effectum Sacramenti sine Sacramento conferre: & tunc non erat necessaria nec materia, nec forma hujus Sacramenti. Quandoque autem tamquam ministri Sacramentorum hoc Sacramentum præbebant: & tunc sicut materia, ita & forma ex mandato Christi utebantur; multa enim servabant Apostoli in Sacramentorum*

torum

torum collatione, quæ in Scripturis communiter propositis non sunt tradita.

Inst. I. S. Thomas in hac ipsa quæstione, solum Chrisma, materiam confirmationis esse contendit, immo impositionem manuum aperte excludit: fatetur enim Apostolos, quando super baptizatos manus imponebant, equidem Sanctum Sp. contulisse; sed Sacramentum dedisse negat: quod manifestum est ex articuli secundi argumento primo, ejusdemque refutatione. Ergo dicendum, vel S. Thomam a traditione recedere, vel recedere a S. Thoma quisquis impositionem manuum contra doctrinam ejus, necessariam esse propugnat.

R. nego absolute ant. cujus falsitas ex ipso titulo apparet. Quærit in hoc art. (*ar.* 2, *qu.* 72) S. Doctor, non *utrum solum Chrisma*, sed *utrum Chrisma sit conveniens materia hujus Sacramenti*; porro hæc duo longe diversa sunt: nec enim ex eo quod aliqua sit conveniens materia Sacramenti, sequitur quod sit sola conveniens; cum in unum idemque Sacramentum possit materia multiplex convenire; respondet ad quæsitum affirmative, *dicendum*, inquit, *quod Chrisma est conveniens materia hujus Sacramenti*: nec de impositione manuum, ad hoc unum quod propositum erat intentus, verbum ullum facit. Igitur eo loci manuum impositionis necessitatem non quidem adstruit, sed nec excludit.

Ad probationem in contrarium dist. ant. Negat S. Thomas verum Apostolos contulisse Sacramentum, quando baptizatis manus imponebat, *ex hypothesi quod simul Chrismatis unctionem non facerent*, conc. *secus* nego: ut responsionem intelligat, sola textus lectione vir Theologus indiget: *videtur*, inquit, (*ibid. in arg.* 1) *quod Chrisma non sit conveniens materia hujus Sacramenti: hoc enim Sacramentum institutum est a Christo promittente Discipulis Sp. sanctum; sed ipse misit eis Sp. sanctum absque omni Chrismatis unctione: ipsi etiam Apostoli hoc Sacramentum conferebant, per solam manus impositionem absque Chrismate: dicitur enim Act.* 8, quod Apostoli imponebant manus &c. *Ergo Chrisma non est materia hujus Sacramenti*. Argumentum verbis paulo ante recitatis resolvit, ubi non ideo dicit Sacramentum confirmationis non contulisse, quod manus imponerent, sed quod Chrismatis unctionem, Deo ejus defectum miraculis sensibilibus supplente, non facerent. Unde subdit: *utebatur tamen Apostoli communiter Chrismate in exhibitione Sacramenti, quando hujusmodi visibilia signa non exhibebantur*; itaque locus ille non quidem afferri potest ad probandam manuum impositionis necessitatem; sed cum illam non excludat, non potest pariter ad illam negandam intorqueri; maxime cum ejusdem necessitatem in commentario *Ep. ad Hebræos* Præceptor Angelicus, juxta Scripturam & majorum traditionem verbis minime obscuris adstruxerit: *secundum Sacramentum intrantium*, inquit, (*lect.* 1 *in cap.* 6 *Heb.*) *est in ipsa manuum impositione . . . hæc autem est duplex: una est miracula faciens . . . alia est Sacramentalis; & hæc est duplex: Una in Sacramento ordinis . . . alia in Sacrato confirmationis ad renovationem: ad Titum* 3, *v.* 5, salvos nos fecit per lavacrum regenerationis & renovationis Sp. Sancti: *in confirmatione enim datur Sp. sanctus ad robur. Sicut enim in esse naturæ prius generatur homo, & postea augetur & roboratur: ita in esse gratiæ.*

Igitur nec recedit a traditione S. Thomas, cui tam aperte suffragatur; nec a S. Thomæ sensu deflectit, qui præter Chrismatis, etiam manuum impositionis necessitatem propugnat. Quæro enim quis magis Thomista dicendus? an qui duo ad idem Sacramentum ex traditione pertinentia, & a D. Thoma, locis licet disjunctis, asserta, ultro lubensque amplectitur? an qui, ut e nostris incaute plures committunt, e duobus unum, rejecto ad arbitrium altero, seligit, & cum videatur S. Doctori hinc consentire, illinc dissentit?

Inst. 2. Atqui pro materia confirmationis essentiali impositio manuum ex Scriptura & traditione haberi non potest. Ergo &c.

Prob. subs. Quæ est essentialis alicujus Sacramenti materia, debet propria ejus esse, nec alteri præter ipsum convenire; ut enim effectu, sic materia & forma, Sacramenta diversa sunt; atqui manuum impositio sacræ ordinationis est materia necessaria. Ergo quando in confirmatione fit, non aliter quam pro accessorio ritu, ad mentem Scripturæ & traditionis haberi debet.

R. nego subs. Ad probationem n. maj. Sacramentorum enim quidditatem non præcise materia, sed materia per formam ad certum virtutis modum determinata constituit. Quid porro obstat, ut quomodo in natura sic in gratia eadem multorum communis materia, Deo ita volente sit? manuum impositione nihil in sacris ritibus fatemur esse communius, nec ideo cessat confirmationis necessaria materia esse, quia ex divino instituto effectum ejus prout est formæ conjuncta producit, *non uno modo manus impositio intelligitur*, inquit Hincmarus (*lib. de variis capitulis c.* 16) *sed pro diversitate locorum sub diversa significatione reperitur, aliquando enim pro confirmatione Neophytorum accipitur . . . nunc pro ordinatione Sacerdotum sive Diaconorum . . . est & reconciliatoria manus impositio, per quam pæ-*

pœnitentes hæretici sive excommunicanti S. *Romanæ Ecclesiæ reconciliantur . . . . fit etiam manus impositio super infirmos . . . . item super catechumenos & Energumenos pro expulsione Diaboli . . . . item & cum simpliciter aliquem benedicimus, manus ei antiquo more imponimus . . . . sive autem manus impositio pro reconciliatione pœnitentium, sive pro depulsione infirmitatis vel Diaboli, sive pro simplici benedictione impendatur . . . iterari quoties opus fuerit, non prohibetur. Cum vero pro confirmatione, sive ordinatione impenditur, non jam pro sola oratione, sed etiam pro Sacramento habenda est, quam SS. Patres iterari prohibuerunt*; itaque manuum impositio quantumvis in Ecclesiæ cæremoniis late pateat, pro vero tamen Sacramento in confirmatione, & in sacra ordinatione habenda.

Inst. 3. Debet manus impositio simplicibus cæremoniis ad sensum traditionis annumerari. Ergo &c.

Pr. subs. Auctoritate Innocentii III Pontificis Max. *per frontis Chrismationem*, inquit, (*Decr. lib. 1, tit. 15, cap.* cum venisset) *manus impositio designatur, quæ alio nomine dicitur confirmatio*. Ergo, ajunt, Chrismatio manuum impositionem velut cæremoniam otiosam excludit.

℟. Nego subs. ad probationem admitto auctoritatem & n. conseq. Exangue profecto, omnique succo vacuum argumentum: quasi nimirum ideo debeat Chrismatio manuum impositionem excludere, quia illam designat: cum e contrario hoc ipso quod istam illa designat, consequens sit ad unius ejusdemque Sacramenti constitutionem utramque pari gradu concurrere. Hujus responsionis *Innocentius* ipse est auctor; in his enim ipsis decretalibus manuum impositionem cum Chrismatis unctione connectit, & pariter necessariam esse significat: *Sacramentum confirmationis*, inquit, (*lib. 1, tit. 4, cap.* quanto) *Chrismando renatos, soli debent Episcopi per manus impositionem conferre*. Quid ergo, inquies, hæc sibi Pontificis verba volunt: *per frontis Chrismationem manuus impositio designatur, quæ alio nomine dicitur confirmatio*? nimirum hoc unum intendit, tria hæc ejusdem Sacramenti nomina esse; ita ut sive Chrismationem, sive impositionem manus, sive confirmationem appelles, unum idemque dicturus sis.

Inst. 4. Atqui frontis Chrismatio Apostolicam manuum impositionem ex Ecclesiæ sensu ita designat, ut etiam, velut partem minime necessariam, mereque cæremonialem excludat. Ergo &c.

Prob. sub.

1. Ex *Innocentio* IV Sum. Pontifice sic loquente (*Epist. 10 ad Othonem Cardinalem c. 4*): *soli Apostoli, quorum vices gerunt Episcopi, per manus impositionem, quam confirmatio vel frontis Chrismatio repræsentat, Sp. sanctum tribuisse leguntur*. Hinc enim impositio manus Apostolis, Chrismatio Episcopis Apostolorum successoribus attribuitur. Ergo Chrismatio manuum impositionem exclusit, & in simplicium cæremoniarum ordinem amandavit.

2. Ex Eugenio Papa IV (*in decr. pro Armenis*): *loco illius manuum impositionis*, ait, *per quam Apostoli dabant Sp. sanctum, datur in Ecclesia confirmatio*: unde sic argutantur: quod datur loco alterius, ab ipso diversum est, atqui confirmatio datur loco impositionis manuum Apostolicarum: ab illa ergo distinguitur, illamque excludit.

3. Ex eodem ibid. (*in decr. pro Armen.*); ubi, *secundum Sacramentum*, ait, *est confirmatio, cujus materia est Chrisma confectum ex oleo & balsamo*: de impositione vero manuum prorsus silet, quod palmare est argumentum pro ritu accidentali haberi.

℟. Nego subs. & opposita testimonia sigillatim explico.

Primum quidem nihil habet difficultatis; admissa itaque auctoritate, nego conseq. Non aliter enim frontis Chrismatio, quam confirmatio ipsa, impositionem manuum factam ab Apostolis repræsentat, atqui confirmatio ita repræsentat impositionem manuum Apostolorum, ut licet nomine diversa, reipsa tamen unum & idem cum illa sit. Ergo de Chrismatione idem ex *Innocentio* IV dicendum. Neque est in *repræsentandi* nomine rixandi locus; *repræsentare* enim Latinis auctoribus, non solum est rei absentis locum & vices supplere, sed plerumque idem est, ac rem ipsam præsentem facere: cujus rei libro seq. ubi de reali Christi in Eucharistiæ Sacramento præsentia agemus, exempla daturi sumus. Interim unum quod occurrit, ne memoria elabatur, juvat afferre; donare pecunia aliquem, non sane est rei absentis signum, sed rem ipsam in præsentia exhibere; atqui hoc ipsum quod est pecuniam dare, *Plinius* Junior, repræsentare pecuniam appellavit in oratione *Trajano* dicta, ubi Imperatoris liberalitatem commendans: *nisi vero*, inquit, (*cap. 25*) *leviter attingi placet locupletatas tribus, datumque congiarium populo, & datum, cum donativi partem milites accepissent: an mediocris animi est, bis potius repræsentare, quibus magis negari potest?* pariter ergo a Sum. Pontifice dici potuit confirmatio vel frontis Chrismatio, Apostolicam manuum impositionem, cum qua unum est & idem, repræsentare.

Se-

ecundum ex *Eugenio* IV parum urget: admissa enim auctoritate, distinguo majorem. Quod datur loco alterius ab ipso diversum est, vel re, vel nomine tenus, conc. reipsa, & semper nego maj. dist. similiter min. Confirmatio datur loco impositionis manuum Apostolicarum: id est, confirmationem modo dicimus, quam olim impositionem manuum vocitabant, conc. id est, res ipsa non secus ac nomen ipsum, mutata est, nego minor. & conseq.

E. R. *Distinguitur in hoc loco*, inquit Cardinalis Bellarm. (*de confirm. lib.* 2, *cap.* 9) *non Ritus a ritu, sed modus loquendi a modo loquendi, & personæ a personis, & denique illa particularis impositio manuum ab ista quæ modo est. Si quidem tunc communiter dicebatur hoc Sacramentum, impositio manuum, nunc dicitur communiter confirmatio: præterea illam dabant Apostoli, istam Episcopi. Denique illa erat efficacior, quia cum effectu interno dabat etiam externum, & cum gratia gratum faciente dabat etiam dona gratis data linguarum, & miraculorum &c. hac ergo ratione dici potest, id quod nunc fit, esse loco ejus quod tunc fiebat, licet sit idem quoad substantiam.*

Ad 3, ex eodem *Eugenio* concesso ant. nego conseq. quod scilicet manuum impositionem de qua in hoc decreto siluit, pro ritu mere accidentali habuerit; pariter enim de manuum impositione sacros ordines exponendo, in hoc decreto nil dixit: numquid idcirco putabimus ritum hunc in Diaconatus & Presbyteratus administratione Pontifici indifferentem visum fuisse, quem constat ad utriusque materiam necessario pertinere? itaque verba ejus, ut de *Innocentio* III prædictum est, non debent cum manuum impositionis exclusione intelligi.

Inst. ultimo, & afferunt argumentum, quo, in præsenti materia, validius nullum: ritus sine quo verum est confirmatio Sacramentum, ad essentiam ejus non pertinet; atqui sine impositione manuum, confirmatio vera integraque constat. Ergo &c.

Prob. minor. Confirmationem, qualis celebratur a Græcis, ratam probatamque Latina Ecclesia habet: cujus rei documentum gravissimum est, tum quod neminem unquam ab hæresi aut schismate ad unitatem reversum, novo confirmationis signaculo insigniendum decrevit; tum quod tot inter accusationes quas Latini Græcis intentarunt, nusquam eos de violata confirmationis materia postularunt; atqui Græcos sine impositione manuum hoc Sacramentum conferre, videtur longe certissimum: de illa enim eorum Euchologia, non recentioris modo ætatis, sed & antiquissima prorsus silent, tantumque unctionem faciendam esse præscribunt. Ergo sine impositione manuum confirmatio plena suisque numeris absoluta consistit.

℟. Concessa maj. n. min. Ad probationem concessa iterum maj. quam qui e nostris inficiantur, cum bona eorum pace, Latinæ, hoc est Catholicæ Ecclesiæ, & Summ. Pontificibus parum reverentiæ exhibent, nego pariter min. cujus falsitas ut appareat, paulo altius de praxi Græcorum est probatio repetenda. Eos enim lapsu ætatis confirmationis materiam detruncasse, tum credibile non est, tum a nullo, quod quidem sciam, memoriæ proditum; atqui priorum sæculorum & etiam provectioris ætatis Græci Scriptores, non unctionem tantum, sed & manuum impositionem in confirmatione necessario faciendam præscribunt. *Irenæi*, *Origenis*, *Joannis Chrysost. Theodoreti*, *Gennadii Constantinop.*, & *Æcumenii* testimonia jam attulimus (*vide sup. c.* 1, *prob.* 2), addemus ad cumulum plurimos.

Firmilianus in Ep. ad S. Cyprianum: *omnis potestas*, inquit, *& gratia constituta est, ubi præsident majores natu, qui & baptizandi, & manuum imponendi, & ordinandi possident potestatem*, trium hic Sacramentorum est mentio: secundum vero, quod non est dubium confirmationem esse, manus impositionis nomine designatur.

Concilium *Nicænum* I, an. 325, de *Novatianis* ad Ecclesiam revertentibus sic decernit (*Can.* 8): *Visum est S. & Magnæ Synodo, ut impositis eis manibus, sic in clero permaneant.* Quem Canonem etsi de ordinatione, non de confirmatione plerique intelligant, eique explicationi antiqua S. *Basilii*, in Ep. ad *Amphilochium*, Can. 1, *Theophili Alex. Rufini* in historia Ecclesiast. lib. 2, c. 6, & aliorum non paucorum auctoritas suffragetur: de confirmatione accipiendum, multa persuadent: notum namque omnibus est, *Novatianos* magistri sui exemplo confirmationem, etsi non negarent Sacramentum, neglexisse tamen & in praxi contempsisse: quod ergo omiserant, voluit S. Synodus peculiari decreto corrigere. Deinde in hoc ipso Can. decernitur, Novatianos cum suis ordinibus in Ecclesiam admittendos: non ergo ordinationem prius receptam iterari debere Patres Nicæni præcipiunt. Præterea Canonem hunc *Siricius* & *Innocentius* I Sum. uterque Pontifex, S. *Hieronymus*, *Tharasius* Patriarcha Constantinopol. aliique magnæ auctoritatis Scriptores sentiunt ad confirmationem pertinere: hæc in præsenti indicasse, & quasi in transcursu adnotasse sufficiat:

ficiat: de sensu enim Nicæni Canonis erit l. 8 sermo uberior, ubi de sacris ordinationibus non iterandis dicemus.

Auctor *constitutionum Apostolic. postquam vero baptizaverit*, inquit, (*lib.* 7, *cap.* 44, *& seq.*) *ungat eum unguento Chrismatis inquiens*: *Domine Deus ingenite . . . . . hæc est enim virtus impositionis manus in unoquoque qui baptizatur*.

Eulogius 6 sæculo Patriarcha Alex. lib. 2 contra *Novatianos*, cujus excerpta quædam *Photius* in sua Bibliotheca servavit, (*codice* 280.) *eos*, inquit, *oportet dignos reddi adventus Sp. sancti*, *qui per impositionem manuum Apostolorum fiebat . . . . non potestis fundamentum fidei iterum recipere*; *nec baptisma secundum*, *nec manuum impositionem*.

Photius ipse consentit, cui, impont manum, & Sp. sanctum baptizatis infundi, est unum & idem (*in c.* 6. *Epist. ad Hebr.*).

Œcumenius sæculi 10. Scriptor: *neque enim*, inquit, (*in c.* 6 *ad Hebr.*) *licitum est*, *ut rursum baptizeris*, *& per manus impositionem accipias Sp. sancti superventionem*.

Theophilactus 11 sæculo (*in eumdem Apostoli loc.*): *sequitur participatio Sp. sancti..... per impositionem manuum*.

Michael Palæologus Græcorum 13 sæculo Imperator, in Ep. ad *Gregorium* X Pontificem Max. (*vide in Concil. Lugd.* 2.) *Sacramentum confirmationis*, ait, *per manus impositionem Episcopi conferunt*, *Chrismando renatos*.

Ejusdem, forteque recentioris ætatis *Simeon* Thessalonic. *Christus*, (*in lib. de Templo Divino.*) inquit, *baptismatis lavacro nos regenerat . . . . . . per manuum vero impositionem & inspirationem unguenti gratiam impertitur*: & alio in loco: (*in lib. de* 7 *Sacr.*) *a Philippo baptizati*, inquit, *tamquam qui solum baptisma suscepissent*, *Petro ac Joanne*, *imponentibus manus*, *Spiritum sanctum accipiebant*; *quod sane hoc Sacramentum est*, *si quidem impositio manuum unguentum præbebat*, *ut & in Apostolis factum est*, *ac per ipsos in multis aliis*.

Ergo impositionem manuum in confirmatione necessario faciendam, Græcæ, non secus ac Latinæ Ecclesiæ vetus præscriptio est, quæ cum nullo decreto fuerit antiquata, etiam num perdurare credenda est.

At, inquis, de impositione manuum Græcorum Euchologia non recentiora tantum, sed & antiquissima silent. Esto sane sileant, at illis tacentibus, clamant esse necessariam Græci Scriptores, quorum præfocare ac intercludere vocem Euchologiorum taciturnitas non valet; quæque quo prædicantur antiquiora, eo magis causam nostram juvant, quia quo altius ad priscam ætatem ascenditur, eo frequentiora de imponendis in confirmatione manibus Patrum testimonia occurrunt.

Deinde. De impositione manuum in Euchologiis omnino sileri negamus. Nam

1. Præscribitur in omnibus oratio super Neophitos ante Chrismatis unctionem facienda, per quam invocatur & invitatur Spiritus sanctus, quamque una cum manuum impositione effundi, ex antiqua Ecclesiæ praxi, etsi expresse non dicant ritualia, facile intelligitur. Nam quemadmodum impositio manuum, S. Aug. teste, (*de bapt. lib.* 3, *c.* 16) *nihil est aliud*, *nisi oratio super hominem*; ita oratio super hominem, sine manuum impositione non est.

2. *Impositio manuum*, ait Doctissimus Renaudotius in Græcorum Ritibus observandis, quantum nemo alter nostra ætate versatus, (*Perpetuitatis fidei tom.* 5, *l.* 2, *c.* 12) *in plerisque Græcorum libris Ritualibus*, *præscripta reperitur*, *quamquam pro præcipua confirmationis parte non habeatur*. *Quod non ideo fit*, *quasi Græci & Orientales magnam in impositione manuum efficaciam non agnoscant*; *sed quia cum in omnibus pene Sacramentis fiat*, *unctionem*, *quæ paucorum propria est*, *principalis materiæ tenere locum existimant*. Unde sequitur, ut de ista quam de illa loquantur expressius & frequentius.

§. TERTIUS.

Diluuntur objectiones Chrismatis unctionem necessariam negantium.

Object. Apostoli sola manuum impositione Sacramentum confirmationis conferebant. Ergo ad essentiam ejus unctio Chrismatis non pertinet.

℞. Nego ant. Effectum quidem Sacramenti aliquando Apostoli sola manuum impositione præbebant; at non Sacramentum ipsum: *per ministerium Apostolorum*, ait S. Thomas, (3 *p. q.* 72, *ar.* 4, *ad* 1) *quandoque dabatur effectus hujus Sacramenti*, *scilicet plenitudo Sp. sancti*, *quibusdam visibilibus signis miraculose a Deo effectis*, *qui potest effectum Sacramenti sine Sacramento conferre*: *& tunc non erat necessaria nec materia nec forma hujus Sacramenti*. *Quandoque autem tamquam ministri Sacramentorum hoc Sacramentum præbebant*; *& tunc sicut materia*, *ita & forma ex mandato Christi utebantur*: ita Angelicus Doctor. Materiam vero hanc Chrismatis unctionem fuisse, in eadem quæstione affirmat: *utebantur*, inquit (*ib. ar.* 2, *ad* 1), *Apostoli*

stoli communiter Chrismate in exhibitione Sacramenti, quando hujusmodi visibilia signa non exhibebantur.

Inst. 1. Probando ant. Hoc unum agebant Apostoli Sacramentum confirmationis celebrando, quod eos fecisse Scriptura narrat; atqui solam manuum impositionem Scriptura divina memorat. Ergo &c.

℟. Nego maj. quæ ut vera foret deberent Scripturæ testimonia ubi de manuum impositione mentio fit, cum Chrismatis exclusione intelligi: atqui textus Scripturæ nec sunt exclusivi, ut legenti est manifestum, neque unquam a Patribus fuerunt cum exceptione Chrismatis intellecti: illi enim non putabant unctionem manuum impositione excludi, qui Chrisma in confirmatione inviolabiliter usurparunt; atqui ab ipsis Ecclesiæ primordiis Patres unctionem veluti partem confirmationis necessariam adhibuerunt, ut constat ex eorum testimoniis sæpe adductis. Immo cum hujus consuetudinis initium, Evangelii promulgationis recentius præfigi certo non possit, credenda omnino est ab Apostolica traditione descendere, juxta toties decantatum S. Aug. effatum: *quod universa tenet Ecclesia* &c. Atque ita quod obscurum Scriptura habet, aut quod omnino non habet, per seriem traditionis suppletur; nec enim omnia quæ a Christo & ab Apostolis dicta gestaque sunt, fuerunt sacris litteris prodita, sed multa compendio dicta, multa etiam omnino non dicta, & traditione pervulgata: *multa servabant Apostoli in Sacramentorum collatione*, ait Angelicus præceptor (*ib. ar.* 4, *ad* 1): *quæ in Scripturis, communiter propositis non sunt tradita: unde Dionysius dicit in fine Ecclesiast. Hierarchiæ*, consummativas invocationes, *idest verba quibus perficiuntur Sacramenta*, non est justum Scripturas interpretantibus, neque mysticum earum, aut in ipsis operatas ex Deo virtutes ex occulto ad commune adducere: sed nostra sacra traditio sine pompa eas edocet: ad hanc rem apposite S. *Aug.* affirmat (*lib. de fide & operibus c.* 9) multa esse, *quæ licet taceantur in Scripturis gratia brevitatis, serie tamen traditionis scimus implenda*.

Inst. 2. Atqui falsum est Chrismationem a Patribus semper veluti confirmationis partem necessariam usurpatam. Ergo &c.

Prob. sub. Illi non putabant Chrisma ad confirmationem necessario pertinere, quibus unctio nihil aliud visa est, quam ritus baptismo conjunctus; atqui Chrismatis unctio Patribus non aliud visa est, præter ritum baptismo conjunctum & accedentem. Ergo &c.

℟. Nego sub. Nam qui specialem Chrismatis unctioni efficaciam, specialem effectum, specialem ministrum, specialem denique formam attribuunt, quique confirmationem ipsam a cæteris Sacramentis Chrismatis appellatione distinguunt, ii sane non putabant unctionem in rebus indifferentibus, & ritibus accessoriis numerandam; atqui hæc est SS. Patrum Doctrina antiquissima. Ergo &c.

Ad probat. concessa maj. nego min. Illis enim visa non est unctio Chrismatis ritus baptismo conjunctus, qui docent debere fieri post absolutum baptismum; atqui SS. Patres affirmant debere unctionem fieri post baptismum. Sic Patres Laodiceni declarant (*Can.* 48), *oportere eos qui illuminantur, post baptisma inungi supercœlesti Chrismate*. Sic Tertullianus (*lib. de bapt. c.* 7.): *exinde*, ait, *egressi de lavacro, perungimur benedicta unctione*, eademque aliorum doctrina est.

Deinde, si Chrisma secundum SS. Patres esset mera baptismo adjacens cæremonia, non novum illi spiritualem effectum a gratia baptismi diversum tribuerent; atqui novum unctioni Chrismatis effectum, ipsaque baptismi gratia excellentiorem attribuunt, ut ex eorum testimoniis sæpe repetitis liquido constat. Ergo &c.

Inst. 3. probando min. Numquam baptisma solemniter fuit sine unctione Chrismatis administratum. Ergo non alio quam cæremoniæ baptismo conjunctæ loco habita est.

℟. 1. nego absolute ant. Unctionem enim quæ baptismo conjuncta est, quamque libro præcedente ejus cæremoniam esse ostendimus, Græci & Orientales nec observarunt antiquitus, nec modo observant, ut ex eorum Euchologiis tum antiquis tum recentibus & ex Græcorum omnium, de hoc ritu silentio constat. Falso itaque affirmatur, numquam baptisma sine propria chrismatione solemniter consecratum.

℟. 2. Fateor ritum in baptismo ungendi esse apud Latinos prisca disciplina sancitum; sed dist. ant. Numquam baptisma fuit solemniter sine unctione Chrismatis ministratum, & hæc Chrismatio est, de qua agitur in præsenti, nego: longe est diversa ab ea quam confirmationis genuinam contendimus, conc. ant. & n. conseq.

E. R. Duplex Neophytorum unctio distinguenda: altera in vertice more antiquo Latinæ Ecclesiæ, altera in fronte & divina institutione fit. Alteram simplex Presbyter, alteram solus Episcopus facit. Altera simplex est baptismi ritus, gratiæ per illum acceptæ, virtute propria & ex opere, ut loquimur, operato nihil addens; altera veri Sacramenti a baptismo diversi titulum & efficaciam habet, no-

novumque in anima influit supercœlestis gratiæ gradum: de prioris antiquitate inter Theologos controvertitur, aliis volentibus non ante quintum, aliis non ante quartum sæculum institutam; & revera fatendum obscuram habere originem; posteriorem summa antiquitate roboratam, & ab ipsis Apostolicis temporibus repetendam *Tertullianus* 2 sæculo, 3 *Cyprianus* & Patres Africani faciunt fidem, a quibus unctio hæc, non ut recens instituta, sed ut ubique recepta præclarissime commendatur: priorem, ut prædiximus, sola Occidentalis Ecclesia propriam habet & habuit; posteriorem ab omni retro ætate Oriens Occidensque inviolate custodit: priorem denique in posterioris aliquale subsidium institutam, ne videlicet propter Episcoporum absentiam sine susceptione Chrismatis ex hac vita recens baptizati decederent, plerique nec sine fundamento conjectant; at posteriorem, cum Sacramentum ipsa sit, pro supplemento haberi nefas; utramque *Innocentius I* ineunte 5 sæculo Sum. Pontifex, uno decreto complexus est: *de consignandis vero infantibus*, inquit, (*in Epist. ad* Decentium *c.* 3) *manifestum est, non ab alio quam ab Episcopo fieri licere. Nam Presbyteri licet sint Sacerdotes, Pontificatus tamen apicem non habent .... Presbyteris seu extra Episcopum, seu præsente Episcopo baptizent, Chrismate baptizatos ungere licet, sed quod ab Episcopo fuerit consecratum; non tamen frontem ex eodem oleo signare, quod solis debetur Episcopis, cum tradunt Spiritum Paracletum.*

Inst. 4. Atqui Chrismatio qualibet baptismum quomodocumque secuta, nihil aliud quam simplex baptismi cæremonia olim, etiam in Latina Ecclesia credebatur. Ergo &c.

Prob. subs. Concilii *Arausicani I* an. 441 congregati Canon 2 *præcipit*, *nullum ministrorum qui baptizandi recepit officium, sine Chrismate unquam debere progredi, quia inter nos*, inquit, *placuit semel Chrismari: de eo autem qui in baptismate, quacumque necessitate faciente, Chrismatus non fuerit, in confirmatione sacerdos commonebitur. Nam inter quoslibet Chrismatis ipsius non nisi una benedictio est: non ut præjudicans quidquam, sed ut non necessaria habeatur repetita Chrismatio.*

Inde sic inferunt argumentum:

Illis Chrismatio nihil quidquam visa est, quam cæremonia baptismo conjuncta, qui unam tantum declarant debere fieri, & quidem in baptismo unctionem, quæ si casu quolibet aut necessitate omissa fuerit, ab Episcopo sit in confirmatione supplenda; atqui tale est Patrum Arausicanorum decretum. Ergo &c.

℟. Nego subs. Ad probat. n. hanc esse veram Arausicani Canonis lectionem. Longe namque aliter habent vetera Manuscripta, ad quorum fidem *Crabeus*, *Merlinus*, *Surius*, *Binius*, & alii, collectiones Canonum adornarunt: *nullus ministrorum qui baptizandi recepit officium, sine Chrismate unquam debet progredi: quia inter nos placuit semel in baptismate Chrismari: de eo autem qui in baptismate quacumque necessitate faciente Chrismatus non fuerit, in confirmatione sacerdos commonebitur. Nam inter nos Chrismatis ipsius nonnisi una benedictio est: non ut præjudicans quidquam dico, sed ut necessaria habeatur Chrismatio repetita.*

Quanta vero unius lectionis ab altera discrepantia sit, nemine præmonente facile studiosus quisque advertit. Illic enim semel, in baptismo Chrismandum præcipitur: quo significatur unctio duplex, altera baptismi, altera confirmationis propria: isthic, particula, *in baptismo* deletur, ut scilicet omisso baptismatis nomine, Chrismatio quæ fieri in confirmatione jubetur, ejus quæ baptismo defuerit supplementum esse credatur. Illic *necessario declaratur Chrismatio repetita*: isthic, sensu plane contrario, *non necessaria* affirmatur. Unde liquido constat Arausicanum Canonem, modo non corrupte legatur, pro nostra sententia totum esse, duplicemque unctionem adstruere, unam quæ in baptismi cæremoniis computetur, alteram quæ confirmationis materia necessaria sit: hocque clare sonant verba Canonis lectioni legitimæ restituta: *nullus ministrorum*, inquit, (hoc est Diaconorum) *qui baptizandi recepit officium, sine Chrismate unquam debet progredi, quia inter nos placuit semel in baptismate Chrismari: de eo autem qui in baptismate, quacumque necessitate faciente Chrismatus non fuerit, in confirmatione sacerdos* (Episcopus) *commonebitur*, ut suppleat quod prætermissum fuerat in baptismo, ungendo scilicet baptizatum in vertice, ex eodem Chrismate quo postea est uncturus in fronte: *nam inter nos Chrismatis ipsius non nisi una benedictio est*. Id est, cum inter nos Chrisma unum sit una benedictione consecratum, in utroque baptismatis & confirmationis Sacramento pariter, causa licet dispari, usurpatus: *non ut præjudicans quidquam dico*; *sed ut necessaria habeatur repetita Chrismatio*: id est, neque vero dum decernitur verticalis unctio ab Episcopo facienda, præjudicium hoc est, quod non debeat confirmandus inungi in fronte; immo debet potius æstimari bis esse adhibendam Chrismationem, semel quidem in baptismo, iterumque in confirmatione.

Inst. 5. Esset quidem ad difficultatem tollendam satis apta responsio, si constaret, ita ut

ut volumus, Canonem Arausicanum esse legendum; atqui hoc nedum constet, incertum plane probatur ex veterum codicum manuscriptorum varietate, quorum alii necessariam dicunt repetitam Chrismationem, alii longeque plures hoc negant, *non necessaria*, inquiunt, *habeatur repetita Chrismatio*. Cui vero magis in tanta contrarietate assentiendum? aut cur in hoc Canone palmam quærimus, quam sibi potest æquo jure pars adversa vindicare? Ergo &c.

℟. 1. Esto codicum oppositio, veram Canonis lectionem dubiam incertamque fecerit; nihil hinc contra nos: hoc enim unum sequetur, Arausicanum Canonem esse instrumentum in causa præsenti utrique parti inutile. Nam quod est utrimque incertum, non potest in testimonium assertionis ulla ratione assumi, itaque aliunde erunt, sive ad negandum, sive ad affirmandum necessariam esse in confirmatione unctionem, argumenta inquirenda: in hac porro inquisitione, si palmam arripimus, non facimus arroganter. Pugnamus enim in castris & pro castris Græcæ Latinæque Ecclesiæ quæ in confirmatione unctionem, non ut ritum indifferentem, sed ut partem essentialem hactenus observavit, ut observari præcepit. Patres innumerabiles duces sequimur, quorum auctoritatem nec discordia contradicentium, nec obscuritas, si qua sit, in sensu Concilii Arausicani, infringit.

℟. 2. Data maj. n. min. Hanc enim esse legitimam laudati Canonis texturam ac lectionem, fidem certa faciunt, præter cætera quæ reticemus:

1. Conciliorum antiquæ editiones, quæ, nec una excepta, consentiunt.

2. Manuscripti codices quos *Merlinus*, *Crabbus*, *Binius*, *Surius*, *Antonius Augustinus*, has editiones procurando consuluerunt.

3. *Gratianus* in decreto, ejusdemque jussu *Pii* IV & *Gregorii* XIII correctores.

4. *Innocentii* I & Patrum Latinorum Concilio Arausicano coætaneorum sententia.

5. Contrariæ lectionis novitas, quam omnium primus *Sirmondus* proxime elapso sæculo in publicum edidit, magnaque contentione propugnavit. Qua de re si quis plene erudiri voluerit, legat *Jacobi Sirmondi* contra *Petrum Aurelium*, & istius contra *Sirmondum* reciprocas dissertationes.

Inst. 6. Atqui etiamsi ita deberet ut volumus legi Canon Arausicanus, ex eo nihilominus probaretur, Chrismationem non esse ritum confirmationi essentialem. Ergo &c.

Prob. subs. comparant Patres Arausicani Chrismationem confirmationis cum Chrismatione baptismi, & utramque necessaria dicunt, *ut necessaria*, inquiunt, *habeatur repetita Chrismatio*; atqui unctio quæ fit in baptismo, non est pars ejus essentialis. Ergo neque quæ in confirmatione fit ad Sacramenti essentiam pertinet.

℟. Nego sub. ad probat. dist. maj. comparant &c. *inadæquate*, & utramque necessariam dicunt, *gradu generico*, conc. comparant *adæquate*, & parem utriusque dicunt esse necessitatem, *gradu specifico*, n. maj. & concessa min. n. conseq.

E. R Necessaria gradu generico dicimus, quæcumque debent ad aliquod opus, ut rite & ad regulas exactum putetur, concurrere; sed non propterea, pariter omnia & singula necessaria dicimus. Sic enim exempli causa, ut homo integer sit, & caput, & pedes, & manus &c. habere debet: sed numquid ideo non erit magis necessarium caput quam pedes? minime gentium. Potest enim homo sine pede, & non potest sine capite vivere: adeoque magis est necessarium istud quam ille; quia igitur Chrismatio debet in baptismo secundum Ecclesiasticam, & in confirmatione juxta divinam regulam fieri; utramque Patres Arausicani necessariam dicere jure potuerunt, suo tamen gradu quamlibet, ita ut quæ in baptismo fit, simplex cæremonia sit, quæ vero in confirmatione, ad essentiam ejus pertineat.

Instit. 7. In Occidente & Oriente, Arianis, aliisque hæreticis ad unitatem redeuntibus confirmatio quondam conferebatur; ut ex Canone 7 Concilii 1 *Constantinop.*, 8 primi *Arelatensis*, aliisque Patrum & summorum Pontificum decretis Theologi inferunt; atqui in Occidente, sola manuum impositione datam *Gregorius* M. affirmat. *Arianos*, inquit, (*Ep. lib.* 4, *Ep.* 61 *ad Quirinum*) *per impositionem manus occidens, per unctionem vero Sancti Chrismatis oriens reformat*. Ergo labente 6 sæculo Chrismatis unctio in Occidentali Ecclesia non credebatur materia confirmationi essentialis.

℟. 1. Dist. maj. In Oriente &c. conferebatur hæreticis in gremium Ecclesiæ revertentibus confirmatio *reconciliatoria*, conc. *Sacramentalis*, subdistinguo: hæreticis, qui ante in secta errante confirmati non essent, quales erant *Novatiani*, conc. si forent antea confirmati, n. maj. & concessa min. n. conseq.

E. R. Quomodo hæreticis olim aut Schismaticis Clericis ad unitatem redeuntibus conferebatur ordinatio reconciliatoria, per quam suorum ordinum exercitium & graduum functiones recuperabant, de qua l. 8 dicturi sumus; ita & dabatur reconciliatoria confirmatio, per quam super eos, Ecclesiæ precibus

invocabatur *Sp. Sanctus*, ipsique ritu sensibili monebatur fidelitatis Deo, & constantiæ in ejus nominis confessione exhibendæ: cum itaque hæc reconciliandi cæremonia Sacramentum non esset, potuit in Oriente & Occidente esse diversa, & varias utrobique ad arbitrium præsidentium subire mutationes. Porro collatam plerisque confirmationem, simplicem ritum fuisse, certissimo inde colligimus argumento, quod Hæretici, majori saltem ex parte, Sacramentum in hæresi suscepissent, adeoque eo donari denuo post reversionem non deberent. Quod si de confirmatione quæ Sacramentum foret, argumentum intelligatur:

℟. 2. Transeat major, & nego min. nego, inquam, per solam impositionem manuum fuisse in Occidente collatam; nec quidquam in contrarium *Gregorii* auctoritas facit. Hic enim non ritum ritui, sed nomen nomini opponit, quasi diceret: *Arianos reformat Ecclesia per hujus traditionem Sacramenti, quod impositionem manus, Occidens, unctionem vero sancti Chrismatis Oriens appellat*. Hancque non extortam sed genuinam Pontificii decreti expositionem esse, vel hoc unum argumentum invicte probat, quod ætate Gregorii manus impositio non secus ac unctio in administratione confirmationis pari apud Græcos atque Latinos auctoritate vigeret, parique Religione observaretur.

De Latinis fidem facit ipse *Gregorius* in Sacramentario, ubi non solam manuum impositionem, sed & Chrismationem præscribit in confirmatione faciendam, & consecrandi Chrismatis ritum late describit: concinit *Isidorus Hispalensis*, Gregorio tempore, amicitiaque conjunctus. *Hæretici*, inquit, (*de divin. offic. lib.* 2, *c.* 24) *si tamen in Patris, & Filii, & Sp. sancti attestatione docentur baptisma suscepisse, non iterum baptizandi, sed solo Chrismate & manus impositione purgandi sunt*. Accedit *Gregorius Turonensis* Gregorii Magni pariter coætaneus ac familiaris, ille enim in Historia pleraque passim exempla profert Arianorum, quos ab impietate conversos, per unctionem Chrismatis Ecclesia mater recepit: idemque præclare confirmant Latinorum qui *Gregorium* vel præcesserunt, vel secuti sunt, testimonia, non minus de unctione Chrismatis, quam de manuum impositione expressa.

Græcorum vero eamdem Chrismandi manumque imponendi fuisse consuetudinem, præter *Theodoreti*, aliorumque sententias superius allegatas, testis est *Gregorio* æqualis *Eulogius*, desinente 6 sæculo Patriarcha Alexandr. Is enim in libris contra *Novatianos*, quorum præter excerpta quædam a *Photio* in Bibliotheca ad nos perducta, nil superest: *oportet*, inquit, (*vide Photium codic.* 289) *accedentes ad Christum, primum peccatis renuntiare.... secundo, redemtionem priorum peccatorum per baptismum accipere.... deinde progressione facta, dignos reddi adventu Sp. sancti, qui per impositionem manuum Apostolorum fiebat.... non potestis fundamentum fidei iterum recipere, nec baptisma secundum, neque manuum impositionem*. Ejusdem rei argumentum prævalidum faciunt tria Græcorum antiquissima Euchologia, *Barberinum*, *Crypto-Ferratense* prope Romam, & *Regium* in Bibliotheca Regis Christianissimi, quæ 900 annorum canitie veneranda, adeoque *Gregorii* temporibus proxima periti contendunt. In his enim Arianos non solum unctione Chrismatis, sed & manuum impositione recipiendos præscribitur.

Igitur ætate S. *Gregorii* uterque Chrismandi & manum imponendi ritus apud Græcos pariter & Latinos observabatur: adeoque verba ejus in objectione adducta, nihil aliud innuunt nisi nominum ad eamdem rem significandam diversitatem, ita ut non ideo confirmatio Græcorum, unctio; Latinorum vero, manuum impositio dicta fuerit, quasi illa manuum impositionem, ista unctionem excluderet, sed quia ex utraque parte, Sacramenti denominatio ab eo ducta fuerit ritu, qui esse præcipuus credebatur.

Inst. ultimo, & synodi *Moguntinæ*, an. 1569 habitæ auctoritatem opponunt: *Hoc Sacramentum*, inquit (*c.* 17), *ab initio sola manuum impositione exhibitum, mox sub ipsis temporibus Apostolorum, & ex eorumdem traditione, adhibita chrismatis unctione cœpit conferri*: Ergo, inquiunt, unctio ad confirmationis essentiam non pertinet, alioquin enim sine illa ab Apostolis conferri non potuisset.

℟. Concedo quod ita dixerit Concilium Moguntinum, & n. conseq. Concilii Moguntini non spernenda quidem auctoritas, suis tamen limitibus continenda: porro neminem latet Provinciales synodos, maxime quando non habent Summi Pontificis & aliarum Ecclesiarum assensum, divinorum dogmatum certam fidem non facere, imo & in fide errare posse, nec ideo earum decreta suscipienda quia lata in aliqua Provincia sunt, sed quia universalis Ecclesiæ fidei ac doctrinæ consentanea reperiuntur, quod sane dicere de decreto Moguntino non possumus, in quo non antiqua doctrina affertur, sed scholarum opinio obtruditur.

CA-

CAPUT TERTIUM.

Explicantur variæ de materia confirmationis difficultates.

SUperfunt de manuum impositione & unctione chrismatis difficultates non leves, quas enodare nostri officii est.

§. PRIMUS.

De impositione manuum.

De ista quidem.

Quæritur 1. Utrum in confirmatione sit una, vel multiplex?

℟. Absolute loquendo duplicem esse.

1. Fit, quando Pontifex levata manu super capita confirmandorum, dicit: *Omnipotens sempiterne Deus, qui regenerare dignatus es hos famulos tuos....... emitte in eos septiformem Spiritum tuum &c.*

2. Cum actione chrismandi necessario juncta est: cum enim unctio in fronte manus ministerio fiat, manum ergo fronti ungendo apponi vel imponi necessum est: adeoque actionem hanc, manus impositionem, uti re ipsa est, vocari nil vetat.

Q. 2. Utrum frontis unctionem, impositionem manus vocare antiquum sit?

℟. Affirmative, quidquid *Sirmondus* in contrarium effutierit. Contendit ille, (*in antirrhetico 2, contra Petrum Aurelium*) *Somnium ridiculum esse, impositionem manus in frontis unctione quærere, nihilque posse fingi absurdius*. Quam autem immerito excandescat, probant pleraque testimonia scriptorum veterum, quos *somniculosos, absurdos, & ridiculos* dicere, si licitum sibi putavit *Sirmondus*, nobis sane vetitum, debita majoribus reverentia persuadet. *Unctio*, inquit Beda (*in expositione Ps. 26*) *per manus impositionem ab Episcopis fit, & vulgo confirmatio dicitur*; & alibi: (*in c. 1 cantic.*) *Fideles omnes cum impositione manus Sacerdotalis, qua Sp. Sanctus accipitur, hac unctione signantur.*

Pariter Rabanus Maurus (*de inst. cleric. lib. 1, c. 28*) *Episcopus*, inquit, *baptizatum, per manus impositionem cum ipso chrismate consignat.*

Et Amalarius Fortunatus: (*de Eccl. off. lib. 1, cap. 27*) *Ut ab Episcopis solis inungatur per manus impositionem, ab Apostolis assumptum est.*

Et Ratramnus: (*lib. 4 cont. opposita Græcorum*) *gratia Sp. Sancti per impositionem manuum tribuitur ab Episcopis: quod tunc fit, quando frontes baptizatorum chrismate sancto liniuntur ab Episcopis.... donum Sp. Sancti tribuitur per impositionem manuum, quando frontes baptizatorum chrismate Sancto liniuntur.*

Ivo Carnutensis: (*in opusc. de convenientia novi & veteris test.*) *per manus impositionem sacro chrismate contra spirituales nequitias* (Neophyti) *confirmantur.*

Rupertus Abbas: (*de divinis off. lib. 1, c. 16*) *omnis Ecclesia unctione chrismatis per impositionem manuum consecratur.*

Hugo Victorinus: (*lib. 2 de Sacr. p. 7, c. 2, & p. 15, c. 1*) *Christianus unctione chrismatis per impositionem manus in fronte signatur... Pontifex per manus impositionem confirmandos ungit in fronte.*

Innocentius III. (*decret. lib. 1, tit. 4, c. 4*) *Sacramentum confirmationis chrismando renatos, soli debent Episcopi per manus impositionem conferre.*

Ecce tibi somniantium sat numerosam cohortem, quam poteramus longe plurium addito testimonio cumulare, quibusque si magis credimus quam vigilanti *Sirmondo*, ex debito facimus. Ergo &c.

Q. 3. Sit ne utraque Sacramento confirmationis essentialis.

℟. Negative: unam enim Scriptura & traditio Patrum, non plures requirunt, ut ex adductis auctoritatibus manifestum est, quæ non *impositionibus*, sed *impositione manus* Sp. Sanctum infundi neophytis attestantur.

Q. 4. Utra sit essentialis.

℟. 1. Quorumdam opinionem esse, quod sola manuum impositio, unctioni indivulse conjuncta, sit Sacramento essentialis; altera vero quæ præcedit, quando invocatur Sp. Sanctus, cæremonia sit prævia Sacramento, per quam neophyti ad suscipiendam Sp. Sancti gratiam præparentur, nihil plus virtutis habens, quam cæteræ manuum impositiones, quæ ante baptismum antiqua Ecclesiæ consuetudine fiunt.

Sententiam hanc *Petrus Aurelius* amplexus est, acriterque contra *Jacobum Sirmondum* propugnavit; nec ulli labori pepercit, ut Patrum sæculo 6 aut 7 posteriorum testimonio confirmaret: *De manus impositione sic loquuntur Patres*, inquit, (*in orthodoxo p. 1, c. 7*) (Beda nimirum & alii quos supra citavimus) *ut non tantum chrismationem non excludant, sed etiam eodem nomine complectantur: non enim manus impositionem & chrismationem in confirmationis Sacramento, tantum conjunctas esse voluerunt, sed in unam singularemque actionem conclusas, quare non dicunt præberi unctionem & manus impositionem, sed unctionem manus impositione, vel manus impositionem.*

nem unctione . . . . unde dum dicunt, Sp. Sanctum dari manus impositione, chrismate dari dicunt: dum rursus eam tribuunt chrismati, manus impositione largiuntur, nec aliam manus impositionem agnoscunt, nisi eam quæ ipsa chrismatione continetur . . . . . quæ duæ partes simul, sed seorsum, vicissimque olim præbebantur, ac postea collectæ in unam ununique effectæ sunt, nec hoc singulare est in Sacramento confirmationis, sed in aliis quoque usu venit: ita in baptismo triplex mersio ad unam redacta, hæc ipsa rursus ad aspersionem: in Eucharistia, corporis & sanguinis Christi binæ species in unam contractæ; atque hinc factum est, ut posterioribus hisce ætatibus decretum sit, chrismationem ab Episcopo pollice faciendam, ut uno tempore & chrismate ungatur frons, & manus capiti apertius imponatur: quod prioribus ætatibus minus expressum erat, cum chrisma & manus impositio binis actionibus adhibebantur; atque hæc consuetudo omnibus deinceps sæculis accepta, & perpetuo Ecclesiæ usu ad nos perducta est: ut non tertiæ illius ætatis, sed totius Ecclesiæ sensus ac ritus dicendus sit a quo ne primis quidem sæculis alienæ fuisse videntur orientis Ecclesiæ.

Ita *Petrus Aurelius*, cujus doctrina si vera foret, ad conciliandos cum Latinis Græcos, omnemque difficultatem tollendam, iter facillimum aperiret: nam de Græcis utrum præviam chismationi manuum impositionem pro Sacramenti materia habeant, dubitari equidem aliquatenus potest, propter Euchologiorum silentium: at non idem dici potest de altera, quæ in ipsa chrismatione continetur, eique indivulse adhæret: sed ut verum fatear, non habet opinio hæc satis solidum fundamentum, neque credibile est, Patres quando manuum impositionis necessitatem & excellentiam verbis adeo magnificis prædicarunt, de illa esse locutos, quæ unctionis comes est & ministra. Itaque

℟. 2. Solam quæ unctioni prævia est manus impositionem confirmationis essentiam constituere: alteram vero quæ chrismatione continetur, esse quidem conditionem per quam subjecto, Sacramenti materia applicatur, meræ tamen conditionis sine qua non, virtutem non superare.

Hæc enim sola manus impositio ad Sacramenti essentiam pertinet, cui soli virtutem dandi Sp. Sancti Patres adscribunt; atqui dandi Sancti Sp. efficaciam huic soli impositioni manus attribuunt, quæ est ab unctione diversa, nec illam unquam vel leviter innuunt, quæ in unum cum chrismatione actum coalescit, de quo si quis ambigit, legat & relegat *Tertulliani*, *Cypriani*, aliorumque textus sæpe citatos, nec unum reperiet, qui manuum impositioni virtutem chrismationi sic alliget, ut unam confundat cum altera.

Nec est quod *Aurelius* laboret in distinguendis temporibus, quasi nimirum impositio manuum ab unctione sejuncta, quæ primis sæculis fuerat essentialis, suam deinceps decrepita virtutem amiserit, & fuerit in meram cæremoniam Patrum decreto mutata: nam præterquam quod novum hujusmodi decretum, qua auctoritate, in qua synodo, a quo Pontifice prodierit, monumentum nullum affert quod non erat in re tam gravi prætermitten, dum: præter quam quod Sacrament. materia, quippe divinitus instituta, humanæ instabilitati non subjacet: constat insuper, iis ipsis temporibus quæ *Aurelius*, *Sirmondo* in hac parte consentiens, in tertia ætate concludit, impositioni manuum eamdem quam ante habuerat, a scriptoribus Ecclesiasticis virtutem adscriptam. Sic enim 11 *Hispalense* Concilium, ad annum 619 in Hispania congregatum: *Nec licet Presbyteris*, inquit, (*can.* 7) *per impositionem manus fidelibus baptizatis Paracletum Spiritum tradere, nec chrismate baptizatorum frontem signare, quia Pontificatus apicem non habent . . . . .* & *Wormatiense* anno 868: (*can.* 8) *non liceat Presbyteris per impositionem manus Paracletum Spiritum tradere, nec chrismate baptizatorum frontem signare*. Viden. ut duo illa secernantur, minimeque uno & eodem actu misceantur, Spiritum Paracletum per manus impositionem tradere, & chrismate baptizatorum frontem signare? mitto in præsenti *Gregorii Magni*, in Sacramentario, & *Ordinis Romani* superius descripta referre verba, ne lectorum videar parum memoriæ fidere, quæque prioris manuum impositionis necessitatem non secus adstruunt ac Patres antiqui: non prætereo tamen argumentum ab eorum opinione petitum, qui cum Amalario Fortunato, 9 & sequentibus sæculis existimarunt, formulam chrismatis unctioni annexam ad Sacramenti essentiam non pertinere, eaque sola verba dandi Sp. Sancti habere vim, quæ priori manuum impositioni annexa sunt: hinc enim sequitur, ex eorum sententia, primam, non secundam manuum impositionem pro essentiali materia habitam, quippe quæ sola formæ essentiali corresponderet, & vim ab illa reciperet: alterum, nec leve momentum suggerit Canonistarum auctoritas, quorum, ut prædiximus, communis opinio fuit, in sola manuum impositione, quæ chrismationem præcedit, materiam confirmationis consistere, quibus non ideo ab adversariis intenta lis est, quod secundam manuum impositionem, sed quod unctionem

ctionem chrismatis contra antiquam auctoritatem excluderent.

Igitur posterioribus sæculis suus priori manuum impositioni, uti antehac servatus honos, quo non poterat per humanam ullam constitutionem defraudari; unde sequitur, alteram quæ est chrismationi conjuncta, nihil quidquam nisi simplicem conditionem esse, per quam chrismatis ad subjectum applicatio fit, & sine qua non fieret: quod si quis importune contendat, ideo essentialem dici debere, quia sine illa chrismatis unctio nec fit, nec fieri potest, non jam de re, sed de nomine disputabit, cujusmodi contentiones non Theologia tantum, sed & scientiæ ipsæ naturales summopere refugere debent: tollat enim æquivocum, & futilis opinio evanescet: essentiale hic dicimus non id omne sine quo Sacramentum esse non potest, (alioquin enim & minister, ut ministri actio, & impositio manus ad Sacramenti cujuslibet essentiam pertinerent:) sed illud intrinsece Sacramentum componit, & gratiæ influendæ ex Dei instituto vim habet; atqui de secunda manuum impositione dici non potest, quod confirmationem componat, & gratiæ conferendæ habeat divinitus acceptam virtutem. Ergo &c.

Q. 5. An ut valeat Sacramentum, manus utraque sit neophyto imponenda?

℟. Negative: alterutrius enim impositionem sufficere, probant testimonia Patrum, hujusce quæstionis c. 1, probatione 2 adducta, quæ pluralem quidem sæpe numerum, sed & longe sæpius singularem usurpant, in ipsis etiam ritualibus libris, ubi pressius & accuratius materia Saramentorum notari solet, unius plerumque mentio fit: *Pontifex... elevata manu super capita omnium*, inquit Sacramentarium Gregorii Magni: *dicit, omnipotens sempiterne Deus* &c. . . . . & ordo Romanus: *Imposita manu super capita eorum* &c. favet vulgata Scripturarum Latina editio, quæ modo singulariter, modo in plurali, id quod semper in Græco textu plurali numero dicitur, indifferenter enuntiat, ut videre est, *Act.* 8, v. 17 & 18, & c.19, v. 6 & 11: ubi enim in Græco textu τῶν χειρῶν, manuum, Græce legitur, *manus*, in singulari, & *per manum* Latinus interpres vertit: unde certo colligitur, æquale ad mentem Ecclesiæ esse, sive una, sive ambæ manus imponantur: nam alioquin vulgatam editionem haud dubie correxisset.

Q. 6. Utra sit necessario imponenda, an dextera? an sinistra sufficiat?

℟. Alterutram indiscriminatim sufficere: scriptores enim Ecclesiastici, librique rituales quando manum ex Christi instituto imponendam præscribunt, neutram alteri præferunt: censent igitur parem utriusque in sacro officio obeundo esse virtutem, connaturalius tamen est & decentius dextram imponere: unde unctionem, quæ, ut prædiximus, sine manus impositione non est, dextera faciendam Romanum Pontificale præscribit: sed non ideo est putandum, quod ab hoc ministerio sinistra essentialiter excludatur: numquid enim si ambidexter aliquis fuerit, utriusque videlicet manus æque promptum ac facilem habens usum, aut si quo tempore danda est confirmatio dextram habuerit torpedine impeditam, hac de causa non poterit sinistra manu dexteræ supplere defectum?

§. SECUNDUS.

De Chrismate Unctionis.

Q. 1. Quæ sit chrismatis materia?

℟. 1. In Latina Ecclesia confici ex oleo olivarum & balsamo, quod ex antiqua consuetudine constat: *Secundum Sacramentum est confirmationis*, inquit Eugenius IV, (*in decret. pro instructione Armen.*) *cujus materia est, chrisma confectum ex oleo, quod significat nitorem conscientiæ, & balsamo quod significat odorem bonæ famæ, ab Episcopo benedicto*: idemque longe ante Gregorius Magnus prædixerat in Sacramentario, ubi de benedictione chrismatis in cœna Domini facienda, sic legitur: *Præparantur ampullæ duæ cum oleo, quarum melior defertur Pontifici, ut accepto balsamo, & commisto cum oleo, manu sua impleat eam.*

Equidem Latinos 9 sæculo Græci Schismatici accusarunt, quod chrisma non ex oleo, sed ex aqua fluminis conficerent: sed tetra hæc eorum calumnia fuit, quam plures e nostris data opera refutarunt: *Ad stultarum cumulum ineptiarum*, inquiebat Æneas Parisiensis Episcopus (*in lib. contra decem capitula Græcorum*) *garrientes inquirunt quare chrisma nostrum, imo Dei, ex aqua fluminis conficiamus?*... & Ratramnus (*Lib.4 cont. Græcorum oppos.c.7*) *non ipsum chrisma de fonte* (Latini) *conficiunt, sed ex succo balsami, vel olivæ liquore, quod fit non solum a Græcis, verum ab universis Christi Ecclesiis*: ubi notandum particulam (*vel*) non disjunctivum sed copulativum, pro more illius temporis, habere sensum.

℟. 2. In Græca & Orientali Ecclesia non ex oleo tantum & balsamo, sed insuper ex diversorum aromatum admixtione componi: herbarum fragrantium triginta quinque species Euchologia recensent, ex quibus vino concoctis, longaque præparatione per totum pene quadrage-

dragesimæ tempus aptatis chrisma conflatur: (*V. Goarium in Euchologio Græcorum*) hanc porro disciplinam Græci antiquissima, ut quidem putant, auctoritate tuentur: libro enim de *Ecclesiastica Hierarchia*, cujus Scriptorem *Dionysium Areopagitam* acriter contendunt, *Statuimus*, inquit capite quarto, *unguenti confectionem, concretionem esse quandam materiarum bene olentium, quæ in se magnam vim & copiam fragrantium qualitatum contineat, cujus qui facti sunt participes, odorem bonum ex se efflant*: accedit S. Justini Martyris testimonium, *in Dial. cum Tryphone*, ubi generatim affirmat chrisma ex plurium aromatum admixtione componi.

Q. 2. Unde habeamus, oleum confirmationis, olivarum esse debere?

R. Id haberi,

1. Ex totius Ecclesiæ disciplina, quę non aliud nisi olivæ in hujus Sacramenti consecratione admittit.

2. Ex auctoritate Patrum, qui confirmationis materiam *oleum* ubique simpliciter & sine addito dicunt, tale vero non aliud communis hominum usus agnoscit, nisi quod ex olivæ fructu exprimitur, succus enim ex nucibus, amygdalis, aliisque id genus fructibus artificio elicitus, non oleum simpliciter, sed addito fructuum unde trahitur nomine appellatur: „ Dicendum, *inquit S. Thomas*, (3 *p. q.* 72, „ *art.* 2, *ad* 3) quod proprietates olei, quibus significatur Sp. sanctus, magis inveniuntur in oleo olivarum, quam in quocumque alio oleo: unde & ipsa oliva semper frondibus virens, virorem & misericordiam Sp. sancti significat. Hoc etiam oleum proprie dicitur oleum, & maxime habetur in usu, ubi haberi potest, quilibet autem alius liquor ex similitudine ejus oleum nominatur, nec est in usu communi nisi in supplementum apud eos quibus deest oleum olivarum, & ideo hoc oleum solum assumitur in usum hujus, & quorumdam aliorum Sacramentorum ".

Q. 3. Utrum balsami aliorumve aromatum cum oleo admixtio necessaria sit necessitate Sacramenti?

R. Negative.

Ac 1 quidem, de aromatibus quæ tanto numero Græci adhibent, nulla difficultas est, sine illis enim verum Latina Ecclesia confert, semperque contulit Sacramentum. Ergo ad essentiam ejus non pertinent, nec puto Græcos qui ut chrisma suum conficiant Pharmacopolarum officinas exhauriunt, agrosque devastant, in eam unquam venisse sententiam, ut putarent sine mistura tam varia constare Sacramentum non posse.

2. De balsamo idem dicimus: nam Sancti Patres confirmationis materiam oleum simpliciter dicunt, nec balsami meminerunt: deinde, Sacramenti materia essentialis communis esse debet, & facilis ad comparandum, quos de balsamo dici nequit: præterea, quis crediderit Apostolos in tanta qua premebantur rerum omnium egestate, rem tanti pretii quale est balsamum, ubique facile ad hujus Sacramenti administrationem reperisse? Si balsamum creditum a majoribus fuerit de Sacramenti essentia esse, qui fieri potuit, ut priorum sæculorum Patres, olei quidem semper, nusquam vero balsami mentionem fecerint? de illo enim altum silent, Justinus Martyr, Tertullianus, Cyprianus, Basilius, Cyrillus Hierosol. Innocentius I, Aug. & alii, denique hoc ipsum Innocentii III auctoritas mirifice adstruit: consultus Sum. Pontifex, utrum confirmatio in eo debeat iterari, qui per errorem non chrismate, sed oleo fuerat delinitus? Respondet, (*Extra de Sacramentis non iterandis, c. Pastoralis*) *quod in talibus non est aliquid iterandum, sed caute supplendum, quod incaute fuerat prætermissum*: atqui iterandum plane erat, si ex sententia Pontificis balsamum ad Sacramenti essentiam pertineret: nam quod defectu materiæ nullum irritumque convincitur, de novo totum præberi debet, neque potest pars ejus, altera integra manente, suppleri: si quis enim e. c. verba baptismi proferens, infantem non aqua abluisset, sed vino, inepte prorsus diceretur non esse aliquid iterandum, sed ex integro dandum decerneretur. Ergo &c.

Q. 4. Qua ergo necessitate mixtio illa fieri debet?

R. Necessitate præcepti, non divini, sed Ecclesiastici: quod quidem non fuerit divinitus imperata, probat Scripturæ & Patrum prioris ætatis silentium: quod vero præcepto Ecclesiastico innitatur, *Gregorii* Magni in Sacramentario, *Ordinis Romani*, *Innocentii III*, (*de Sacra unct. c. cum venisset*) *Eugenii IV* in decreto pro Armenis, & pleraque aliorum testimonia certo persuadent.

Q. 5 Utrum Chrisma antequam ad confirmandum adhibeatur, debeat benedictione aliqua consecrari?

R. Affirmative & dico consecrandi chrismatis morem esse in Ecclesia antiquissimum, nec immerito inter traditiones Apostolicas recenseri: *Benedicimus baptismatis aquam*, ait Basilius, (*lib. de Sp. Sancto c.* 27) *& unctionis oleum, ex quibus scriptis? nonne a tacita secretaque traditione?* Tertullianus: (de baptis. *c.* 7) *egressi de lavacro, perungimur benedicta unctione* ... S. Cyprianus: (Ep. 70.) *Eucharistia, & unde baptizati unguntur oleum*,

in

in altari sanctificatur ... S. Cyrillus Hierosol. (*catec.* 3): *quemadmodum panis Eucharistiæ post Sancti Sp. invocationem non amplius est panis communis, sed est Corpus Christi: sic & Sanctum hoc unguentum, non amplius est unguentum nudum, postquam consecratum est, sed est chrisma Christi*: idemque omnes testantur, qui de hoc Sacramento, vel obiter vel ex professo scripserunt, quibus Græcorum Euchologia & Ritualia Latinorum plene consentiunt.

Q. 6. Quis sit chrismatis consecrandi minister?

℞. Ad solos Episcopos hoc officium pertinere: *Lex divina*, inquit author libri de Eclesiast. Hierarchia c. 5 ... *unguenti divini consecrationem* ... *divinorum Pontificum virtutibus attribuit*.

Concilium Carthag. II (*anno* 390): Can. 3 *chrismatis confectio* ..... *a presbyteris non fiat* .... Carthag. III (*anno* 397) Can. 36: *Presbyter* ... *chrisma numquam conficiat*.

Concilium Tol. I (*anno* 400) Can. 20: *quamvis pene ubique custodiatur, ut absque Episcopo chrisma nemo conficiat; tamen quia in aliquibus locis vel Provinciis presbyteri dicuntur chrisma conficere, placuit ex hac die nullum alium, nisi Episcopum chrisma facere, & per diœcesim destinare*.

Innocentius I (*in Ep. ad Decent. c.* 3): *Presbyteris chrismate baptizatos ungere licet, sed quod ab Episcopo fuerit consecratum*.

Gelasius I (*Epist.* 9 *ad Episcop. Lucaniæ*): *Presbyteros ultra modum suum tendere prohibemus, nec Episcopali fastigio debita sibimet audacter assumere, non conficiendi chrismatis, non consignationis Pontificalis adhibendæ, sibimet arripere facultatem*.

Gregorius Magnus (*in c.* 1 *cantic.*): *balsamum cum oleo, Pontificali benedictione chrisma efficitur*.

Concinunt Concilia, *Vasense* I anno 442, can. 3, *Bracarense* II, an. 563, can. 19, *Hispalense* II an. 619, can. 7, *Toletanum VIII* an. 653, c. 7, *Wormatiense* an. 868, can. 2, & 8, *Capitularia Caroli Magni*, l. 7, c. 329, *Montanus* 6 sæculo Archiepiscopus *Toletanus* in Ep. ad Fratres Territorii Palentini, aliique longe plures quos recensere infinitum foret.

Græcorum & Orientalium tanta hæc persuasio fuit, ut licet simplicibus presbyteris conferendæ confirmationis facultatem jam dudum concesserint, jus tamen chrismatis consecrandi semper voluerint solis Episcopis reservatum, ut ex eorum Euchologiis, & disciplina notissimum est: quin & solis Patriarchis chrismatis sanctificandi delatum honorem, res est multorum testimonio comprobata, de Patriarcha Constantinop. testatur *Arcudius*, quod consecratum a se chrisma singulis annis ad Metropolitanos, isti ad Episcopos, Episcopi ad presbyteros mittant: idemque de Patriarcha Alexandrino & Nestorianorum, ut vocant, Catholico, plerique affirmant (*Vide perpetuit. fidei tom.* 5, *lib.* 2, *c.* 12).

Par Latinorum sententia & constantia fuit: licet enim aliquando propter caussas urgentissimas concessum simplicibus presbyteris fuerit, ut possent confirmationem administrare, iisdem tamen stricte inhibitum, ne alio quam ab Episcopo benedicto chrismate uterentur. *Legitur tamen*, inquit Eugenius IV (*in decr. pro instr. Armen.*) *aliquando per sedis Apostolicæ dispensationem, ex rationabili & urgente admodum caussa, simplicem Sacerdotem chrismate per Episcopum confecto administrasse confirmationis Sacramentum*.

Q. 7. Quo jure chrismatis consecrandi potestas Episcopo soli conveniat?

℞. Jure Divino competere; quod enim universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate Apostolica traditum, adeoque ad jus divinum pertinere rectissime creditur; atqui benedicendi chrismatis potestatem solis Episcopis convenire universa tenet Ecclesia, non est hæc disciplina de novo Conciliis instituta, sed semper & ubique retenta. Ergo de earum sanctionum numero est, quas Ecclesia ab Apostolis, a Christo Apostoli acceperunt: adeoque ad jus Divinum pertinere merito creditur. Hinc *Montanus*, Archiepiscopus Toletanus quosdam sui temporis presbyteros redarguens, qui, sede vacante, chrisma conficere ausi fuerant, *novam hanc esse præsumptionem affirmat*, (*in Ep. ad Fratres Territorii Polentini*) *rem detestabilem, quæ ab initio fidei Catholicæ numquam hac usque surrepsisse probatur, inauditam rem, & Religioni contrariam*. Hinc Concilium Tolet. VIII, c. 7, asserit, *Divinaliter ordinatum ut chrismatis benedictio summo Episcopalis eminentiæ culmini servaretur*. Hinc Concilia, *Hispalense* II can. 7, & *Wormatiense* can. 8 inde probant presbyteris illicitum esse chrisma consecrare, *quia Pontificatus apicem non habent*; atqui quod Episcopi habeant apicem Pontificatus, presbyteri non habeant, ad jus divinum pertinet; ergo a pari chrismatis consecrandi potestas solis Episcopis est jure divino concessa.

Q. 8. Utrum chrisma nequeat aliter esse confirmationis materia, nisi prius fuerit ab Episcopo consecratum?

℞. De hac re diversas Theologorum esse opiniones: quidam volunt necessario necessitate Sacramenti debere consecrationem præce-

cedere: alii necessitate præcepti divini, cujus infractio Sacramenti valorem non impediat; quomodo aquæ cum vino admixtio est quidem divinitus imperata, sed tamen etiamsi desit aqua, revera Eucharistiæ Sacramentum conficitur: alii denique sola necessitate præcepti Ecclesiastici.

1. Opinio inde refutatur, quod absolute loquendo ad Sacramentum perficiendum nihil aliud requiratur, nisi formæ Sacramentalis cum materia ejus conjunctio: *accedit verbum ad Elementum*, ait S. Aug. *& fit Sacramentum*, & sane verum baptismi Sacramentum ex aqua non prius consecrata, pariter ex pane & vino non ante benedictis vera Eucharistia fit; ergo poterit similiter vera confirmatio esse, licet chrismatis benedictio non præcesserit, nec leve hujus rei est argumentum ab *Innocentii III* decreto paulo ante memorato petitum, ubi Sum. Pontifex ratum habet Sacramentum, unctione solius olei datum, quod verisimile non est benedictum ante fuisse, ea saltem benedictione quæ oleo commixto cum balsamo impendi solet, cum altera simplicis olei, altera chrismatis benedictio sit.

3. Sic refellitur: Lex consecrandi chrismatis non in novellis Ecclesiæ decretis, sed in Apostolicis traditionibus locum habet, ut ostensum est in responsione ad quintam & septimam quæstionem. Ergo quod chrisma prius debeat esse benedictum, quam in confirmatione adhibeatur, non est præceptis mere Ecclesiasticis accensendum: cum enim benedicatur propter Sacramentum cujus pars futurum est, ad eamdem legem pertinet, quod debeat benedici, & quod non debeat nisi benedictum in confirmationis ministratione usurpari.

Sequitur itaque ut secundam admittamus, quam *Joannes Capreolus*, *Petrus Paludanus*, (*in 4, dist. 7*) *Estius*, *Dominicus Soto*, & plerique alii insignes Thomistæ propugnant, consecrationem videlicet chrismatis ex præcepto divino præmittendam, quod non possit sine gravissimo crimine voluntarie infringi, ad ejus tamen essentiam non pertinere: quo fit, ut, si benedictio prætermissa fuerit, verum quidem & ex essentia integrum Sacramentum futurum sit, sed tamen non rite factum, idest, non ex divino mandato bene confectum: *Quid* est, inquit S. Aug. (*tract. 118 in Jo.*) *quod omnes noverunt signum Christi, nisi crux Christi? quod signum nisi adhibeatur, sive frontibus credentium, sive ipsi aquæ ex qua regenerantur, sive oleo quo chrismate unguntur, sive sacrificio quo aluntur, nihil eorum rite perficitur.*

Q. 9. Quænam corporis partes ungi in confirmatione debeant?

R. 1. Frontem necessario esse ungendam, atque in hoc omnes ubique gentium Ecclesias consentire.

R. 2. In hoc Græcos a Latinis differre, quod istis solam frontem ungere, ab omni retro ætate solemne sit; illi vero præter frontem in plerisque aliis partibus unctionem adhibeant.

Quod quidem ad Latinos spectat: *Pontifex tincto pollice in chrismate*, ait ordo Romanus, *faciat crucem in frontibus singulorum*. Idem *Gregorius Magnus* in Sacramentario, & *Innocent. I* in Ep. ad *Decentium* sæpe laudata jam ante præscripserant: nec quidquam aliud in ritualibus libris notatum reperies.

Quantum vero ad Græcos attinet: *Oratione hac terminata*, ait Euchologium, *baptizatum Sancto unguento inungit* (Sacerdos) *crucis signum faciens in fronte, & in oculis, & in naribus, & in utraque aure, & in pedibus, dicens: signaculum doni Sp. sancti.*

Sed neque in his partibus recensendis plena Euchologiorum concordia est: quædam enim pedum unctionem omittunt, oris præscribunt: *Unguento sacro*, ait quoddam manuscriptum Barberinum Sancti baptismi officium, *baptizatos ungit* (Sacerdos) *facitque signum crucis in fronte, oculis, naribus, ore, & duabus auribus, dicens: Signaculum doni Sp. sancti....* item alia de ore ungendo silent, manuum vero & cordis unctionem præscribunt: *Baptizatos unguento Sacro Sacerdos ungit*, ait aliud manuscriptum Barberinum, *faciens crucis signum primo in fronte, dicens: signaculum doni Spiritus: in oculis, dicens: unctio Sp. Sancti, in auribus, dicens: unctio participationis vitæ æternæ, in manuum vola interiore, dicens: Unctio Sancti Christi Dei, & signaculum insidiis liberum: in corde tandem dicens: complementum doni Sp. sancti Thorax fidei & veritatis.....* S. Cyrillus Hierosol. de manibus pedibusque ungendis omnino silet: *Primum quidem*, inquit, (*catec. 3 mystag.*) *frons illinitur, ut eum a vobis abstergat pudorem, quem primus homo transgressor perpetuo circumferebat, simulque efficiat, ut vultu non velato Dei gloriam possitis intueri: deinde vero aures unguntur, ut ad audiendum divina mysteria aures accipiatis: de quibus dicebat Isaias, Et dedit mihi Dominus aures ad audiendum: & Dominus in Evangelio, qui habet aures audiendi audiat: postea nares, ut divinum recipientes ungentum dicatis: Christi gratus odor sumus, in his qui salvantur: tum vero pectus inungitur, ut induti Thoracem justitiæ fortiter adversus insultus diaboli consistatis.*

Q. 10. Utrum hæ omnes & singulæ unctiones sint Sacramento essentiales?

R. Na-

R. Negative, alioquin enim foret dicendum Latinam Ecclesiam confirmatione carere, quod ne Græcis quidem ipsis unquam in mentem venit: itaque sola frontis unctio, quam omnes ubique in Oriente, & Occidente custodiunt, pro ritu essentiali habenda; cætera vero quas Græci & Orientales observant, in ritibus accessoriis computandæ, quos implere ministri tenentur, non ut sit ex essentia integrum Sacramentum, sed ut ipsi non peccent, Ecclesiarum suarum consuetudines contemnendo.

Q. Ultimo, quo ritu unctio facienda?

R. Per impressionem signi crucis, more omnium Ecclesiarum antiquissimo faciendam, ita libri omnes rituales Græcorum ac Latinorum, ita omnes utriusque Ecclesiæ ore unanimi scriptores præscribunt, ritumque hunc primariis & essentialibus annumerant: quo magis Lutheranorum & Calvinistarum inscitia patet, hanc aliasque sanctissimas cæremonias novitatis accusantium, & Romanæ Ecclesiæ, quam inductæ superstitionis accusant, impie adscribentium, hujus autem ritus si causam quæras, præter generalem quæ omnium Sacramentorum communis est, ut nimirum significetur a cruce Christi, quidquid virtutis habent derivari; est & altera specialis huic Sacramento: cum enim confirmatio detur ad robur & gratiam obtinendam per quam Christi nomen intrepide strenueque homo Christianus profiteatur, par est summeque conveniens, ut signum illud in fronte gerat, de quo maxime carnales homines erubescunt, quodque Judæis scandalum, gentibus stultitia est: *Hæc est doctrina Christiana*, inquit S. Aug. (*serm.* 161, *de verbis Apo.*), *humilitatis præceptum, humilitatis commendatio, ut non gloriemur nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi: nam non est magnum in Christi sapientia gloriari, magnum est in cruce Christi gloriari: unde insultat impius, inde glorietur pius: unde insultat superbus, inde glorietur Christianus: noli erubescere de cruce Christi: ideo in fronte, tamquam in sede pudoris signum ipsum accepisti: recole frontem tuam, ne linguam expavescas alienam.*

QUÆSTIO QUARTA.

De forma Confirmationis.

Theologi contra Lutheranorum & Calvinianorum Hæresim concordes, quod confirmatio ut materiam, ita formam habeat divina auctoritate præscriptam, in ea assignanda discordant, variisque opinionibus certant, quas *Concilium Trid.* abolendas non censuit, sat Ecclesiæ provisum existimans, si Sacramenti veritatem contra hæterodoxos intactis scholarum placitis vindicaret, quæ videbat hinc inde sine sacri dogmatis offensione jactari: porro sententiarum circa formam diversitatem, opinandi circa materiam oppositio genuit, quam qui in sola manuum impositione, vel unctione locabant, consequens fuit ut his verbis contenti essent, quæ vel impositionem manuum, vel unctionem chrismatis comitantur; qui vero in impositionis manuum & unctionis complexione ponebant, in diversas iterum partes distracti sunt: quidam enim in solis verbis unctioni conjunctis, quidam in sola invocatione Spiritus, impositioni manuum respondente, alii denique in verbis utriusque formæ vim esse & efficaciam censuerunt: mitto Græcorum quorumdam exoletam peneque in oblivione sine patrono jacentem sententiam, qui de confirmatione non secus ac de Eucharistia sentientes, putabant tum fieri Sacramentum, quando super oleum sacra benedictionis verba funduntur, adeoque ab Episcopis neophytos confirmantibus conferri Sacramentum præexistens, quomodo Eucharistia ante est Sacramentum quam in os fidelium infundatur, quæ opinio præterquam quod omni vera auctoritate est destituta, vel hinc rejicienda probatur, quod habere esse permanens, & ab usu independens, soli Eucharistiæ eximium sit ac singulare. Hic præmissis sit:

§. PRIMUS.

Ostenditur, formam confirmationis in oratione manuum impositionis adjuncta, & verbis chrismatis unctioni respondentibus contineri. (1)

Quod ut perspicuum fiat, recitabo verba solemnia quibus Græci & Latini in hujus Sacramenti administratione utuntur.

Apud Græcos unctionem neophytorum ista oratio immediate præcedit, eademque in omnibus Euchologiis legitur: I*pse Domine, Rex omnium benigne, signaculum doni, Sancti & omnipotentis, & adorandi tui Spiritus, &* san-

(1) *Quamquam Auctor noster hanc sententiam de confirmationis forma propugnet; putandum tamen non est eam credidisse ad catholicæ fidei doctrinam pertinere. Neque sane hujusmodi a quoquam credenda est, tametsi cæteris opinionibus longe verisimilior. Unde Natalis Alexander* Dissert. 10 in histor. secun. Ecclesiæ Sæc. *notat in ea sustinenda insistere neutiquam debere catholicum hominem contra hæreticos pugnantem, perinde ac unica ea foret,* quam

sancti corporis, & pretiosi Sanguinis Christi tui communionem ei largire, in sanctitate tua custodi illum, in vera fide confirma: *Oratione hac terminata baptizatum ungit Sacerdos Sancto unguento, crucis signum faciens in fronte, & in oculis, & in naribus, & in utraque aure, & in pedibus dicens: signaculum doni Sp. sancti, Amen*.

Apud Latinos vero: *Pontifex*, ait ordo Romanus (*cap. de ordine in nocte & die Sabbati S.*), *veniens ad infantes . . . . . & imposita manu super capita eorum, dicit orationem super eos, cum invocatione septiformis gratiæ Sp. sancti: oratione impleta, interrogantibus Diaconibus nomina singulorum, Pontifex tincto pollice in chrismate, faciat crucem in frontibus singulorum, ita dicendo: confirmo te in nomine Patris, & Filii, & Sp. Sancti, Amen*.

PROBATIO I. PARTIS.

Jam sic argumentor. Hæc oratio ad formæ essentiam pertinet, quæ bene per omnia convenit cum oratione quam Apostoli manum neophytis imponendo fundebant, quamque deinceps Ecclesia Sp. Sanctum in recens baptizatos invocando, ab omni retro ætate servavit; atqui talis precatio est, quam Græci ac Latini ex instituto veteri, confirmando fundunt: quid enim quæso orabant Apostoli? nimirum, inquit auctor Sacer, (*Act.* 8, 15, & 17) *oraverunt pro ipsis, ut acciperent Sp. sanctum . . . . . tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spir. sanctum*: quid vero Apostolorum successores, priorum seculorum Antistites precabantur? hoc ipsum quod Apostoli: *Hoc nunc quoque apud nos geritur*, inquit S. Cyprianus (*Epist.* 73,) *ut qui in Ecclesia baptizantur, præpositis Ecclesiæ offerantur, & per nostram orationem ac manuum impositionem Sp. sanctum consequantur, & signaculo Dominico consummentur . . . . . Arianos cum Novatianis, aliisque Hæreticis, sicut est in synodo constitutum*, ait Siricius Pontifex Max. (*Ep.* 1 *ad Himerium c.* 1), *per invocationem solam septiformis Spiritus, Episcopalis manus impositione catholicorum conventui sociamus, quod etiam totus Oriens, occidensque custodit . . . . .* & Auctor Librorum de Sacramentis sub Ambrosii nomine (*lib.* 2, *c.* 2): *Post fontem superest, ut perfectio fiat, quando invocatione Sacerdotis Sp. sanctus infunditur, Spiritus sapientiæ & intellectus, Spiritus Consilii atque virtutis, Spiritus cognitionis atque pietatis, Sp. sancti timoris . . . . .* S. Hieronymus: *Hæc est*, inquit (*in dial. cont. Lucif.*) *consuetudo Ecclesiarum, ut Episcopus ad invocationem Spiritus S. ad eos qui per presbyteros & Diaconos baptizati sunt, manum impositurus excurrat . . . . .* & S. Aug. (*lib.* 15 *de Trinit. c.* 16) *neque enim aliquis discipulorum ejus dedit Spiritum Sanctum: orabant quippe ut veniret in eos quibus manum imponebant, non ipsi eum dabant*: Idem denique alii longe plures affirmant, quos in 1, & 3 qu. sæpe laudavimus: ita nunc contraho argumentum.

Orationi quæ impositionem manuum comitatur virtutem Sp. Sancti impartiendi, scripturæ & traditionis auctoritas tribuit, deinde oratio hæc nusquam est confirmationis administratione neglecta, imo in omnibus Græcorum ac Latinorum ritualibus stricte præscripta: quodque notabilius est, hæc ipsa oratio, tutum & inexpugnabile Catholicæ Ecclesiæ præsidium est, ad adstruendam adversus Hæreticos Sacramenti Confirmationis veritatem, divinamque institutionem; ergo fatendum, formæ Sacramentalis essentiam, saltem partialiter in illa consistere.

PROBATIO II. PARTIS.

Quod enim pariter ad illam pertineant verba quæ unctioni respondent, argumenta plurima persuadent.

I. Petimus ex omnium Ecclesiarum consensione: Græci & Orientales has voce ungendo pronuntiant: *Signaculum doni Spir. sancti, amen:* Si quid in Alexandrinorum, Æthyopum, aliorumque Euchologiis discrepantiæ est, in mera voce consistit: sensus enim ubique idem, Latinorum disciplina par: *Pontifex tincto pollice in chrismate*, ait Ordo Roma-

quam catholici adoptant, illud tamen certissimum est Ecclesiam in confirmationis administratione verbis quibusdam semper usam fuisse, ut subinde in hoc etiam Sacramento locum habeat illud S. Aug. accedit verbum ad Elementum, & fit Sacramentum; *frustra reclamantibus Calvino, Spalatensi, aliisque hæterodoxis. Plane Apostolos verbis usos esse testatur Scriptura* cap. 8 Act. *Idem succedentibus temporibus in Ecclesia servatum esse, ex plurimorum Patrum testimoniis evincitur, ac inter alios id disertissime tradit Innocentius I* in Epist. ad Decentium Eugubinum, *quamquam verba, quibus confirmationis forma exprimebatur, ob arcani disciplinam non memoret*.

manus (*cap. de Ord. in Sabb. S.*) *facit crucem in frontibus singulorum ita dicendo*: *confirmo te in nomine Patris*, & *Filii*, & *Sp. sancti*, *amen*: Romano Ordini libri omnes rituales consentiunt.

2. Ex antiquitate: apud Græcos quidem a primis viguisse temporibus, fidem facit *Concilium Constantinop.* I an. 381 habitum, Can. 7, ubi ritum confirmationis describens: *Signantes*, inquit, *dicimus signaculum doni Sp. sancti*: eumdemque octavo sæculo, non novum, sed acceptum a majoribus fuisse morem Latinorum verba Romani Ordinis modo recitata satis, nisi fallor, declarant: non enim ut recens instituta, sed velut ad disciplinam Sacramentorum pertinentia præscribuntur: at, inquis, de hac formula altum silent, quotquot ante *Romanum Ordinem* de Sacramentis Latinis scripserunt: esto; sed inde non sequitur, quod ante incognita fuerit: ex hoc enim silentio hoc unum eruitur, nondum prolatam in publicum formulam, quam antiqui Patres vivæ vocis traditione contenti, observabant, sed non vulgabant, cujus rei habemus ex *Innocentio I* certissimum testimonium, ille enim *in Ep. ad Decentium Eugubinum* sæpe memorata, postquam frontis unctionem dixit debere a solis Episcopis fieri, cum tradunt Spiritum Paracletum, subdit continuo: *Verba vero dicere non possum*, *ne magis prodere videar*, *quam ad consultationem respondere*. Innocentii ergo ætate, verba quædam mystica erant, frontis unctioni ex antiquo instituto adjuncta, quæ merito creduntur eadem, saltem quoad sensum fuisse ac illa quæ deinceps minore scrupulo, cum videlicet causæ silendi non amplius esset, in Romano Ordine, & ritualibus Latinorum vulgata sunt.

3. Ex virtute quam in his verbis Græci & Latini agnoscunt ad Sacramenti effectum producendum: Græci enim de confirmatione tractantes, hanc formulam quasi partem ejus essentialem præcipue memorant; *Episcopus recens baptizatum inungendo*, ait Simeon Thessalon. (*de Sacram. c.* 65) *Signaculum*, inquit, *doni Spir. sancti*, *amen*: *his nimirum verbis significans*, *unctionem esse Jesu Christi signum*, *tum quia fit in forma crucis*, *tum quia donum Sp sancti neophyto tribuit*. Nec aliter Gabriel Philadelphiensis, Gregorius Proto-syncellus, Georgius Coressius, aliique Græcorum præcipui sunt locuti. Latinos pariter in hac sententia esse, præter scholarum pene omnium testimonium, formulam hanc pro Apostolica & divina habentium, declarat Eugenius IV in decreto pro instructione Armenorum, ubi docet confirmationis hanc esse formam: *Signo te signo crucis*, & *confirmo te chrismate salutis*, *in nomine Patris*, & *Filii*, & *Sp. sancti*. Idemque Doctor Angelicus adstruit hoc argumento: *Dicendum*, inquit, (3 *p.q.* 72, *art.* 46, *in c.*) *quod prædicta forma est conveniens huic Sacramento*; *sicut enim forma rei naturalis dat ei speciem*, *ita forma Sacramenti continere debet quidquid pertinet ad speciem Sacramenti*; *sicut autem ut ex supradictis patet*, *in hoc Sacramento datur Sp. sanctus ad robur spiritualis pugnæ*; & *ideo in hoc Sacramento tria sunt necessaria*, *quæ continentur in forma prædicta*: *quorum primum est*, *causa conferens plenitudinem roboris spiritualis*, *quæ est S. Trinitas*, *quæ exprimitur*, *cum dicitur*: In nomine Patris &c. *secundum est*, *ipsum robur spirituale*, *quod homini confertur per Sacramentum materiæ visibilis*, *ad salutem*, *quod quidem tangitur cum dicitur*: confirmo te chrismate salutis: *Tertium est*, *signum quod pugnatori datur*, *sicut* & *in pugna corporali milites insigniis ducum insigniuntur*, & *quantum ad hoc dicitur*: Consigno te signo crucis: *in quo scilicet Rex noster triumphavit*, *ut dicitur ad Coloss.* 2, *v.* 15.

Ita S. Thomas: atqui easdem conditiones ad amussim implet forma Græcorum: σφραγὶς δωρεᾶς πνεύματος ἁγίου: *signaculum doni Spir. sancti*: in hac enim voce, *signaculum*, vexillum militiæ Christianæ: in ista, *Doni*, gratia roboris: & tandem in ista, *Sp. sancti*, Deus gratiæ auctor exprimitur. Ergo &c. hocque argumentum ita plerisque palmare est, ut aliter Græcorum de confirmatione fidem vindicari non posse contendant. *Græcos*, inquit noster Goarius (*in notis ad officium S. baptismatis n.* 31) *necesse est asserere*, *verum* & *perfectum confirmationis Sacramentum*, *chrismatis unctione velut materia proxima*, & *verborum* σφραγὶς δωρεᾶς πνεύματος ἁγίου, *forma*, *penes se semper habuisse*: *ita Concilium Constantinop.*, & *Trullanum*; *quæ si veram confirmationis formam non protulerint*, *nullam jam in Oriente superest confirmatio*, *nullum illius fundamentum*, *nulla de illo fides*.

§. SECUNDUS.

Diluuntur quædam difficultates.

Et hæc quidem licet plana nobis atque perspicua sint, graves tamen multorum judicio patiuntur difficultates. Itaque

Objiciunt: nihil Græci, quantum ad confirmandi formam, cum Latinis commune habent; ergo utrorumque immerito consensus jactatur.

Prob. ant. duas nostra assertio habet partes:

tes: nimirum oratione quæ est manuum impositioni adjuncta, & verbis unctionem comitantibus confirmationis constare formam; atqui in utroque ritu Græci plurimum discrepant a Latinis. Ergo &c.

Prob. min. quoad 1 partem: Latinorum oratio impositionem manuum, ut prædiximus comitatur; atqui Græci orando non imponunt manum, ut ex Euchologiorum silentio constat; Ergo &c.

℟. Nego ant. cujus falsitatem præmissa paragrapho præcedente argumenta, nisi fallimur, abunde probant.

Ad probat. concessa maj. nego min., & ad ultimum argumentum pariter minorem inficior: Græcos enim sine impositione manuum non orare, qu. præcedente, c. 2, §. 2, in responsione ad ultimam objectionem, certissimis Patrum testimoniis demonstratum est, ibidemque argumentum quod ducitur ex Euchologiorum silentio plene resolutum: quæ hic dicta sunt, relegat Theologus studiosus: nihil enim quod adjiciamus occurrit.

Inst. 1. atqui etiamsi Græci orando manum imponerent, non inde tamen sequeretur eos cum Latinis quantum ad vim & sensum formulæ convenire. Ergo &c.

Prob. subs. Latini septiformem Sancti Spir. gratiam, imponendo manum, invocant, quod Græci non faciunt; ergo etiamsi &c.

℟. Nego subs. ad probat. nego alteram partem ant. cujus ut appareat falsitas, Græcorum & Latinorum precandi formulam repræsento: *Omnipotens sempiterne Deus*, inquiunt Latini, *qui regenerare dignatus es hos famulos tuos, ex aqua & Sp. sancto . . . . emitte in eos septiformem Spiritum tuum sanctum Paracletum de cœlis, Spiritum sapientiæ & intellectus, Spiritum consilii & fortitudinis, Spiritum scientiæ & pietatis: adimple eos Spiritu timoris tui, & consigna eos signo crucis, in vitam propitiatus æternam.*

Græci vero: *Benedictus es Domine Deus, qui & hunc recens illuminatum servum tuum, per aquam regenerare voluisti: ipse, Domine, Rex omnium benigne, signaculum doni Sancti, & omnipotentis, & adorandi tui Spiritus, & Sancti corporis & pretiosi sanguinis Christi tui communionem ei largire, in santitate tua custodi illum, in vera fide confirma, a maligno & omnibus ejus astutiis illum erue, & salutari tuo timore in puritate & justitia animam illius custodi, ut in omni verbo & opere tibi placuit filius, & hæres evadat regni cœlorum: quia tu es Deus miserendi & salvandi: tibi gloriam rependimus, Patri, & Filio, & sancto Sp. nunc & semper, & in sæcula sæculorum, Amen.*

Atqui duo hi modi precandi, licet quantum ad litteræ corticem aliquantulum differant, propius tamen inspicientibus penitus reperiuntur æquales, & unius eiusdemque sensus: quid enim est, *signaculum doni Sancti, & omnipotentis & adorandi Spiritus* petere, quod Græci faciunt, nisi *septiformem Sp. sanctum paracletum de cœlis*, quod agunt Latini, invocare? rursum quid est, bene precari neophyto *confirmationem in vera fide, contra malignum & astutias ejus tutelam, in sanctitate, puritate, justitia & salutari timore custodiam*, quod Græci orant, nisi *sapientiæ & intellectus, consilii & fortitudinis, scientiæ, pietatis, & timoris Spiritum* cum Latinis efflagitare? præterea in utraque Græcorum ac Latinorum parte, post completum baptismatis Sacramentum funduntur hæc verba: *Omnipotens sempiterne Deus*, ajunt Latini, *qui regenerare dignatus es hos famulos tuos ex aqua & Sp. sancto, emitte* &c. Græce vero: *benedictus es Domine Deus, qui & hunc recens illluminatum servum tuum per aquam regenerare voluisti: ipse Domine* &c. ergo ex utrorumque sententia ad Sacramentum a baptismo diversum, quod aliud a confirmatione esse non potest, necessario pertinent.

Inst. 2. in hac Græcorum oratione duo petuntur, 1 ut recens baptizatis Deus signaculum doni Sancti, & adorandi Spiritus; 2 ut iisdem communionem corporis & sanguinis Christi concedat; ergo ad duo Sacramenta pariter hæc formula spectat; atqui ad participationem Eucharistiæ mere accidentaliter & per modum præparationis se habet: ergo a pari non ut pars confirmationis, sed ut dispositio ad illam haberi debet.

℟. Concesso ant. n. conseq. qui id genus argutiis delectantur, in scirpo nodos labore inutili quærunt; ideo verba quibus Eucharistiæ in hac precatione fit mentio, ad illam necessario pertinere dici non possunt: quia sine illis Eucharistia vere consecratur, vere datur, vere sumitur: adeoque ab ejus natura constituenda alienissima sunt: sed numquid idem dicere possumus de verbis quibus in neophytum illapsus Sancti Sp. invocatur, quæ certum est ex auctoritate scripturæ ad confirmationis essentiam pertinere? *Oraverunt*, inquit, *pro ipsis, ut acciperent Sp. sanctum*: numquid negare aliquis audeat hæc verba Sacramenti confirmationis effectus clarissime significare, significare vero ad sensum scripturæ, practice & ex opere operato; atque adeo ex iis quando ad elementum accedunt fieri Sacramentum? quamquam vero in eadem formula Eucharistiæ & confirmationis petitio conjungatur, non proinde debent ad confirmationem æqua-

æqualiter inutilia judicari, neminem quippe latet, non omnes voces quæ in Sacramentorum formulis enuntiantur, equaliter esse necessarias, aut ad Sacramentum quod hic & nunc traditur, essentialiter pertinere, cum pleræque irrepserint, quæ absolute sine dispendio Sacramentorum, Ecclesiæ ipsius judicio omitti possent: quod sane debemus de petitione Eucharistiæ in casu præsenti æstimare, quæ ideo in forma confirmationis fit, non quod ad confirmationem ulla ratione pertineat, sed quia cum eodem pene tempore confirmatio, & Eucharistia ministrentur, eodemque contineantur baptismi officio, proclive fuit formæ confirmationis, Eucharistiæ mox suscipiendæ mentionem inserere, pari ratione baptismi jam accepti ibidem a Græcis & a Latinis memoria fit.

Inst. 3. atqui tota illa precatio nihil aliud est, quam mera ad confirmationem præparatio, Ergo &c. prob. subs. si ad Sacramenti essentiam pertineret, deberet proxime conjungi cum unctione, quam pariter volumus constituere confirmationis naturam: Sacramentum enim quodlibet cum unum in se sit & divisum, interruptionem non patitur; sed una, saltem moraliter, actione confici debet, atqui ex Euchologio Græcorum, unctio ab hac oratione, loco & tempore plurimum distat: nam in loco ipso baptisterii oratio funditur, unctio fit juxta altare, *ad S. Petrum*, ut Græci loquuntur: deinde unctionem ab oratione sat longa temporis intercapedo disjungit; postquam enim Sacerdos orationem *Benedictus es Dominus Deus* &c. effudit, secedit de sacro fonte, ad vestiarium digreditur, quas ad baptismi officium induerat vestes deponit, assumit alias sacrificio inservituras: mox a vestiario pergit ad altare: ibique demum baptizati frontem inungens dicit: *Signaculum doni Sp. sancti, amen*. Ergo &c.

℟. Nego subs. ad probationem:

℟. 1. Concessa maj. n. min. de omnibus Græcorum Euchologiis intellectam: duo enim tantum hactenus sunt reperta, quorum fragmenta *Goarius* in suis ad rituale Græcorum notis exscripsit, scilicet *Crypto-Ferratense Bessarionis*; & *Barberinum* unum, quæ orationem ab unctione tempore & loco secernant, in cæteris tum antiquissimæ, tum recentioris ætatis, nulla nec loci, nec temporis, nec vestium sacrarum mutatio facienda præscribitur: sed in eodem ubi super neophytum precatus est Sacerdos loco consistens, *oratione hac terminata*, ut in Euchologiis legitur, sine mora *baptizatum sancto unguento ungit, crucis signum faciens in fronte, & in oculis, & in manibus, & in utraque aure, & in pedibus, dicens*: Signaculum doni Sp. Sancti, amen; frustra itaque contra communem & antiquissimam Græcæ Ecclesiæ disciplinam, unius aut alterius Euchologii contraria præscriptione pugnatur: unde si quid hoc argumentum probaret, hoc unum certe probaret, *Crypto-Ferratensi & Barberino* codici, contra aliorum constans & uniforme testimonium fidem non habendam: quoniam vero quæstio esse potest, utrum cum illa loci & temporis distantia Sacramentum constaret, quod probabilissimum est hoc ritu aliquando esse collatum:

℟. 2. Nego absolute maj., & ad annexam probationem dist. Sacramentum, cum sit unum & indivisum, interruptionem non patitur, *quæ fiat per actionem diversam, contrariam, vel indifferentem*, conc. *Si interruptio ipsa ad ritum ejus pertineat*, n. maj. & data ad sensum primæ responsionis minore, n. conseq.

E. R. Pro cujus assecutione observandum, difficultatem hanc in his tantum Sacramentis occurrere, quæ materia & forma duplici coalescunt: nam in cæteris quæ unius materiæ uniusque formæ sunt, locum habere non potest, in quibus applicationem materiæ forma indivulse comitatur: porro ut ex prædictis constat, geminam confirmatio materiam habet, & geminam formam, nec potest utraque una ac physica actione compleri; itaque ut Sacramenti unitas constet, sufficit actionum moralis identitas atque conjunctio: hanc porro identitatem equidem abrumperet media actio, quæ contraria, aut diversa, aut indifferens foret: quomodo si Episcopus impositione manuum & oratione facta, unctionem in aliud tempus remitteret, interim vero vel confessionibus audiendis, vel infirmis invisendis vacaret, aut etiam nihil agendo, medium tempus in otio & colloquio inutili tereret: at in casu præsenti de illa temporis & loci distantia nihil simile dici potest, tum quia ad ipsam Sacramenti perfectionem pertinet, tum quia non tanta est, ut actum mysterii notabiliter interrumpat, paucis enim momentis hæc a baptisterio ad vestiarium, & a vestiario ad altare migratio fit: cujus rei, non in nostra quidem, sed in quorumdam Theologorum opinione exemplum Sacra presbyterorum ordinatio subministrat: contendunt ii instrumentorum porrectionem, & manuum ultimam impositionem, quæ ab Episcopo post absolutum sacrificium & communionem fit, ad essentialem presbyteratus materiam pertinere; atqui inter hæc duo magna interruptio, tota scilicet sacrificii celebratio intercedit, instrumentorum enim porrectio ante Evangelium fit; nec tamen ideo a præconcepta opinione hi Theologi amoventur, quia quidquid temporis, quidquid sacri-

sacri ministerii ab instrumentis porrectis, ad hanc ultimam manuum impositionem excurrit, nihil habet ordinationi sacræ contrarium, imo ad ejus perfectionem pertinere jure putatur: idem ergo foret de confirmatione dicendum, si a Græcis prout in argumento supponitur, conferretur.

Inst. 4. Probando min. primi argumenti quantum ad 2 Partem, quæ erat de verbis unctionem comitantibus: Græci hæc ut prædiximus ungendo pronuntiant: *Signaculum doni Sp. sancti, Amen.* Latini vero: *Signo te signo crucis, confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris, & Filii, & Sp. sancti*: atqui harum formularum magna discrepantia est, nedum dici possint convenientes: Latini enim totam exprimunt Trinitatem, Græci solum Sp. Sanctum appellant: Latini hominem Sacramenti subjectum enuntiant, *Signo te*, *confirmo te*, de quo Græci altum silent: Latini chrismationem designant, *confirmo te chrismate salutis*, Græci prætermittunt: Latini de dono gratiæ nec verbum habent, de quo tota est forma Græcorum. Ergo &c.

℟. Concessa maj. dist. min. harum formularum magna differentia est, quantum ad sonum, conc. quantum ad sensum, n. min. & conseq.

E. R. Græcorum cum Latinis litteralem in formis Sacramentorum consensionem requirere, ita ut syllabæ syllabis ex æquo respondeant, puerile fuerit, & majestate Religionis indignum: sat igitur est ut sensu conveniant, quantumlibet aliunde discrepent verbis: alioquin enim non modo confirmationem, sed & baptismum ipsum, & cætera Sacramenta alterutri non haberent; atqui formulæ de quibus agitur in præsenti, voce licet differant, in eumdem certe sensu conveniunt: nam

1. Non est absolute in hoc Sacramento necessaria totius Trinitatis expressio: sive ergo solus Sp. Sanctus, sive tres personæ nominentur, constabit nihilo secius veritas Sacramenti.

2. Licet Græci personam quæ confirmatur non exprimant, ipso tamen opere, ipsaque formæ ad subjectum, quando unctio fit, applicatione, quantum sat est, designatur.

3. Græcos chrismationem penitus non reticere contendimus: vox enim, *signaculum*, vel in sensu causali accipitur, nimirum pro instrumento ad gratiam conferendam, & characterem infigendum, divinitus comparato, vel in sensu formali idest pro ipso effectu, qui est gratia & character: si primum dicas, unctio ergo signaculi voce significatur: si secundum, cum effectus connotet causam, qui characterem & gratiam dicit, unctionem utique dicit utrisque effectricem: quamquam etsi daremus chrismationem a Græcis nullatenus exprimi, hoc unum inde sequeretur, eorum formam a Latina accidentaliter discrepare: quis enim asserere audeat necessariam esse necessitate Sacramenti chrismationis expressionem?

4. Negamus pariter, de dono gratiæ Latinos nec verbum habere: quando enim dicunt: *confirmo te chrismate salutis*, gratiam roboris hujus Sacramenti propriam, ut ex S. Thoma prædiximus, connotant: igitur quantumvis Græci a Latinis voce differant, in eundem tamen sensum certissimum est convenire.

Eaque ratione non cum Græcis tantum, sed & secum ipsis Latinos conciliare proclive erit, de quibus, ut verum fatear, contentiosius quam par esset nostrates Theologi disputant, utrum omnes quem ungendo adhibent voces, pariter dici debeant Sacramento essentiales? statim enim ac constat, ad formam Sacramenti sat esse, vim ejus propriam, atque ut sic dixerim, indolem significare: quid juvat de unaquaque in singulari voce, tamquam de fidei capite importunas movere lites, vanisque id genus quæstionibus implere chartas, quæ nec auctoritate nec ratione dirimi possunt: nec ad Sacramentorum praxim ullatenus pertinent, quæ tunc bona & legitima est, cum unusquisque quos suæ Ecclesiæ novit esse proprios ritus observat?

Inst. ultimo: saltem negare vix posse videmur, harum formarum alterutram superfluere: vel enim hoc ipso tempore, quo Episcopus neophyto manum imponendo super ipsum orat, Spiritus Sancti illapsus in illum fit, vel non: si primum dixeris; ergo forma unctioni conjuncta inutilis est, quippe quæ confirmatio nil conferat: si secundum; ergo forma Sacramenti dici oratio illa non potest, cum ejus effectum non operetur: unde consequens est, melius sentire illos qui unam ac simplicem confirmationis materiam, & formam esse contendunt.

℟. nego ant. ad probat. conc., neque sola oratione manuum impositioni adjuncta, neque sola formula quæ comitatur actum ungendi, Sp. Sanctum infundi: sed nego hinc sequi alterutram esse superfluam, quando enim ad unum eundemque effectum necessario duæ partiales causæ concurrunt, non ideo debet una dici superflua, quia se sola effectum non exerit, qui ab utriusque conjunctione dependet, & utriusque requirit influxum: sint duo homines ponderi trecentarum librarum sustinendo utrique pares: sit sexcentarum librarum pondus tollendum; vires suas geruli duo commisceant, & conferant ad pondus tollendum: Numquid ideo dicturus es superfluere alterum, quia sarcinam solus non attollit, quæ operam utrius-

utriusque requirit? pariter & nos de utraque confirmationis forma sentimus: utraque ad obtinendum Sacramenti effectum necessaria est; ergo neutra superfluit, cum ab utriusque conjunctione vis Sacramenti ex divina institutione dependeat.

QUÆSTIO QUINTA.

De confirmationis effectibus.

EFfectus duos sibi confirmatio vindicat, gratiam & characterem, illam cum omnibus Sacramentis communem, istum cum baptismo & ordinatione peculiarem, de utraque eo parcius in præsenti dicendum, quod satis copiose fuerit hactenus explicatus: nam de charactere l. 1, qu. 4, tractavimus: quæ vero in libro præsenti de hujus Sacramenti veritate, materia, & forma præmisimus, quid aliud nisi gratiam spirant, quam virtute propria in neophytos influit? itaque sat modo erit, quæ fuse prædicta sunt, in unam veluti tabellam, ne quid continuitati doctrinæ desit, arctare.

CAPUT PRIMUM.

De gratia confirmationis.

QUod porro dicimus, confirmationem cum cæteris Sacramentis gratiam habere communem, non ita venit intelligendum, quasi nihil gratiæ aliorum adjiciat, nec quidquam amplius quam cætera præstet: etsi enim communem omnia habeant, sanctificandi aut sanctitatem augendi virtutem: gradu tamen & fine proximo singula differunt, propriosque habent modos sanctificandi: *Dicendum*, inquit S. Thomas (3 p. q. 72, art. 1, in c.) *quod Sacramenta novæ legis ordinantur ad speciales gratiæ effectus: & ideo ubi occurrit aliquis specialis effectus gratiæ, ibi ordinatur speciale Sacramentum.... sic igitur vitam spiritualem homo accipit per baptismum, qui est spiritualis regeneratio: in confirmatione autem accipit quasi quandam perfectam ætatem spiritualis vitæ:* hæc autem perfecta ætas in quo consistat, ut exponamus, sit

§. PRIMUS.

Ostenditur gratiam confirmationis propriam, esse gratiam roboris & perfectionis.

Ad 1. confirmatione produci gratiam, testimonia scripturarum & traditionis sæpe citata aperte denuntiant: *Imponebant manus super illos*, ait S. Lucas (*Act.* 8, 17), *& accipiebant Sp. sanctum*, videlicet non gratias tantum gratis datas, & dona miraculorum, (qui fuit effectus transitorius) sed internæ gratiam sanctitatis, prout ex S. Aug., & serie Patrum demonstratum est.

2. Gratiam hanc esse virtutis ac roboris ad intrepidam Jesu Christi coram Tyrannis confessionem, & defensionem Christianæ veritatis, non minus perspicue Catholica Doctrina declarat: *Caro signatur*, inquit Tertullianus, (*de resurr. carnis c.* 8.) *ut anima muniatur* .... & alibi ad Christi verba alludens: (Luc. 24, 44) sedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto: *Ecclesia*, inquit (*de præscript. c.* 36,) *fideles aqua signat, Sp. sancto vestit, Eucharistia pascit:* ubi tria Sacramenta, baptismum, confirmationem, & Eucharistiam verbis paucissimis comprehendit .... & S. Cyrillus Hierosol. (*catec.* 3, *mystag.*) *post chrisma mysticum induti armis Sp. sancti, adversus vobis oppositam potestatem consistatis*. S. Eucherius Lugdunensis: *Forte*, ait, (*in hom. de Pentec.*) *cogitat aliquis: quid mihi prodest post mysterium baptismatis, mysterium confirmationis? attendat charitas vestra, sic enim exigit militaris ordo, ut cum Imperator quemcumque in militum receperit numerum, non solum signet receptum, sed etiam armis competentibus instruat pugnaturum ..... ergo Sp. sanctus, qui super aquas baptismi salutifero descendit illapsu, in fonte plenitudinem tribuit ad innocentiam, in confirmatione augmentum præstat ad gratiam: & quia in hoc mundo tota ætate victuris inter visibiles hostes & pericula gradiendum est, in baptismo regeneramur ad vitam, post baptismum confirmamur ad pugnam, in baptismo abluimur, post baptismum roboramur: ac sic continuo transituris sufficiunt regenerationis beneficia, victuris autem necessaria sunt confirmationis auxilia.*

Quibus concinens S. Thomas: *Per Sacramentum confirmationis*, inquit, (3 p. q. 72, ar. 5, in c.) *datur homini potestas spiritualis ad quasdam alias actiones sacras præter illas ad quas datur ei potestas in baptismo: nam in baptismo accipit homo potestatem ad ea agenda quæ ad propriam pertinent salutem, prout scilicet secundum seipsum vivit: sed in confirmatione accipit homo potestatem ad agendum ea quæ pertinent ad pugnam spiritualem contra hostes fidei, sicut patet ex exemplo Apostolorum, qui antequam plenitudinem Sp. Sancti acciperent, erant in cœnaculo perseverantes in oratione, postmodum vero egressi non verebantur publice fidem fateri, etiam coram inimicis fidei Christianæ.*

3. Nec minus certum est, gratiam confirmationi

mationi propriam, gratiam esse perfectionis, quo enim quisque augetur ac roboratur, hoc ipso perficitur; atqui gratia confirmationis, augmentum homini præstat & robur: perficiat ergo necesse est: hinc ex S. Cypriano ideo neophyti confirmantur, *Ut per nostram orationem*, inquit (*Ep.* 73) *ac manus impositionem Sp. sanctum consequantur, & signaculo Dominico consummentur*: Et ex S. Cyrillo Alex. ideo baptismum confirmatio sequitur, *ut* (*comment. in Joel.*) *per sacrum baptisma in Christo justificatis conferat ad consummationem*; hinc a presbyteris & Diaconis, vel etiam, in necessitate, a Laicis baptizati, ad Episcopos duci a Concilio Eliberitano jubentur (*canon.* 38, & 77) *ut per manus impositionem perficiantur*: parique sensu S. Ambrosius, sive quisquis sub ejus nomine delitescit scriptor Librorum de Sacramentis: *Post fontem*, ait (*lib.* 3, *cap.* 2), *superest ut perfectio fiat, quando ad invocationem Sacerdotis Sp. sanctus infunditur*: poteramus alios eosque plurimos addere; noluimus vero ne antedictorum repetitione inutili, Lectori molestiam inferamus.

§. SECUNDUS.

Retunduntur Hæreticorum cavilli.

Nulli magis Hæreticis recentioribus contra Scholasticam Theologiam invecti sunt quam velut cavillorum & sophismatum parentem fœcundam omni occasione traducunt: nulli vero turpius in hoc ipsum quod nobis immerito exprobrant vitium impegerunt: relicta namque auctoritate quam oportet in divinis adstruendis dogmatibus ducem esse, unam rationem secati sunt, quæ hoc ipso desivit esse ratio, quod in rebus tanto gradu eminentibus supra rationem præsidio auctoritatis est destituta.

Objectio: hujusmodi est quod in præsenti opponunt: doctrina, ajunt, rejici debet, quæ non potest sine contumelia baptismi defendi; atqui talis est sententia quæ confirmationi gratiam roboris & perfectionis adscribit: in baptismum enim est contumeliosus, quisquis illum imbecillitatis & imperfectionis accusat; atqui quo magis attollitur confirmatio, ut roboris & perfectionis Sacramentum esse dicatur, eo magis baptismus infirmitatis arguitur quod sine ejus, imo Dei ipsius, a quo lavacrum aquæ est institutum, opprobrio & despectu non fit. Ergo &c.

℟. Concessa maj. n. min. ad probationem data pariter maj. nego iterum min. numquid enim vero probrosum baptismo est, ea carere virtute, quam divinitus non accepit, aut eam homini non afferre perfectionem, quam solius confirmationis propriam Deus esse voluit? numquid ideo Angelus aut homo contemnitur, quia homine Angelus, Angelo Archangelus perfectior affirmatur? numquid (ut ab ipsis Lutheranis & Calvinistis in præsenti materia exemplum sumamus) despiciunt illi baptismatis Sacramentum, quia plus aliquid Eucharistiæ, ut revera habet, attribuunt? itaque hoc argumentum mera nugacitas est, risu potius quam serio refellenda: quod utrique genuinum est Sacramento doctrina Ecclesiæ sartum tectumque custodit: baptismo, regenerandi, confirmationi virtutem regeneratum perficiendi, divinitus edocta, adscribit: & quemadmodum confirmationem non despicit, negando quod hominem ad novam transferat vitam: ita nec erga baptismum contumeliæ accusari potest, quando negat per illum virtutis ac roboris incrementum præstari: *Quia sensibilia & corporalia gerunt spiritualium & intelligibilium similitudinem*, inquit S. Thomas (3 *p. q.* 72, *ar.* 1, *in c.*), *ex his quæ in vita corporali aguntur, percipere possumus, quid in spirituali vita gratiæ specialis existat: manifestum autem est, quod in vita corporali specialis quædam perfectio est, quod homo ad perfectam ætatem perveniat, & perfectas actiones hominis agere possit: unde & Apostolus dicit*: (1 Cor. 13, 11) cum autem factus sum vir, evacuavi quæ erant parvuli. *Et inde est etiam, quod præter motum generationis, quo aliquis accipit vitam corporalem, est motus augmenti, quo perducitur ad perfectam ætatem: sic igitur & vitam spiritualem homo accipit per baptismum, qui est spiritualis regeneratio: in confirmatione autem accipit quasi quandam perfectam ætatem spiritualis vitæ, &c.*

Inst. 1. Probando min. ideo Catholici volunt, confirmationem esse perfectionis ac roboris Sacramentum, quia existimant per illam dari Spiritum tuentem & defendentem; atqui hoc ipsissimum baptismi officium esse constat ex Ecclesiæ precibus, quibus in ipsa actione baptismi Deus oratur, *ut quem regeneravit ex aqua, in vitam æternam custodiat*: ergo dicere confirmationem esse virtutis & perfectionis Sacramentum, summa baptismi injuria est: *Propius adhuc inspiciamus*, ait Calvinus (*inst. lib.* 4, *c.* 19, §. 8) *quot monstra foveat alatque hæc pinguedo: dicunt isti unctores, Spiritum S. in baptismo ad innocentiam dari, in confirmatione ad gratiæ augmentum: in baptismo nos regenerari ad vitam, in confirmatione nos ad pugnam instrui: & ideo nihil eos pudet, ut negent baptismum*

rite

rite sine confirmatione perfici posse: o nequitiam .... videte malitiam & sonticam satanæ fraudem, qui ex Deo estis: quod vero in baptismo dabatur, in sua confirmatione dari mentitur, ut furtim incautos a baptismo abducat: quis jam dubitet, hanc satanæ esse doctrinam, quæ promissiones baptismi proprias, a baptismo abscissas, alio derivat & transfert? ita homo sacrilegus, cujus impietatem *Dallæus*, aliique secuti sunt.

℟. Disting. maj. Ideo Catholici volunt &c. quia existimant per illam dari Spiritum tuentem & defendentem, *Peculiari quodam modo*, conc. *absolute, & exclusive*, quasi cæteris Sacramentis nulla ratione conveniat, neg. maj. distinguo pariter min. hoc ipsum baptismi officium est, dare scilicet Spir. Sanctum, *ad præsidium & tutelam infantiæ Christianæ*, conc. *dare Spiritum tuentem & defendentem omni modo*, hacque ipsa ratione qua dari per confirmationem contendimus, ad prælia contra hostes visibiles fidei sustinenda, n. min. & conseq.

E. ℟. Dare Spiritum tuentem & defendentem omni ac cuilibet Sacramento sine dubio convenit, quia Sacramentum quodlibet gratiam confert: porro gratia adjutorium hominis & protectio est: hanc sane gratiam modo suo plenissime baptisma confert, quatenus hominem renovat, & a statu peccati ad statum justitiæ transfert, eumdemque a servitute diaboli in libertatem vindicat gloriæ filiorum Dei: quod quidem prægrande sane ac magnificentissimum donum, ut actuosum, minimeque iners desidiosumque dicamus, monitore Calvino non indigemus; est itaque suum baptismi proprium robur, est & perfectio propria: at suis tamen limitibus continetur, nec sibi effectus arrogat, quos voluit Deus aliorum Sacramentorum esse peculiares: rem paucis explicat S. Thomas verbis supra citatis (3 *p. q.* 72, *ar.* 5, *in c.*): *In baptismo*, inquit, *accipit homo potestatem ad ea agenda, quæ ad propriam pertinent salutem, prout scilicet secundum se ipsum vivit: sed in confirmatione accipit potestatem ad agendum ea, quæ pertinent ad pugnam spiritualem contra hostes fidei: sicut patet exemplo Apostolorum &c.* .... & ib. in respons. ad 1: *Dicendum*, ait, *quod pugna spiritualis contra hostes invisibiles omnibus competit: sed contra hostes visibiles, idest, contra persecutores fidei pugnare, nomen Christi publice confitendo, est confirmatorum, qui jam sunt perducti spiritualiter ad virilem ætatem, secundum quod dicitur* 1 *Joann.* 2, *v.* 14, Scribo vobis juvenes, quoniam fortes estis, & verbum Dei in vobis manet, & vicistis malignum: *Et ideo character confirmationis est signum distinctivum, non infidelium a fidelibus, sed spiritualiter provectorum ab his quibus dicitur:* (1 Petri 2, 2) sicut modo geniti infantes &c.

Inst. 2. At, inquit *Calvinus*, qui negant baptismum sine confirmatione posse rite perfici, baptismum profecto contemnunt deprimuntque; atqui hæc Catholicorum non tam opinio, quam nequitia est. Ergo &c.

℟. Concessa maj. nego min. & dico insignem hanc *Calvini* esse calumniam ex malitia aut inscitia ejus profectam: aliud est baptismum negare perfectum, aliud negare perfectum hominem cui post baptismum confirmatio & cætera Sacramenta ad salutem & ornatum ejus divinitus destinata nondum accesserint: baptismum hoc ipso quod in elemento aquæ verbis Evangelicis consecratur, in se ipso esse perfectum, cum id omne habeat quod ex divina institutione requirit, quis unquam Catholicus, vel somniando, negavit? Sed non ideo perfectus est homo, quamdiu ei cætera desunt, ad ejus perfectionem divinitus comparata: hinc a Patribus qui baptizati semel fuerint, dicuntur per manuum Episcoporum impositionem perficiendi: perfectione itaque aliqua caret, qui solum baptizatus est, etiamsi baptisma perfectione sua non careat: quomodo (ut exemplum sumamus a naturalibus) perfectus dici homo non potest, qui solum est mathematicus, interimque aliis disciplinis est destitutus, tametsi bona de se & perfecta res mathematica sit.

Inst. 3. Hoc potissimum effectu Catholici suam confirmationem insigniunt, quod velint per illam hominem ad perfectam ætatem perduci; atqui ad perfectam vitæ spiritualis ætatem promovere non confirmationi sed Eucharistiæ convenit: hoc enim homo crescit ac convalescit, quo nutritur; atqui Eucharistia nutrimentum animæ est: ergo &c. ita *Dalleus* Calvinianus minister, *l.* 1 *de confirm. c.* 2, ubi refutans quod est a S. Thoma merito dictum (3 *p. q.* 73, *ar.* 1, *in c.*): in confirmatione hominem accipere quasi quandam perfectam ætatem spiritualis vitæ: *Imo, o Thoma*, inquit, *non in tua confirmatione, sed in Domini Eucharistia perfecta illa ætas accipitur, certe tua ratiocinatio id conficit: nam in natura unde tu argumentaris, notum est nos, quibus nutrimur, iisdem augeri & crescere, & ita ad ætatem perfectam perduci: cum ergo in spiritualibus nos per Eucharistiam nutriri & clarum sit & confessum: simile illud tuum, si valet, efficit ut per Eucharistiam quoque spirituale incrementum habeamus, atque ita ad ætatem perfectam dedu-*

camur, quia imo si res ad tuum simile exigatur, apparebit confirmationem male ad eum quem urges augmenti motum esse comparatam, Eucharistiam optime; nam ut in natura non simul ac semel, sed sensim paulatimque crescimus, & adjætatis perfectionem pervenimus, non semel, sed sæpius, iterum atque iterum cibis utentes: ita & in gratia, ex eadem a te constituta analogia, decet nos id per quod crescimus, Sacramentum sæpius sumere: quod, ut omnes vident, Eucharistiæ quidem convenit, a confirmatione vero, quam vos iterari vetatis, alienum est.

R. Concessa maj. neg. min. hominem enim ad perfectam vitæ spiritualis ætatem deducere, utrique Sacramento suo modo convenit; adeoque nec confirmationem Eucharistia, nec Eucharistiam confirmatio ab officio hominem corroborandi excludit: *Sacramenta Ecclesiæ*, ait S. Thomas (3 *p. qu.* 72, *art.* 1, *in c.*) Dallæi argutias prævidens, longeque ante refellens, *ordinantur ad subveniendum homini in vita spirituali: vita autem spiritualis vitæ corporali conformatur, eo quod corporalia spiritualium similitudinem gerant: manifestum est autem, quod sicut ad vitam corporalem requiritur generatio per quam homo vitam accipit, & augmentum quo homo perducitur ad perfectionem vitæ: ita etiam requiritur alimentum, quo homo conservatur in vita; & ideo sicut ad vitam spiritualem oportuit esse baptismum, qui est spiritualis generatio, & confirmationem quæ est spirituale augmentum, ita oportuit esse Sacramentum Eucharistiæ, quod est spirituale alimentum*; viden, ut S. Doctor spiritualis confirmationis augmentum, ab alimento Eucharistiæ, quod sine proprio augmento non est, aperte distinguat?

Ad probat. concessa maj. & min. n. conseq. exclusive intellectam: quod enim eo omni spiritualiter homo crescat, quo nutritur, & quod per Eucharistiam nutriatur, inde non sequitur quod non possit alio modo crescere per confirmationem: *duplex est perfectio*, ait ibidem Angelicus Doctor (*in resp. ad* 1), *una quæ est in ipso homine, ad quam perducitur per augmentum: & talis perfectio competit confirmationi: alia autem est perfectio, quam homo consequitur ex adjunctione alicujus extrinseci hominem conservantis, puta ex adjunctione cibi, vel indumenti, vel alicujus hujusmodi: & talis perfectio competit Eucharistiæ, quæ est spiritualis refectio*. Itaque juxta Doctrinam Ecclesiæ, quam tuetur & explicat S. Doctor, per confirmationem & Eucharistiam homo aliter & aliter crescit, nec incrementum ab uno Sacramento acceptum, augmento per alterum acquirendo præjudicat: *Restat igitur*, ait alibi (3 *p. q.* 79, *art.* 1, *ad* 1), *ut cum ipsum Eucharistiæ Sacramentum realiter sumitur, quod gratia augeatur, & vita spiritualis perficiatur: aliter tamen quam per Sacramentum confirmationis, in quo augetur & perficitur gratia ad persistendum contra exteriores impugnationes inimicorum Christi: per hoc autem Sacramentum augetur gratia & perficitur spiritualis vita ad hoc quod homo in se ipso perfectius existat per conjunctionem ad Deum.*

Quantum autem doctrina hæc sit consentanea veritati, verba Christi aperte demonstrant. *Ego*, inquit, (*Luc.* 24, 49) *mittam promissum Patris mei in vos: vos autem sedete in civitate, quoad usque induamini virtute ex alto*: iis namque verbis effectus Sacramenti confirmationis asseritur Apostolis conferendus, idem miraculose ab iis accipiendum respondetur, quod ipsi deinceps imponendo manum daturi erant: promittitur vero novum robur: *Quoad usque*, inquit, *induamini virtute ex alto*: jam sic prosequor argumentum; atqui jam baptizati erant Apostoli, & Divina Eucharistia enutriti, quando eos hac spe Christus recreavit: vel ergo fateantur hæretici, quendam esse modum incrementi proprium confirmationis, vel si hoc obstinate negare pergunt, non jam S. Thomam & cum eo Catholicam Ecclesiam, sed Christum ipsum Ecclesiæ institutorem accusent, quod jam dederat, nec dare ultra poterat fallaciter promittentem.

Inst. 4. at, inquiet aliquis, si is esset proprius quem Catholici tantopere venditant confirmationis effectus, aliquo experimento certum sui testimonium faceret: eoque magis, quod ageret, ut ajunt, ex opere operato: causæ enim quarum tanta est virtus, ut statim atque sunt, necessario operentur, non solent, nec vero possunt esse desidiosæ; atqui nullum tale sui ipsius unctio confirmatoria exhibet argumentum: quotidiano enim experimento notissimum est, confirmatum a non confirmato nihil virtute præcellere; imo sæpe contigit, ut qui confirmatus non fuerit reperiatur ad Christi nomen confitendum, & contra ejus adversarios mortem intrepide tolerandam paratior, quam cujus frons oleo fuerit delibuta. Ergo &c.

R. 1. Hoc argumento, si quid probaret, pariter evincendum, non modo confirmationis, sed & baptismi, & Eucharistiæ, & aliorum Sacramentorum nullum esse effectum: quia in plerisque nihil operantur: experientia enim constat, plerumque baptizatum a non baptizato nihil sanctitate differre: quin e contrario sæpe accidit, ut melius vivat Paganus, quam qui baptisma receperit: idemque in cæteris,

Sacra-

Sacramentis locum habet: itaque argumentum nihil probat, quia nimis.

℞. 2. Nego min. quantum enim confirmatio valeat, præclare in Apostolis die Pentecostes apparuit, qui vix effectum Sacramenti miraculoso Sp. Sancti illapsu susceperant, cum in publicum intrepide prodeuntes, omnique despecto ingruentium suppliciorum periculo, Dominum Jesum Christum gloriose confessi sunt, nec ab hoc officio donec vitam profunderent destiterunt: apparuit in tanto cujusvi ætatis, sexus omnis atque conditionis agmine martyrum, qui sacro oleo per manus impositionem Antistitum in fronte perfusi, per fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam, convaluerunt de infirmitate, fortes facti sunt in bello, & gloriosam pro Christo mortem oppetierunt: apparet etiamnum in iis qui ad tantum Sacramentum, bene uti par est, præparati accedunt: quibusque promptius foret mori millies, quam datam Jesu Christo fidem infringere, & Sacram ejus militiam abnegare.

Quod si non in omnibus appareat qui Sacramentum susceperunt, vel etiam in iis interdum appareat, qui donati Sacramento non sunt: hoc unum inde sequitur quod non negamus, non omnes scilicet qui visibile Sacramentum suscipiunt, rem Sacramenti, defectu debitæ præparationis, recipere, neque eos qui recipiunt, inamissibiliter possidere, neque Deum ita suam Sacramentis potentiam alligasse, quin eorum effectum sine iis aliquando, quibus voluerit, largiatur. Sequitur

CAPUT SECUNDUM.

De charactere confirmationis.

PEr confirmationem infigi indelebilem in anima characterem, fidei dogma est: *Si quis dixerit*, inquiunt Patres Trid. (*sess. 7 de Sacr. in gener. can. 9*) *in tribus Sacramentis, baptismo scilicet, confirmatione, & ordine, non imprimi characterem in anima, hoc est signum quoddam spirituale & indelebile, unde iterari non possunt: anathema sit*: idem antea ab *Eugenio IV* in decreto pro instruct. Armenorum expresse fuerat definitum.

Consentit doctrina Patrum perpetua: docent enim

1. Neophytos per confirmationem, tamquam milites Christi signari: *Signat illic in frontibus milites suos*, ait Tertullianus in libro de præscript., ut probet diabolum Sacramenta Dei ritu sacrilego imitari. Pari sensu S. Cyprianus affirmat (*Epist. 75*) recens baptizatos *Signaculo Dominico consummari*: Theodoretus, (*l. 4 in cant.*) *velut sigillum quoddam regium*: Leo Magnus (*serm. 4 de nat.*), *Signaculum vitæ æternæ*: S. Gregorius Nazienz. (*in exhort. ad S. Lavacrum*), *sigillum suscipere, quod sepulturam ipsam comitetur, & post mortem maneat.*

2. Confirmationem quam semel rite datam constiterit, non debere iterari. *De dedicationum Ecclesiarum dubitatione, super qua inter cætera nos consuluistis*, ait S. Gregorius M. (*lib. 12, Ep. 31 ad Felicem Episc.*), *hoc vos rite tenere debetis, quod nos ab antecessoribus nostris traditum accepimus: idest, ut quoties tam de baptismo aliquorum, vel confirmatione, quam de Ecclesiarum consecratione dubitatio habetur, utrum baptizati fuerint, vel confirmati, sive Ecclesiæ consecratæ? ut baptizentur tales ac confirmentur, atque Ecclesiæ canonice dedicentur, ne talis dubitatio ruina fidelibus fiat: quoniam non monstratur iteratum, quod non certis indiciis ostenditur rite peractum* ..... Præiverant Patres Concilii V Carthagin. can. 6 decernentes, hoc tantum casu posse confirmationem iterationis subire periculum, quando de ea, collata ne foret, ambigeretur: *Si de facto baptismi*, inquiunt, *confirmationis, consecrationis dubitetur, nec possit ulla probatio, inquisitione facta succurrere, perinde agendum est, ac si nihil horum factum fuisset*. Eodem spectant Concilii quini-sexti can. 88, Meldensis can. 8, S. Leonis Magni Ep. 35 ad Leonem Episcopum Ravennatem, & pleraque alia majorum decreta.

3. Characteris nomen ipsum usurpant loquendo de hoc Sacramento ejusque efficacia: *Baptizatus es*, inquit S. Aug., (*serm. de Cataclysmo, c. 1*) *Signatus es Regio charactere, cœpisti consequi annonam de mensa Regis tui*. Quibus verbis tria exprimit Sacramenta, baptismum, confirmationem, & Eucharistiam; confirmatiani vero, signum & characterem attribuit.

4. Hoc ipsum adstruit Theologica ratio, confirmatione enim homo Deo consecratur: atqui consecratio ex natura sua iterationem non patitur, quod enim semel est Deo consecratum, tale in æternum mansurum est; ergo confirmatio initerabilis est, atque adeo imprimit characterem.

Hæc & similia argumenta fuse tractata libro 1 Lector studiosus reperiet.

Characteris confirmationis definitio.

Quæ vero ejus natura sit, explicat verbis perspicuis S. Thomas: *Dicendum*, inquit (*3. p. q. 72, art. 5, in c.*) *quod character est quædam spiritualis potestas, ad aliquas sacras actio-*

actiones ordinata, dictum est autem supra, quod sicut baptismus est quædam spiritualis regeneratio in vitam Christianam: ita etiam confirmatio est quoddam spirituale augmentum, promovens hominem in spiritualem ætatem perfectam: manifestum est autem ex similitudine corporalis vitæ, quod alia est actio hominis statim nati, alia actio quæ competit ei, cum ad perfectam ætatem pervenerit, & ideo per Sacramentum confirmationis datur homini potestas spiritualis ad quasdam alias actiones sacras, præter illas ad quas datur ei potestas in baptismo: nam in baptismo accipit homo potestatem ad ea agenda, quæ ad propriam pertinent salutem, prout scilicet secundum seipsum vivit: sed in confirmatione accipit homo potestatem ad agendum ea, quæ pertinent ad pugnam spiritualem contra hostes fidei, sicut patet exemplo Apostolorum, qui antequam plenitudinem Sp. Sancti acciperent, erant in cœnaculo perseverantes in oratione: postmodum vero egressi non verebantur publice fidem fateri, etiam coram inimicis fidei Christianæ.

Ita S. Thomas, ad cujus mentem character confirmationis bene describitur: *Signaculum spirituale & indelebile, per quod homo Christianus militiæ Christi adscriptus, deputatur ad fidem contra hostes ejus visibiles propugnandam.* Definitio hæc nihil habet difficultatis; tantum advertendum, ideo dici characterem confirmationis infigi homini Christiano, ut intelligatur, necessario baptismi characterem præsupponere. *Ita enim se habet confirmatio ad baptismum*, inquit Angelicus Doctor (*ib. ar. 6. in c.*) *sicut augmentum ad generationem: manifestum est autem, quod nullus potest promoveri in ætatem perfectam, nisi primo fuerit natus: similiter ergo nisi primo aliquis fuerit baptizatus, non potest Sacramentum confirmationis accipere: & ideo*, ait ib. statim ab initio argumenti, *si aliquis non baptizatus confirmaretur, nihil reciperet: sed oporteret iterato ipsum confirmari post baptismum.*

Nec est quod eorum opponatur exemplum, de quibus *Actuum c. 10, v. 44*, *narratur*, quod *adhuc loquente Petro cecidit Sp. sanctus super eos qui audiebant verbum, & audiebant eos loquentes linguis*: quosque postea jussit baptizari S. Petrus: *Nunquid*, inquit (*ib. v. 47*), *aquam quis prohibere potest, ut non baptizentur hi qui Sp. sanctum acceperunt sicut & nos? & jussit eos baptizari in nomine Domini Jesu Christi.*

Hinc enim hoc unum sequitur, quod non negamus, in his Gentilibus effectum confirmationis, actualem baptismi perceptionem, at non ejusdem effectum præcessisse: prius enim natura fuit, ut justificarentur, quam ut Sp. sanctum ad robur acciperent: *Dicendum*, inquit S. Thomas (*ib. in resp. ad 3*), *quod audientes prædicationem Petri, acceperunt effectum confirmationis, miraculose, non tamen confirmationis Sacramentum: dictum est autem quod effectus confirmationis potest alicui conferri ante baptismum, non autem Sacramentum confirmationis: sicut enim effectus confirmationis, qui est robur spirituale, præsupponit effectum baptismi, qui est justificatio: ita Sacramentum confirmationis præsupponit Sacramentum baptismi.*

Objectio.

Contra characterem confirmationis militat argumentum, multorum judicio grave. Inde probavimus, per hoc Sacramentum infigi characterem in anima, quia semel rite datum, numquam iterari permissum est; atqui falso, contra antiquam & ubique receptam disciplinam hoc diximus: confirmatio enim ut ex ante dictis constat in impositione manuum & unctione, conjunctisque verborum formulis tota consistit; atqui nihil in antiquis canonibus frequentius legitur, quam quod hi sacri ritus repeti debeant erga eos qui ab hæresi redeunt.

Si ad Ecclesiam aliquis de Afrorum seu Donatistarum hæresi venerit, ait Concilium Arelatense 1, can. 8, *& in Patre, & Filio, & Sp. sancto baptizatus est, manus ei tantum imponatur, ut accipiat Sp. sanctum.*

Eos qui recte fidei adiiciunt, ajunt Patres Constantin. 1 Concilii, canon. 7, *recipimus secundum subjectam hic consequentiam & consuetudinem: Arianos quidem & Macedonianos, & Sabbatianos, & Novatianos, & Thessaradecatitas, & Apollinaristas recipimus, dantes quidem libellos, & omnem hæresim anathematizantes.... & signatos sive unctos primum sancto chrismate, frontem, & oculos, & nares, & os, & aures: & eos signantes dicimus: signaculum doni Sp. sancti.*

S. Basilius Magnus in Ep. Canonica ad Amphilochium, can. 1: *Omni ratione statuatur*, inquit, *ut qui ex illorum* (Hæreticorum) *baptismo ad nos accedunt, chrismentur a fidelibus, & sic mysteriis participent.*

Siricius Pontifex Max. *Baptizatos ab impiis Arianis*, ait (*Ep. 1, cap. 1*) *nos cum Novatianis, aliisque hæreticis, sicut est in synodo constitutum; per invocationem solam septiformis Spiritus, Episcopalis manus impositione, Catholicorum conventui sociamus, quod etiam totus oriens occidensque custodit.*

Innocentius I (*Ep. 1, c. 8*) *Venientes a Novatianis vel Montensibus, per manus tantum impositionem* (sine iteratione baptismatis) *suscipiantur.*

S. Leo,

S. Leo Magnus: *Si ab Hæreticis*: ait (*Ep. 37 ad Leonem Ravennatem c. 2*) *baptizatum fuisse quempiam constiterit, erga hunc nullatenus Sacramentum regenerationis iteretur; sed hoc tantum quod ibi defuit conferatur, ut per Episcopalem manus impositionem, virtutem sancti Sp. consequatur* .... & alibi (*Ep. 62 ad Rusticum Narbonensem*): consultum a Rustico Narbonensi, quid circa eos agendum foret, qui ex Africa vel Mauritania venerant, & nesciebant in qua secta baptizati forent: *non se isti baptizatos nesciunt*, inquit, *sed cujus fidei fuerint, qui eos baptizaverunt, se nescire profitentur. Unde quolibet modo formam baptismatis acceperint, baptizandi non sunt, sed per manus impositionem, invocata virtute Sp. sancti, quam ab hæreticis accipere non potuerunt, Catholicis copulandi sunt.*

Paria sunt *Vigilii* Pontificis Max. (*Ep. 2 ad Eutherium*), Concilii II Arelatensis, Can. 17, Concilii II Hispalensis cap. 7, Isidori Hispalensis, *de divinis officiis l. 5, c. 24*, & pleraque alia Patrum decreta, quæ describere longum esset. Ergo falso, & contra veterem disciplinam dictum, confirmationem rite seme ldatam, nunquam iteratam fuisse.

℞. Concessa maj. n. min. ad probationem concessa iterum maj. dist. min. Nihil in antiquis Canonibus frequentius legitur, quam quod hi sacri ritus repeti debent erga eos qui ab hæresi redeunt: si anteac vel in Ecclesia Catholica, vel in ipsa hæresi non fuerint confirmati, conc. secus, subdistinguo, & respectu eorum qui jam confirmati fuerunt, sacrorum rituum repetitio mera cæremonia est, concedo: verum confirmationis Sacramentum putatur, n. min. & conseq.

E. R. Qui ab hæresi vel schismate in Ecclesiæ sinum confugiebant, non unius ordinis erant. Quidam enim priusquam in hæresim laberentur, fuerant in Ecclesia Catholica baptizati, atque adeo confirmati, cum hæc duo Sacramenta conjunctim tradi solerent. Alii in sua secta vere baptizati non erant, adeoque nec confirmatione donati quæ baptismum necessario præsupponit: quales erant sabelliani, Montanistæ, Paulianistæ, iique omnes qui materiam aut formam baptismatis corrumpebant; alii baptisma quidem in schismate aut hæresi, minime vero confirmationem susceperant: quales erant Novatiani, qui Magistri sui exemplo Sacramentum hoc negligebant; alii denique inter suos vere baptizati, vereque confirmati ritu Evangelico fuerant; quales, Novatianis exceptis, pene omnes erant.

Jam quantum ad eos spectat, qui neque in Ecclesia Catholica, nec in suis sectis signaculo divino notati fuerant, ultro fatemur Canones, qui manus eis imponi & unctionem fieri præcipiunt, de confirmationis Sacramento debere intelligi; sed negamus idem dici debere de iis quos jam consummatos certo sciebatur. Eorum enim respectu unctio & impositio manuum, Sacramentum confirmationis dici non poterat, quibus hæc ceremonia velut pœnitentiæ & reconciliationis signum adhibebatur; atqui conversis ab hæresi aut schismate, ad solam pœnitentiam & reconciliationem manus impositio & Chrismatis unctio fieri præcipiebatur: *si quis ergo a quacumque hæresi veniret ad nos*, ajebat Stephanus I Pontifex Max. in illo percelebri contra S. Cyprianum & ejus collegas decreto, *nihil innovetur, nisi quod traditum est, ut manus illi imponatur in pœnitentiam* .... quin & Cyprianus ipse: *quos constat*, inquit, (*Ep. 71*) *hic* (in Catholica Ecclesia) *baptizatos esse, & a nobis ad hæreticos transisse, si postmodum peccato suo cognito & errore digesto, ad veritatem & matricem redeant, satis est in pœnitentiam manum imponere* .... & alio in loco (*Ep. 74*): *qui baptizati in Ecclesia prius fuerant, & sic ad hæreticos transierant, hos oportet cum redeunt, acta pœnitentia per manus impositionem solam recipi* ... pari ratione *Vigilius* Sum. Pontifex, eorum qui ab Arianis iterum baptizati erant, reconciliationem faciendam decernit, (*Ep. 2 ad Eucherium*) *non ea manus impositione quæ per invocationem Sancti Sp. fit, sed illa qua pœnitentiæ fructus acquiritur, & Sanctæ communionis restitutio perficitur* Eodem sensu *Zacharias* utique Pontifex (*Ep. 6 ad Bonifacium*), *tua*, inquit, *bene compertum habet Sancta Fraternitas, quod quicumque baptizatus fuerit ab hæreticis in nomine Patris, & Filii, & Sp. sancti, nullo modo baptizari debeat, sed per solam manus impositionem purgari*. Attende ad vocem (*purgari*,) quæ quidem in pœnitentiam bene convenit, in Sacramentum confirmationis neutiquam: igitur respectu eorum qui rite semel fuerant vel in Ecclesia, vel in hæresi confirmati, manus impositio & unctio pro mera cæremonia habebatur, atque adeo falsum est, aliquando repetitum confirmationis Sacramentum; eoque plausibilior responsio est, quod teste *S. Gregorio M.* hæretici redeuntes ad unitatem, vel per manus impositionem, vel per unctionem, vel denique per solam fidei professionem indifferenter admitterentur: *ab antiqua Patrum institutione didicimus*, inquit, (*lib. 9, Ep. 71 ad Quirinum, & alios Hyberniæ Episcopos*) *ut qui apud hæresim, in Trinitatis nomine baptizantur, cum ad S. Ecclesiam redeunt, aut impositione manus, aut sola professione fidei ad sinum Matris Ecclesiæ*

siæ revocentur: unde Arianos per impositionem manus Occidens, per unctionem vero Sancti Chrismatis ad ingressum S. Catholicæ Ecclesiæ Oriens reformat: Monophysitas vero & alios ex sola vera confessione recipit; quia sanctum baptisma quod sunt apud hæreticos consecuti, tunc in eis vires emundationis recipit, cum vel illi per impositionem manus Spiritum acceperint, vel isti propter professionem veræ fidei, Sanctæ & universalis Ecclesiæ visceribus fuerint uniti.

Inst. Ubi plenus est atque perfectus confirmationis ritus, vera confirmatio agnosci debet; atqui ex Patrum momentis in argumento præcedente adductis, hæretici ad Ecclesiam redeuntes, ritu pleno atque perfecto confirmationis, etiam quam ante recepissent, admittebantur. Ergo &c.

℞. 1. Neg. min. Non enim ex solo externo ritu, sed ex ejusdem observandi causa, ex subjecti capacitate, aliisque adjunctis circumstantiis debet Sacramenti veritas æstimari. Quam regulam nisi tenuerimus, Sacramentum, ubi revera non est, posituri sumus. Sic e. c. Diaconissæ olim ritu, ordinationi Diaconorum plane simili, ministerio Episcoporum consecrabantur. Numquid ideo dicturi sumus, verum iis fuisse collatum Diaconatus Sacramentum? absit: muliebris enim sexus tantæ dignitatis est incapax: pariter ex antiqua disciplina certum est, clericos ab Episcopis Hæreticis, Schismaticis, Simoniacis, intrusis, excommunicatis promotos, iterato sacræ ordinationis ritu, nec aliter, ad ordinum suorum functiones fuisse admissos. Numquid ideo Sacramentum ordinationis iterabatur? nequaquam: constans enim est, eratque majoribus, per ordinationem sacram, in quacumque hæresi, & a quolibet quantumvis pravo ministro susceptam characterem imprimi, adeoque iterari nequaquam posse. Erat itaque hæc mulierum & Clericorum ordinatio, mera institutionis Ecclesiasticæ cæremonia, quæ licet externam speciem Sacramenti haberet, Sacramentum tamen non erat: idem dicimus in præsenti de unctione Chrismatis, manuumque impositione erga redeuntes ab hæresi ex veteri instituto observari solita. Sacramentum enim non fuisse, quamquam ejus similitudinem gereret, certo inde ostenditur, tum quod, ut prædiximus, ad reconciliationem & pœnitentiam fieret, quod sane confirmationis Sacramento non convenit, tum quod erga eos fieret vere ab Hæreticis aut Schismaticis confirmatos Ecclesia agnoscebat, quorumque iterari non posse confirmationem profitebatur. Sic enim (ut ab uno sumamus exemplum, quod extendi ad multos poterat) S. *Gregorius M.* proxime citatus hæreticos Arianos vel unctione Chrismatis, vel manuum impositione testatur ad ingressum S. Catholicæ Ecclesiæ reformatos. At docet tamen ipse, confirmationem, sicut & baptismum non esse iterationi obnoxium, ut constat ex ejus verbis supra relatis (*lib.* 11, *Ep.* 31).

℞. 2. Data maj. nego min. Sacramentum enim non materia sola, sed præcipue forma facit, qua accedente ad elementum, ut docet S. Aug. mysterium sacrum impletur. Itaque ubi forma eadem verborum non est, Sacramentum poni non debet; atqui forma verborum, per quem ab hæresi redeuntes admittebantur, longe diversa erat ab illa, quæ in administratione confirmationis usurpabatur. Quod ut ostendam, describo verba quæ in vetustis Latinorum Ritualibus & Euchologiis Græcorum leguntur.

Quod pertinet ad Latinos, quibus precibus unctio aut manuum impositio in reconciliandis Hæreticis fieret, nihil Sacramentariorum Gregorii M. nihil Rituales libri in Bibliotheca Patrum editi præscribunt: hunc vero defectum supplent duo antiqui codices, *Petavianus* unus, non ita pridem Romæ a Thomasio editus; *Siculus* alter, sive *Barberinus*, ideo dictus quod in Francisci Barberini Cardinalis Bibliotheca servetur.

Petavianus porro sic habet (*num.* 85): *eos qui de Ariana ad Catholicam redeunt unitatem: Domine Deus omnipotens, pater Domini nostri Jesu Christi, qui dignatus es famulos & famulas tuas ab errore & mendacio hæreseos Arianæ eruere, & ad Ecclesiam Catholicam eos perducere: tu Domine mitte in eos Spiritum Paracletum Sanctum, sapientiæ, & intellectus, spiritum consilii & fortitudinis Spiritum scientiæ, & pietatis: & adimple eos, Domine, Spiritu timoris Dei, in nomine Jesu Christi Dei Salvatoris nostri, per quem, & cum quo est tibi honor & gloria in sæcula sæculorum, Amen...* (*num.* 86) *Item pro eis qui de diversis hæresibus veniunt. Sancte Pater omnipotens Deus, qui famulum tuum ab errore hæreseon dignatus es eruere, & ad S. Ecclesiam Catholicam revocare, quæsumus te Domine, immitte in eum Paracletum Spiritum tuum septiformem, Spiritum sapientiæ & intellectus, consilii & fortitudinis, scientiæ & pietatis: adimple famulum tuum Spiritu timoris Dei, per Dominum nostrum Jesum Christum.*

Similes plane sunt orationes quæ in Codice Siculo, sive Barberino leguntur.

Quod vero ad Græcos spectat, Euchologium *Barberinum* antiquissimum sic præscribit: *Arianos, & Macedonianos, & Sabbatianos, & No-*

& Novatianos, & Tetraditas sive Quartadecimanos, & Apollinaristas recipimus, dantes libellos, & anathematizantes suam & omnem aliam hæresim .... postea signantur, sive unguntur sacro unguento: antea tamen quam ad rectam fidem adducuntur, cum tempus professionis instat, jejunare eos oportet dies decem, aut quindecim, & mane & vespere orationibus incumbere Catechumenorum instar: & tunc hac orthodoxa fide digni censentur & imbuuntur: collocat autem unumquemque eorum sacerdos coram divino baptisterio, ipsique hæc dicit; dic anathema huic N. & dogmatibus iis qui consentiunt ei, vel idem cum eo sapiunt . . . & ad singula respondet ille qui revertitur. Cætera persequitur Sacerdos, & ter dicit: credis in sanctam & consubstantialem Trinitatem? & respondet qui revertitur: credo. Si loqui ne scit, ipsius susceptor respondet. Postea eo qui revertitur caput inclinante, sacerdos illius capiti manum imponens, hanc facit orationem: Deus servator noster, qui vis homines salvos fieri & ad agnitionem veritatis venire, suscipe hunc servum tuum ex errore resipiscentem, & ad agnitionem veritatis accedere concupiscentem: tu enim dixisti Domine: alias quoque oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili, & illas oportet me reducere, & vocem meam audient, & fiet unum ovile & unus pastor. Pasce illum sensu veræ tuæ cognitionis, juxta Sanctorum tuorum, & gloriosorum Apostolorum expositionem: & dignare illum signaculo Divini unguenti, & adventu Sp. sancti, & participatione venerandi Corporis, & Sanguinis Christi: & ipsum redde perfectum servum tuum, ut & ipse ovili tuo connumeretur, in gloriam & laudem magnitudinis tuæ: quia tuum est regnum, & virtus, & gloria, Patri, & Filii, & Sp. sancti, nunc & semper & in sæcula sæculorum. Et ungit eum unguento, sicut & recens illuminatos (baptizatos,) *eamdem super illum formulam proferens*: (signaculum doni Sp. Sancti:) *atque iterum deprecatur sacerdos, dicens: Dominum deprecemur. Domine Deus noster, qui dignatus es perfectum reddere servum tuum, per orthodoxam in te fidem, & signaculum Sancti mysterii tui: tu Domine omnium, conserva in eo veram in te fidem, adaugens in eo justitiam, eumque donis omnibus & gratiis, quæ a te profluunt, exornans. Post hæc communicat* (conversus), *& mandata recipit, septem diebus carnem non comedere, neque vultum lavare; sed ut baptizati solent, ita omnino se gerere.*

Euchologio Barberino Crypto-Ferratense, & Regium Parisiense consentiunt.

Jam formulam hanc cum illa quæ pro Neophytis confirmandis in Oriente & Occidente præscribitur conferenti, luce meridiana clarius erit, non sensu tantum & scopo, sed tenore ipso verborum esse diversissimam, totamque ad hæreticorum reconciliationem pertinere, de qua in forma Sacramenti confirmationis nec minima est mentio; nec alia ratione ab Ecclesia institutam, nisi ut suscepta prius confirmatio, quam effectu suo professio hæresis defraudaverat, hoc ritu veluti exsuscitaretur, & sublato erroris impedimento vim suam exereret: *quidni enim*, inquit Jacobus Goarius, (*in Euchologio p.* 889, *& seq.*) *antiqua unctio, ut non sit irrita, alia simili unctione, mere pœnitentiali, priorisque emendatrice, non poterit denuo propter Ecclesiæ propositum & preces, & lapsi pœnitentiam exsuscitari, & in priorem statum reduci?*

Inst. 2. Ritus ille non erga eos tantum qui jam in hæresi, aut in Ecclesia confirmationem susceperant, sed erga Novatianos observabatur, quos nondum obsignatos esse constabat; atqui in Novatianis verum Sacramentum erat. Ergo & in cæteris.

℟. Concessa maj. & min. nego consequ. & paritatem. Ratio disparitatis ab ipsa redeuntium diversa conditione petenda est, quorum aliis, quippe jam obsignatis denuo Sacramentum conferri non poterat; aliis, qui hactenus impositione manus & unctione caruerant, & poterat & debebat. Unde in Arianis e. c. qui in ipsa hæresi confirmati fuerant, cæremonia mere reconciliatoria erat: in Novatianis vero reconciliatoria simul & Sacramentalis.

Inst. 3. S. Cyprianus, eique tum ex Africa, tum ex Asia consentientes Episcopi Sacramenta quælibet ab hæreticis aut Schismaticis accepta, iteranda sine discrimine ullo, esse censebant. Ergo 3 sæculo non erat dogma omnium judicio certum, per confirmationem characterem imprimi.

R. 1. Dato ant. nego consequ. Cyprianum enim & collegas ejus errasse notissimum est: adeoque immerito contra veritatem Catholicam eorum testimonium allegatur.

R. 2. Nego ant. Non enim iteratur, nisi quod ante est factum; atqui Sacramenta apud hæreticos & Schismaticos rite nulla fieri, adeoque vana & irrita Cyprianus, ejusque collegæ putabant: quamquam igitur ritum externum repeterent in Catholica Ecclesia, quam foris temerario & inutiliter usurpatum contendebant; non propterea intendebant Sacramentum repetere: id quod Cyprianus ipse tum aliis multis locis, tum in Ep. ad Jubajanum diserte affirmat: *& nunc quoque*, inquit, *cum in unum convenissent . . . Episcopi 71 hoc idem denuo sententia nostra firma-*

 vimus,

vimus, statuentes unum baptisma esse, quod sit in Ecclesia Catholica constitutum: ac per hoc non rebaptizari sed baptizari a nobis.

Inst. 4. Atqui Sacramentum ipsum confirmationis repeti posse, adeoque non imprimere characterem, doctorum apprime Catholicorum sententia fuit. Ergo &c. prob. subs. ex S. Aug. l. 3 de baptis. contra Donatistas, c. 16, ubi de manuum impositione confirmatoria loquens: *manus autem impositio*, inquit, *non sicut baptismus repeti non potest: quid est enim aliud nisi oratio super hominem?* Ergo &c.

℞. Nego subs. ad probat. admitto textum, sed nego S. Doctorem de manuum impositione confirmatoria debere intelligi: quamquam enim quæ in hoc testimonio præcedunt, de sola confirmatione dicantur; quæ sequuntur tamen, de manuum impositione generice sumpta, quam non negamus sæpe repeti, necessario sunt accipienda; alioquin sibimet contradiceret S. Aug. alibi docens consecratoriam, quæ in confirmatione fit, impositionem manuum, iterationi non esse obnoxiam. Sic in expositione inchoata Ep. ad Romanos, explicans Apostoli verba (Hebr. 6, v. 1 & sequ.) *non rursum jacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis, & fidei ad Deum, baptismatum doctrinæ, impositionis quoque manuum: ita omnia*, inquit, *in baptismo traduntur, quæ* (Apostolus) *negat esse repetenda, utique in consecrandis fidelibus*.

Deinde, si manuum impositionem consecratoriam repeti posse S. Aug. existimasset, idem de unctione sensisset, cum non sit de una quam de altera ratio potior; atqui unctionem consecratoriam posse iterari S. Doctor pluribus locis diserte negat. Sic Petilianum Donatistam refutans, qui volebat a malis & hæreticis dari Sacramenta non posse: *Sacramentum*, inquit, (*lib. 2 cont. litt. Petil. cap. 104*) *Chrismatis in genere visibilium signaculorum Sacrosanctum est, sicut & ipse baptisma: sed potest esse & in hominibus pessimis ..... discerne ergo visibile sanctum Sacramentum, quod esse & in bonis & in malis potest, illis ad præmium, istis ad judicium; ab invisibili unctione charitatis, quæ propria bonorum est: discerne ista, discerne ....* & alibi, S. Cyprianum refutans, qui ut probaret Sacramenta ab Hæreticis, & Schismaticis collata irrita esse, his Scripturæ verbis abutebatur: *Deus peccatorem non audit: si ergo ad hoc valet*, inquit, (*lib. 5 de bapt. c. 20*) *quod dictum est in Evangelio*, Deus peccatorem non audit, *ut per peccatorem Sacramenta non celebrentur; quomodo exaudit homicidam deprecantem, vel super aquam baptismi, vel super oleum, vel super Eucharistiam, vel super capita eorum quibus manus imponitur? quæ omnia tamen & fiunt & valent etiam per homicidas, in ipsa intus Ecclesia*.

Inst. ultimo, & opponunt auctoritatem Græcorum, qui Arcudio & quibusdam aliis attestantibus, confirmationem saltem in aliquibus casibus iterant, præsertim quando contingit aliquem ab Apostasia reverti ad Ecclesiæ Catholicæ fidem. Pro qua opinione citantur, *Job Monachus*, (*in tract. de Sacramentis*) *Nicolaus Cabasilas*, (*in orat. 2, de vita in Christo*) *S. Methodius*, 9 sæculo Patriarcha Constantinop. & alii nonnulli. Ergo non credunt Græci per confirmationem imprimi characterem in anima.

℞. 1. Dato & non concesso, quorumdam Græcorum opinionem illam fuisse, n. conseq. Fidem enim Ecclesiæ non privata existimatio, sed consensio omnium aut pene omnium, universalitas, perpetuitasque demonstrat; a quo si quidam recedunt, magnum ipsi sibi important malum, veritati tamen non nocent, quæ non est in cujusquam arbitrio posita.

℞. 2. Nego ant. In mera æquivocatione argumentum illud consistit, quæ si sublata semel fuerit, tota argutia evanescet. Græci confirmationem, habita ratione materiæ, Chrisma, seu sermone proprio μύρον, aut, μέγα μύρον magnum Chrisma dicunt: nec tamen ideo putant, ubicumque Chrismatio fit, reperiri confirmationem; unctio enim olei, quippe quæ in multis aliis adhibetur, in hoc Sacramento latius patet: hæc itaque *Arcudii*, & quorumdam aliorum hallucinatio fuit, quod ubicumque legerunt, ex Græcorum instituto repetendam esse Chrismationem, existimaverint pro vero Sacramento ejusque iteratione haberi; quod sane ab Orientalium mente alienissimum est. Sic *Job Monachus* equidem dicit, in iis qui ab Apostasia redeunt ad fidem, iterari Chrismationem prout antiquis Canonibus cautum est; iterari confirmationem non dicit. Quin ibidem affirmat, *divini unguenti signaculum in duobus aliis casibus iterari, quando nimirum Reges inaugurantur, & Pontifices consecrantur*. Numquid ideo putavit, Regum unctionem, & consecrationem Pontificum Sacramento confirmationis fieri? dicendum itaque ex ejus auctoris mente iteratam in Apostolis unctionem meram reconciliationis cum Ecclesia cæremoniam esse. Nec aliter de *Nicolao Cabasila* est existimandum: de *Methodio* vero præterquam quod plerique, nec immerito, decretum quod ejus nomine circumfertur, aut suppositum, aut corruptum suspicantur; planum est ex ipsissimis ejus verbis, unctionem quam in iis fieri præcipit, qui ad fidem revertuntur pro vero confirmationis

Sacra-

Sacramento non reputari. Præscribit enim ibidem fundendas orationes, quæ in hoc Sacramentum minime quadrant, solique cæremoniæ reconciliatrici conveniunt. Qualis est ista: *hunc servum tuum populi tui congregationi restitui permitte: virtute & operatione Sancti sui Spiritus mentem ejus irradia, ut salutaris baptismatis scintilla in ejus anima insidens & relicta, aura gratiæ ventilata, spiritaliter rursum accendatur, & impressum ei sigillum in ejus corde & cogitationibus, per crucis Christi tui signationem, per spem in te, & veritatis agnitionem evidentius appareat, &c.*

Sequitur.

QUÆSTIO SEXTA.

De confirmationis Auctore.

Quibus argumentis confirmationis vis & ratio Sacramenti est superius vindicata, iisdem, non humanæ inventionis, sed divinæ institutionis esse, Christumque habere auctorem probatum est: quamquam enim pleraque ad regimen & disciplinam Ecclesiæ pertinentia, per se immediate Salvator non sanxerit, sed Apostolis, & secuturis Pastoribus disponenda reliquerit: non idem tamen de Sacramentis putari debet, quæ cum Ecclesiæ sint præcipua fundamenta, pignora salutis, vehicula gratiæ, & contra ingruentes spirituales morbos parata remedia, ab eo solo institui oportuit, præter quem fundamentum aliud nemo potest ponere, qui solus hominem salvat, a quo gratia omnis tamquam a fonte procedit, quique solus est supremus medicus animarum: hinc Apostoli etsi sanciendorum Canonum, & rituum præscribendorum, jure sibi arrogent potestatem; in iis tamen quæ ad Sacramenta pertinent, non alio nisi ministrorum Christi titulo gloriantur: *Sic nos existimet homo*, inquiunt (1 *Cor.* 4, 1) ore Pauli, *ut ministros Christi & dispensatores mysteriorum Dei.*

Itaque nude ac simpliciter confitendum, confirmationem non secus ac cætera Sacramenta, Christo auctore sancitam; cauteque bono cuique Theologo vitanda illa, immediatæ mediatæque institutionis, non a Patribus, sed nata in scholis distinctio, cujus non tam præsidio, quam effugio & prætextu, quorumdam quidem Sacramentorum institutio Christo asseritur, aliorum vero Apostolis, nimia, ut verum fatear, arrogantia assignatur. Quamquam enim omnia & singula in individuo a Christo esse præscripta, ad fidem formaliter, ut ajunt, non pertineat; cum illa tamen, ut alibi est probatum, proxime conjuncta sententia est: hinc Concilium Trid. nulla hujus distinctiunculæ facta mentione: *si quis dixerit*, inquit, (*Sess.* 7, *Can.* 1) *Sacramenta novæ legis non fuisse omnia a Jesu Christo Domino nostro instituta . . . anathema sit*; immo hanc ipsam distinctionem videtur penitus extirpare quando de extrema unctione quid sit credendum definiens: *si quis dixerit*, ait, (*Sess.* 14, *Can.* 1, *de Extrem. unct.*) *extremam unctionem non esse vere ac proprie Sacramentum a Christo Domino institutum, & a Beato Jacobo Apostolo promulgatum . . . . anathema sit*. Nam cui sola promulgatio legis tribuitur, ejusdem sanctio tum mediata tum immediata prorsus denegatur. Quod autem de extrema unctione affirmant Patres stultum fuerit de confirmatione inficiari; cum eadem utrimque ratio sit.

Multoque magis Alexandri Halensis explodenda, erroris plena, nec minus divino dogmati quam historicæ veritati adversa sententia, quamque stupendum est, in viri alioquin spectabilis mentem venisse: *dicendum*, inquit ille, (*Summa Theol. p.* 4, *q.* 9, *memb.* 1) *quod Dominus neque hoc Sacramentum ut est Sacramentum instituit, neque dispensavit, neque Apostoli: intelligendum est igitur quod post Ascensionem Domini congruebat Apostolos confirmari, & illis Sp. Sanctum dari ad robur. Unde Spir. sanctus nondum erat datus, quia Jesus nondum erat glorificatus: non, inquam, in plenitudine vel ad robur; sed fuit datus die Pentecostes. Unde Apostoli confirmati sunt a Sp. Sanctò immediate, sine ministerio & Sacramento: & ipsi deinde confirmabant sine Sacramento; sed postquam Apostoli qui erant bases Ecclesiæ, qui a Domino erant prælati & Sp. Sancto confirmati, defecerunt; institutum fuit hoc Sacramentum Sp. sancti instinctu, in Concilio Meldensi, quantum ad formam verborum & materiam elementarem, cui etiam Sp. sanctus contulit virtutem sanctificandi*: Ita prædictus auctor, vere quidem affirmans, Sacramentum confirmationis neque dispensatum a Christo, neque Apostolis in die Pentecostes collatum; quando vero dicit, neque insitutum a Christo, neque ab Apostolis administratum, longissime a veritate & Ecclesiæ universalis Doctrina exorbitans: & denique quando in Concilio *Meldensi* asserit institutum, ridiculum se & ineptissimum temporum observatorem ostendens. *Melda* civitas Galliarum est, a Principe civitate Luteria viginti, plus minus, milliaribus dissita; ante nonum sæculum nullius *Meldensis* Synodi memoria est: quis porro *AlexandroHalensi*, sine teste sine judicio, immo contra tantam Patrum antiquiorum multitudinem obloquenti crediderit, non ante sæculum nonum institutam confirmationem tuncque solum materiæ ejus &

formæ Sp. Sancti instinctu dispositis, sanctificandi vim attributam?

Jam si quæratur quo tempore lex confirmationis sancita fuerit?

℟. De hac re nihil esse certum, adeoque cuilibet quod magis arriserit opinandi patere viam: de confirmatione mandatum divinum esse, Apostolorum exemplo & traditione edocti negare non possumus: quo vero præcise tempore latum fuerit, silente Scriptura & traditione, non possumus affirmare. Existimat S. Thomas, a Christo Sacramentum hoc institutum ante passionem, non exhibendo quidem, sed promittendo: *dicendum*, inquit, (3 p. q. 72, art. 1, ad 1) *quod circa institutionem hujus Sacramenti est duplex opinio: Quidam enim dixerunt, quod non fuit institutum nec a Christo, nec ab Apostolis, sed postea processu temporis in quodam Concilio. Alii vero dixerunt, quod fuit institutum ab Apostolis; sed hoc non potest esse, quia instituere novum Sacramentum pertinet ad potestatem excellentiæ, quæ competit soli Christo, & ideo dicendum est, quod Christus instituit hoc Sacramentum, non exhibendo, sed promittendo, secundum illud Joan.* 16, v. 7: si non abiero, Paracletus non veniet ad vos: si autem abiero, mittam eum ad vos: *& hoc ideo, quia in hoc Sacramento datur plenitudo Sp. sancti, quæ non erat danda ante Christi resurrectionem & Ascensionem, secundum illud Joan.* 7 v. 39: nondum erat Spiritus datus, quia Jesus nondum erat glorificatus.

Ita S. Doctor, cui non adversabimur, si dicamus, Sacramentum a Christo antequam pateretur, promissum, deinceps ab eodem eo tempore quod resurrectionem & Ascensionem ejus interfluxit institutum, quod nimirum Apostolis *per dies quadraginta apparens, loquebatur de Regno Dei*, ut in Actibus legitur (*Act.* 1, 3). *Regnum Dei*, Ecclesiam S. Gregorius M. & alii communiter interpretantur, ad cujus ædificationem Sacramenta præcipue pertinebant. Quo sensu S. Leo Magnus Pontifex Max. *hi dies*, inquit (*Serm. de Ascens. Domini*), *qui inter resurrectionem Domini, Ascensionemque fluxerunt, non otioso transiere decursu; sed magna in eis confirmata Sacramenta, magna sunt revelata mysteria*. In hoc porro numero si confirmationem ponimus, quamquam, ut verum fatear, hujus assertionis argumentum certum, omnique ex parte convincens non habemus: rem tamen plausibilem dicimus, quæque contrarias opiniones verisimilitudine longe præcellit.

Nam quod ajunt aliqui, tum constitutam confirmationem, quando Jesus oblatis sibi parvulis, ut narratur in Evangelio, (*Matth.* 19, 13, *Mar.* 20, 13) *manum imposuit, & super eos oravit*, a sensu Scripturæ longe est alienum. Non enim ideo Christo fuerant præsentati, ut eis Sacramentum præberet, cujus suscipiendi, baptismo nondum accepto, capaces non erant; sed ut vel a morbo corporali sanaret, vel eis more antiquo Hebræorum, ut interpretes explicant, bene precaretur. Eoque hoc certius est, quod Christus non ante parvulis manus imposuit, quam ab offerentibus rogaretur: non enim ipse anteivit, sed parentum aut tutorum desiderio paruit: *tunc oblati sunt ei parvuli*, S. Matthæus, *ut manus eis imponeret, & oraret*. Annuit ergo rogantibus quod ipsi petebant; porro Sacramentum haud dubie non petebant, cujus, nondum divina edocti mysteria, nec levem suspicionem habebant. Nec est quod huic opinioni quæratur a Concilio Provinciali *Senonensis* præsidium, ubi inter decreta fidei, cap. 10 numeratur: hæc enim privatæ unius Provinciæ Synodus, cum nec a Sum. Pontificibus, nec aliarum Ecclesiarum consensione, in hac saltem parte probata sit; certam auctoritatem non facit: adeoque in caussa præsenti allegari cum fundamento non potest.

Neque aliorum felicior conjectura est, contendentium confirmationem a Christo, in postrema quam cum Discipulis egit cœna sancitam. Hujus enim assertionis nec in Scriptura nec in traditione vel leve vestigium reperitur: tantum ad ejus qualemcumque defensionem citatur sub nomine *Fabiani* 3 sæculo Pontificis Max. Epistola quædam, ubi declaratur, Christum, *postquam cœnavit cum Discipulis suis, & lavit eorum pedes, eosdem Chrisma conficere docuisse: adeoque S. Chrismatis confectionem per singulos annos in hujus diei solemnitate celebrandam*. Verum Epistolam hanc, uti & alias pene omnes, quæ Sum. Pontificum nomine, ad *Siricii* usque ætatem circumferuntur, non eorum esse genuinas, sed longe post eorum tempora serius ab aliquo impostore confictas, res est a peritioribus criticis, argumentis convincentissimis demonstrata, & ab omnibus modo confessa. Quamquam itaque (quod verum est) fateamur, Chrisma in majori hebdomada, recurrente solemnitate paschali, antiqua Orientis & Occidentis disciplina conficiendum: non ideo tamen dicimus fieri, quia hac die creditur a Christo confirmatio instituta; sed quia sic majoribus, quacumque tandem fuerit causa volendi, est placitum.

Quidquid porro de hac aliisque opinionibus sit, quæ de confirmationis institutæ tempore confingi possunt; indulgeat, per nos licet, unusquique ingenio, conjecturasque sectetur: modo tamen ne fidem offendat, ejus institu-

tionem Christo denegando, & ad posteriorem temporibus Apostolicis ætatem præpostere transferendo: nec putet se aliquis a violatæ fidei periculo tutum, quia sub Alexandri Halensis, aut Baconis, aut S. Bonaventuræ umbra quiescet. Quod enim his aliisve scriptoribus, nondum discussa ab Ecclesia quæstione, licuit de confirmationis & quorumdam aliorum Sacramentorum institutione anteactis temporibus controvertere; postquam a Concilio Trid. est definitum, Christum omnium Sacramentorum esse auctorem, nemini permissum putari debet: *antequam ab Ecclesia determinaretur*, inquit Seraphinus Capponi, S. Thomæ haud ignobilis commentator, (*Elucidat. in art. 1, q. 72, 3 par.*) *quod confirmatio est instituta, non ab Apostolis, sed a Christo, poterat & contrarium & consentaneum vocari opinio. Nunc vero postquam ab ea de fide istud determinatum est; contrarium quidem hæresis, consentaneum autem, fides Catholica jure optimo vocandum est. Teneri ergo salva fide non potest nunc, quod confirmationi Sacramentum fuerit institutum ab Ecclesia in Concilio Meldensi.*

Objectio.

Patrorum quos prædiximus Latinæ Ecclesiæ Theologorum de humana confirmationis institutione opinio Catholicæ veritati nihil officit; quia debet eorum judicium majorum præscriptionibus corrigi, nedum debeat doctrina Catholica per contrarias sententias emendari. Fatendum tamen, argumento ab earum auctoritate deducto non leve pondus adjiciendum, si probarentur Græcos habere consentientes; atqui confirmationem non a Christo, sed ab Ecclesia decursu temporum institutam, communis Græcorum doctrina est: id quod non Lutherani tantum contendunt, quorum interest Græcos sibi conciliare; sed & inter nostros, *Arcudius*, *Allatius*, & plerique alii, gravi fundamento affirmant. Ergo confirmationem Christum habere auctorem, non est dogma fide certum.

Pr. Minor testimonio Jeremiæ 16 sæculo Patriarchæ Constantin. cujus eo gravius judicium est, quod Augustanam Lutheranorum confessionem refutare in se sumpserit, & nomine Græcorum omnium scripserit, a quibus doctrina ejus cum summa laude probata est. Sic porro loquitur in 1 contra Lutheranos responsione, c. 7: *divini unguenti mysterium*, inquit, *non quidem extat in sacris litteris: attamen traditum est a Discipulis verbi, quemadmodum & Sacratissimus Dionysius a divo Paulo edoctus in divinis suis scriptis tradidit.* Hinc objectio efformatur:

Qui fatetur confirmationis mysterium in sacris Litteris non extare, divinam ei denegat institutionem; atqui hæc Jeremiæ, contra Lutheranos Ecclesiæ causam agentis, confessio est. Ergo &c.

℟. Concessa maj. nego min. cujus falsitas tum lib. 1 de Sacramentis in genere, tum in hoc ipso lib. 3, qu. 1, cap. 1, argumentis adeo certis probata est; ut mirum sit novam hac de re moveri litem. Sane Græcorum tanta persuasio fuit, Sacramenta omnia & singula Christi auctoritate sancita, ut omnia ab ipso Christo sive suscepta, sive celebrata, falsa quidem opinione crediderint; quæ tamen liquido ostendit, eos de divina Sacramentorum institutione nec minimum dubium habuisse: *Symeon Thessalonicensis*, inquit Arcudius, (*Concordiæ lib. 1, c. 5*) *ut ostendat Christum Dominum esse auctorem Sacramentorum, multis verbis satis prolixe, incompte, frigide conatur probare Christum Dominum suscepisse omnia Sacramenta: quo vitio ex parte laborat Gabriel Philadelphiensis, eadem a Symeone mutuatus.* (Poterat Arcudius, Gabrieli Jeremiam, & plerosque alios addere, quorum eadem ac Symeonis opinio fuit).

Ad probationem, admitto Jeremiæ auctoritatem: & ad argumentum inde petitum:

℟. 1. Data maj. dist. min. fatetur Jeremias confirmationis mysterium in sacris litteris non extare, quantum ad expressam Chrismatis, (quæ ejus materia est) institutionem, conc. non extare omnino, n. min. & conseq.

E. R. Judex hic sedeat Jeremias ipse, quem sibi Lutherani perperam vendicant, & nostri quasi violatæ reum fidei inconsiderate accusant. Porro in hoc ipso unde objectio deprompta est capite, (*Resp. 1 ad confess. August. c. 7*) verbis minime ambiguis profitetur confirmationem institutam divinitus, & in Scripturis expressam: *unumquodque horum mysteriorum*, inquit, (de 7 Sacramentis loquens) *a Sacra Scriptura sancitum est*; quis vero crediderit Jeremiam tam labilis fuisse memoriæ, aut tam inconstantis judicii, ut quod paulo ante dixerat, in eodem cap. revocarit, & turpiter cecinerit palinodiam? quod itaque subjicit, *divini unguenti mysterium in sacris litteris non extare*, non de confirmatione ipsa, sed de ejus ipsissima institutione verba sonant. Non enim ait (*confirmationis mysterium*), sed, *divini unguenti mysterium, non extat in sacris litteris*: quod longe diversum est; cum possit alicujus Sacramenti veritas ex sacra Scriptura probari, licet ejus materia eodem instrumento non adstruatur.

℟. 2. Nego maj. quæ ut vera Jeremiæ judicio foret, deberet ille non secus ac Lutherani & Calvinistæ, divinorum dogmatum veritatem in solo verbo Dei scripto, contempta tra-

traditione reponere; atqui errorem hunc uti & cætera Novatorum Paradoxa prorsus Jeremias detestabatur, & pleraque divina fide tenendo propugnabat, quæ licet in Evangelio scripta non sint, ab Apostolis tamen, Christo & S. Sancto revelante, certissima traditione accepta sunt. Hinc in suis ad Augustanam confessionem responsis, præter cætera Lutheranos graviter reprehendit, quod antiquos Ecclesiæ doctores despicerent, quos Græcorum Ecclesia semper pro merito coluit, & veluti secundos post Christum veritatis magistros est venerata.

Inst. 1. Atqui ne traditione quidem, quæ saltem hoc nomine digna sit, existimavit Jeremias confirmationem defendi posse: hujus enim doctrinæ antiquitatem a Dionysio repetit: *divini unguenti mysterium*, ait, *non quidem extat in sacris litteris: attamen traditum est a Discipulis verbi, quemadmodum & Sacratissimus Dionysius a D. Paulo edoctus in divinis suis scriptis tradidit*; atqui non tantæ canitiei homo est Dionysius, ut ab illo veræ traditionis initium repetatur: non enim fuit ille, (quod eruditi omnes fatentur). Areopagita, cujus in Actibus Apost. mentio est; sed larvatus quidam 5 sæculi Scriptor, priscæ ætati penitus ignotus, nec ante sæculum 6 a quoquam citatus. Ergo &c.

R. Nego subs. ad probat. concessa maj. dist. min. Tantæ canitiei *revera* non est Dionysius, ut veræ traditionis chorum ducat, conc. *ad mentem Jeremiæ a quo citatur*, n. min. & conseq.

E. R. Fateor equidem Apostolicæ ætatis Scriptorem Dionysium non fuisse; non enim is ego sum qui peritissimis criticis contradicam, a quibus multiplici argumento probatum est, librum de Eccles. Hierarchia, de divinis nominibus, ejusdem sortis alios, in Dionysium Areopagitam non convenire; sed ab aliquo longe recentioris ætatis compositos; at non ita Græci putant, qui non hos tantum libros, sed & Constitutiones Apostolicas, & Canones Apostolorum dictos, tamquam vere ab iis quorum nomina præferunt exaratos, summo habent in pretio, neque Scripturis divinis accensent. Non ita de quo in præsenti agitur, Jeremias existimavit, quippe qui Dionysium credidit Discipulum Christi, immediate a Paulo Apostolo veritatibus divinis imbutum: *traditum esse*, inquit, *a Discipulis Christi, quemadmodum & sacratissimus Dionysius a divo Paulo edoctus in divinis suis scriptis tradidit*. At suo, inquis, judicio deceptus est; esto sane; sed non in eo tamen erravit, quod asseruit veritatem confirmationis divina & Apostolica traditione constare: uno verbo rem bonam & certam argumento non admodum bono, sed aut falso aut non certo probavit, non propterea tamen divini dogmatis certitudinem infregisse putandus est.

Habemus ejusdem rei prorsus simile, quo accommodatius afferri non possit, in S. Thoma Scriptore Latino exemplum. Credidit sane ille Chrisma esse necessariam confirmationis materiam, a Christo Domino institutam, & ab Apostolorum traditione acceptam; hujus tamen traditionis certitudinem haud secus ac Jeremias, non altius quam a Dionysio repetit, quem recepta sua ætate opinione Areopagitam fuisse existimat: *non erat necessaria sensibilis materia Sacramentalis*, inquit, (3 p. q. 72, art. 2, ad 1) *ubi sensibilia signa miraculose exhibebantur divinitus: utebantur tamen Apostoli communiter Chrismate in exhibitione Sacramenti, quando hujusmodi visibilia signa non exhibebantur: dicit enim Dionysius*: (4 cap. Eccles. Hierarchiæ) est quædam perfectiva operatio quam duces nostri, (*id est Apostoli*) Chrismatis hostiam nominant .... numquid ideo dicturi sumus, in fide confirmationis Doctorem Angelicum titubasse, & traditionis certitudinem in dubium adduxisse?

Inst. 2. Et afferunt alia ejusdem Patriarchæ verba, in secunda ad Lutheranos responsione; ubi baptismi & Eucharistiæ præ cæteris Sacramentis excellentiam explicans: *etiamsi*, inquit, *cæteris potiora sunt baptismus & divina communio, & sine iis salus nullomodo contingit: attamen & reliqua quæ cum iis septenarium numerum impleat, instituta sunt ab Ecclesia*. Ergo non putat confirmationem a Christo esse institutam, adeoque nec divinam ei traditionem assignat.

R. Nego ant. nego, inquam, hanc esse Jeremiæ sententiam, quod Ecclesia confirmationem & reliqua præter baptismum & Eucharistiam Sacramenta instituerit; cum in utroque suo ad Lutheranos responso diserte affirmet omnia Sacramenta a Christo instituta, & in Scripturis sancita esse: ait equidem in eo qui opponitur loco, Ecclesiam Sacramenta hæc tradidise, ἀλλὰ καὶ ταῦτα παρὶ δοχεῖν ἐκκλησία: idest, non de suo, sed de Christi deposito fidelibus præbuisse; instituisse non dicit, & in hunc adeo alienum ab ejus proposito sensum verba ejus fide pessima transferuntur, quod quisquis in Græco sermone versatus facile recognoscet.

Inst. 3. Quorsum ergo, inquiunt Lutherani, baptismum & Eucharistiam, a reliquis Sacramentis tanto discrimine separat, si non putat duo priora divinam, quinque sequentia humanam ab Ecclesia institutionem habere?

R. Verbis ipsis Jeremiæ, unde cavillandi occasionem arripiunt: baptismus & Eucharistia, ejus judicio præcipua Sacramenta sunt, quia

quia sine illis salus haberi non potest: ὧν δίχα σωθῆναι ἀδύνατον: in eo vero quod addit: ἀλλὰ καὶ ταῦτα παρέδωκεν ἡ ἐκκλησία: *sed & cætera Ecclesia tradidit*: prioribus posteriora adæquat, nedum discriminet. Nam quomodo & cætera tradidit, si non tradidit etiam priora? suis itaque sophismatibus Lutherani nunquam obtinebunt, ut Græcos sibi concilient.

Inst. 4. Atqui confirmationem ab Ecclesia multo post Apostolica tempora institutam Jeremias diserte affirmat. Ergo &c. prob. subs. Ejusdem Patriarchæ verbis, in secundo ad Lutheranos responso, ubi argumenta eorum contra confirmationem ex Scripturis petita refellens: *quod vero*, inquit, *in baptismatis quos recensuistis*, *Chrismatis mentio non fiat*, *nolite mirari*. *Ecclesia enim Christi*, *gratia ejus proficiens*, *divinis dictis ac fundamentis innixa*, *multa adinvenit*, *iisque se se ornavit*. *Non enim omnia Paulus scribit*: *sed quædam etiam Discipulus ejus Dionysius*, *& hos insecuti multi Doctores*, *Ecclesiæ Christi lumina*, *quæ rejicienda censere æquum non est*. Duo ibi præstat Jeremias: 1 fatetur Chrismatis in Scriptura mentionem non fieri: 2 affirmat, ab Ecclesia Christi, ut eo se se ornaret, inventum. Contendit igitur Sacramentum confirmationis profectu temporis ab Ecclesia institutum, adeoque non habere Christum auctorem.

℞. Nego subs. ad probat. admitto auctoritatem, & ad argumentum concesso ant. n. conseq. Nedum enim ex his verbis elici possit confirmationem humana auctoritate sancitam, contrarium omnino inferri debet. Nam

1. Confirmationem, sicut & cætera mysteria a Christo institutam, & habere in sacris litteris fundamentum, non semel prædictus Scriptor affirmat. Quod ergo ibi ait Chrismatis in Scriptura mentionem non fieri, non de Sacramento ipso, sed de ejus materia necessario, ut præmonuimus, est intelligendum.

2. Quod adjicit, Chrisma ad Ecclesia adinventum, divinæ ejus institutionis aperta confessio est. Non enim proprio cuispiam mortalis judicio, & contra supremi legislatoris voluntatem; sed in dictis divinis inventum affirmat; inventum, non humano favore, sed gratia Christi, Ecclesiam ad perfectionem ducentis: inventum non in profanis Sapientiæ carnalis opinionibus, sed in fundamentis divinis: inventum, non in penu proprio, sed in thesauro traditionis, quæ pleraque a Christo præscripta nos docuit: inventum denique, non de novo, sed in præceptionibus Apostoli Pauli, a quo Dionysius Discipulus ejus, aliique SS. Doctores sunt informati. Igitur una eademque sententia divina confirmationis institutionem, traditionis unde ad nos derivata est, certitudinem, & Ecclesiæ quæ illam ubique observat auctoritatem, contra Lutheranorum perfidiam adstruit: *illa enim*, inquit S. Aug. (*novæ edit. Ep.* 54), *quæ non scripta*, *sed tradita custodimus*, *quæ quidem toto terrarum orbe servantur*, *datur intelligi vel ab ipsis Apostolis*, *vel a plenariis Conciliis*, *quorum est in Ecclesia saluberrima auctoritas*, *commendata atque statuta retineri*.

QUÆSTIO SEPTIMA.

De Ministro confirmationis.

DE divina confirmationis institutione sat dictum; atque, opinor, Græcorum cum Latinis in sacro dogmate adstruendo plene demonstrata consensio. Numquid vero in præsenti dicturi sumus, quando constat illos more a nostro longe dissimili, non aliorum vulgo quam Sacerdotum simplicium manibus recens baptizatos per sacram unctionem perficere? hac enim disciplinæ diversitate fidem ostendi, ipsumque infici Sacramentum, nostrorum plerique putarunt: ab hoc sane nimium præcipiti & parum æquo judicio abstinebit, qui præ oculis habuerit ministri ordinarii & extraordinarii sæpe inculcatam distinctionem; simulque juxta majorum doctrinam discrimen fecerit inter ea quæ jure summo a ministris legitimis, & quæ a ministris inferioribus, vel necessitate vel Ecclesiæ indulgentia exercentur. Hæc enim tantum in præsenti, quantum forte nusquam alibi necessaria observatio est.

Errores & opiniones recensentur.

1. Quod ad Hæreticos spectat, Waldensium, Wiclefistarum, & Hussitarum nota temeritas, jus confirmandi ministris inferioribus haud secus ac Episcopis adscribentium: *mirantur Waldenses*, inquiebat Regnerius, (*lib. cont. Waldens. c.* 5) *quare solis Episcopis liceat confirmare*; multoque arrogantiore censura Wicleffus, quem Joannes Hus in omnibus magistrum secutus est, *confirmatio juvenum*, ajebat, (*vide Conc. Constant. sess.* 8) *clericorum ordinatio*, *locorum consecratio*, *reservantur Papæ & Episcopis propter cupiditatem lucri temporalis*: horum & similium, si qui fuerint, hoc summum vitium fuit, quod contra assertam a Christo Episcoporum supra Presbyteros eminentiam petulanter insurgerent, gradusque tam diversos auctoritate æquarent.

2. Quod ad Theologos pertinet, tanta eorum

rum

rum fuit opinandi licentia, quanta inter extremas mediasque sententias differentia esse potest.

Quorumdam enim persuasio fuit, confirmandi potestatem jure divino sic ad solos Episcopos pertinere, ut nullo casu, nullove prætextu ad simplices Presbyteros posse extendi mordicus affirmaverint. Iique in Græcis vel accusandis vel excusandis, plurimum & sat inutiliter, ut verum dixerim, laborarunt.

Ex adverso alii existimantes idem esse, habere Sacramentum, & ejusdem conferendi potestatem, (quasi nimirum qui sacra mysteria peragunt, aliquid de bonis propriis, aliis communicandum decerperent, & non de divinis ipsis fontibus, ministerio manuum gratiam omnem haurirent, quam cæteris largiuntur:) inde intulerunt, hoc ipso quod fuerit aliquis confirmatus, etiamsi nec Episcopus sit, neque Presbyter, immo nec Ecclesiasticum gradum attigerit, esse idoneum hujus Sacramenti ministrum: eoque errore plerique Canonum expositores notati sunt (*v. apud Dominic. Soto. in 4 sent. dist. 7, q. unic. art. 11, ad 4.*)

Alii mediam ineuntes viam, jus confirmandi ordinarium solis Episcopis, extraordinarium simplicibus Presbyteris arrogarunt: nec rursum iis defuit ad discrepandum materia. Quæsitum enim utrum confirmandi potestas quæ extra ordinem simplicibus Presbyteris attribui potest, a charactere Sacerdotali, aut a sola Ecclesiastica jurisdictione dependeat? utrum simplicium Presbyterorum ad hoc ministerium delegatio penes quemlibet in sua Diœcesi Episcopum sit; aut ad solum summum Pontificem Ecclesiamque universalem pertineat? in quibus dubiis extricandis, diversis opinionibus scissi sunt.

Nobis tutum est, in hac, ut in cæteris, quæstione, certissimam Ecclesiasticæ disciplinæ regulam sequi, quam si, uti par esset, Theologi hinc inde consulerent, pleraque eorum dissidia facili negotio sopirentur. Itaque primo de Latinis quæremus: secundo de Græcis & Orientalibus. Unde sit

§. PRIMUS.

Ostenditur, in Latina Ecclesia a solis Episcopis vulgo confirmationem conferri: ita tamen ut ejusdem ministerium simplicibus Presbyteris, extra ordinem, & ex Ecclesiæ intelligentia committi possit.

PROBATIO I. PARTIS.

Primam assertionis partem, quæ est de ministro ordinario, Concilium Trid. expresso Canone definivit: *si quis dixerit*, inquit, (*Sess. 7 de confir. Can. 3*) *sanctæ confirmationis ordinarium ministrum, non esse solum Episcopum, sed quemvis simplicem Sacerdotem: anathema sit*

Ad ejus vero probat. sola Latinorum Ritualium tum antiquorum tum recentium apertione est opus, quibus unanimiter declaratur, confirmationis ministerium ad solos Episcopos jure ordinario pertinere.

Hujus porro præscriptionis auctoritas tanta est, qua major esse non possit, cum ab ipso apostolorum exemplo petatur: constat enim Samaritanos a Philippo Diacono baptizatos, (*Act. 8, 12*) non aliorum nisi primariorum pastorum manibus confirmatos: *cum audissent Apostoli qui erant Jerosolymis*, ait S. Lucas, (*ib. v. 14, & seq.*) *quod recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum & Joannem: qui cum venissent, oraverunt pro ipsis, ut acciperent Sp. sanctum; nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Jesu: tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Sp. sanctum.*

Jam si hujus disciplinæ testes quæruntur idonei, occurrunt innumerabiles, quos etsi sæpe, alia occasione, laudavimus, non pigebit ab sublevandum Lectoris laborem iterum allegare.

Sæculo 3 *Cornelius* Sum. Pontifex in Ep. ad *Fabium* Antiochenum, (*apud Euseb. lib. 6 histor. c. 43*) postquam Antipapam Novatianum, in lecto ubi jacebat, baptizatum dixit: *sed neque*, inquit, *postquam liberatus est a morbo, reliqua percipit, quæ juxta Ecclesiasticam regulam percipi debent, neque ab Episcopo consignatus est.*

S. Cyprianus de Samaritanis a Philippo Diacono baptizatis: *quia legitimum*, inquit, (*Ep. 73 ad Jubajan.*) *& Ecclesiasticum baptismum consecuti fuerant, baptizari eos ultra non oportebat: sed tantummodo quod deerat, id a Joanne & Petro factum est, ut oratione pro eis habita & imposita, invocaretur & infunderetur super eos Sp. Sanctus: quod nunc quoque apud nos geritur, ut qui in Ecclesia baptizantur, præpositis Ecclesiæ offerantur, & per nostram orationem ac manuum impositionem Spiritum S. consequantur, & signaculo Dominico consummentur.*

Anonymus de baptismo contra S. Cyprianum scriptor: *per manus impositionem Episcopi*, inquit, *datur unicuique credenti Spiritus S. sicut Apostoli circa Samaritanos post Philippi baptisma, manum eis imponendo fecerunt, & hac ratione Spiritum S. in eos contulerunt: quod ut fieri posset, pro eis oraverunt.*

Sæculo 4 Concilium Eliberitanum, (*can.* 38) *peregre navigantes, aut si Ecclesia in proximo non fuerit*, (decernimus) *posse fidelem qui lavacrum suum integrum habeat, nec sit bigamus, baptizare in necessitate: ita ut si supervixerit, ad Episcopum eum perducat, ut per manus impositionem perfici possit.... si quis* (*can.* 77) *Diaconus regens plebem, sine Episcopo vel Presbytero aliquos baptizaverit, Episcopus eos per benedictionem perficere debebit*.

Sæculo 5 Innocentius I Pontifex Max. *de consignandis infantibus*, inquit, (*Ep.* 1 *ad Decent. c.* 3) *manifestum est, non ab alio quam ab Episcopo fieri licere. Nam Presbyteri licet sint Sacerdotes; Pontificatus tamen apicem non habent: hæc autem Pontificibus solis deberi, ut vel consignent, vel Paracletum Spiritum tradant, non solum consuetudo Ecclesiæ demonstrat, verum & illa lectio Actuum Apost. quæ asserit Petrum & Joannem esse directos, qui jam baptizatis traderent Sp. Sanctum. Nam Presbyteris, seu extra Episcopum, seu præsente Episcopo baptizent, Chrismate baptizatos ungere licet, sed quod ab Episcopo fuerit consecratum: non tamen frontem ex eodem oleo signare, quod solis debetur Episcopis cum tradunt Sp. Sanctum*.

S. Hieronymus: (*in Dial. cont. Lucif.*) *non ab uno hanc esse Ecclesiarum consuetudinem, ut ad eos qui longe in minoribus urbibus per Presbyteros & Diaconos baptizati sunt, Episcopus ad invocationem Sancti Sp. manum impositurus excurrat*.

S. Aug. (*lib.* 15 *de Trinit. c.*26) *neque enim aliquis Discipulorum ejus* (Christi) *dedit Sp. Sanctum: orabant quippe ut veniret in eos quibus manus imponebant, non ipsi eum dabant: quem morem in suis præpositis etiamnum servat Ecclesia*.

Sæculo 6 Primasius Episcopus Africanus, (*in c.* 6 *Ep. ad Hebr.*) *per impositionem manuum plenissime creditur accipi donum Sp. Sancti, quod post baptismum ad confirmationem unitatis in Ecclesia a Pontificibus fieri solet... gratiæ nomine debemus accipere.... donum Sp. Sancti quod datur in baptismate per impositionem manuum Episcoporum*.

S. Gregorius M. (*lib.* 3, *Ep.* 9) *Presbyteri baptizatos infantes signare sacro in fronte Chrismate non præsumant: sed Presbyteri baptizatos tangant in pectore, ut Episcopi postmodum tangere debeant in fronte*.

Idem in Sacramentario: *Pontifex veniens ad infantes... elevata manu super capita omnium dicit*: omnipotens sempiterne Deus &c. & *interrogantibus Diaconibus nomina singulorum, Pontifex tincto pollice in Chrismate, facit crucem in fronte unius, similiter per omnes sigillatim*.

Sæculo 7 Concilium Hispalense II, (*c.* 7) *non licet Presbyteris per impositionem manus fidelibus baptizatis, vel conversis ex hæresi Paracletum Spiritum tradere... quia Pontificatus apicem non habeat*.

S. Isidorus Hispalensis, (*de offic. Eccl. lib.* 2, *c.* 26) *post baptismum per Episcopos datur Sp. Sanctus cum manuum impositione: hoc in Actibus Apost. fecisse meminimus Apostolos*.

Sæculo 8 Vener. Beda, (*comment. in c.* 8 *Act. Ap.*) *notandum quod Philippus qui Samariæ Evangelizabat, unus de septem fuerit: si enim Apostolus esset, ipse utique manum imponere potuisset, ut acciperent Spiritum S.: hoc enim solis Pontificibus debetur*.

Ordo Romanus iisdem M. Gregorii verbis, (*cap. de ord. Sab. S.*) *Pontifex veniens ad infantes.... & imposita manu super capita eorum super eos, cum invocatione septiformis gratiæ Spir. S.*

Theodulphus Aurelianensis, (*lib. de ord. bapt. c.* 27) *quod Presbyteris Sp. Sanctum per manus impositionem tradere non licet, antiquus iste mos ab Apostolis Ecclesiæ est traditus*.

Sæculo 9 Concilium Parisiense VI, (*lib.* 1, *c.*27) *emersit quidem reprehensibilis, & valde jam inolitus usus, eo quod quidem Chorepiscopi ultra modum suum progredientes, & donum Sancti Sp. per impositionem manuum tradant, & alia quæque quæ solis Pontificibus debentur, contra fas peragant: præsertim cum nullus ex septuaginta Discipulis, quorum speciem in Ecclesia gerunt, legatur donum Sancti S. per manuum impositionem tradidisse: quod autem solis Apostolis, eorumque successoribus proprii sit officii tradere Spiritum S. liber Apotolorum docet Actuum* 8, & 19.

Jesse Ambianensis, (*in Epist. de baptism.*) *post hæc confirmet eum Episcopus in fronte de Chrismate*.

Jonas Aurelianensis, (*de inst. cler. lib.* 1, *c.* 7) *quod solius Episcopi sit, per manuum impositionem fidelibus tradere Sp. Sanctum, Acta docent Apost.*

Rabanus Maurus, (*de inst. cler. lib.* 1, *c.* 30) *a summo Sacerdote per impositionem manus Paracletus Sp. Sanctus traditur baptizato*.

Concilium Wormatiense, (*Can.* 8) *non liceat Presbyteris per impositionem manus Paracletum Spiritum tradere, nec Chrismate baptizatorum frontem signare, quia Pontificatus apicem non habent*.

Sæculo 10 nullus quidem occurrit mihi quem allegare valeam Latinæ Ecclesiæ scriptor: quam-

quam nec defuisse credendum est. Quidquid vero sit, abunde hunc supplet hiatum, tum praecedentium ætatum quæ recens ubique erat memoria, tum Gregoriani Sacramentarii & Romani Ordinis quæ in toto Occidente obtinebat auctoritas.

Sæculo 11 Lanfrancus Cantuariensis Archiepiscopus, (*com. in c. 6 Ep. ad Hebr.*) pro fundamento Doctrinæ habet, oportere eos qui baptizati sunt, *pro accipiendis Sancti Sp. donis, in impositione manuum Episcopi consummari.*

Sæculo 12 multorum instar unus sit Hugo antiquæ doctrinæ præclarum testimonium perhibens, *manus impositio*, inquit, (*de Sac. lib. 2, part. 7, c. 2*) *quæ usitato nomine confirmatio vocatur. . . . solis Episcopis Apostolorum vicariis debetur, ut Christianum consignent, & Spiritum Paracletum tradant: sicut in primitiva Ecclesia Sp. Sanctum per impositionem manuum dandi, soli Apostoli potestatem habuisse leguntur.*

Sæculo 13 Innocentius III Pontifex Max. (*Decretal. lib. 1, tit. 4, c.* quanto) *Sacramento confirmationis Chrismando renatos soli debent Episcopi per manus impositionem conferre. . . per frontis Chrismationem manus impositio designatur... hanc non nisi summus sacerdos debet conferre, quia de solis Apostolis legitur, quod per manus impositionem Sp. Sanctum dabant, quemadmodum Actuum Apost. lectio manifestat.*

S. Thomas, magnum illum scholarum lumen & decus, *dicendum*, inquit, (*3 p. q. 2, tit. 12, in corp.*) *quod in quodlibet opere ultima consummatio supremæ arti, aut virtuti reservatur. . . . fideles autem Christi sunt quoddam divinum opus, secundum illud 1 ad Corinth.3*, Dei ædificatio estis. *Sunt etiam quasi quædam* Epistola, Spiritu Dei scripta, *sicut dicitur 2 ad Cor.3: hoc autem confirmationis Sacramentum est quasi ultima consummatio Sacramenti baptismi; ita scilicet quod per baptismum ædificatur homo in domum spiritualem, & conscribitur quasi quædam spiritualis epistola: sed per Sacramentum confirmationis quasi domus ædificata dedicatur in templum Sp. Sancti, & quasi epistola conscripta signatur signo crucis; & ideo collatio hujus Sacramenti Episcopis reservatur, qui obtinent summam potestatem in Ecclesia: sicut & in primitiva Ecclesia per impositionem manus Apostolorum, quorum vices gerunt Episcopi, plenitudo Sp. Sancti dabatur, ut habetur Actuum 8 &c.*

Synodus Sarumensis in Anglia (*Salisbery an. 1230*) *secundum Sacramentum*, ait c. 13, *est impositio manus quæ fit ab Episcopo, quæ confirmatio dicitur.*

Sæculo 14 ejusdem rei certissimum argumentum præbet scholarum auctoritas, & totius Occidentalis Ecclesiæ praxis, libris Ritualibus attestata.

Sæculo 15 præter cæteros Wiclefi errores, articulus ejus 8 in Concilio Constant. proscribitur, quo temerarius ac sacrilegus homo effutierat, *confirmationem juvenum reservari Papæ & Episcopis propter cupiditatem lucri temporalis.*

Idemque ea ætate Eugenius IV Pontifex Max. in decreto pro instruct. Armenorum, post solutionem Concilii Florentini, dato confirmat.

Sæculo 16 Concilium Coloniense (*part. 7, c. 8*) *omnes fideles per manus impositionem Episcoporum, Sp. Sanctum post baptismum recipere debent: ut pleni Christiani inveniantur.*

Synodus Moguntina: (*1 p. c. 17*) *Sacramentum confirmationis ex institutio Christi & Apostolorum Ecclesiæ relictum esse. . . Actus ipsorum satis testantur: unde Ecclesia Catholica Sp. Sanctum per manus Episcoporum fidelibus tradendi normam accepit.*

Et denique Rhemensis, (*cap. de confirmat.*) *quamvis unusquisque per baptismum catalogo fidelium sit adscriptus: ad diaboli tamen, carnis, mundique tentationes perferendas ac superandas nonnisi per impositionem manuum Episcopi plus roboris & gratiæ recipit:*

Quod itaque confirmationis ordinarius minister sit solus Episcopus, in Latina Ecclesia antiquissimum est, nec antistitum fastui aut avaritiæ, ut Waldenses, & Wiclefistæ delirabant, sed documentis Apostolicis adscribendum.

PROBATIO II. PARTIS.

Non ita tamen ista accipienda sunt, quasi ab officio confirmandi simplex sacerdotium, dato quocumque casu, absolute & necessario excludatur. Nam posse hoc ministerium ipsis Presbyteris Ecclesiæ concessione committi, pleraque argumenta sic persuadent, ut evincant penitus, quidquid in contrarium Scotus, Durandus, & quidam alii senserint. Nam

1. Ut vere & cum fundamento legitimo diceretur confirmandi potestatem solis Episcopis cum exclusione cujuscumque ministri extraordinarii convenire; probandum foret prærogativam hanc iis solis jure divino assertam, & sacro eorum ordini attributam; atqui simplices Presbyteros a confirmationis administratione jure divino arceri, neque scripto, neque tradito Dei verbo adstruitur. Non scripto quidem: in Actis enim Apost. hoc unum legimus, ab Apostolis Petrum & Joannem esse directos, ut

ut baptizatis a Philippo Samaritanis ad accipiendum Sp. Sanctum manum imponerent: erat porro Philippus Diaconus, adeoque in gradu inferiore consistens. Apostoli vero Episcopi simul erant & Sacerdotes: admodumque probabile est, in his Ecclesiæ nascentis exordiis neminem Sacerdotio inauguratum, quin simul ad fastigium Episcopatus promoveretur. Cumque itaque iidem hoc tempore Episcopi forent ac Sacerdotes, neque Scriptura dicat ideo missos Petrum & Joannem ad Neophytos confirmandos, præcise quia Episcopi erant; ex Actibus Apost. eruitur quidem ab hoc munere Diaconos necessario excludi: at non idem de simplicibus Presbyteris asseverari posse videtur.

Sed nec traditio huic opinioni patrocinatur: si enim bene advertimus, majorum testimonia superius allegata, & alia quæ poteramus congerere longe plura, jus confirmandi Episcopis quidem adscribunt; at non affirmant sic esse, cum omni cujusvis alterius ministri exclusione, divinitus constitutum: quin immo præscriptionem hanc ad meram institutionem Ecclesiæ revocant: unde intelligitur, ad honorem potius Episcopatus, quam ad legis necessitatem sic esse sancitum: *consuetudinem Ecclesiæ* appellat Innocentius I in Ep. ad Decentium, appellat pariter S. Hieronymus in Dial. contra Luciferianos: *morem* dicit *Ecclesiæ* S. Aug. l. 15 de Trin. c. 26: *antiquum morem ab Apostolis traditum*, Theodulphus in lib. de ordine baptismi, c. 17, Primasius *hoc a Pontificibus solere fieri* dicit, comment. in c. 6 Ep. ad Hebræos, cujus rationem subjiciens, *ad confirmationem*, inquit, *unitatis in Ecclesia*: porro etiam: Episcopi non confirmarent, inde absolute non sequetur unitatem Ecclesiæ evertendam. Illud equidem *solis deberi Episcopis* Innocentius I & alii plerique dicunt; sed non asserunt, non posse extra ordinem ab aliis fieri. Denique quam affert Præceptor Angelicus hujus Episcoporum privilegii rationem; plausibilis illa quidem est, & ad adstruendum jus ordinarium apprime conveniens; non tamen convincit, in Jure divino absque ulla exceptione fundari.

2. Huc mirifice faciunt generalia quædam Patrum effata, quibus Episcopos a simplicibus Presbyteris sola pene ordinandi potestate distinguunt: *quid facit Episcopus, excepta ordinatione*, inquit S. Hieronymus (*Ep. 85 ad Evagrium*), *quod Presbyter non faciat?* & S. Jo: Chrysost. (*ho. 11 in 1 Ep. ad Tim.*) *sola ordinatione illi* (Episcopi) *majores sunt, atque hoc tantum plus quam Presbyteri habere videntur*. Nec minus expresse S. Epiphanius contra Aerium hereticum disputans, qui Episcopatum cum Presbyteratu errore stolido confundebat: *unus ordo* (Episcopalis) ait, (*hær. 56, vel 77, n. 3, & 4*) *ad gignendos Patres præcipue pertinet; hujus enim est Patrum in Ecclesia propagatio: alter cum Patres non possit, filios Ecclesiæ lotionis generatione producit, non tamen Patres aut magistros*. Quamquam enim solius baptismi expresse faciat mentionem, ipsam tamen confirmationem eodem numero ex ejus mente comprehensam proclive est intelligere, quippe quæ non ad Patres gignendos, sed ad filios procreandos pertineat: quo sensu a S. Cypriano dictum: (*Ep. 72*) *tunc plene sanctificari, & esse Filii Dei possunt, si Sacramento utroque nascantur* .... (*Ep. 73*) *baptizari eos oportet, qui de hæresi ad Ecclesiam veniunt: ut qui legitimo & vero, atque unico S. Eccl. baptismo ad regnum Dei regeneratione divina præparantur, Sacramento utroque nascantur*. Licet ergo conferendæ confirmationis primariam potestatem in solis Episcopis juxta antiquam disciplinam majores nostri agnoverint; non illam tamen simplicibus Presbyteris absolute denegarunt.

3. Quid argumentorum circuitu opus est, quando constat ex Latinæ Ecclesiæ mente simplices Presbyteros confirmationis ministros extraordinarios esse posse, & aliquando fuisse? quod quidem sacerdotibus facultas illa concedi possit, aperte nisi admodum fallor declarat Trid. Concilium, anathema iis dicendo qui negaverint, *confirmationis ministrum ordinarium esse solum Episcopum*: ubi enim unius Sacramenti minister ordinarius appellatur, subintelligitur quod aliquis extraordinarius esse possit: quia alioquin *ordinarius* superflue diceretur, cujus defectui nulla ratione succurrerent. Quod vero aliquando concessio hæc facta fuerit, expressa Eugenii IV in decreto pro instr. Armenorum sententia est; ubi postquam Episcoporum in hujus Sacramenti administratione primariam auctoritatem asseruit, *legitur tamen aliquando*, inquit, *per sedis Apostolicæ dispensationem ex rationabili & urgenti admodum causa, simplicem Sacerdotem, Chrismate per Episcopum confecto, administrasse confirmationis Sacramentum*.

Bene illud quidem: hanc enim Sardiniæ Presbyteris desinente 6 sæc. aut 7 ineunte S. Gregorius M. gratiam fecit. Scripserat ille ad Januarium Calaritanum Episcopum litteras quibus eum graviter admonuerat Presbyteros in officio continendos, & ab administratione confirmationis arcendos: *Presbyteri*, inquiebat, (*lib. 3, Ep. 9.*) *baptizatos infantes signare sacro in fronte Chrismate non præsumant: sed Presbyteri baptizatos tangant in pectore, ut Episcopi postmodum tangere debeant*

L 2 in

in fronte: deinceps vero publico rumore certior factus, occasione hujus decreti Insulam conturbatam, mitissimus Pontifex correxit sententiam, & Sardiniensibus Presbyteris ut more suo viverent haud difficulter permisit: *pervenit ad nos*, inquit in altera ad eumdem Epistola, (*lib.* 3, *Ep.* 26,) *quosdam scandalizatos fuisse, quos Presbyteros Chrismate ungere in fronte, eos qui baptizati sunt prohibuimus: & nos quidem secundum usum veterem nostræ Ecclesiæ fecimus; sed si omnino hac de re aliqui contristantur, ubi Episcopi desunt, ut Presbyteri etiam in frontibus baptizatos Chrismate tangere debeant concedimus*. Indubitatum itaque M. Gregorio fuit, ad solos Episcopos conferendæ confirmationis potestatem jure divino non pertinere: alioquin enim sententiam non mutasset, neque propter scandalum acceptum, non datum, permisisset impune divinam præscriptionem infringi.

Mirum quantum auctoritas hæc torserit contrariæ opinionis Patronos, quantumque in ea explicanda sibique conciliandâ laboraverint.

Finxerunt alii in hoc decreto de confirmatione minime agi, sed de simplici unctione ad baptismi cæremonias pertinente: & ii quidem a mente S. Pontificis longissime aberrarunt: hoc enim permisit a Sacerdotibus in Sardinia fieri, quod ante prohibuerat; atqui in priore ad Episcopum Calaritanum Ep. nedum prohibuisset unctionem baptismi propriam a Sacerdotibus fieri, antiquam de hoc ritu servando legem confirmaverat: *Presbyteri*, inquiebat, *baptizatos tangant in pectore, ut Episcopi postmodum tangere debeant in fronte*.

Deinde, hoc rescripto Sardiniæ Presbyteris benigne aliquid annuit, quod sciebat suæ, hoc est Romanæ Ecclesiæ, usibus esse contrarium; atqui quod cæremoniæ omnes, ipsæque nominatim unctiones ad baptismum pertinentes, a simplicibus Sacerdotibus fierent, antiquis Romanæ Ecclesiæ ritibus, quos bene callebat Gregorius, apprime consentaneum erat; nec latere eum poterat, quod ab antecessore suo Innocentio I, 200 circiter ante annis fuerat constitutum, *de consignandis infantibus*, inquiebat ille, (*in Ep. ad Decent. c.* 3) *manifestum est, non ab alio quam ab Episcopo fieri licere. . . . . nam Presbyteris, seu extra Episcopum, seu præsente Episcopo baptizent, Chrismate baptizatos ungere licet, sed quod ab Episcopo fuerit consecratum; non tamen frontem ex eodem oleo signare quod solis debetur Episcopis, cum tradunt Spiritum Paracletum*. Ergo de unctione confirmatoria in rescripto Gregorii agebatur, adeoque merum effugium hæc adversariorum exceptio est.

Alii cum subtili Scoto futilitatem magis quam subtilitatem sectantes, ita quidem ut fert testimonium, a Gregorio indultum confessi sunt: verum ne quid Pontificis gratiæ deesset, hoc ipso Sardos Presbyteros ad Episcopatum, quantum ad hunc saltem effectum, promotos somniarunt, atque ita dum confirmationis ministerio Episcopi constare absolute non posse contendunt, Episcopatum, cui non secus ac confirmationi ratio Sacramenti convenit, inconsiderate depresserunt: cui enim mediocriter sapienti probari poterit, non mystico manuum impositionis conjunctæque orationis ritu, sed mero Pontificis nutu, per litteras significato, posse aliquem quantumvis absentem & ab ordinatore remotum, Episcopum fieri? rursum cui unquam judicio utenti persuadebitur, a Gregorio M. Sardiniæ Presbyteros, non solum qui hoc vivebant tempore, quantum ad jus confirmandi Episcopos esse creatos; sed & futuris in posterum ejusdem Insulæ Sacerdotibus, gradum eumdem veluti hæreditate assertum? quam enim iis largitus est gratiam, nullo temporis limite circumscripsit: *nos quidem*, inquit, *secundum usum veterem nostræ Ecclesiæ fecimus; sed si omnino hac de re aliqui contristantur, ubi Episcopi desunt, ut Presbyteri etiam in frontibus baptizatos Chrismate tangere debeant, concedimus*. Quis denique Scoti opinionem non rideat, fingentis posse Episcopatum sic dividi, ut quædam ejus portio detur, & non totus ac integer conferatur: ita ut aliquis monstruosa ordinatione Semi-Episcopus constitutus, confirmationis, & non aliorum quæ ejusdem ordinis propria sunt habeat potestatem?

Dixerunt alii a sanctissimo juxtaque pacis amantissimo Pontifice Sacerdotibus hoc esse permissum, ut nascens scandalum præfocaret, quomodo pleraque a Principibus vitandi majoris mali gratia tolerantur. Quod idem plane est, ac si diceretur Gregorium, hinc quidem parvam offensionis extinxisse scintillam, illinc vero magnum proditæ veritatis incendium excitasse; quod enim gravius scandalum esse poterat, quam quod supremus Ecclesiæ pastor antiquam fidem destituendo, propbanam novitatem exurgere pateretur, & non paucis tantum insularibus formam sacrilegii, sed & universis Catholicis occasionem præberet erroris?

Alii denique nodum abrumpendo, S. Gregorium judicio suo deceptum, atque ut privatum Doctorem errasse, affirmare non dubitaverunt, eo quidem intolerabilius quod non unum tantum priscæ ætatis Pontificem, sed & plerosque alios temporis succedentis, nec unam tantum Ecclesiæ portionem, verum & Græ-

Græciam & Ægyptum, & Orientem universum, & bonam Ecclesiæ Latinæ partem una erroris accusatione implicuerint: atque ita Ecclesiam totam magistram fecerint falsitatis. De Græcis cæterisque Orientalibus paragrapho sequenti dicturi sumus: in præsenti ut de Latinis solis, prout propositum est, argumentum persequamur: extat Concilii Toletani I. Can. 20, qui vix potest nisi coacte aliter quam de confirmatione intelligi, his verbis conceptus: *statutum est, Diaconum non chrismare, sed Presbyterum absente Episcopo; præsente vero si ab ipso fuerit præceptum*. Extat pariter Decretum Eugenii IV declarantis, *aliquando per sedis Apostolicæ dispensationem simplicem Sacerdotem administrasse confirmationis Sacramentum*: nec minus evidens, ut prædiximus, Concilii Trid. auctoritas est, Episcopum *ministrum ordinarium* appellantis, quod significatur posse illud officium extraordinario saltem sacerdoti committi; neque alia, nec multum antiqua exempla desunt. Anno namque 1521, die 25 Aprilis, ad petitionem Fratrum Galapionis & Francisci de Angelis, indulsit Hadrianus VI, ut in Indiarum, finitimarumque regionum partibus, ubi non erant Episcopi, sacerdos aliquis regularis ex ordine S. Francisci, Chrismate ab Episcopo consecrato libere confirmaret; cujus privilegii exemplar authenticum in cœnobii Hispalensis S. Francisci scrinio asservari, testatur in Annalibus Fratrum minorum Wadingus scriptor fide dignissimus: pari privilegio suos in ora Brasilica frui, quin & eodem se sæpius usum, Ludovicus Fonseca Societatis Jesu, coram multis testibus Arcudio affirmavit, ann. 1593, ut narrat Arcudius ipse: (*in concord. lib. 2, de conf. c. 15*) quin & favorem hunc etiam in Galliis ubi abundant Episcopi simplicibus Presbyteris aliquando concessum, perspicue Concilium Senonense in decretis morum insinuat: (*c. 38*) *si qui sint*, inquit, *qui contendant sibi competere facultatem confirmandi ex privilegio, volumus quod cum primum fuerint requisiti, de privilegio fidem facere teneantur*.

Igitur ex mente & disciplina Latinæ Ecclesiæ hæc duo sunt pariter certa, ordinarium confirmationis ministrum solum Episcopum, extraordinarium vero, simplicem Presbyterum esse.

§. SECUNDUS.

Demonstratur, apud Græcos & Orientales, a simplicibus Presbyteris vulgo confirmationem, antiqua Ecclesiæ concessione, conferri: adeoque ejusdem ministerium ordinarium Episcopis integrum illibatumque servari.

Postea quam exemplo Latinorum probatum est, non ita necessario confirmandi ministerium Episcopo convenire, quin possit gradus inferioris Sacerdotibus ex Ecclesiæ dispensatione committi, nullum opinor hac re dubitandi locum esse relictum. Si cujus tamen animo adhuc aliquis scrupulus insidet, Græcorum & Orientalium auctoritate facillime complanabit, quos constat hoc ipsum officium a multis retro sæculis, simplicibus Presbyteris, probante Latina Ecclesia demandasse.

Hujus quidem moris fidem certam faciunt eorum ubique communia Euchologia, quæ baptismi & confirmationis administrationem, unius officii tenore, nullo temporis nulloque ministri discrimine facto concludunt: *baptizat eum* (Cathecumenum) *Sacerdos*, inquiunt, (*Vide Goarii Rituale Græcorum, in officio S. Baptismatis.*) *& dicit: baptizatur servus Dei N. in nomine Patris, & Filii, & Sp. Sancti &c. . . . & induens eum suis involucris, ait: induitur servus Dei N. tunica justitiæ, in nomine Patris, & Filii, & Sp. Sancti: nunc & semper & in sæcula sæculorum amen . . . . & postquam indutus fuerit, adjicit sacerdos orationem hanc: Dominum precemur. Benedictus es Domine Deus omnipotens, fons bonorum, sol justitiæ, qui per unigeniti Filii tui & Dei nostri apparitionem, velut salutis sol, iis qui in tenebris erant illuxisti, & nobis indignis beatam purgationem in vivifica unctione contulisti: qui & nunc recens illuminatum servum tuum per aquam & Spiritum, peccatorum sponte atque etiam indeliberate commissorum remissione ei concessa, regenerare voluisti: ipse Domine Rex omnium benigne, signaculum doni, Sancti & omnipotentis & adorandi tui Spiritus, & Sancti Corporis & pretiosi Sanguinis Christi tui communionem ei largire: in sanctitate tua custodi illum, in vera fide confirma, a maligno & omnibus ejus astutiis illum erue: & salutari tuo timore in puritate & justitia animam illius custodi: ut in omni verbo & opere tibi placitus filius & hæres evadat regni cœlestis, quia tu es Deus noster, Deus miserendi & salvandi, & tibi gloriam remittimus, Patri, & Filio, & Sancto Sp. nunc & semper, & in sæcula sæculorum amen.*

Et

Et Oratione hac terminata baptizatum Sancto unguento ungit, crucis signum faciens in fronte, & in oculis, & in naribus, & in utraque aure, & in pedibus, dicens: signaculum doni Sp. Sancti, amen. Deinde cum susceptore & puero in circuli modum procedit Sacerdos, & ab assistente clero canitur: quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis, &c.

Hanc porro antiquissimam esse Græcorum consuetudinem, præterquam quod manifestum est ex manuscriptis Euchologiis quæ nongentorum annorum vetutatem superant, multis testimoniis comprobatur.

Primum ex Photio proferimus qui in encyclica epist. (*Ep.* 2) quam ad Archiepiscopales Thronos per Orientem obtinentes, Alexandrinum scilicet, & alios direxit, præter cætera, de Latinis magna styli acerbitate conqueritur, quod Bulgaros (ad Christum recens conversos) & a Græcis Presbyteris confirmatione donatos, iterum Episcoporum manibus unxerint: *Chrismate*, inquit, *innunctos per Sacerdotes, denuo Chrismate inungere non exhorruerunt, cum se Episcopos prædicarent, & Presbyterorum Chrisma inutile quiddam, ac frustra factum comminiscerentur. An talem quis insaniam unquam audivit, quam non exhorruere insani isti factitare: ut semel unguento sacro delibutos rursus inungerent, & augusta illa divinaque Christianorum mysteria in . . . . . . risum conversa proculcarent? sed vide sapiens & egregium eorum responsum, qui cum mysteriorum vindices haberi velint, revera sunt insanctificati, & sacrorum mysteriorum immunes: non licet Sacerdotibus*, inquiebant, *eos qui sacro baptismate initiantur, unguento sanctificare: hoc enim solis Pontificibus per legem concessum est. Verum unde lex illa venit? quis legislator? quis Apostolorum hoc sanxit? numquid saltem Patrum aliquis? numquid aliqua synodus? sed ubinam gentium, vel quando coacta? quorum votis sancita, & confirmata suffragiis? non licet Sacerdoti, eos qui baptizantur consignare. Ergo neque ei licebit baptizare, nec sacrificare: ut non jam dimidia sui parte truncatus Sacerdos, aliquid in divinis rebus audeat, sed totus ad profanum statum redigatur. Qui corpus Dominicum consecrat, & Christi Sanguinem, & per illa eos qui sacris olim fuerant initiati, sanctificat; unde erit quod non eosdem olei unctione consummet? baptizat Sacerdos, & undis lavacri donum expiatorium tribuit. Quomodo cujus purgationis sive purificationis ipse est auctor & consummator, ejus illi custodiam atque signaculum eripis? verum si signaculum eripis, ne illud quidem ii concede ut donum ministret, vel quemquam eo sanctificet: ut nudis nominibus exornatus tuus Sacerdos, te quoque ejusdem cum ipso Chori Choriphæum et Episcopum ostendat.*

Ita Photius: cujus testimonium si quis ideo contemnendum putet, quia fidem sibimet omnem suam contra Latinam Ecclesiam animositate eripuit; ille meo quidem judicio nimium severus est censor. Quamquam enim quo erat furore percitus, contra veritatem multa Photius evomuerit; in facto tamen de quo agitur, aut deceptum, aut decipere voluisse nemo sapiens admittet. Quod ut palam fiat, breviter occasionem hujus querimoniæ enarrabo.

Anno 861 Bulgari impendente sibi Michaelis Romanorum Imperatoris, contra quem belligerabant, exercitu deterriti, fameque & multis aliis quæ belli consectaria sunt, oppressi miseriis, Christo velle se dare nomen, & Romano subesse imperio per legatos significarunt. Horum conversionem utri Græcorum aut Latinorum primi promoverint, cum mihi incertum sit, non definio: hanc sibi laudem Græci vendicant, uti Nicetas David, Simeon Logotheta, Constantinus Porphyrogenitus, & Annales Byzantini testantur. Eamdem vero Latinis adjudicat Anastasius Biblioth. in præfatione ad 8 Synodum, quam in Latinum sermonem conversam Hadriano II Pontifici Max. nuncupavit: *cum Rex Vulgarorum*, inquit, *cum propria gente fidem suscepisset, per hominem Romanum, id est, quemdam Presbyterum, Paulum nomine, documentum atque mysterium propositum habuit a sede Apostolica, non modo fidei regulam, sed & sanctæ legis disciplinam, quod & fecit, non solum a præfato Presbytero, verum etiam per divinam revelationem instructus....* de eodem porro Simeon Logotheta sic scribit: *Michael imperator cum Cæsare* (Bardo) *terra marique adversus Bogorim Bulgarorum Principem copias ducit. Bulgari apparatu audito, & cum alias fame conficerentur, quasi telli e cœlo obrigescentes, omnique abjecta victoriæ spe, ante etiam agones & prælia, nomen Christo dare deposcunt, & Rom. subesse Imperatori. Michael vero in urbem* (Constantinopolim) *inductos, salutari eos lavacro donavit, eorumque Principem suo de nomine Michaelem appellavit.*

Quidquid sane sit, non dubito Græcorum & Latinorum mutuas in hoc negotio partes fuisse; sed nec minus mihi est certum, brevi apud Bulgaros Romani Pontificis, & Latinorum præcipuam fuisse auctoritatem. Eorum namque Rex Michael tum a Lodovico Germani-

manico Imperatore Episcopum & Presbyteros petiit, qui plebem suam instituerent, tum a Nicolao I Pontifice Max. Episcopos delegatos excepit, *qui ad Principem pervenientes*, ait Anastasius (*in præfat. ad 8 Synod.*) *totamque mox memoratorum Wulgarorum patriam peragrantes, terram cordium linguæ vomere proscindendo, & Christum, extirpatis errorum vepribus, in hominum mentibus plantando, fluentis sacri baptismi rigando, atque impositione manuum suarum, & super Deo dicata templa vel altaria incrementum perfectionis per Spir. Sanctum invocando, dum Apostolicus ille Pontifex superstes habitus est, minime cessaverunt: in tantum autem pietas creverat Principis, & abundabat circa B. Petrum venerationis affectus, ut quadam die manu propria capillos suos apprehenderet & contemplantibus cunctis, se Romanis missis tradiderit, dicens: omnes primates & populi Wulgarorum terræ cognoscant, ab hodierno die me servum fore, post Deum, B. Petri & ejus vicarii.*

Ex his Anastasii verbis duo colligo. Primum est, Nicolao I Apostolicam sedem tenente, interimque impio Photio Thronum Constantinop. unde S. Ignatium nefarie detruserat per vim occupante, Bulgaros S. Romanæ Ecclesiæ, & B. Petri in Occidentali Patriarchatu successori, colla specialiter submisisse; alterum, quod ad rem nostram facit, eodem tempore Latinos Episcopos, tum a Ludovico Germanico, tum a Nicolao Pontifice Max. in Bulgariam delegatos, Occidentis disciplinam in novam hanc Ecclesiam intulisse. Quo factum est, ut quoscumque a Græcis & Photianis Presbyteris reperirent confirmatione donatos iterum ungerent, atque impositione manuum suarum per Sancti Sp. invocationem perficerent.

Hæcque Photio ejus quam prædiximus scribendæ Ep. occasio fuit, ubi de Latinis tanto verborum impetu quæritur, quod *Chrismate inunctos per Sacerdotes denuo Chrismate inungere non exhorruerint, cum se Episcopos prædicarent, & Presbyt. Chrisma inutile quoddam ac frustra factum comminiscerentur*. Nono ergo sæculo, Græcorum & Orientalium mos antiquus erat, Neophytos non Episcoporum tantum, sed & Presbyterorum manibus confirmandi. Alioquin enim Photium, impudentissimum esse oportuisset, qui contra receptam in Oriente disciplinam tam inepte deliraret.

Quod si quis hujus Ep. testimonio, cui Græcorum nemo contradixit, convictum se neget, attendat hoc ipsum Latinos hujus ævi Scriptores confessos esse. Ratramnus enim Monachus Corbejensis in resp. ad objectiones Græcorum, quas jussu Nicolai I, & Gallicanorum Præsulum adornavit, *nunc ad illud veniamus*, inquit, (*lib.* 4, *c.* 7) *quod objicitur, quia penes Romanos baptizatorum frontes Presbyteri Chrismate non liniunt: quod objectum sicut & reliqua, magis levitate quam ratione propositum est; siquidem Ecclesiæ suæ consuetudinem sequentes, ista proponunt, non aliquam divinæ Legis auctoritatem*. Ea igitur, Ratramno fatente, 9 sæculo Græcorum disciplina ac consuetudo erat schismate Photiano sine dubio antiquior, & ab omni reprehensione immunis, ut Presbyteri baptizatorum frontes Chrismate sacro signarent.

Accedit Bertinianorum Annalium, ad an. Domini 867, & Flodoardi in historia Rhemensis Ecclesiæ (*lib.* 3, *c.* 7) judicium. Narrat enim uterque scriptor, Nicolaum Rom. Pontificem, *Hincmaro & Episcopis in regno Caroli Calvi constitutis Epistolam transmisisse, innotescentem, Græcorum Imperatores Michaelem & Basilium, sed & Orientales Episcopos, calumniari S. Rom. Ecclesiam, immo omnem Ecclesiam quæ Latina utitur lingua, quia jejunamus in Sabbatis, quod Sp. Sanctum ex Patre, Filioque procedere dicimus, quia Presbyteros sortiri conjuges prohibemus; & quoniam eosdem Presbyteros Chrismate linire baptizatorum frontes inhibemus*. Qua vero fronte Græci Latinis accusationem hanc intentassent, nisi morem ipsi contrarium tenuissent, suis passim Presbyteris confirmationis ministerium permittendo?

Jam vero quod hæc Orientalium disciplina sit schismate Photiano antiquior, præterquam quod satis superque declarat Latinorum silentium, quibus facillimum erat Græcos novitatis arguere, si nuper foret hic abusus in Orientem inductus; non desunt ex monumentis veteribus argumenta. Auctor enim comment. in Ep. S. Pauli, sub ementito S. Ambrosii nomine: *apud Ægyptum Presbyteri consignant*, inquit, (*in c.* 4 *Ep. ad Ephes.*) *si præsens non sit Episcopus*: & auctor qu. in vetus & novum testam. q. 101 (*inter opera S. Aug. in append. to.*3), *in Alexandria*, inquit, *& per totam Ægyptum, si desit Episcopus, consecrat Presbyter*: consecrandi porro vocem, de confirmatione, non vero de Eucharistiæ confectione debere intelligi perspicuum est. Peculiarem enim quandam Alexandriæ & totius Ægypti consuetudinem eo loci prædictus auctor commendat; atqui si de consecratione Eucharistiæ loqueretur, nihil Ægyptiis singulare tribueret. Non enim in Ægypto solum, sed & in omnibus orbis Christiani partibus, Eucharistiam a simplicibus Presbyteris, in Episco-

sco-

scoporum absentia confici, antiquissimum est, & Apostolica traditione acceptum. Ergo &c.

Addam ad coronidem argumentum non contemptibile, petitum videlicet ex discrimine quod inter Græcos & Latinos Patres in hoc negotio intercedit: isti enim, ut constat ex dictis paragrapho præcedente, nusquam fere de confirmatione faciunt mentionem, quin hujus conferendæ solum Episcopum ministrum esse affirment. Illi e contrario, quando hujus Sacramenti necessitatem & excellentiam adstruunt, de ministro vel prorsus silent, vel ejus administrandi officium sub generali Sacerdotii nomine comprehendunt: sic Laodiceni Patres: *oportet*, inquiunt, (*Can.* 48) *eos qui illuminantur, post baptisma inungi supercœlesti Chrismate, & esse regni cælestis participes*: Constantinopolitani pariter in hoc Can. (*Conc. Constant.* 1, *Can.* 7) quem de hæreticis in sua secta minime confirmatis, haud incongrue plerique interpretantur de ministro, Episcopus esse debeat, an Presbyter, nec minimum faciunt verbum: *signatos & unctos*, inquiunt, *primo sacro unguento in fronte, in oculis, in naribus, in ore, & in auribus, in Ecclesiam admittimus: & signantes eos dicimus: signaculum doni Sp. Sancti*. Lege Cyrillum Hierosol. Basilium, Gregorium Nazianz. Theodoretum & alios quos sæpe in decursu hujus libri citavimus, de Episcopo pariter silent; quin & confirmandi officium ad Presbyteros pertinere aliquando insinuant: *ad fidem accedentes, merito primum adhortamur*; inquit Gennadius Constantinop. ab Œcumenio citatus, (*in comment. Ep. ad Hebr.*) *ut ab operibus mortiferis resipiscant, resipiscentes autem in Deum credant; credentes vero baptizentur; baptizati autem se ipsos subjiciant impositioni manuum Sacerdotum ad participationem Spiritus*. Ergo &c.

Nec propterea tamen putandum, Episcopos a Græcis & Orientalibus gradu dejectos, & primaria ad hujus Sacramenti collationem auctoritate, quam ab initio habuerant, fuisse privatos: quod enim ministro inferiori, exigente necessitate permittitur, superioris potestati nil derogat; atqui Græcis Presbyteris propter solam necessitatem concessum, recens baptizatis per Chrismatis unctionem Sp. Sanctum conferre: quod ut intelligas, adverte primis temporibus baptisma, dempto necessitatis articulo, non quovis indiscriminatim die, sed solis Paschatis, Pentecostes, & Epiphaniæ diebus, unaque cum illo confirmationis Sacramentum ab Episcopis tradi solitum: deinceps vero fideli populo insigniter multiplicato; cum non possent per se ipsos Episcopi omnes Catechumenos baptizare, communi Ecclesiarum consensione sancitum, ut quolibet tempore baptisma posset a simplicibus Presbyteris cum solemnitate conferri: hincque contigit, ut in Latina quidem Ecclesia confirmatio a baptismo, tempore separaretur, & solis Episcopis opportuno tempore conferenda jure antiquo reservaretur: in Græca vero & Orientali, majori scrupulo, ne videlicet pueri morte immatura abrepti, tanti mysterii exortes essent, consentientibus totius Orientis Episcopis simplices Presbyteri sibimet confirmandi officium arrogaverint, & ad hanc usque diem retinuerint: *exindeque*, inquit Goarius, (*in offic. baptis. nota* 28) in Euchologio, *non obscure percipimus cur cæremonialem unctionem Chrismatis, a Latinis Sacerdotibus in baptismate fieri solitam Græci non admiserint; quia videlicet vicaria est illa Pontificalis in fronte unctionis, quæ ex Episcopi defectu baptismum, ut priscis temporibus semper comitari nequit; at cum Græcis Sacerdotibus defectum Episcoporum supplere, data confirmatione sit licitum: nulla certe alia, baptizatorum verticem ungendi requirit ratio*. Græci itaque & Orientales hujus disciplinæ inductione, nullam Episcopis injuriam irrogarunt, quorum supremam in consecratione Sacramentorum auctoritatem illæsam intactamque servarunt; sed tantum baptizatorum necessitati consuluerunt, ne perfectione Chrismatis, & Spiritus S. infusione defraudarentur: *Ecclesia Orientalis*, ait Gabriel Philadelphiensis, (*in lib. de Sacr.*) *non tantum Pontificibus, sed etiam ipsis Presbyteris, post Sacram baptismatis cæremoniam benigne annuit atque concedit citra ullam culpam unctionem Chrismatis: idque propterea ne quis baptizatorum, ejusmodi gratia privetur, si eum contingat, ut sunt humanæ res, repentina atque immatura morte ex hac vita migrare*.

Jam si contendat aliquis, contra legem divinam a Græcis sic constitutum; non Græcis tantum & Orientalibus, sed & Latinis ipsis injuriam facit, a quibus constat confirmationem Græcorum pro valida semper habitam acceptamque fuisse. Quoties enim de conciliandа utriusque Ecclesiæ pace tractatum est, maxime vero in Concilio Lugdunensi II (*an.* 1274) sub Gregorio X, cui Paleologus Orientis imperator interfuit; & in Florentino, (*an.* 1439) magno Orientis Occidentisque concursu celebrato, Græci cum omnibus suis ritibus in gratiam sunt recepti.

Equidem instante synodi exitu, Eugenius IV inter alias quæstiones hanc ordine 6 Græcis proposuit: *quare Pontifices non inungerent sacro Chrismate, sed Sacerdotes, cum hoc Pontificibus sit datum?* verum, ut habetur in actis ejusdem Concilii: *hæc a Latinis objecta* Mi-

Mitylenensis Episcopus, *canonice legitimeque dissolvit*. Unde manifestum est, 1 tempore Florentinæ Synodi, Græcos Sacerdotes Sacramentum confirmationis contulisse: 2 de hac re in Concilio disputatum: 3 a Græcis disciplinæ suæ rationes canonicas afferentibus, Latinorum difficultatibus satisfactum: 4 Eugenium Pontificem Max. cæterosque magno numero disciplinæ acquievisse, nec eos ad morem antiquum deserendum compulisse, nec denique de veritate confirmationis a simplicibus Presbyteris collatæ scrupulum ullum mansisse.

Quæ autem Eugenii, eadem sequentium Pontificum voluntas ac sententia fuit: a Leone enim X, Clemente VII, & Urbano VIII, sæpe declaratum, Græcis propter ritus quos habent a nostris diversos, nullam molestiam inferendam, plenamque in his quæ nec fidem nec bonos mores offendunt, quantumlibet videantur consuetudini nostræ contraria, libertatem iis esse relinquendam. Ergo &c.

§. TERTIUS.

Diluuntur quædam objectiones.

Objicitur. Quamplures iique gravissimi Theologi docuerunt, simplicem Presbyterum, qualibet accedente Romani Pontificis aut Ecclesiæ dispensatione, confirmationis ministrum esse non posse. Ergo &c.

R. Dist. ant. ita docuerunt sine legitimo fundamento, conc. merito & cum fundamento, n. ant. & consequ. Equidem ita tenuerunt, Guillelmus Altissiod. S. Bonaventura, Durandus, Major, Adrianus, Estius, Petrus Aurelius, & alii multi; sed videndum cauteque pensandum quibus rationibus opinionem hanc approbarint, ne scilicet plus humano testimonio tribuere videamur quam veritati. Porro futilia esse quibus nituntur momenta, tum ex prædictis liquido constat: tum ex eorumdem expositione magis constabit.

Inst. 1. Atqui legitimo fundamento doctrina contraria nititur. Ergo &c.

Probant subs. variis modis.

1. Solum Episcopum hujus Sacramenti absolute esse ministrum, aperte declarat Ep. ad Episcopos Tusciæ & Campaniæ, quæ sub Eusebii Pontificis Maximi nomine circumfertur, & hoc titulo a Gratiano laudatur: (*de consecr. dist.* 5, *can.* 4) *manus quoque impositionis Sacramentum*, inquit, *magna veneratione tenendum est*, *quod ab aliis perfici non potest*, *nisi a summis Sacerdotibus*, *nec tempore Apostolorum ab aliis quam ab ipsis Apostolis legitur*, *aut scitur peractum esse*: *nec ab aliis quam ab illis qui eorum tenent locum*, *unquam perfici potest*, *aut fieri debet*: *nam si aliter præsumptum fuerit*, *irritum habeatur*, *& vacuum*, *& inter Ecclesiastica numquam reputabitur Sacramenta*.

2. Latini Episcopi in Bulgariam 9 sæculo a Nicolao I Sum. Pontifice delegati, quos repererunt chrismatos a Photianis presbyteris iterum confirmarunt.

3. Hoc ipsum paulo ante Florentinam synodum Latini agebant, ut constat ex Gregorio Proto syncello, (*in Epis. adversus Marcum Ephesium*) qui in eodem Concilio locum non infimum habuit.

4. Innocentius III Presbyteris Constantinop. expresse edixit, ne confirmare præsumerent: ut habetur *c. quanto*: *ext. de consuetud.*

5. Gregorius IX *Libro 1 decretalium*, *tit.* 4 *de consuetud.* solis Episcopis jus confirmandi attribuit.

6. Innocentius IV ab Episcopo Tusculano sedis Apostolicæ in Regno Cypri legato, de ritibus Græcorum consultus, rescripsit, *solos Episcopos consignare posse in frontibus baptizatos*.

7. Clemens VIII *in instructione super ritibus Græcorum*, simplices Sacerdotes a confirmandi ministerio absolute excludit.

8. Tandem synodus Montis Regalis, præside Card. Francisco Peretti Montaltio, proxime elapso sæculo habita, (*anno* 1652) c. 14 statuit, *Latinos Episcopos*, *etsi absolute possint a Græcis presbyteris baptizatos & chrismatos iterum confirmare*, *tutius tamen videri*, *si eosdem sub conditione*, *& Latinorum forma consignent*. Ergo qui negant confirmandi officium posse simplicibus presbyteris ulla ratione permitti, haud levibus momentis nituntur.

R. Nego subs. ad probationem singula capita breviter perstringo.

Ac 1 quidem nihil habet difficultatis: constat enim Ep. hanc, uti & cæteras quæ Eusebii aliorumque Pontificum ante Siricii tempora nominibus insigniuntur, supposititias esse, omnique proinde fide indignas: *dudum ab eruditis observatum est*, ait doctissimus Card. Bona, (*rerum Liturg. lib.* 1) *Romanorum Pontificum Epistolas decretales usque ad Siricium supposititias esse* ... *& pia fraude confictas*: eademque Card. Baronii, Perronii pariter Cardinalis, Antonii Augustini, Natalis Alex. & omnium denique ætatis nostræ criticorum sententia est: frustra igitur Eusebius in præsenti opponitur, de cujus tribus Epistolis sic Labbæus pronuntiat (*in nota marginali*) *confictæ ac spuriæ omnes*: de tertia vero unde objectio petitur, ita censet: *tota conficta est*.

Ad 2. Concesso ant. nego conseq. hoc enim quan-

quando quidem a Latinis Episcopis inconsideratius, & contra mentem Rom. Pontificis a quo missi fuerant, factum est, trahi ad argumentum non potest: imo dolendum potius quod hac sua nimia præcipitatione schisma aliquatenus, quamquam præter voluntatem, adjuverint, & impio Photio semper ad rebellandum parato, justam aliquam de Latinis quærendi occasionem præbuerint: ita respondet doctissimus Holstenius in dissertationibus de confirmatione, jussu Card. Francisci Barberini, congregationis de propaganda fide præfecti, Romæ editis: ubi enumerans causas quæ in schismate luctuoso Græcos obfirmarunt: *Inter eas*, inquit, (*disser. 1, p. 15*) *una est, chrismatis Sacerdotalis improbratio, ejusdemque iteratio apud Bulgaros.*

Ad 3. Nego pariter consequens: hoc enim a nostris ex ignorantia disciplinæ, propria præsumptione, & contra mentem Latinæ Ecclesiæ factum esse, tum ex prædictis liquido constat, tum Gregorius ipse Proto-syncellus agnovit: *Latini*, inquit, (*in Ep. adversus Marcum Ephes.*) *nostros ungebant, & chrismatos appellabant: quod vero non secundum rectam rationem ista fierent, manifestum est: etenim cum iniremus concordiam, nullam rationem contra nos afferre poterant: sed cum orthodoxi essemus, & recte sentiremus, ab orthodoxis orthodoxi judicati sumus.*

Ad 4. nego ant. nego, inquam, decretum illud Innocentii ad Constantinop. presbyteros, Græcorum ritui subjectos spectasse, & dico ad solos Latinos Constant. commorantes fuisse directum: id quod verba ipsa quibus expressum est aperte demonstrant: *Mandamus*, inquit, *quatenus omnibus Latinis presbyteris apud Constantinop. constitutis districte prohibeas, ne talia de cætero sua temeritate præsumant.* Igitur Pontificium illud decretum nedum contra nos quidquam faciat, sententiæ nostræ probatio est: nam si existimasset Innocentius confirmationem nulla posse ratione a simplicibus presbyteris ministrari, nullo facto Græcorum & Latinorum discrimine, usurpationem hanc omnibus generatim interdixisset, eoque facilius quod Latini eo tempore Constantinopoli dominarentur, quod cum non fecerit solosque Latinos Sacerdotes censuerit in suæ, hoc est Latinæ Ecclesiæ ritibus continendos: consequens est ut orientalium & Græcorum morem contrarium approbaverit.

5. Ex Gregorio IX de jure ordinario est intelligendum, quod solis Episcopis convenire, decessorum suorum vestigiis insistendo decernit; adeoque in præsenti controversia, ubi de ministro extraordinario agitur, opponi rescriptum illud non potest.

6. Porro quam parvi momenti sit, vel inde abunde probatur, quod illud Innocentii IV decretum, in Cypro insula quo fuerat destinatum, aliisve Græciæ regionibus, nec publicatum unquam fuerit, nec executioni mandatum: ita equidem, ut fert argumentum, ad Episcopi Tusculani quæsita responderat Summus Pontifex, ut nimirum Græcos Cyprios ad Rom. Ecclesiæ disciplinam, si fieri posset, adducerent: verum maturiori deinceps habita deliberatione, rescissum decretum & pro nullo habitum, tum exitus ipse probavit, tum sequentium Pontificum ipsiusque Florentini Concilii contraria definitio confirmavit.

Ad 7. Eadem quæ ad 4 responsio est: hæc enim Clementis VIII instructio solummodo spectabat ad Græcos presbyteros in Latina Ecclesia commorantes, & Latinis Episcopis subditos, quos proinde constabat ad ritus nostros servandos a propriis antistitibus, & præsertim a Pontifice Max. ad tenendam disciplinæ unitatem posse compelli: alioquin enim si dixerimus hac lege Græcos omnes Sacerdotes comprehensos, ne iis quidem exceptis, qui suis legibus vivebant, & Græcis Episcopis parebant, secum ipsis Summos Pontifices committemus, & pugnantiæ accusabimus, quandoquidem certum est, ab Eugenio IV, Leone X, Clemente VII, Urbano VIII, & aliis Græcorum ritus probatos, nominatimque confirmationem, qualis ab eorum presbyteris traditur, acceptatam.

Atque hinc patet, qua ratione debeat 8 & ultima objectio expediri: dato enim ant. nego conseq. & dico particularis hujus synodi decretum, nedum admitti debeat, absolute rejiciendum, tum quia Florentino Concilio & Sum. Pontificum statutis e diametro adversatur, tum quia contra universalis Ecclesiæ sensum formam qualem Græci in confirmationis administratione usurpant, aut irritam aut dubiam esse supponit: quod non Orientali tantum, sed & occidentali Ecclesiæ est manifesto injuriosum: constat enim Græcorum ritum, qualem eorum Euchologia exhibent, antiquissimum esse, omnique schismate vetustiorem, neque minus certum est, Latinis probantibus observatum, indeque nec minimam olim offensionis occasionem obortam; ergo majoribus nostris nec erronea, nec falsitatis suspecta forma Græcorum videbatur: alioqnin enim in crimen proditæ veritatis, & violatæ fidei incurrissent, cum iis communionem servando, quos vel amica correctione sanare, vel ob contumaciam præscindere debuissent.

§. QUAR-

§. QUARTUS.

Nonnulla dubia explicantur.

Ad plenam quæstionis elucidationem, quædam excutienda supersunt, quæ haud levem videntur habere difficultatem, quæque ideo surdo sermone prætereunda non duximus.

Q. 1. Unde simplices presbyteri habeant, quod possint ad ministerium extraordinarium confirmationis assumi?

℟. Potestatem hanc in ipso ordine Sacerdotali fundatam: facultas enim est, non solius jurisdictionis, quæ potest etiam Diaconis committi, imo & ministris inferioribus: sed characteris & ordinis; itaque quod iis confirmandi officium committitur habent, illud quidem ex Ecclesiæ indulgentia & concessione: quod vero possit attribui, ipsa sua ordinatione essentialiter habent, per quam ad gignendos Ecclesiæ filios sunt divinitus destinati: alioquin enim si hoc jure absolute carerent, nihil illis Ecclesiæ indulgentia profutura esset, & irritum foret quidquid in chrismatis & impositionis manuum ministerio agerent, pari ratione qua simplex Diaconus absolutionis Sacramentalis, aut offerendi sacrificii officium inutiliter ac sacrilege attentaret.

Q. 2. Quomodo ergo Episcopus simplici presbytero in confirmationis administratione præcellit, cum uterque jus illud virtute characteris Sacerdotalis ex æquo possideat?

℟. Discrimen inde petendum, quod in Episcopis potestas confirmandi habeat ex divina institutione jurisdictionem annexam, at vero in presbyteris, quantum ad exercitium ex speciali delegatione Ecclesiæ pendeat: *Christus*, inquit Dominicus Soto (*in 4 sent. dist. 7, qu. unica rat. 11*) *neque omnes Sacerdotes simpliciter ministros hujus Sacramenti instituit, sicut Eucharistiæ aut pœnitentiæ, neque vero solos Episcopos: sed medio modo . . . aliquid enim tamquam necessarium determinavit, & aliquid judicio Ecclesiæ reliquit: statuit, inquam, solos Sacerdotes, sive ex officio, sive ex commissione posse confirmare: quod autem Episcopi essent, arbitratui Ecclesiæ commisit, ut posset illos etiam tamquam Sacramento necessarios instituere: ratio prioris membri fuit, quod potestas super corpus Christi mysticum derivatur ab ea, quæ est super corpus Christi verum, puta consecrandi: unde sicut baptizare solis Sacerdotibus ex officio convenit: ita nonnisi illi confirmare possunt, nisi quod necessitas baptismi quæ legem non habet, laicis baptizare permittit, non autem confirmare: quia non est Sacramentum necessarium: at vero quia confirmatio præstantius est Sacramentum, ut canones docent, in facultate Ecclesiæ constituit, ut Episcopos tamquam necessarios ministros, suo judicio declararet: quod tempore Apostolorum observatum creditur.*

Ita prædictus auctor, cujus sententiam quatenus asserit divinitus constitutum, ut Sacerdos quilibet virtute characteris posset confirmationis esse minister, non possumus non probare: quatenus vero addit Ecclesiæ libertati esse relictum, ut solos Episcopos pro necessariis Sacramenti ministris haberet, magnam, ut quod sentio libere fatear, importat difficultatem.

Q. Enim 3 quid si simplex aliquis Sacerdos nulla Ecclesiæ aut Sum. Pontificis obtenta licentia confirmare præsumeret, numquid pro nullo & irrito tale Sacramentum habendum foret?

℟. Ita plerisque videri, nominatim vero prælaudato Dominico Soto ib. ubi postquam affirmavit, in potestate Ecclesiæ esse relictum, ut Episcopos tamquam necessarios ministros suo judicio declararet: *Ita*, inquit, *centendum est, Episcopum esse de essentia, ut nisi Ecclesia dispensaret, Sacramentum esset irritum, postquam ipsa ita nos docet . . . ex quo fit, ut nulla quantumcumque ultra hominum memoriam antiqua consuetudine introduci possit, ut Sacramentum confirmationis a simplici Sacerdote, absque Apostolicæ sedis facultate sit validum.*

Verum gravissimis peneque insuperabilibus opinio illa premitur argumentis.

1. Unde habemus tantam a Christo Ecclesiæ factam potestatem, ut quod ex divina institutione Sacramento essentiale non fuerit, sola ejus voluntate pro absolute necessario habeatur? cum e contrario certum sit & confessum ab omnibus, Sacramentorum essentias ab eo solo pendere, in quo solo residet eorumdem instituendorum suprema potestas? quantumvis itaque Ecclesiæ arbitrio multa reliquerit Christus, in iis quæ accessoria sunt, & ad essentiam Sacramentorum non pertinent, quæque proinde vel instituendi, vel abrogandi jus habet: jus tamen ipse suum non dimisit, nec permissum unquam voluit, ut mysteriorum suorum natura, inverti ad hominum placitum & inconstantiam posset.

2. Hoc ipsum aliorum Sacramentorum exempla probant, quæ quantumvis contra Ecclesiæ voluntatem, a ministris jurisdictionem non habentibus consecrentur: rata nihilominus validaque consistunt, neque eo prætextu iterari unquam permissa sunt, sic enim e. c. Laicus baptizare in summa necessitate potest, extra

necessitatem non potest: si quis tamen nullo urgente mortis periculo, tingere infantem præsumpserit, numquid ideo vanum atque irritum censebitur Sacramentum? an non e contrario pro vero habebitur, modo constiterit ritu Evangelico esse peractum: pariter Sacerdos ab officio suspensus, excommunicatus, & gradu dejectus, quantum ad confectionem Eucharistiæ Ordinis potestatem habet, jurisdictionis non habet: unde illicite consecrat; sed numquid ideo sequitur, quod si consecrare pergat, irritum invalidumque sit ejus opus? Numquid non vere in corpus & sanguinem Christi panis & vini elementa mutata sunt, etiamsi, ab homine nefario & rebelli liturgia facta sit? idemque de sacris Ordinationibus certum est, quæ quantumvis ab Episcopis intrusis, invasoribus, Hæreticis, Schismaticis attentatæ pro veris nihilominus ab Ecclesia recognoscuntur, neque iterationi obnoxiæ sunt: quorsum vero? nimirum quia in ejusmodi ministris manet ordinis potestas, tam indelebilis quam ipse character: unde etsi correctione indigeant ipsi, non tamen corrigitur quod potestate sua abutendo egerunt, quia virtute characteris indelebilis factum est; atqui pariter quod simplex Sacerdos ministerium confirmandi valeat exercere, ipsis fatentibus adversariis ex charactere suo habet, & ex Christi voluntate, qua constitutum est solos omnesque Sacerdotes hujus officii exercendi absolute esse capaces: quamquam igitur simplices presbyteri sacrum hoc ministerium contra Ecclesiæ aut Sum. Pontificis specialem indulgentiam usurpantes, deberent gravissime plecti pro merito, approbandum nihilominus videretur impiis eorum manibus datum Christi Sacramentum.

3. Ecclesiæ Catholicæ accedit auctoritas, contra quam scholarum ratiocinia nihil possunt, hæc enim Sacramentum confirmationis a Græcis presbyteris, non Catholicis tantum, sed etiam Hæreticis ac Schismaticis ministratum, pro vero ac rato habet; nam si Græcorum aliquis, ut sæpe contingit, ab hæresi aut schismate ad unitatem redierit, cum iisdem Sacramentis quæ foris in sua secta receperat sine dubitatione suscipitur, & quemadmodum in illo baptismus non iteratur, ita nec chrismatis repetitur unctio, quia nimirum etiam in militibus desertoribus character Imperatoris Christi agnoscitur, quamquam ministerio hominum sacrilegorum infixus: atqui Græci Hæretici & Schismatici, ordinis quidem possident potestatem, jurisdictionis certe non habent, qua propter erroris crimen, & scissionis perfidiam exciderunt; ergo judicio Ecclesiæ illicite quidem confirmant, sed non continuo unctionis Sacramentum ab iis acceptum invalidum & irritum creditur, nec puto canonem ullum, ullamve majorum decisionem afferri posse, per quam contraria sententia adstruatur: quod enim sub Eusebii Pontificis Max. nomine laudatur decretum, quoniam ex Ep. eidem falso supposita, ut supra ostendimus, sumptum est, fidem nequit certam facere, nec debet in præsenti causa proferri.

Quod vero ajunt aliqui, ut valide simplex Sacerdos ex Christi instituto confirmet, potestatem ordinis non sufficere, nisi quatenus potestatem connotat jurisdictionis ex speciali Ecclesiæ delegatione acceptam, infirmum ac debile est, magisque videtur effugium, quam responsum: quamquam enim in confirmatione administranda, non secus ac in baptismo & ordinationibus, ipsaque Eucharistiæ confectione, jurisdictio necessaria sit, ut non peccet qui ministrat; non tamen ut valeant ipsa in se Sacramenta: cur enim quæso de baptismo, Eucharistia, & ordinatione ab adversariis hoc conceditur, si de confirmatione negatur? causam si potis est proferant, cur ad eorum trium essentiam jurisdictio non pertineat, & ad solius confirmationis valorem necessario requiratur? numquid confirmationi, quam cæteris Christus minus virtutis & efficaciæ tribuit, ut non posset etiam ab habente ordinis potestatem, valide sine accepta ab Ecclesia jurisdictione conferri? numquid minus hærebit character ejus per impositionem manuum & chrismatis unctionem a ministro non habente jurisdictionem impressus, quam qui in baptismo & ordine per ministrum illegitimum est infixus? ita est, inquies: at ego responsionem, nisi quæ fundamento legitimo adstruatur, non facile recipiendam existimo.

Hæc vero exercitationis magis gratia, quam animo asserendi volumus dicta putari: scimus enim quam periculosæ sit aleæ opus, ab opinionibus communi assensione probatis recedere: tantum itaque in animo fuit difficultates proponere, quibus *Soto*, & aliorum sententia premitur, quas ab aliis doctioribus explanari vehementer optamus: nobis enim nec ratio nec certa ulla occurrit auctoritas, per quam jurisdictio in ministro ordinis potestatem habente ad Sacramenti essentiam pertinere necessario ostendatur: jam ut ad finem disputatio properet, longius forte quam oportuisset producta, præsenti quæstioni unius quæ superest, difficultatis resolutione, modum ponemus.

Q. 4. Utrum quilibet in sua diœcesi Episcopus possit simplicibus presbyteris proprio judicio ministerium confirmandi committere?

℞. 1. Quæstionem hanc de Græcis & orientalibus moveri non posse, quos constat ad exer-

exercendum confirmationis officium, Sacerdotibus simplicibus antiqua & ubique recepta disciplina concessum, nova dispensatione non indigere: quod vero pertinet ad Latinos:

℞. 2. Negative: & dico Pontifici Max. jus illud vetustissima consuetudine reservatum; canones enim quibus olim præscriptum est, baptizatos debere a solis Episcopis consignari, ad universam, saltem Latinam, Ecclesiam pertinent, qua de re non dubitabit quisquis ad testimonia attenderit, & Conciliis, Sum. Pontificibus, & SS. Doctoribus, in decursu disputationis sæpe laudata: atqui dispensare circa canones generales, & omnium Ecclesiarum reverentia consecratos, non ad quemlibet Episcopum, sed vel ad totam Ecclesiam, vel ad Sum. Pontificem spectat, cujus est, propter sui Apostolatus universalitatem, moderari canones, iis observandis in unaqualibet particulari Ecclesia invigilare, & de eorum severitate aliquid pro temporum & circumstantiarum diversitate remittere; alioquin enim nulla futura esset disciplinæ constantia, nullus vigor, si quilibet in sua diœcesi Episcopus hanc sibi auctoritatem arriperet: hinc Sardis presbyteris, baptizatos in frontibus chrismate tangere, non a Calaritano aut alio quovis privato Episcopo, sed a solo Gregorio M. concessum: hinc Eugenius IV postquam declaravit, (*in decr. pro instr. Armen.*) *confirmationis ministrum ordinarium solum Episcopum esse . . . . . legitur tamen*, inquit, *aliquando per Apostolicæ sedis dispensationem, ex rationabili & urgente admodum causa, simplicem Sacerdotem chrismate per Episcopum confecto administrasse confirmationis Sacramentum*. Hinc denique quæcumque in hac re obtenta privilegia affirmantur, solis Sum. Pontificibus referuntur accepta. Ergo &c.

QUÆSTIO OCTAVA.

De confirmationis suscipiendæ subjecto & necessitate.

CAPUT PRIMUM.

De subjecto confirmationis.

PRima quæstionis pars nihil habet difficultatis; subjectum namque Sacramenti intelligimus hominem cui valide ex instituto Christi conferri potest: is porro in præsenti est sine sexus & ætatis differentia, omnis & solus homo baptizatus, ut probant perspicue testimonia scripturæ & SS. Patrum sæpius allegata, prius enim Samaritani, de quibus *Actum* 8, & Ephesii, de quibus ib. c. 19 mentio est, baptizati fuerant quam eis manus ab Apostolis, ad Sp. Sancti influxum imponerentur: nec aliter unquam Ecclesia intellexit, uti ex Euchologiis, & ritualibus, & Patrum sententiis constat: *Exinde egressi de lavacro*, inquit Tertullianus (*de bapt.*) *perungimur benedicta unctione*: & S. Cyprianus: *ungi quoque necesse est eum, qui baptizatus sit, ut accepto chrismate, idest unctione, esse unctus Dei, & habere in se gratiam Christi possit*.

Itaque confirmationis signaculum, characterem baptismatis adeo præsupponit, ut nisi baptisma præcederet, frustra & inutiliter conferretur: cujus rationem convenientissimam affert S. Thomas: sic enim se habet confirmatio ad baptismum, sicut augmentum ad generationem temporalem; atqui impossibile est crescere hominem quin prius conceptus sit, prius enim est esse quam augeri: pariter itaque juxta institutionem divinam fieri nequit, ut quis confirmationis Sacramentum non ante baptizatus suscipiat.

Deinde, per confirmationem homo plene perfecteque fit Christianus: porro prius est rem esse, quam esse perfectam, quia ad perfectionem non subito, sed quibusdam velati gradibus pervenitur; atqui per baptismum incipit homo esse Christianus: debet ergo lavacri purgatio necessario confirmationem præcedere.

Præterea, baptismus janua Sacramentorum est, primusque in domum Dei introitus, quo nimirum homo natura filius iræ, civis Ecclesiæ fit & Dei domesticus; prius ergo est unda genitali renasci, quam Sp. sanctum ad robur & confirmationem accipere. Sed

Q. 1. Utrum ætas qualibet sit ad hoc suscipiendum Sacramentum idonea?

℞. Affirmative: nulla namque ætas est, nullum vitæ tempus cui inconveniens sit, ad perfectionem pertingere: *Per hoc Sacramentum*, inquit S. Thomas, (3 *p. q.* 72, *art.* 8, *in c.*) *promovetur homo spiritualiter in ætatem perfectam: hoc autem est de intentione naturæ, ut omnis qui corporaliter nascitur, ad perfectam ætatem perveniat: sed hoc quandoque impeditur propter corruptibilitatem corporis, quod morte pervenitur, multo autem magis de intentione Dei est, omnia ad perfectionem perducere, ex cujus imitatione hoc natura participat: anima autem, ad quam pertinet & spiritualis nativitas, & spiritualis ætatis perfectio, immortalis est, & potest sicut tempore senectutis nativitatem consequi, ita tempore juventutis vel pueritiæ consequi perfectam ætatem, quia hujusmodi corporales ætates animæ non præjudicant, & ideo hoc Sacramentum debet omnibus exhiberi . . . . . unde.*

unde etiam in puerili ætate, inquit ibid. (*in resp. ad* 2) *homo potest consequi perfectionem spiritualis ætatis, de qua dicitur sapientiæ* 4, *v.* 8 : Senectus venerabilis est, non diuturna, neque annorum numero computata : *Et inde est, quod multi in puerili ætate propter robur Sp. Sancti perceptum, usque ad sanguinem fortiter certaverunt* pro *Christo*.

Q. 2. Utrum etiam periculose decumbentibus & quantocyus morituris debeat impendi? contrarium enim probari inde videtur, quod confirmatio ad agones mundi hujus & prælia fortiter sustinenda instituta fuerit: porro quibus proxima mors imminet, ab hoc metu liberi sunt : adeoque eos consignare superfluum est : *Quamvis continuo transituris sufficiant regenerationis beneficia*, ait Melchiades Papa (*in Ep. ad Hispan. Episc. ei falso supposita.*) *victuris tamen confirmationis auxilia necessaria sunt, quia confirmatio armat & instruit ad agones mundi hujus, & prælia reservandos: qui autem post baptismum cum acquisita innocentia immaculatus pervenerit ad mortem, confirmatur morte: quia jam non potest peccare post mortem.*

℟. Ad quæsitum affirmative, danda inquam, illis confirmatio est, non ut præparentur ad mundi hujus certamina, unde supponuntur continuo discessuri : sed ne careant perfectione, majorique ornatu gratiæ quem secum consignatio affert, cuique splendidior in cœlis gloria correspondet; atque ita ad rationem in contrarium adductam responsum est: auctoritatem enim Melchiadis, quoniam supposititia est falsoque ei afficta, unde petitur argumentum, Epistola, bona Theologia rejicit: quamquam etsi daremus, Pontificem Max. hujus rescripti vere esse auctorem, hoc unum inde eliceretur, quod non negamus, confirmationem cito morituris non debere dari ad conflictus mundi & dæmonis superandos, sed ad gratiæ incrementum : *Dicendum*, ait S. Thomas, (*ib. in resp. ad* 4) *quod anima ad quam pertinet spiritualis ætas, immortalis est, & ideo etiam morituris hoc Sacramentum dandum est, ut in resurrectione perfecti appareant, secundum illud Ephes.* 4, *v.* 13: Donec occurramus omnes . . . . . in virum perfectum in mensuram ætatis plenitudinis Christi : *Et ideo Hugo de S.Victore dicit* (*l.* 2 *de Sacr. p.* 7, *c.* 3): *omnino periculosum esset, si ab hac vita sine confirmatione migrare contingeret: non quia damnaretur, nisi forte propter contemptum, sed quia detrimentum perfectionis pateretur: unde etiam pueri confirmati decedentes, majorem gloriam consequuntur, sicut & hic majorem obtinent gratiam: auctoritas autem illa* (Melchiadis) *intelligitur quantum ad hoc, quod morituris non est necessarium hoc Sacramentum propter periculum pugnæ præsentis.*

Nec putandum morem hunc ægrotantes confirmandi ab Ecclesia abrogatum : quamquam enim ubique pene desierit, idem tamen etiamnum legum antiquarum est vigor, Ecclesiæ eadem voluntas, quæ semper optavit ut filiis suis omni ratione succurreretur, nec ulla omnino Sacramenta subtraherentur quæ Christus Dominus ad salutem hominum procurandam, eorumque gratiam ac gloriam amplificandam instituit: hinc S. Carolus Borromæus Magnus ille antiquæ disciplinæ assertor & vindex, præter cætera in suis synodis zelo Apostolico restituta, etiam illud sanxit debere ægrotantes, ubi commode fieri poterit, ab Episcopis consignari: *Quod si quis cum periculose ægrotat*, ait Concilium Provinciale V, an. 1579, Mediolani eo præside habitum, (*tit. de his quæ ad Sac. Confirmationis pertinent.*) *se chrismatis Sacramentum consecutum non esse meminerit: ac propterea id sibi ministrari petat: tunc Episcopus si eo loci est, ubi ille ægrotat, ut ne sine hoc Sacramento decedat, cum charitate paterna invisat, & rite confirmet* . . . . . & in rubricis sive instructionibus generalibus de Sacramentorum administratione: (*tit. de Sac. Confirm.*) ea explicans quæ Parochus circa confirmationis Sacramentum curare debet atque exequi : *Ægrotos præterea*, inquit, *nondum confirmatos designabit, eosque Archiepiscopo denuntiabit, ut ne ingravescente morbo sine hoc Sacramento decedat.*

Q. 3. Quæ sit ætas ad hoc Sacramentum suscipiendum conveniens?.

R. Non unam Græcorum ac Latinorum in hac esse disciplinam.

Latini enim neminem antequam rationis usum attigerit, idest, ante 7, vel 8 ætatis annum confirmant : *Paucis ante ministrationem diebus*, ait idem S. Carolus in instructionibus generalibus, (*ib.*) *Parochus in cuius Parochia hujus Sacramenti ministratio indicitur... distincte per familias notabit, qui hoc Sacramentum nondum susceperint . . . . pueros describet qui annum 8 attigerint, quam ætatem si quos rationis usu, devotionisque studio antecedere forte viderit, eos quoque in numero eorum adscribet, qui confirmationis Sacramento initientur; ut Sp. Sancti virtute confirmati, accedant etiam ad præstantissimum Eucharistiæ Sacramentum.*

Græci more contrario, antiquæ ætatis diuturna consuetudine roborato, ipsos unius diei infantes, eodem tempore presbyterorum manibus abluunt, & chrismate Sancto consignant: quin eorum aliquos Latinorum praxim diversam

sam cum stomacho redarguisse compertum est: *Ubi oportet unumquemlibet baptizari*, ait Simeon Thessalonicensis, (*de Sac. c. 43*) *ita necessarium est, chrismatis unctionem recipere: debet fidelis quisque hoc sacro sigillo in baptismo notari, ut videlicet perfectum omnibusque numeris absolutum signaculum habeat: sicut enim Salvator suscepto baptismate Sp. sanctum recepit, & sicut a Philippo baptizati eumdem, manus sibi imponentibus Petro & Joanne, receperunt, ne videlicet imperfecti sine signaculo manerent: ita debent qui nunc baptizantur unctione chrismatis in baptismo liniri, ne sicut Latinorum & quorumdam aliorum pueri perfectione careant, ne Sp. Sancti gratiam, nec Christi sigillum infixum habentes; est enim chrisma sigillum Christi in Sp. Sancto, indeque est, quod Sacerdos unctionem Chrismate faciens, alta voce pronunciat*: Signaculum doni Sp. Sancti, Amen: *Qui ergo illam non recipit, nec gratiam, nec sigillum Christi habet.*

Q. 4. Quæ causa Latinæ Ecclesiæ fuerit confirmationem a baptismate sejungendi, eamque ad rationis usque tempus procrastinandi?

℟. Hujus consuetudinis originem ab ea disciplina petendam quæ solis Episcopis confirmandi auctoritatem reservat: cum enim ubique non adultæ ætatis homines, sed soli passim infantes a presbyteris, confirmandi potestate destitutis, baptizarentur, nec præsens esse posset ubique Episcopus, qui e sacro fonte recentes manibus impositis consignaret, sæpeque ejus adventus, Christiano populo insigniter multiplicato, ad longum tempus expectaretur: tandem conveniens visum fuit confirmationem in illud differre tempus, quo baptizati usum rationis attigissent: eoque facilius constitutio illa recepta est, quod hinc quidem majori cum fructu a neophytis ratione utentibus Sacramentum percipi possit, illinc vero si aliquos præmatura morte abripi eo non suscepto contigat, propter ejus defectum salutis dispendium non incurrant, quippe qui per baptismum abluti, justificati & sanctificati fuerint.

Cæterum quod ad adultos spectat, Latinæ Ecclesiæ sententia est, confirmationem a baptismo si fieri commode potest, non separandam; hinc novum rituale Romanum præscribit, (*tit. de bapt. adultorum*) *Si adsit Episcopus, qui id legitime præstare possit, ab eo neophytos Sacramento confirmationis initiandos.*

Q. 5. Utrorum praxis sit melior, Græcorum aut Latinorum?

℟. In his quæ ad disciplinam pertinent, quæque judicio præsidentium, pro locorum & temporum diversitate, sine fidei præjudicio variis modis præscribuntur, hujusmodi quæstiones frustra proponi: habent suæ consuetudinis causas idoneas Græci, habent & suæ Latini: illis placuit ministerium confirmationis presbyteris vulgo committere, istis non item: quo factum est, ut infantes in Oriente facilius, quam in Occidente consignarentur: illi subjecti magis quam Sacramenti respectum habentes, voluerunt confirmationem statim post baptismum conferri, ut nimirum quidquid gratiæ poterant, promptius neophytis procurarent; isti decori magis ac dignitati Sacramenti, quam exigentiæ fidelium consulentes, eo usque differendum statuerunt, donec instructionis capaces essent, & possent divini beneficii pretium pro merito æstimare: itaque quod quisque viderit in sua Ecclesia majorum auctoritate statutum, debet sine alterius reprehensione, in pacis ac fidei unitate servare.

Q. 6. Quomodo pueri confirmandi debeant ad hoc Sacramentum in Latina Ecclesia præparari?

℟. Curare debere Parochus, ut confirmandi, quantum ætas pueritiæ tulerit, rudimenta fidei, orationem Domin., symbolum Apost. baptismatis ipsiusque confirmationis sanctitatem & efficaciam sint edocti, ut jejuni, si valetudo permiserit, ad Sacramentum accedant, ut si doli capaces sunt, confessione prævia & pœnitentia expientur: multoque major eorum erga ætate provectiores cura esse debet, qui quo serius, eo majori periculo ad Sacramentum accedunt, si Dei donum contempserint: *Paucis ante ministrationem diebus*, ait idem S. Antistes (*in instructionib. tit. de Sacram. confirm.*) *Parochus in cujus Parochia hujus Sacramenti ministratio indicitur, primo orationem publicam instituet, ut sui divinæ gratiæ dona uberrime recipiant... præmonebit ut nemo excommunicatus, interdictus, in gravi publicoque peccato jacens, accedat ad hoc Sacramentum, neque qui in paschate Communione abstinuerit: illud vero maxime hortabitur, ut cum hoc Sacramento Sp. Sancti gratia uberrime conferatur: ad eam consequendam se jejuniis, eleemosynis qui per facultates possunt, aliisque pietatis officiis & operibus parent; atque in primis frequentiori & ardentiori religiosæ orationis studio devote sese exerceant, exemplo SS. Apostolorum, qui dum expectarent Sp. Sanctum perseverantes erant in oratione & jejunio: (Act. 1, 14) sed efficiet saltem, ut pridie diei confirmationis jejunent, qui possunt: hoc vero diligenter curabit, ut de peccatis confiteantur, confessique ad confirmationis Sacramentum accedant: tum confirmati Sacram Communionem sumant.... confessionis autem præstitæ testimonium ei præbeant, cui hæc cura commissa est: præmonebit autem ut omnes mane jejuni illud suscipiant: quemadmodum & jejunius Episcopus ministrat: ut*

mares

mares tam qui confirmationem suscepturi sunt, quam qui ad eam patrini adhibebuntur, vestitu simplici, moderato, & modestiæ Christianæ consentaneo accedant, & arma item deponant: idem fœminæ præstent, ita scilicet, ut ne fuco & pigmentis facie illita, non immoderato capitis corporisve ornatu accedant: sed ita ut cum capite recte velato sint, tum reliquo vestitu cultuque ejusmodi, qui Christianas mulieres gravesque decet, ut omnes qui confirmandi sunt, accedant non incompositis, atque usque adeo promissis capillis, ut pene frons obtegatur: neque rursus fronte sint aut forte madida, aut sordibus conspersa: pridie igitur diei quo confirmationem suscipient, caput laviant, aut mundent, capillos item tonderi curent.

Hæc e præstantissimi Archi-præsulis instructionibus exscribere lubuit, quæ o utinam! Pastorum omnium insculpta cordibus, per omnia pulpita resonarent, quo scilicet tanti Sacramenti dignitas, in contemptum pene redacta commendaretur, & debita dono Sancti Sp. reverentia, ubique fere extincta excitaretur!

CAPUT SECUNDUM.

De confirmationis suscipiendæ necessitate.

EO namque nostrorum temporum calamitas incidit, ut pene inter ritus inutiles confirmatio numeretur, & quod nefario dogmate recentiores Hæretici ausi sunt propugnare, *Confirmationem baptizatorum otiosam cæremoniam esse*, ie praxi magna Catholicorum pars approbet: quot enim & quanto numero ubique reperias, qui ad decrepitam senectutem de ea suscipienda nec cogitant quidem, vixque a Pastoribus admonentur? quam multi ab hoc sæculo sine signaculo Christianæ perfectionis discedunt? quam pauci inter eos a quibus suscipitur, vim ejus, sanctitatem, naturam, & efficaciam norunt? res non necessitatis, sed occasionis confirmatio vulgo creditur, non requirenda, sed expectanda, quam videlicet præsente Episcopo, etsi commodum fuerit, perfunctorie arripi, haud inconveniens quidem; at anxie & Christiana sollicitudine postulare, existimatur esse superfluum: quodque infelicius est, de plateis in scholas, de foro in academias opinio prava defluxit: nam ut de veteribus Hæreticis aut Schismaticis sileam, qui duce *Novatiano* confirmationem recipere negligebant, licet Sacramentum esse non inficiareatur: in his dissidiis quæ elapso proxime sæculo contra Richardum (*Richardus Smith. Anglus*) Chalcedonensem Episcopum ad Urbano VIII Pontifice Max., in Angliam pro administrandis desolatæ hujus Ecclesiæ Catholicis delegatum, (*ann.* 1625) legimus excitata, pleraque pseudo-dogmata contra Divini Sacramenti vim & necessitatem, scimus a viris quibusdam Religiosis procaciter & cum multorum scandalo propugnata: (*Vide Dupin in Biblioth. Ecclesiastica ad sæc.* 17) auctores defensoresque falsæ doctrinæ non nominabo, ne ex invidia magis, quam veritatis studio loqui videar: tantum propositiones recensebo quas ex eorum libris decerptas Clerus Gallicanus, & Parisiensis Academia pro merito confixerunt.

1. Propositio: *Catholici qui unctionem Sancti Chrismatis in baptismo receperunt, ex Patrum sententia perfecti sunt Christiani, licet ab Episcopo confirmati non fuerint.*

2. *Angli Catholici a Catholicis baptizati, quive cæremonias Ecclesiæ perceperunt, modis omnibus effecti sunt, reveraque perfecti sunt Christiani, etiamsi ab Episcopis consignati deinceps non fuerint.*

3. *Chrismatio quam Sacerdos in baptismo fecit, ideo est ab Ecclesia instituta, non solum ut chrismationis Episcopi significationem, verum & effectum ipsum suppleret, idest, ut homines in gratia baptismatis conservaret confirmaretque.*

4. *Hæc roboris ac fortitudinis gratia per chrismationem baptismalem, ut plures Theologi docent, ex opere operato confertur, saltem Ecclesiæ precibus, & ritus sacri in hunc finem applicatione.*

4. *Doctrina hæc Catholicos magna consolatione sustentat, qui confirmationem commode recipere nequeunt; simulque ostendit, ex quo instituta chrismatio est a Sacerdotibus in baptismate facienda, chrismationem quæ Episcopi manu fit, non ita esse, ut antea fuerat, necessariam.*

6. *Vereri Sum. Pontifices poterant, ne Catholici dum in hoc Sacramentum fiduciam spemque locarent, cætera negligerent, atque ita magnum sibimet detrimentum afferrent.*

7. *De virtute confirmationis præclara opinio spesque concepta, potest in periculum animam adducere.*

8. *Qui dicunt confirmationem solum esse medium ordinarium divinitus institutum, ad Christianos perficiendos, eisque constantiam in fidei professione impertiendam, a veritate longe aberrant: quando quidem Jesus Christus in hunc finem alia media ordinaverit.*

9. *Theologorum doctrina est, de præcepto confirmationem non esse, nisi quando commode, vel, ut loquuntur alii, commodissime, sine ullo, aut saltem cum levissimo labore suscipi potest.*

§. PRI-

§. PRIMUS.

Vera de confirmationis necessitate doctrina adstruitur.

Et hæc quidem quantum a doctrina Christi per Scripturam & traditionem accepta, & ab omni pietatis sensu abhorreant, vident qui Christianos oculos habent: puderetque refellere, nisi quo gravior deceptio est, eo acriori reprehensione egeret: porro in quo necessitas confirmationis consistat facile adstruetur, si attenderimus:

1. Ad quid fuerit instituta, sive quos effectus proprios habeat & singulares?

2. Quot & quam varii gradus necessitatis vulgo soleant a Theologis ipsisque Philosophis numerari.

1. Effectus confirmatio, (quod alibi probatum es) duos habet, characterem, & gratiam.

Character est, *Signaculum spirituale & indelebile, per quod homo Christianus militiæ Christi adscribitur, & deputatur ad fidem contra ejus hostes visibiles propugnandam.*

Gratia confirmationis duo importat: nam animam munit ac roborat, eamdemque ad perfectionem spiritualis ætatis perducit.

2. Necessarium aliud est necessitate medii, aliud necessitate præcepti: 1 modo dicitur, sine quo finis haberi nequit: 2 vero necessarium vocatur aliquid non quia finis haberi sine eo non potest, sed præcise quia est imperatum: medium vero alicujus rei obtinendæ in duplici genere est: nam aliud ita est ordinarium, ut etiam solum occurrat, aliud ordinarium quidem est, sed non solum, cujus nimirum defectus suppleri potest per alterum. His positis:

Dico 1 confirmationem non esse homini baptizato necessitate medii necessariam ad salutem.

Illud enim non est ad salutem simpliciter necessarium, sine quo salus habetur; atqui per solum baptismum sine confirmatione absolute salus habetur: *Qui crediderit*, ait Christus, (*Marc.* 16, 16) *& baptizatus fuerit, salvus erit*. Et sane baptismus ad hoc per se valet, ut hominem a peccato liberet, justitiam doceat, Filium Dei & hæredem, cohæredem autem Christi constituat; qui ergo rite baptizatus, sive parvulus sive adultus, ex hac vita discesserit, corona justitiæ & promissa hæreditate defraudari non poterit, nisi aliunde obicem ponat: etiamsi signaculo chrismatis non fuerit communitus.

Deinde: illud discriminis est baptismum inter & confirmationem, quod baptismus ratione proprii effectus, spiritualis nimirum regenerationis, sit ad salutem simpliciter necessarius: *Nisi renatus fuerit ex aqua & Sp. sancto*, inquit Salvator, (*Joan.* 3, 5) *non potest introire in regnum Dei*. Idem porro de confirmatione dici non potest: non enim fortes modo ac robusti, sed etiam recens geniti infantes, cum veram justitiam habeant, lavacro salutari acceptam, ad regnum Dei pertinent, & hæreditatem capiunt salutis, si ex hac vita cum innocentia per baptismum accepta migraverint: *Si quis Diaconus regens plebem*, ajunt Patres Eliberitani, (*can.* 77) *sine Episcopo vel presbytero aliquos baptizaverit, eos Episcopus per benedictionem perficere debebit, quod si ante de sæculo recesserit*, (aliquis baptizatus) *sub fide qua crediderit, poterit esse justus*.

Accedit universalis Ecclesiæ fides, qua infantes baptizatos, sine suscepta confirmatione morientes, salvos esse constanter credit.

Denique ejusdem rei est argumentum, consuetudo Rom. Ecclesiæ, infantes statim post baptismum non confirmantis, quod sane prætermissura non esset, si crederet confirmationem esse medium absolute necessarium ad salutem.

Dico 2. confirmationem vel in re vel in voto susceptam, esse adultis omnibus necessariam, necessitate præcepti divini & ecclesiastici.

Hoc enim ipso aliquid putandum est divinitus imperatum, quo certum est esse a Deo pro omnibus institutum: frustra namque supremi legislatoris institutio esset, nisi mandatum annexum haberet, ad omnes ejus obaudiendi capaces ex æquo respiciens; atqui constat ex Scriptura & traditione, confirmationem pro baptizatis omnibus indiscriminatim esse sancitam: ejus itaque institutio, ejusdem suscipiendæ mandatum conjunctum habet: quid enim quæso, nisi a Christo impositum præceptum significat illa Apostolorum ad Samaritanos a Philippo Diacono baptizatos, adeo præpropera festinatio, ut nimirum eos de moratione & manuum impositione perficerent? quid illa Apostoli Pauli sollicitudo, ut recens baptizatis Ephesiis manum ad Sp. Sancti invocationem imponeret? quid hæc SS. primæ ætatis Antistitum adeo anxia omnisque procrastinationis impatiens cura, ut ad eos qui longe in minoribus urbibus per Presbyteros & Diaconos baptizati forent, ad invocationem Sancti Sp. manum impositiuri excurrerent? quid denique nisi legem divinam, eamdemque unicuique sacram & inviolabilem sonant, hæc Patrum & Conciliorum adeo expressa, adeo di-

stricte lata decreta, quibus ab omnibus confirmationem sine exceptione suscipiendam praescribitur? *Si quis Diaconus regens plebem*, ajunt Eliberitani Patres, (*can.* 77) *sine Episcopo vel presbytero aliquos baptizaverit, Episcopus eos per benedictionem perficere debebit .... ungi necesse est eum qui baptizatus sit*, inquit S. Cyprianus, (*Ep.* 70) *ut accepto chrismate, idest unctione, esse unctus Dei, & habere in se gratiam Christi possit* .... & Patres Laodiceni: (*can.* 48) *oportet eos qui illuminantur, post baptisma inungi supercœlesti chrismate, & esse regni Christi participes*. Longe plura, nec minus perspicua, nisi forent sæpius in hoc volumine occupata, afferre in promptu esset; atque hinc patet quam immerito quantaque Sacramenti divini contumelia, ab iis quo prædiximus Theologis fuerit assertum, rem pene indifferentem confirmationem esse, *nec cadere sub præceptum, nisi quando commode, vel ut volunt alii, commodissime & sine ullo labore suscipi potest*? Scilicet! Christianæ vitæ perfectio, quam confirmatio præstat, eam ob rem *Sacramentum plenitudinis gratiæ* dicta, res erit consilii, non præcepti! Licebit enim vero fidelibus remedium ad uniuscujusque securitatem, ad effugienda circumstantia undequaque pericula, & ad vincendos salutis hostes divinitus præparatum negligere: tenebuntur Episcopi suas late diœceses magnis laboribus perlustrare, ut baptizatos a Parochis manuum impositione & chrismatis unctione consummient: interimque licebit fidelibus in otio desidiose jacere, nec curas antistitum, quoad fieri possit prævertere! beneficii officium erit indigentes summa diligentiâ quæritare, eritque hoc indigentium privilegium singulare, quod nec movere cum aliqua difficultate pedem teneantur, nec beneficii misericordiam implorare! non jam benefacere, sed benefactum recipere, gratia erit! non ita sane Christus, non ita Apostoli, non ita Pontifices Max. non ita Patres & Concilia præscripserunt: non de fonte traditionis, sed de sentina probabilitatis opinio portentosa effluxit: cui enim unquam majorum in mentem venerat, *vereri posse Sum. Pontifices, ne fideles dum in Sacramento confirmationis fiduciam spemque locant, cætera negligant, atque ita magnum sibi detrimentum parent: de virtute confirmationis præclare sentire, idem esse ac in periculum animam conjicere*? Quas propositiones, uti *absolute falsas, piarum aurium offensivas, blasphemiæ plenas, Sum. Pontificibus, Sacramento confirmationis, & Christi providentiæ injuriosas*, Galliarum Præsules, & magistri Parisienses merito confixerunt.

Dico 3. ad habendum characterem, qui confirmationi respondet, Sacramentum ipsum esse absolute necessitate medii necessarium.

Medium enim absolute necessarium intelligimus, quo res habetur, & sine quo juxta sancitam a Deo legem haberi nequit: atqui character sive signaculum militiæ Christianæ, ab actuali confirmationis susceptione ita dependet, ut juxta consuetum divinæ providentiæ cursum aliter infigi non possit: characteris enim non alia in confirmatione quam in baptismo conditio est: porro licet gratiam lavacri salutaris in adultis suppleat ejusdem suscipiendi desiderium, characterem certe non imprimit, quia ab actuali baptismi susceptione omnimoda necessitate dependet, indeque est, quod ecclesia, etiamsi bene norit baptismi voto, & tormentis pro Christi nomine vera charitate tolleratis hominem plene, etiam sine aquæ perfusione justificari: si quis tamen passioni supervixerit, & occurrerit baptismi occasio, hujusmodi baptizari velit, & sine cunctatione ex Christi instituto baptizet: cujus potissima ratio est, quod character Christianitatis sola aquæ purgatione verbis Evangelicis conjuncta infigi possit: idem itaque de confirmationis signaculo omnino credendum.

Dico 4. Ad gratiam confirmationis habendam, Sacramentum ipsum esse medium ordinarium indulgentia Dei dispositum, cujus defectus non aliter quam ejusdem voto suppleri potest.

De sola igitur gratia potest dubitatio remanere utrum confirmationis ita proprium opus sit, ut ad illam aliter pertingi non possit: quod etsi absolute non dicimus, contendimus tamen ita ad hunc obtinendum effectum confirmationem esse necessariam, ut si desit ipsa, omnino locum ejus tenere debeat ejusdem suscipiendæ affectus: hæcque videtur esse Sanctorum Patrum indubitata doctrina.

Hoc signaculo minime percepto, ait de Novatiano Cornelius Sum. Pontifex, (*in Ep. ad Fab. Antioch.*) *quo tandem modo Sp. sanctum potuit accipere*? attende ad illud: *Quo tandem modo potuit?* quam loquendi formam non usurparet, si crederet præter confirmationis signaculum, alia ratione consumationem obtineri facile posse.

Ungi quoque necesse est eum, qui baptizatus sit, inquit S. Cyprianus, (*Ep.* 72) *ut accepto chrismate idest unctione, esse unctus Dei, & habere in se gratiam Christi possit*. Judice itaque Cypriano, cum sola unctione gratia Christi (consummans nimirum) haberi possit, consequens est ut sine illa haberi non possit.

Accedunt Eliberitani canones sæpe laudati, (38, & 77) quibus statuitur, *vel a Laico in*

in necessitate, vel a Diacono plebem regente baptizatos, ad Episcopum perducendos, ut per manus impositionem perfici possint.... & Concilli Laodiceni can. 48: *oportet eos qui illuminantur, post baptisma inungi supercœlesti chrismate, & esse regni Christi participes:* regni Christi participatio, gratia in præsenti sæculo est, & gloria in futuro: utrumque porro confirmatio absolute & primario non confert, quia per baptismum gratia Christi, & pignus hæreditatis accipitur: unde sequitur quod Patres de majori gratiæ incremento loquantur, cui altior gloriæ gradus, ex confirmationis efficacitate sit responsurus.

Neque vero circuitione argumentorum est opus, quandoquidem illud antiqui Doctores verbis præclarissimis minimeque ambiguis attestentur. *Caro abluitur*, ait Tertullianus (*lib. de resur. c.* 8) *ut anima consecretur, caro signatur, ut anima muniatur: caro manus impositione adumbratur, ut & anima spiritu illuminetur....* & alibi (*lib. de bapt. c.* 7.): *exinde egressi de lavacro perungimur benedicta unctione.... in nobis carnaliter currit unctio, sed spiritualiter proficit, quomodo & ipsius baptismi carnalis est actus, quod in aqua mergimur, spiritualis effectus, quod delictis liberamur.*

Iterumque S. Cyprianus (*Ep.* 72): *Parum est eis* (neophytis) *manum imponere ad accipiendum Sp. sanctum, nisi accipiant & Ecclesiæ baptismum: tunc enim demum plene sanctificari & esse Filii Dei possunt, si utroque Sacramento nascantur.*

S. Cyrillus Hierosol. *Vobis*, ait, (*catec.* 3) *postquam ex aquis sacri lavacri ascendistis, datum est chrisma, quod imaginem gerit illius quo unctus est Christus, hoc autem est Sp. sanctus.... quemadmodum panis Eucharistiæ post sancti Sp. invocationem non amplius est panis communis, sed est corpus Christi, ita & sanctum hoc unguentum non amplius est unguentum nudum, postquam jam consecratum est, sed est chrisma Christi, quod adventu Sp. sancti, per ipsius divinitatem energiam habet, quo frons & alii sensus symbolice inunguntur: & corpus quidem visibili unguento perungitur, anima vero sancto ac vivifico spiritu sanctificatur.*

Et denique ne cætera cum tædio regeram, quæ jam sæpe sunt in disputationis decursu laudata, S. Ambrosius: *Post hæc*, inquit (*lib. de initiand. c.* 6) (*post baptismum videlicet*) *utique ascendisti ad Sacerdotem: considera quid secutum sit: nonne illud quod ait David: sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam barbam Aaron? .... ideo in barbam Aaron, ut fias electum genus, Sacerdotale, pretiosum: omnes enim regnum Dei, & in Sacerdotium ungimur gratia spirituali.*

Fatendum itaque, ad gratiam perfectionis & roboris obtinendam, Sacramentum confirmationis ita esse medium divinitus ordinatum, ut ejus defectui, non alio quovis externo ritu ab Ecclesia instituto, sed solo ejusdem recipiendi voto succurri possit: idem enim de confirmatione ac de cæteris Sacramentis debet esse judicium; atqui alia Sacramenta ita proprios habent ex ordinatione divina effectus, ut eorum absentiam non ritus quivis arbitrarius & exterior, sed solum eorumdem suscipiendorum desiderium suppleat: quod erit unicuique singula Sacramenta expendenti facillimum judicare.

Hinc S. Thom. *Dicendum*, ait (3 *p. q.* 72, *art.* 1, *in corp.*) *quod Sacramenta novæ legis ordinantur ad speciales gratiæ effectus: & ideo ubi occurrit aliquis specialis effectus gratiæ, ibi ordinatur aliquod speciale Sacramentum: quia vero sensibilia & corporalia gerunt spiritualium & intelligibilium similitudinem: ex his quæ in vita corporali aguntur, perspicere possumus quid in spirituali vita gratiæ speciale existat: manifestum est autem quod in vita corporali specialis quædam perfectio est, quod homo ad perfectam ætatem perveniat, & perfectas actiones hominis agere possit... & inde est etiam, quod præter motum generationis, quo aliquis accipit vitam corporalem, & motus augmenti, quo aliquis perducitur ad perfectam ætatem: sic igitur & vitam spiritualem homo accipit per baptismum, qui est spiritualis generatio: in confirmatione autem accipit perfectam ætatem spiritualis vitæ.*

Hinc idem S. Doctor confirmationem, non absolute quidem, sed ratione habita majoris hujus perfectionis, esse de necessitate salutis, adeoque omnibus exhibendam affirmat: *Dicendum*, ait, (*Ib. ad* 3) *quod sicut supra dictum est* (3 *p. qu.* 65, *art.* 4, *ad* 1) *omnia Sacramenta sunt aliqualiter necessaria ad salutem: sed quædam sunt, sine quibus non est salus: quædam vero sunt, quæ cooperantur ad perfectionem salutis: & hoc modo confirmatio est de necessitate salutis, quamvis sine ea possit esse salus: dum tamen non prætermittatur ex contemptu Sacramenti* .. & in eadem qu. (*q.* 72, *art.* 8, *ad* 4) *etiam morituris*, inquit, *hoc Sacramentum dandum est, ut in resurrectione perfecti appareant, secundum illud ad Ephes.* 4, *v.* 13. Donec occurramus omnes in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi: *Et ideo Hugo de S. Victore dicit: omnino periculosum esset si ab hac vita sine confirmatione migrare contingeret: non quia*

damnaretur, nisi forte propter contemptum, sed quia detrimentum perfectionis pateretur: unde etiam pueri confirmati decedentes, majorem gloriam consequuntur, sicut & hic majorem obtinent gratiam.

§. SECUNDUS.

Diluuntur quædam objectiones.

At, inquies, esto confirmatio ad Christianam perfectionem & gratiam roboris obtinendam medium ordinarium sit, non est tamen solum. Ergo &c.

℟. Nego ant. tunc enim medium aliquod ita ordinarium est, ut tamen solum dici nequeat, quando præter illud alia suppetunt, quibus res eadem parari, parique facilitate possit: sic e. c. quia peccatum veniale Sacramenti Pœnitentiæ, communi Ecclesiæ sensu materia sufficiens est, hinc ad ejus expiationem medium ordinarium est ipsum Sacramentum: solum tamen non esse inde probatur, quia peccata hujusmodi quotidiana, vel oratione Dominica, vel actu charitatis, vel opportuno alio remedio, etiam sine Sacramento Pœnitentiæ aut revera aut voto suscepto delentur: unde clavibus Ecclesiæ necessario non subjiciuntur; atqui ad gratiam roboris & Christianæ perfectionis obtinendam, medium nullum occurrit, quod confirmationis defectum solo ejus excepto voto supplere possit. Hinc propositio contraria affirmans in hunc finem a Jesu Christo alia esse media instituta, a Magistris Parisiensibus proscripta, (*die 15 Februarii an.* 1631) & censoriis notis inusta est: *Hæc propositio*, inquiunt, (*Vide supra prop.* 8) *quatenus negare videtur, confirmationem solum unicumque medium esse, a Christo, specialiter institutum, ut per illud perfecti Christiani, & in fide coram persecutoribus profitenda constantes efficerentur, falsa est, temeraria, erronea, & efficaciam Sacramenti Confirmationis imminuit*. Ergo &c.

Inst. 1. Probando ant. unctio verticalis a simplicibus presbyteris, baptizatis præberi solita, in supplementum confirmationis esse instituta, eumdemque ac ipsa, & quidem, ut plures sentiunt, ex opere operato, producit effectum. Ergo &c.

R. Nego ant. si enim in supplementum confirmationis hæc unctio fieret, eumdemque ac ipsa effectum haberet, postquam semel esset facta, confirmatio superflueret, nec esset ejus conferendæ necessaria ratio; atqui sententia hæc traditioni, & Latinæ Ecclesiæ præscriptioni repugnat: constat enim, confirmationem etiam iis qui uncti a presbyteris fuissent in vertice, semper necessariam a majoribus judicatam: *Presbyteris seu extra Episcopum, seu præsente Episcopo baptizent*, inquit Innocentius I Summ. Pontifex (*Ep. 1 ad Decent. c.* 3) *chrismate baptizatos ungere licet . . . . . non tamen frontem ex eodem oleo signare, quod solis debetur Episcopis cum tradunt Sp. Sanctum* . . . . & S. Gregorius M. (*lib.* 3, *Ep.* 9) *presbyteri baptizatos infantes signare sacro in fronte chrismate non præsumant: sed presbyteri baptizatos tangant in pectore, ut Episcopi postmodum tangere debeant in fronte*. Itaque unctio chrismatis in vertice, est equidem cæremonia sancta & venerabilis, nec a quoquam, uti ab antiquo præscriptum est, nisi in casu necessitatis prætermittenda: verum quod parem ipsi confirmationi virtutem habeat, ejusdemque defectum supplere possit, error est SS. Patribus inauditus, eorumque de confirmationis virtute apertis sententiis prædamnatus: *Hæ propositiones*, inquiunt in eadem censura Parisienses Magistri, (*Vide supra* 1, 2, & 3 *prop.*) *sunt falsæ, temerariæ, communi sententiæ Patrum contrariæ, in contemptum Sacramenti confirmationis, & in errorem inducunt*.

Eoque intolerabilior altera est, qua affirmatur, verticis unctione confirmationis effectum ex opere operato suppleri: non aliunde enim quam a Christo Sacramentorum auctore gratiæ producendæ internam virtutem ritus exteriores habere possunt; atqui unctio verticis non a Christo, sed immediate ab Ecclesia non secus ac aliæ Sacramentorum cæremoniæ instituta est; ergo gratiæ Sacramentalis vim insitam habere nequit: nisi velimus in Sacramentis instituendis parem Christi & Ecclesiæ potestatem esse, quod vera fides non patitur: nec movemur quorumdam contradicentium Theologorum auctoritate: eorum enim judicio eatenus acquiescimus, quatenus ipsi a sensu Ecclesiæ non recedunt: porro neminem nisi suscepta confirmatione, perfectum esse vereque dici Christianum, nec ritus Sacramentorum accessorios quidquam nisi ex opere operantis habere virtutis Ecclesia Catholica semper censuit.

Inst. 2. Probando ant. verbis Hugonis a S. Victore. *Propter eos*, inquit, (*lib.* 2 *de Sacr. p.* 7, *cap.* 3) *qui articulo mortis præveniuntur, instituta est illa, qua Sacerdos baptizatum statim in vertice linit, sacri chrismatis unctio*. Eademque multorum qui Hugonem vel præcesserunt vel secuti sunt opinio fuit: idem ergo huic unctioni, ac ipsi Sacramento ex eorum sententia effectus est adscribendus.

R. Distinguo ant. simul & explico Hugonis sententiam: propter eos qui morte præveniuntur,

tur,

tur, instituta est verticis unctio, *ut hac veluti adumbratione ostenderetur Sacramenti necessitas: ejusque suscipiendi desiderium accenderetur*, concedo: *ut per illam daretur perfectio & robur militiæ Christianæ*, nego ant. & consequ. ipsissima hæc Hugonis in eo qui opponitur loco doctrina est: *Propter eos*, inquit, *qui articulo mortis præveniuntur instituta est illa, qua Sacerdos baptizatum statim in vertice linit Sacri Chrismatis unctio: ut in hoc ipso ostendatur, quantum Sacramentum istud necessarium sit ad salutem, cum tam solicite universis cavetur, ne sine ipso ab hac vita subtrahantur*. Hoc ergo unum intendit scriptor doctissimus, unctionem verticis institutam, non ut hoc ritu imminueretur, sed potius ut insinuaretur confirmationis necessitas, cujus imitationem aliquam in baptismo adumbrari jussit Ecclesia, ne videlicet aliquali ejus vestigio careant, qui propter Episcoporum absentiam, & mortis imminentis angustias donari Sacramento non possunt: si enim existimaret, ideo unctionem verticis introductam, ut confirmationis defectum plene suppleret, non diceret hoc ritu ostendi, *quantum Sacramentum istud necessarium sit ad salutem*; sed e contrario dicere debuisset, inde ostendi quam parum necessarium sit Sacramentum, cujus nimirum partes omnes cæremonia ab Ecclesia instituta implere possit; atque hinc patet quantum a recentioribus quos prædiximus Theologis Hugonis sententia discrepet: illi enim asserere non verentur, *ex quo instituta unctio in baptismate facienda, non ita esse ut antea fuerat, necessariam confirmationem*: iste e contrario ideo institutam dicit, *ut hoc ipso ostendatur, quantum Sacramentum istud necessarium sit ad salutem*: unde ibidem affirmat, *omnino periculosum esse, si ab hac vita sine confirmatione migrare contingeret*, non propter æternæ salutis dispendium, sed propter detrimentum Christianæ perfectionis.

Inst. 3. Plerumque contingit, ut qui confirmati non fuerint, perfectiores & ad certamen pro Christi nomine substinendum confirmatis ipsis fortiores reperiantur. Ergo confirmationis effectum per baptismalem verticis unctionem hujusmodi receperunt; adeoque falso dicimus, ad gratiam confirmationis habendam, Sacramentum ipsum, solum esse medium ordinarium.

R. Concesso ant. n. conseq. inde enim hoc unum sequitur, quod negare stultum & impium fuerit, Deum scilicet gratiarum omnium fontem & largitorem, non ita virtutem suam sacris symbolis alligasse, quin & eadem sine Sacramentis uti valeat sæpeque utatur: cæterum hoc non obstante constat veritas ex scriptura & traditione accepta, confirmationem esse medium ordinarium divinitus institutum, ad Christianæ perfectionis & roboris incrementum, nec aliter posse hos effectus juxta consuetam Dei providentiam obtineri: *Sp. sanctus qui super aquas baptismi salutifero descendit illapsu*, ait Eucherius Lugdunensis (*in hom. de Pentec.*) *in fonte plenitudinem tribuit ad innocentiam, in confirmatione augmentum præstat ad gratiam . . . . in baptismo regeneramur ad vitam: post baptismum confirmamur ad pugnam: in baptismo abluimur, post baptismum roboramur*: nec alia Patrum ab ipsis primis temporibus doctrina fuit.

Inst. ultimo: Nisi Patrum de confirmatione emolliamus sententias, & cum aliqua restrictione accipiamus, dicendum erit confirmationem esse absolute necessitate medii necessariam ad salutem: illud enim sine quo homo ne Christianus quidem est, ad obtinendam salutem omnino requiritur; atqui ad mentem Sanctorum Patrum sine Sacramento confirmationis homo non est Christianus: *Hujus S. Chrismatis dono accepto*, ait inter cæteros S. Cyrillus Hierosol. (*catec.* 3) *merito appellamini Christiani, veram efficientes appellationem, in ipsa regeneratione acceptam: ante enim quam hæc vobis gratia donata esset, non eratis proprie digni hoc nomine: sed pergentes eo usque progressi estis, ut efficeremini Christiani*. Ergo &c.

R. Nego ant. ad probat. concessa maj. dist. min. ex SS. Patrum doctrina sine Sacramento confirmationis homo Christianus non est, *quantum ad nomen*, esto: quantum ad rem, subd. *Perfectus Christianus non est*, conc. *absolute*, n. min. & conseq.

E. R. Christianus si ratio nominis habeatur, dicitur a chrismate sive unctione, Χριστὸς enim idem Græce est, quod Latine, unctus: cum itaque chrismatio in confirmatione fiat, hinc habita ratione nominis, ante confirmationem nemo Christianus vocatur: quod si attendatur res ipsa per nomen significata, solo baptismate hominem Christianum fieri, etsi non plene & quantum ad omnem perfectionem, negare non possumus: revera namque & absolute est Christianus, qui Christo capiti ut verum & vivum ejus membrum per caritatem in corde diffusam unitur; atqui per baptismum homo regeneratur in Christo, & verum ejus fit membrum; ergo vere est Christianus, nondum tamen ad perfectionem pervenit, quia quamdiu confirmatione caret, adhuc puer est, nec armis omnibus instructus, quibus Jesu Christi milites ad prœlium accinctos esse oportet: perfectus itaque Christianus dici non potest, pari ratione qua infans ex utero recens editus,

tus, licet absolute homo sit, cum & corpus & animam habeat, quibus homo necessario constituitur, nondum tamen est homo perfectus: eamque esse genuinam Cyrilli mentem, verba ejus, sine interpretatione, satis superque significant: non enim absolute ait, neminem antequam chrismatis donum acceperit, esse Christianum: sed, *proprie*, inquit, idest secundum plenam significationem, *non eratis digni hoc nomine*. Sequitur

QUÆSTIO NONA ET ULT.

De cæremoniis confirmationis.

PAucis quæstio ista expenditur: nam confirmationem Græci magna simplicitate, Latini modico rituum apparatu administrant: tantum itaque observabimus, in quo utrique conveniant aut differant, & in Latinorum cæremoniis, quid ab usu antiquo acceptum, quid de novo sit insitutum? Itaque

Quæritur 1. Quid Græcis & Latinis in confirmationis administratione commune sit?

R. 1. In ritibus essentialibus, manuum scilicet impositione, unctione chrismatis, adjunctisque utrique verborum formulis, ut supra ostensum est, (*q.* 3, & 4) convenire.

R. 2. In hoc etiam consentire, quod unctionem chrismatis signo crucis adhibito inviolabiliter faciant: unde argumentum certum eruitur, ritum hunc, quidquid Hæretici gganiant, ab Apostolica traditione acceptum: *Pontifex, tincto pollice in chrismate*, ait Gregor. M. in Sacramentario, *facit crucem in frontem unius, similiter per omnes sigillatim*, &c. . . . *Oratione hac terminata*, ait Græcorum Euchologium, *baptizatum Sancto unguento ungit* (Sacerdos) *crucis signum faciens in fronte* &c.

Q. 2. Hæc crucis impressio quid significet?

℟. Hoc in primis significare, non esse Christiano homini gloriandum nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi: *Observabit Parochus*, ait Sanctissimus nec unquam nobis laudatus satis Mediolanensium Archipræsul, (*in actis Mediolan. Eccl. p.* 4, *tit. de Sacr. confirmat.*) *dum sanctæ consummationis formulam Episcopus profert, ab eo simul imprimi fronti ejus quem confirmat, signum crucis: primum eo ritu ostendet, Christianum hominem, non verecundia, quæ in fronte maxime elucet, neque metu, nec periculo perterreri unquam debere, quin palam & libere Jesum Christum ignominiose pro peccatis nostris cruci affixum, & omnem ejus doctrinam confiteatur, deinde apposite etiam exponet, illo crucis signo quo Christus Dominus triumphavit, Christianum hominem, in cujus fronte, dum confirmatur, illud imprimitur, in numerum adscribi fortissimorum ejus militum*. Vide quæ de hac re dicta sunt, quæst. 3, cap. 3, §. 2, quæstiuncula ultima.

Q. 3. Numquid Græci cum Latinis plene in unctione conveniant.

R. Negative: Latini enim solam frontem, Græci varias insuper corporis partes inungunt: Vide ib. quæstiuncula 9, & 10.

Q. 4. Quid Latini peculiare in confirmationis administratione observent?

R. Episcopum, statim ac in fronte chrismatis unctio facta est, confirmati maxillam manu leviter percutere, eidemque pacem bene precari: habent etiam hoc Latini peculiare, quod patrinos & matrinas, sive sponsores in hoc Sacramento, non secus ac in baptismo admittant: insuper usu haud infrequenti receptum est, ut confirmatis nova nomina assignentur.

Q. 5. Utrum confirmati maxillam percutere antiquum sit?

R. Negative: de hoc enim ritu nec in scriptis Patrum veterum, nec in Sacramentario Gregorii M. nec in veteri ordine Romano, nec denique in officiis Ecclesiasticis ad 10 usque sæculum a viris rituum peritis, magna diligentia collectis, mentio ulla occurrit.

Q. 6. Hujus cæremoniæ quæ ratio sit?

℟. Verbis S. Caroli: (*Ib.*) *Episcopus*, inquit, *cum leviter in maxilla cædit, quem chrismate confirmat, hunc ritum Parochus ita docebit; ut sciat homo Christianus, se jam militem esse, cujus pugna & victoria eluceat, in patiendis injuriis, non in illis inferendis: deinde se in Christiana militia constitutum esse, in qua non hujus vitæ jucunditates & commoda quærat, sed incommoda potius, atque adeo mala multa patienter ferat: ac præterea intelligat officii sui esse, in acie stare, telaque unde veniant observare: ita ut quamvis illis telorum ictibus corpus, honor, opesque lædantur, anima tamen nullo pacto offendatur.*

Q. 7. Quid antiquitatis pacis precatio habeat?

℟. Antiquissimam esse, cum ejus meminerit *Ordo Romanus*, sæculo 7, vel 8 scriptus.

Q. 8. Quomodo cum maxillæ percussione pax ab Episcopo data conveniat? quid enim commune paci cum belli denuntiatione, quam alapa confirmatis impacta significat?

℟. Hoc ritu Sp. sancti per confirmationem accepti optatissimum fructum significari, de quo dictum ab Apostolo (*Gal.* 5, 22.): *fructus autem Spiritus est, charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas.*

mitas &c. nec est quod putetur hanc pacem bello a militibus Christi gerendo esse contrariam, etsi enim sint adversariorum impetus fortiter sustinendi, pax tamen habenda cum omnibus, ut impleatur Christi mandatum: *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, & orate pro persequentibus & calumniantibus vos*, &c. (*Matth.* 5, 44,) hinc utrumque Salvator in Evangelio intimavit, videlicet pacem & bellum: nam qui tam sæpe dixit: *Pax vobis: pacem meam do vobis: relinquo vobis pacem:* idem utique declaravit (*Matth.* 10, 34): *nolite arbitrari quia pacem venerim mittere in terram: non veni pacem mittere, sed gladium* . . . . . . & alibi (*Luc.* 12, 51): *putatis, quia pacem veni dare in terram? non, dico vobis, sed separationem* &c. de hac Christiana pace, cui continuus est contra Christi inimicos conflictus, debet intelligi ritus quem Latini in confirmatione observant: *Pacem confirmatis dari ostendet* (Parochus) ait S. Carolus (*Ib.*) *ut intelligant se gratiæ cœlestis plenitudinem, & pacem quæ exuperat omnem sensum consecutos esse.*

Q. 9. Sponsorum in confirmatione usus unde venerit?

℟. Inde descendere quod antiquitus baptismus & confirmatio eodem tempore conferrentur: quo fiebat, ut qui in baptismo, iidem in confirmatione sponsores essent: hunc sane morem etiamnum apud Græcos & Orientales vigere ex eorum Euchologiis compertum est: ubi confirmatione, statim post baptismo administrata, ab eodem quem in baptismum susceptorem habuit, neophytus asservatur: *Deinde*, ait officium Sancti Baptismatis, (*Vide Goarii rituale*) *cum susceptore & puero in circuli modum procedit Sacerdos:* non ante itaque in Latina Ecclesia contigit, ut separatim pro baptismo & confirmatione sponsores eligerentur, quam baptismi & confirmationis quantum ad tempus facta divisio fuerit.

Q. 10. Quodnam sit sponsorum officium?

℟. Cum S. Carolo (*Ib.*): *qui confirmandi sunt*, inquit, *patrinum sibi adhibent: cujus munus est, filiolum quem in confirmatione tenuit, monere, eique tamquam ducem se præbere, ut in quotidiano spirituali certamine, adversarium vincat: sed etsi rudem illum viderit, non solum fidei Christianæ documentis instruere, verum etiam ad viam salutis, virtutumque Christianarum disciplinam erudire cohortationibus atque exemplis ut in Sacramento baptismi traditum est: quamobrem patrinus is deligatur, qui non solum doctrinæ Christianæ instituta præceptaque teneat, sed etiam qui vitæ piæ exemplo ita se instituit, ut magister, vereque patrinus ac dux aliis esse possit ad bene agendum, progrediendum in via Domini*, &c.

Q. 11. Numquid aliud in sponsorum delectu cavendum?

℟. Quoad fieri potest procurandum, ut de consanguineorum aut affinium numero eligantur, ne videlicet nimium impedimenta matrimonii augeantur: ratione namque susceptionis cognatio spiritualis contrahitur, impedimentum matrimonii inferens: qua de L. 9 dicturi sumus.

Q. 12. Nominis in confirmatione imponendi quæ sit origo?

℟. Inde, magna probabilitate, consuetudinem hanc introductam, quod olim baptismus simul & confirmatio eodemque tempore conferrentur: quo fieri potuit, ut e baptismo in confirmationem hæc cæremonia transferretur: de illa sic monet S. Carolus (*Ib.*): *notandis nominibus eorum qui confirmationem suscipient, hoc curabit* (Parochus), *ut si qui turpe nomen habent, illud mutent, sumantque in confirmationis Sacramento nomen Sancti alicujus, quem in cœlis patronum deligant, & ad imitationem sibi proponant, ad pie agendum illius virtutum exemplis, recordationeque excitati.*

Q. 13. Quo tempore confirmatio conferenda?

℟. More antiquo, quamdiu hoc Sacramentum baptismo conjunctum fuit, nonnisi Paschatis, & Pentecostes & Theophaniæ diebus (casu necessitatis excepto) solemniter administratam: ex quo vero disciplina mutata est, quovis tempore ejus conferendæ æquam potestatem Episcopi habuerunt, monet tamen S. Carolus (*Ib.*) *in Pentecoste præcipue ministrandam, quoniam eo maxime die Apostoli Sp. Sancti virtute roborati, confirmatique sunt:* hoc vero non ita necessarium judicat, quin & aliis quoque temporibus conferri possit: *Episcopus*, inquit (*In Conc. V Provinc. tit. de his quæ ad Sacram. confirmationis pertinent.*), *non solum sacris solemnibusque Pentecostes diebus, sed etiam (si ita civitatis suæ ingens frequentia multitudoque postularit) & Paschæ resurrectionis tempore, & in adventu Sacro Domini, & quoties visitationem obibit, Sacramentum confirmationis ministret: & ob eam causam . . . . ad ministrandum sæpe accurret, quibus in locis diœcesis opus erit.*

Q. ultimo, quid Græci circa tempus conferendæ confirmationis observent?

R. Nullo temporis discrimine facto, confirmationem una cum baptismo, ut sæpe diximus, die quolibet indifferenter administrare.

De confirmatione dictum satis, jamque clauden-

dendum hunc librum putamus, in quo præter cætera, Trid. Canones qui sequuntur vindicare erat propositum.

Trident. Concilii Canones de confirmatione (*Sess.* 7).

1. *Si quis dixerit, confirmationem baptizatorum otiosam cæremoniam esse, & non potius verum, & proprium Sacramentum, aut olim nihil aliud fuisse, quam catechesim quandam, qua adolescentiæ proximi fidei suæ rationem coram Ecclesia exponebant: anathema sit.*

2. *Si quis dixerit, injurios esse Spiritui Sancto eos, qui sacro confirmationis chrismati virtutem aliquam tribuunt: anathema sit.*

3. *Si quis dixerit, Sanctæ Confirmationis ordinarium ministrum non esse solum Episcopum, sed quemvis simplicem Sacerdotem: anathema sit.*

FINIS LIBRI TERTII.

LI-

LIBER QUARTUS

DE

SACRAMENTO EUCHARISTIÆ.

De Augustissimo Eucharistiæ mysterio contra Hæreticorum improbitatem vanosque conatus dicturi, non putamus ulla in ejus commendationem verba præmittenda: nativo namque splendore tantum seipsum commendat: nihil ut humano sermone adjici, sine culpabili laudis imminutione posse videatur. Equis enim sive hominum linguis loquatur, aut Angelorum, huic Christi mirabilium suorum memoriam facientis sententiæ valeat aliquid addere: *Accipite & comedite, hoc est corpus meum, quod pro vobis datur: bibite ex hoc omnes: hic est enim Sanguis meus novi Testamenti, qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum?* Nam quemadmodum quando dedit seipsum, humanum omne desiderium, expectationemque longe superavit: ita quando dare se dixit, omnem quantamlibet mortalium laudem immenso intervallo est prætergressus: donum suum convenienti elogio æquare solus potuit, qui facere solus potuit: quis profusissimam Salvatoris clementissimi caritatem sat digne laudare queat, non jam gratiam solum, quod in cæteris Sacramentis facit, sed auctorem ipsum gratiæ plenissime largientis, & animam de seipso nutrientis? iis igitur præmissis encomiis, quibus pro merito adornandis, quantum a Deo distat, tantum impar est omnis creatura, ad ea statim aggredimur quæ in præsenti proponimus explicanda, quæque quam gravia sint, index sequentium quæstionum ostendit.

1 *Erit de essentia Eucharistiæ*: 2 *De materia ex qua fit*: 3 *De verbis quibus consecratur*: 4 *De auctore ejus, & ministro*: 5 *De figuris quibus est prænuntiata*: 6 *Eaque præcipua, quid contineat Eucharistia consecrata?* 7 *De ejus percipiendæ subjecto*: 8 *De necessitate*: 9 *De effectibus*. 10. *Demum de dispositionibus ad eam afferendis. Sic itaque*

QUÆSTIO PRIMA.

De essentia Eucharistiæ.

§. PRIMUS.

Varia Eucharistiæ nomina proponuntur & explicantur.

PRIMUM omnium præcipua nomina recensebimus, quibus hoc Sacramentum legimus a majoribus appellatum: tum quod ad naturam ejus indagandam lucem aliquem præferant: tum ut vel ex ipsis quibus cohonestata est titulis, manifestum fiat quanto eam loco Patres habuerint.

1. *Eucharistia* dicta est, a verbo græco *Εὐχαριστεῖν*, quod Latine est, gratias agere: hinc Græca vox *Εὐχαριστία*, Latine bona gratia, sive gratiarum actio reddi potest, hujus vero appellationis causa fuit, tum quia gratiarum omnium fontem continet: tum quia pignus est vitæ æternæ: *Gratia vero Dei*, ait Apostolus, (*Rom.* 6, *v.* 23) *vita æterna*: tum quia Christus in ejus institutione gratias egit: tum denique quia ad gratias pro acceptis beneficiis referendas nihil Deo acceptius divina hac hostia esse potest: unde in Missæ Sacrificio dicimus: *Gratias agamus Domino Deo nostro*.

2. *Σύναξις*, Sive *Communio* appellatur: tum quia ad hujus Sacramenti & sacrificii celebrationem, ex veteri instituto, in unum convenire locum solemus: tum quia hujus participatione mysterii in consortium Christi admittimur, ut in nobis maneat, nosque in illo maneamus: tum quia per illud, unum omnes veluti corpus efficimur, & membra de membro, unam animam & cor unum in Deo habentes: *Calix benedictionis cui benedicimus*, inquit Apostolus, (1 *Cor.* 10, 16 & *seqq.*) *nonne communicatio sanguinis Christi est? & panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est? quoniam unus panis, unum corpus sumus omnes, qui de uno pane participamus*.

3. *Viaticum* dicitur, cujus rationem intelliget, cui sciverit a Latinis viaticum appellari, 1 pecuniam itineri impendendam: 2 cœnam, ad quam amicus continuo discessurus invitatur: *Ego*, ait poeta Comicus, (*Plautus in Bacchide*) *Sorori meæ cœnam hodie volo dare*

dare viaticum: itaque Eucharistiæ viaticum ideo dicta, tum quia nos in hujus vitæ peregrinatione reficit, sustentat, recreat, ut ambulemus in fortitudine cibi illius usque ad montem Dei, æternitatem videlicet; tum quia fidelibus in ultimo agone contra potestates tenebrarum luctantibus ministratur, ut cursum gnaviter consumment, & dormiant in osculo pacis: hinc ex rituali Latino Sacerdos Eucharistiam ægroto porrigens: *Accipe*, inquit, *frater*, *viaticum*: quo sensu a Nicænis Patribus definitum (*Can.* 16). *Si quis egreditur e corpore*, *ultimo & necessario viatico minime privetur*.

4. Appellatur, *Panis* . . . *fractio panis*.... *panis vivus* . . . . *panis qui de cœlo descendit* . . . *panis Angelorum*: quarum vocum est ratio multiplex: nam Christus carnem suam, panem vivum in Evangelio appellavit: *Ego sum*, inquit, (*Joann.* 6, 51 *& seq.*) *panis vivus qui de cœlo descendit*: *si quis manducaverit ex hoc pane*, *vivet in æternum*: *& panis quem ego dabo*, *caro mea est pro mundi vita*. Deinde, ineffabilem transubstantiationem quæ in Eucharistia fit, panis præcedit: merito itaque præexistentis materiæ, facta consecratione, retinet nomen; maxime cum illud aliquatenus vindicent species manentes, & panis figuram exterius referentes: præterea, sicut corpus pane reficitur, ita in hoc divino convivio anima de Deo saginatur: quod autem *fractio panis* est dicta, non ita debet intelligi, quasi revera corporis Christi fractio sive divisio fiat; cum sub minima hostiæ particula totum & integrum sit: sed ratione sensibilium specierum, quarum, fracto Sacramento, divisionem fieri nemo negat: hinc Apostolus loco proxime citato: *Panis*, inquit, *quem frangimus*, *nonne participatio corporis Domini est?*

5. Ex re contenta *corpus & sanguis Christi* vocatur: *Corpus Christi & sanguinem dicimus*, ait S. Aug. (*de Trin. lib.* 1, *c.* 4) *illud tantum quod ex fructibus terræ acceptum & prece mystica consecratum*, *sumimus ad salutem spiritualem*, *in memoriam Dominicæ passionis*: hinc etiam *Sacramentum corporis & sanguinis Christi* . . . . *Sacramentum altaris* . . . . *Sacramentum fidelium* nominatur: quibus porro de causis, quoniam norunt omnes, explicare opus non est.

6. *Cœnam Domini* aliquando legimus appellatam: cujus vocis imponendæ 1 ratio fuit, quia sacrum Christi cum Ecclesia convivium est: 2 quia cœna legali peracta, ab eodem est instituta: 3 quia hac ipsa voce Apostolus usus est: *Audio*, ajebat Corinthiis, (1 *Cor.* 11, 18 *&* 20) *scissuras esse inter vos*. . . . *convenientibus ergo vobis in unum*, *non jam est Dominicam cœnam manducare*: hunc enim locum S. Aug. S. Thom. & plerique alii de Eucharistia explicant: arridet hoc unum *cœnæ* nomen Lutheranis & Calvinistis, eoque plerumque abutuntur, ut inferant Eucharistiam non esse Sacramentum permanens, sed in usu solo positum, & in actu cœnandi consistens, nec recte fieri nisi pluribus accumbentibus, nec ad infirmos deferendum: quæ falsa dogmata suis locis refellentur.

¶ Potiora ex his nominibus eleganter explicat & ex ipsa hujus Sacramenti significatione derivat Angelicus Doctor 3 p. q. 73, art. 4, ubi hæc habet: " Dicendum quod hoc Sacramentum habet triplicem significationem: unam quidem respectu præteriti, in quantum scilicet est commemorativum Dominicæ Passionis, quæ fuit verum sacrificium: & secundum hoc nominatur *Sacrificium*. Aliam autem significationem habet respectu rei præsentis, scilicet Ecclesiasticæ unitatis, cui homines aggregantur per hoc Sacramentum: & secundum hoc nominatur *Communio*, vel *Synaxis*. Dicit enim Damascenus 4 lib. orthod. fidei c. 14, quod dicitur *communio*, quia communicamus per ipsam Christo, & quia participamus ejus carne, & divinitate, & quia communicamus, & unimur ad invicem per ipsam. Tertiam significationem habet respectu futuri, in quantum scilicet hoc Sacramentum est præfigurativum fruitionis Dei, quæ erit in Patria: & secundum hoc dicitur *Viaticum*: quia hic præbet nobis viam illuc perveniendi. Et secundum hoc etiam dicitur *Eucharistia*, idest, *bona gratia*: quia *gratia Dei vita æterna*, ut dicitur Rom. 6. Vel quia realiter continet Christum, qui est plenus *gratia*. Dicitur etiam in græca *metalepsis*, idest *assumptio*: quia ut Damas. dicit, per hoc filii Deitatem assumimus." ¶

7. Tandem, ut paucis multa complectar, Eucharistia his passim apud veteres nominibus designatur: *Redemptionis memoriale* . . . . *holocaustum salutis*. . . . . *sacrificium divinissimum*. . . *Sanctum Sanctorum*. . . . *amor amorum*. . . . *dulcedo omnium dulcedinum*.... *verbum nutritorium animarum* . . . *panis beatitudinis* . . . *æternæ vitæ cibarium*. . . . *poculum & alimonia immortalitatis*. . . . *vitæ æternæ portio*. . . . . *omnium novitatum novitas*. . . . *officina omnium miraculorum &c.* Quorum intelligentia cuicumque *vere fideli facilis & obvia est*. Sequitur

§. SE-

§. SECUNDUS.

Affertur & explicatur definitio Eucharistiæ.

Hæc & similia nomina meditanti proclive erit judicare de divino Sacramento antiquos Patres longe sublimius digniusque Lutheranis ac Calvinistis sensisse, quorum si dogmata vera forent, laudandæ Eucharistiæ locus aut nullus, aut perquam tenuis superesset: jam in quo sit ejus natura ponenda, ex Ecclesiæ mente sic explicatur.

Eucharistia est, *Sacramentum corporis & sanguinis Christi, sub speciebus panis & vini realiter contentorum, ad spiritualem fidelium alimoniam a Christo ipso institutum.*

1. Dicitur *Sacramentum*, res scilicet sensibus subjecta, quæ ex institutione Dei sanctitatis & justitiæ, tum significandæ, tum efficiendæ vim habet: qua ratione cum reliquis sacris symbolis convenit.

2. Dicitur, *Sacramentum corporis & Sanguinis Christi, sub speciebus panis & vini realiter contentorum*: quam veritatem ipso Christo Doctore didicimus: *Accipite*, inquit, *& comedite, hoc est corpus meum: bibite ex hoc omnes: hic est enim sanguis meus*: quæ verba dum Hæretici in sensus alienos & figuratos inflectunt, rum de aliis male merentur, quorum fidem corrumpere commentis impiis moliuntur; tum de seipsis pessime, supinam ignorantiam, cum incredibili temeritate conjunctam palam demonstrantes. *Si quis negaverint* ajunt Trid. (*ses.* 13, *can.* 1) *in Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento contineri vere, realiter, & substantialiter corpus & sanguinem, una cum anima & divinitate Domini nostri Jesu Christi, ac proinde totum Christum: sed dixerit, tantummodo esse in eo ut in signo, vel figura aut virtute: anathema sit.... (ibid. can.* 3) *si quis dixerit, in Sacrosancto Eucharistiæ Sacramento remanere substantiam panis & vini, una cum corpore & Sanguine Domini nostri Jesu Christi: negaveritque mirabilem illam & singularem conversionem totius substantiæ panis in corpus, & totius substantiæ vini in Sanguinem, manentibus dumtaxat speciebus panis, & vini, quam quidem conversionem Catholica Ecclesia aptissime transubstantiationem appellat: anathema sit.* Hæc interim Ecclesiæ decreta sufficianr, & loco sint prologi Galeati, donec præcipuum Christianæ fidei dogma, quæst. 6 omni argumentorum genere vindicemus.

3. Dicitur, *ad spiritualem alimoniam institutum*: quibus verbis vis hujus Sacramenti singularis significatur: nam baptismo, novæ creaturæ nativitas, confirmationi fidei robur tribuitur: at in Eucharistia Deo pascitur & nutritur Filius Dei, ut in vita spirituali perficiatur: *In homine*, inquit S. Thom. (3 *p. q.* 73, *art.* 1, *ad* 1) *una est perfectio ad quam perducitur per augmentum, & talis perfectio competit confirmationi: alia est perfectio, quam homo consequitur ex adjunctione alicujus intrinseci hominem conservantis, puta ex adjunctione cibi, vel alicujus ejusmodi: & talis perfectio competit Eucharistiæ, quæ est spiritualis refectio; unde ait Christus*: Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum.

4. Dicitur *ab ipso Christo institutum*: cujus rei veritas tam ratione generali probatur, qua constar Sacramenta non alium præter Deum posse habere auctorem, tum evidentissimis testimoniis Scripturarum suo loco afferendis.

§. TERTIUS.

Resolvuntur quædam objectiones.

Opponitur: Eucharistia verum Sacramentum nec est, nec dici potest. Ergo &c.

℟. Nego antec. res enim sensibus subjecta, ex institutione Dei, sanctitatis & justitiæ tum significandæ tum efficiendæ vim habens, vere est ac dicitur Sacramentum; atqui talis est Eucharistia. Ergo &c.

Inst. 1. probando ant. vel Eucharistia Sacramentum est, quatenus consecratur, vel quatenus sumitur, vel ratione visibilium specierum, vel denique quatenus in corpore & sanguine Christi consistit, atqui nulla ex his caussis sufficir, ut Sacramenti habeat nomen. Ergo &c.

Probatur minor per partes.

Et 1. quidem consecratio Eucharistiæ seipsa sanctitatem nec facit, nec confert, sed via tantum est & progressus ad illud quod gratiam continet & efficit, scilicet ad corpus & sanguinem Christi omnium gratiarum fontis.

2. Quod Eucharistiæ sumptio Sacramentum non sit, inde probatur, tum quia debet Eucharistia ante esse, quam sumatur: tum quia sumptio, si accurate loqui velimus, gratiam non efficit, sed mera applicatio est virtutis Sacramentalis: tum quia actio in qua Sacramentum consistit, debet esse propria ministri; atqui sumptio Eucharistiæ non ministri, sed suscipientis est. Ergo &c.

3. Nec visibilibus speciebus convenit ratio Sacramenti: licet enim gratiam qualitercumque significent, eam tamen nec efficiunt nec conferunt.

4. Denique Corpori, & Sanguini Christi non potest ratio Sacramenti attribui: nam Sa-

cramentum est res sensibus subjecta; atqui corpus Christi & Sanguis in Eucharistia, sensibus subjecta dici non possunt. Ergo &c.

℟. Nego min., ad probat. concessa maj., conc. pariter min. quantum ad 1 & 2 partem: sed nego quantum ad alias. Ut autem intelligas qua ratione Eucharistia tum ex sensibilibus speciebus, tum ex Corpore & Sanguine Christi quæ continet, Sacramenti titulum sortiatur:

Nota, in Eucharistia tria debere distingui, quorum alterum, Sacramentum tantum; alterum, res & Sacramentum; tertium, res quidem est, sed non Sacramentum. Sacramentum tantum est, species visibilis panis & vini. Nam ita signum est rei sacræ, ut res ipsa significata non sit; res simul & Sacramentum est, Corpus & Sanguis Christi, quatenus sub speciebus visibilibus continentur, & per eas significantur; res, & non Sacramentum est, gratia quam virtute continet, & digne accedentibus influit.

Hoc posito, si Sacramenti nomen ad scholæ rigorem exigas, & pro eo tantum sumas quoad signi sensibilis rationem habet, manifestum est solis speciebus rationem Sacramenti proprie convenire. Sacramentum enim, qua tale, est essentialiter symbolum rei sacræ, & invisibilis gratiæ visibilis forma; atqui definitio hæc solis speciebus convenit. Ergo &c. Quod si e contrario scholæ scrupulos prætergressus, non in solo signo sensibili hæreas, sed rem ipsam sub illis contentam attendas, certum est, Corpus & Sanguinem Christi, ex communi Patrum loquendi more, sensuque ipso fidelium, vere esse & vocari Sacramentum, quatenus sub panis & vini speciebus existunt. Nam quod est in Sacramento præcipuum, & principaliter gratiæ conferendæ virtutem importat, Sacramenti titulo jure fruitur. Porro esse rem Sacramenti præcipuam, & conferendæ gratiæ principalem habere virtutem, sine dubio convenit & Sanguini Christi. Ergo &c.

Hinc Concilium Trid. docet, (*ses.* 17, *c.* 5, *&* *can.* 6) omnes Christifideles pro more in Catholica Ecclesia semper recepto, latriæ cultum qui vero Deo debetur, teneri huic sanctissimo Sacramento exhibere. Cujus rationem afferens: *neque enim*, inquit (*ib. c.* 5), *ideo minus est adorandum, quod fuerit a Christo Domino, ut sumatur, institutum, nam illum eumdem Deum præsentem in eo adesse credimus, quem Pater Æternus introducens in orbem terrarum*, *dicit*: Et adorent eum omnes Angeli Dei: *quem Magi procidentes adoraverunt: quem denique in Galilæa ab Apostolis adoratum fuisse Scriptura testatur.* Pari sensu Catechismus Concilii Trid. *hoc Sacramentum*, inquit, (*par.* 2, *tit. de Euch. n.* 8) *adorandum esse, nimirum Corpus & Sanguinem Domini intelligentes affirmamus*. Hinc etiam in professione fidei præscripta *a Pio IV* Pontifice Max. hæc leguntur: *fateor etiam sub altera tantum specie, totum atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi*. Hinc denique apud Gratianum, (*de Consecr. dist.* 2, 3 hoc est) dicitur *hoc Sacramentum duobus constare, videlicet visibili elementorum specie, & invisibili Domini nostri Carne & Sanguine*. Ergo corpus ipsum & Sanguinem Christi, sub speciebus panis & vini latentia, Sacramentum Eucharistiæ appellare solemne est, nec quidquam in contrarium scholarum subtilitas facit.

Inst. 2. Saltem Eucharistia singulari numero Sacramentum dici non debet: ubi enim est materia multiplex & multiplex forma, non unum in singulari, sed plura sunt Sacramenta; atqui in Eucharistia duplex materia est, panis scilicet & vinum, formaque diversa utrique elemento respondens. Ergo &c.

℟. Nego ant. ad probat. dist. maj. Ubi est materia multiplex & multiplex forma, *fines & effectus diversos respiciens*, non unum, sed plura sunt Sacramenta, conc. *secus*, nego maj. similiter dist. min. in Eucharistia duplex materia est & forma duplex, *ad unum finem & effectum ordinata*, conc. *secus*, n. min. & conseq.

E. R. Sacramentorum pluralitatem, non elementorum & formarum, sed finium, objectorum, effectuumque diversitas adstruit; atqui species Eucharistiæ licet diversæ, & verbis differentibus consecratæ, eumdem tamen finem, eumdem effectum, idem objectum important. Unum ergo ac simplex Sacramentum constituunt: *licet autem*, inquit Cathechismus Concilii Trid. (*part.* 2, *tit. de Euch. n.* 10) *duo sint elementa, panis scilicet & vinum, ex quibus integrum Eucharistiæ Sacramentum conficitur; non tamen plura Sacramenta, sed unum tantum esse, Ecclesiæ auctoritate docti confitemur.... nam cum cujus Sacramenti gratia unum Corpus mysticum efficiatur, ut Sacramentum ipsum rei quam efficit conveniat, unum esse oportet: atque unum quidem, non quia individuum sit, sed quia unius rei significationem habet. Nam quemadmodum cibus & potio, quæ duæ diversæ res sunt, ad unam tantum rem adhibentur, ut scilicet vires corporis reficiantur; ita etiam duas illis diversas Sacramenti species respondere consentaneum fuit, quæ cibum spiritualem significarent, quo mentes sustinentur & recreantur. Quare a Domino Salvatore dictum est: caro mea vere est cibus, & Sanguis meus vere est potus.*

Inst.

Inst. 3. Ecclesia Eucharistiam non singulari numero Sacramentum, sed in plurali Sacramenta aliquoties appellat, sic in collecta pro vivis & pro defunctis: *purificent nos Domine*, inquit, *Sacramenta quæ sumpsimus* &c. Ergo Eucharistia multa Sacramenta includit.

℟. Cum S. Thoma concesso ant. n. conseq. Non enim ideo plurali nomine Ecclesia utitur, quod multiplex revera hic Sacramentum esse credat, sed propter symbolorum sub quibus Corpus & Sanguis Christi continentur, diversitatem; quæque divisim sumpta veram habent rationem Sacramenti, etsi plenam ejus significationem non habent: hinc in eadem collecta modo Sacramenti, modo Sacramentorum vox adhibentur: *dicendum*, inquit S. Doctor, (3 *p. q.* 73, *ar.* 2, *ad* 1) *quod in eadem collecta*, *& pluraliter dicitur* 1 *purificent nos Sacramenta quæ sumpsimus*: *& postea singulariter subditur*: *hoc tuum Sacramentum non sit nobis reatus ad pœnam &c. ad ostendendum quod hoc Sacramentum quodammodo est multa*, *simpliciter autem unum*.

Inst. 4. Qui sub una tantum specie communicat, non mutilum sed integrum recipit Sacramentum, ut definiunt Trid. Patres his verbis: *si quis* (*ses.* 13 *can.* 3) *negaverit*, *in venerabili Sacramento Eucharistiæ*, *sub unaquaque specie*, *& sub singulis cujusque speciei partibus*, *separatione facta*, *totum Christum contineri*: *anathema sit*. Ergo communicans sub utraque specie, non unum sed duplex percipit Sacramentum.

℟. 1. Dato ant. n. conseq. Sive enim sub una, sive sub utraque conjunctim specie communicetur, totus Christus recipitur. Ergo nihil magis ab uno quam ab altero obtinetur: *fracto demum Sacramento*, ait S. Thomas, (*in cantico*, Lauda Sion &c.) *ne vacilles*, *sed memento*, *tantum esse sub fragmento*, *quantum toto tegitur*.

℟. 2. Dist. ant. Qui sub una specie communicat, integrum recipit Sacramentum, *integritate rei contentæ*, conc. *integritate significationis & Sacramenti*, n. ant. & conseq.

E. R. In Eucharistia duo debent attendi: res significata, & significatio ipsa: res significata est Christus quem vere & realiter continet; significatio est in spirituali convivio, de quo dictum ab ipso Christo: *caro mea vere est cibus*, *& Sanguis meus vere est potus*. Quemadmodum itaque corporaliter homo cibo & potu nutritur; ita oportet divinum convivium, ut significationem integram habeat, panis & vini specie adunata compleri. Jam planum & ex fidei principiis notum est, eum qui unam tantum speciem sumit, integrum recipere Sacramentum, integritate rei contentæ, quia sub qualibet specie totus est Christus: sed non integrum recipit integritate signi sive significationis, quia sacras species una adæquate non repræsentat.

§. QUARTUS.

Quantum Eucharistia præcellat cæteris Sacramentis.

Q. 1. Utrum Sacramentum Eucharistiæ sit excellentius cæteris?

℟. Sine dubio esse: Non enim aliquam gratiæ portionem, ut cætera, sed Christum ipsum Deum hominem, plenum gratiæ & veritatis, totiusque gratiæ fontem, vere & realiter continet. Qua in re tantum superat alia Sacramenta, quantum sol radio suo, aut fons rivulo antecellit.

Est & altera Eucharistiæ dignitas singularis, quod cum alia Sacramenta in usu solo consistant, tuncque solum sint, quando fiunt, & esse desinant ubi desinunt fieri; habeat ipsa e contrario esse permanens, nec ab usu pendeat, ut vere Sacramentum dicatur & sit: *commune hoc quidem est*, ajunt Patres Trid. (*Ses.* 13, *c.* 3) *Sanctissimæ Eucharistiæ cum cæteris Sacramentis*, *symbolum esse rei sacræ*, *& invisibilis gratiæ formam visibilem*: *verum illud in ea excellens & singulare reperitur*, *quod reliqua Sacramenta tunc primum sanctificandi vim habent*, *cum quis illis utitur*: *at in Eucharistia ipse sanctitatis auctor ante usum est*. *Nondum enim Eucharistiam de manu Domini Apostoli susceperant*, *cum vere tamen ipse affirmaret*, *corpus suum esse quod præbebat*: *& semper hæc fides in Ecclesia Dei fuit*, *statim post consecrationem*, *verum Domini nostri Corpus*, *verumque ejus Sanguinem sub panis & vini specie*, *una cum ipsius anima & divinitate existere*; *sed Corpus quidem sub specie panis*, *& Sanguinem sub vini specie*, *ex vi verborum*: *ipsum autem Corpus sub specie vini*, *& Sanguinem sub specie panis*, *animamque sub utraque*, *vi naturalis illius connexionis & concomitantiæ*, *qua partes Christi Domini*, *qui jam ex mortuis resurrexit non amplius moriturus*, *inter se copulantur*: *divinitatem porro propter admirabilem illam ejus cum corpore & anima hypostaticam unionem*: *quapropter verissimum est*, *tantum sub alterutra specie*, *atque sub utraque contineri*: *totus enim & integer Christus sub panis specie*, *& sub quavis ipsius speciei parte*: *totus item sub vini specie*, *& sub ejus partibus existit*.

Q. 2. Utrum Eucharistia habeat vim aliquam significandi sibi propriam?

℟. Af-

meni dudum in hac parte adhæserunt, usurpant. Quæritur utri agant conveuientius?

¶ Verum huic quæstioni præmittere lubet brevem aliquam notitiam de initio & progressus dissidii quod hoc ex capite jam a pluribus Sæculis exarsit latinam inter, & græcam Ecclesiam.

Michael Cerularius an. 1043, Constantino Monomacho imperante, Patriarcha Constantinopolitanus inauguratus, virus decem annorum spatio adversus latinam Ecclesiam occultatum tandem evomuit, data suo, & Leonis Arridani Archiepiscopi nomine Ep. ad Joannem Trannensem in Apulia Episcopum an. 1053, in qua Romanam, ac latinam omnem dicteriis & calumniis proscindebat Ecclesiam, ritumque in azimo consecrandi ipsi maxime exprobrabat. Hæc Cerularii, & Archiepiscopi Arridani Epistola Umberto Sylvæ Candidæ exhibita, ab eodemque latinitate donata Leoni IX Pontifici Max. delata fuit, qui Schismaticam eorum vanitatem, & insultus prolixa, erudita, ac vehementi Epistola redarguit, quæ prima est inter ejusdem Epistolas in collectione Conciliorum.

His Michael receptis Epistolis, sive jussu Imperatoris, sive etiam minis civium erga Romanam Ecclesiam propensiorum adactus, conciliatrices pacis litteras ad eumdem Pontificem rescripsit. Unitatem & concordiam, cujus se valde cupidum finxerat vaferrimus homo, ut instauraret, firmaretque Leo IX Legatos Constantinopolim misit mense Januario insequentis anni 1054 laudatum Umbertum, Fridericum Archidiaconum, & Cancellarium, ac Petrum Amalphitanum Episcopum cum litteris ad Patriarcham, & Imperatorem, quæ sunt 6 & 7 in Conciliorum collectionibus.

Constantinopolim cum pervenissent Legati, primam habuere concertationem cum Niceta Monacho, qui *Pectoratus* dictus est. Librum is conscripserat de Azimo, de Sabbatis, de Nuptiis Sacerdotum adversus Romanam, latinamque Ecclesiam, quem Umbertus erudito scripto confutavit a Baronio in Appendice T. XI Annal. evulgato sub hoc titulo: *incipit responsio, sive contradictio a Fratre Umberto Episcopo Sylvæ Candidæ conscripta Constantinopoli adversus Nicetam cognomento Pectoratum*. Fridericus quoque Legatorum alter, ut refert Vibertus in vita Leonis IX, l. 2, c. 9, vehementer respondit quibusdam objectionibus ab eodem Niceta editis. Fidei tandem ac veritati magno in lumine a Legatis positæ cessit Nicetas, librumque suum igni tradidit coram ipsis, Imperatore approbante, omnesque execratus est, qui Romanæ Ecclesiæ primatum abnegarent, ejusque fidem redarguerent. At Michael Cærularius, cum errorem suum deponere nollet, ac Legatorum colloquia devitaret, quin & ab Ecclesiis ad sacra celebranda interdixisset, ab iisdem in Ecclesia S. Sophiæ coram Clero, & populo cum Symistis anathemate percussus fuit: cujus exemplar legi potest apud Baronium ad an. 1054, Num. 23. Quibus peractis Legati in Italiam remearunt. Fusissimum opus, quod Constantinopoli conscripsit Umbertus adversus Calumnias Græcorum extat in citata Appendice apud Baronium sub hoc titulo: *incipit responsio Fratris Umberti S. Ecclesiæ Sylvæ Candidæ dictæ Episcopi &c.*

In-*stus in quolibet Sacramento instituit materiam usualem, relinquendo Ecclesiæ potestati, atque dispositioni, ut quænam esset usualis materia, designaret.*

Hujusmodi tamen opinationes nulla gaudere probabilitate dicendum est, atque pro comperto penitus habendum, solum triticeum panem idoneum esse ad Sacramentum Corporis Christi materiam. Id ex exemplo Christi colligitur, qui in sui corporis consecrationem procul dubio usus est pane triticeo, utpote pro solemnissimo Paschatis festo, sive esu paschalis agni præparato. Idem etiam confirmat praxis & usus perennis Ecclesiæ, quæ in sacro ministerio solum panem triticeum semper adhibuit: Unde in libello Ischirioni Diaconi Patribus Concilii Calcedonensis oblato refertur frumentum a piissimis Imperatoribus Ecclesiis Libiæ (qua in Provincia ob soli ariditatem triticum haud nascitur) præstitum fuisse, in primis quidem ut incruenta ex ipso hostia offeratur. Et Concilium Florentinum in Decreto unionis Græcorum definivit tum in azimo triticeo *pane corpus Christi revera consecrari: ubi de triticeo solum pane mentio facta est, quemadmodum & in Decreto pro Armenis eumdem duntaxat veluti Eucharistiæ materiam Eugenius IV assignavit.*

Hinc præterea asserendum est Ecclesiæ haud inesse facultatem declarandi alium panem quam ex tritico confectum esse idoneam Eucharistiæ materiam. Quoniam non in pane quocumque usuali, sed in pane determinate triticeo Christus Eucharistiam consecravit. Et sane quamquam pluribus in locis ac provinciis terrarum orbis triticum minime nascatur, atque aliud sit in illis panis usualis; non ideo tamen Ecclesia unquam aut uspiam disposuit panem illum usualem aptam esse ad Christi corpus consecrandam materiam: quod evidens indicium esse Ecclesiam agnoscere prædictam sibi haudquaquam convenire facultatem, nemo jure negaverit.

Interim Michael Cerularius in Legatos in Italiam revertentes excommunicationem tulit, ac Pontificis Romani nomen a Sacris Dipticis delere ausus est. Virulentas etiam litteras dedit ad Petrum Antiochenum, aliosque Orientis Patriarchas, quibus a communione Romanæ Ecclesiæ eos divellere conabatur. Suo demum in errore obfirmatus obiit an. 1068, ut placet Baronio, vel insequenti, ut probat Paggius, in exilio, quo relegatus fuit ab Isaco Comneno.

Quamquam vero Michaelis Schisma in universam Orientalem Ecclesiam propagatum non fuerit, non defuere succedentibus temporibus Schismatici, qui dissidium, etiam quoad azimorum caput attinet, cum Romana Ecclesia foverent. Id colligi plane potest vel ex eo tractatu, quem S. Dominici Sodales Constantinopoli ediderunt adversus errores Græcorum, eumdemque primus Typis vulgavit Petrus Stevartius Ingolstadii an. 1616, ac postmodum in Bibliotecam Patrum intulere Colonienses sub hoc titulo: *Tractatus contra errores Græcorum editus Constantinopoli in ædibus Fratrum Prædicatorum*. Sæculo eodem 13 in formula fidei a Clemente IV ad Michaelem Paleologum missa, inter alios articulos, quos Græci suscipere deberent, hic etiam legitur: *Sacramentum Eucharistiæ ex azimo conficit eadem Romana Ecclesia tenens, ac docens, quod in ipso Sacramento panis vere transubstantiatur in corpus Domini*. In actis præterea Concilii Lugdunensis Œcumenici a Gregorio X celebrati legitur Ep. Michaelis Paleologi ad eumdem Pontificem data an. 1274, quo idem Concilium inchoatum est, in qua se credere profitetur, quidquid Romana tenet, & credit Ecclesia, ac insertæ fidei formulæ supra descriptam propositionem, aliasque complectenti subscribit.

Tandem Sæculo 15 in Concilio Florentino, anno 1439 celebrato, de hoc etiam inter alia argumento disputatum est, ac denique utriusque Ecclesiæ latinæ, & græce inita unione constitutum in definitione Œcumenicæ Synodi, *in azimo, sive fermentato pane triticeo Corpus Christi veraciter confici*. Concordiæ tamen Græci nequaquam stetere, atque hoc etiam ex capite dissidium subinde instaurarunt. Unde Jeremias Patriarcha Constantinop. in censura adversus Augustanam Confessionem C. 10 asserit, *Christum panem fermentatum consecravisse, nec posse in azimo hoc Sacramentum confici, quod azimus non sit verus panis &c.* His positis, ad dubii explicationem accedamus, ac sit: ¶

§. PRIMUS.

Ostenditur, nihil interesse ad Sacramenti substantiam, sive in azimo, sive in fermentato Eucharistia consecretur.

Ita declaratum a Patribus Concilii Florentini: *definimus*, inquiunt, (*in litteris sanct. Unionis*) *in azimo, sive fermentato pane triticeo Corpus Christi veraciter confici*. De hac ipsa re longe ante cum magno rationum & auctoritatum pondere scripserat *Leo IX*, 11 sæculo Pontifex Max. in Ep. adversus *Michaelem Cerularium* Patriarcham Constantinop.

PROBATIO I. PARTIS.

ARGUMENTUM PRIMUM.

Ab exemplo Christi.

Primum ab exemplo Christo sic instruitur argumentum; ex historia Evangelica certum est, Christum eo tempore Eucharistiam instituisse, quo nullus apud Judæos erat usus panis fermentati, sed soli azimi ex præscripto legis comedebantur: *septem diebus*, dixerat Moyses, (*Exod.* 12, 15), *azima comedetis: in die primo non erit fermentum in domibus vestris: quicumque comederit fermentatum, peribit anima illa de Israel, a primo die usque ad diem 7 . . .* & alibi: (*Levit.* 23, 5, *& seq.*) *mense primo, 14 die mensis ad vesperum, phase Domini est: & 15 die mensis hujus, solemnitas azimorum Domini est. Septem diebus azima comedetis*.

Constat igitur, tota solemnitate paschali, usum panis fermentati Judæis lege solemni fuisse prohibitum; atqui non minus ex Evangelio certum est, hoc ipso tempore esse Eucharistiam institutam: *prima die azimorum*, ait S. Matthæus, (*c.* 26, *v.* 17 *& seqq.*) *accesserunt Discipuli ad Jesum, dicentes: ubi vis paremus tibi comedere Pascha? at Jesus dixit: ite in civitatem ad quemdam, & dicite ei: magister dicit, tempus meum prope est, apud te facio Pascha cum Discipulis meis: & fecerunt Discipuli, sicut constituit illis Jesus, & paraverunt Pascha: vespere autem facto discumbebat cum duodecim . . . cœnantibus autem eis accepit Jesus panem, & benedixit, ac fregit, deditque Discipulis suis, & ait: accipite & comedite, hoc est corpus meum*. Similia leguntur Marci c. 14, v. 12 & seq. & Lucæ 22, v. 7 & seqq. Ergo Christus panem azimum in Eucharistiæ institutione adhibuit: at-

que

que adeo in eodem pane valide ac legitime consecratur.

¶. Hoc argumentum eleganter prosequitur Leo IX Pontifex Max. in posteriore Ep. supra laudata ad Michaelem Cærularium, inquiens: „ Qui non venerat solvere legem, sed „ adimplere, juxta ipsius legis præscriptum „ ex azimis, & vino vetus Pascha adimple- „ vit: & protinus ex azimis & vino novum „ (sicut aperte Lucas narrat) discipulis tra- „ didit. Neque enim solis 8 diebus illis fer- „ mentatum apparebat in omnibus finibus Is- „ rael, & apud quemcumque inveniebatur, „ peribat anima ejus de populo suo. Quod si „ in cœna Domini Jesu apparuisset, aut ipsi, „ aut discipuli ejus quoquo modo gustassent, „ juste, sicut prævaricatores, perirent; nec „ ipse Dominus suis insidiatoribus, *quis ex* „ *vobis arguet me de peccato*? dicere potuis- „ set: nec esset opus falsos testes ad perden- „ dum eum quærere, cum hoc solo perdere- „ tur juste."

Evasiones Græcorum præcluduntur.

Græci nonnulli, ut hocce argumentum e Christi exemplo deductum eludant, confingunt Christum ipsum eo, quo passus est, anno legale Pascha minime peregisse, atque inde colligi non posse, Eucharistiam, quam instituit, in azimo pane celebrasse. Nituntur hi auctoritate fragmenti cujusdam S. Petri Alex. nomine inscripti, & a Casaubono exhibiti in exercit. 16 ad Annales Baronii. In eamdem rem testes advocant Hippolitum Portuensem, Apollinarem Episcopum Hyerapolitanum, Clementem Alexandrinum apud Authorem Chronici paschalis, & Joannem Philoponum, qui sub Imperatore Phoca circa an. æræ Christianæ 604 florebat.

Verum hæc evasio clarissimis Scripturarum textibus omnibus omnino adversatur, adeo ut mirum plane sit in quorumdam mentem incidere potuisse, satisque est ad ipsius futilitatem statim dignoscendam oculos in Evangelicam historiam vel cursim conjicere. Adversatur etiam auctoritati SS. Patrum, Origenis tract. 35 in Joan. Epiphanii hær. 30 quæ est Ebionitarum, D. Joan. Chrysostomi hom. 81 in Matth. aliorumque tum Græcæ tum latinæ Ecclesiæ: quos spectans Photius in recensione Codicis 116 cujusdam Anonimi eamdem tenentis sententiam ait: *quod consideratione sane dignum: cum Chrysostomus, & Ecclesia tunc Christum doceant legitimum Pascha perfecisse, antequam mysticam institueret cœnam.* Quare aliquorum, si qui sunt, qui contra senserint, opinio flocci facienda est.

Viam aliam ad argumentum eludendum consectantur Græcorum quamplures. Contendunt nimirum Christum Dominum una die legale Pascha antevertisse, illudque in secundis vesperis diei 13 celebrasse, in qua nondum cœperat azimorum usus.

Verum hanc quoque opinationem profligant trium Evangelistarum diserta testimonia. Matthæus siquidem ait, *prima die azimorum* discipulos ad parandum Pascha missos esse, eademque die ad vesperas Christum discubuisse, ut paratum Pascha comederet. Marcus itidem refert Discipulos Pascha paravisse, Christumque cum eis illud comedisse *primo die azimorum*, quando Pascha alii Judæorum immolabant. Lucas denique idem testatur inquiens: *venit autem dies azimorum, in qua necesse erat occidi Pascha, & misit Petrum, & Joannem &c.* Atqui prima azimorum dies non nisi a secundis vesperis incipiebat lunæ quartædecimæ, a quibus alioqui festa sua auspicabantur Judæi. Eædem præterea vesperæ illæ fuerunt, quibus necesse erat occidi Pascha, & quando alii Pascha immolabant. Igitur Scripturarum fidei Græci adversantur, dum Christum una die Pascha antevertisse comminiscuntur.

Chrysostomum veluti sibi faventem Græci producunt: at immerito: neque enim docet ille Christum legitima die pascha non celebrasse; immo oppositum tradit; Judæos nempe eo anno pascha distulisse contra legis præscriptum, adeoque hoc sensu, qui Græcis neutiquam favet, Christum una die prævenisse. En illius verba in comment. illius textus S. Joannis, *non tamen ingrediuntur Prætorium, ne contaminarentur, sed ut manducarent pascha: atqui Jesus jam id fecerat una die azimorum. Sive ergo pascha totam appellet solemnitatem, sive quod tunc faciebant, Christus autem pridie cædem suam in Parascevem reservans, quando antiquitus celebratum erat,* sive ea die, qua juxta præscriptum legis fuerat celebrandum. Quare juxta S. Chrysostomum Christus non antevertit Paschæ celebrationem, sed eam tantum eo anno postposuere Judæi. Verum hæc modo attigisse sufficiat; Fusius namque de hac materia infra disseretur. ¶

ARGUMENTUM SECUNDUM

Ex antiquissimo Latinæ Ecclesiæ more.

Secundum ex antiqua Latinæ Ecclesiæ consuetudine petitur: vel enim dicendum, a pluribus retro sæculis Latinos verum non habere Eucharistiæ Sacramentum, adeoque nec legi-

tinum sacrificium offerre; vel fatendum, valide in azimo Eucharistiam consecrari; sed qui primum diceret, impietatis & erroris convinceretur, quippe qui tum Idololatriæ præcipuam Ecclesiæ partem accusaret, tum verbo Dei se contumeliosum præberet, quo Ecclesiæ suæ indefectibilitatem promisit. Ergo necessario confitendum, in azimo rite ac legitime Eucharistiam consecrari.

ARGUMENTUM TERTIUM.

Ex ipsa Græcorum & Orientalium confessione.

3. Nec minus est valida, ab ipsa Græcorum & orientalium confessione petita probatio: non enim contemni debet testimonium ab Adversariis acceptum. Constat porro inveteratum Græcorum contra Latinos odium esse: quamquam vero 11 sæculo *Michael Cerularius*, & alii schismatis auctores, usum azimorum, velut errorem gravissimum, Latinæ Ecclesiæ exprobraverint; eaque de causa, apud nos nec Sacramentum Eucharisticum, nec Sacrificium remansisse, livore malo effutierint; non omnium tamen Græcorum prava hæc existimatio fuit: multi namque in contrarium, vereque propugnarunt, ad legitimam hujus Sacramenti consecrationem indifferens esse, sive in azimo, sive in fermentato agatur. Nam

1. Ante XI sæculum nulla Orientales inter & occidentales de azimo controversia fuit, ut constat tum ex testimonio *Leonis Papæ* IX, qui *Michaelem Cerularium*, post mille & viginti a Christi passione annos, novum, propter azima, Latinorum Calumniatorem affirmat, tum esse ex silentio *Photii*, 9 sæculo Pseudo-Patriarchæ Constantin. Cum enim Latinæ Ecclesiæ inimicissimus esset, contra quam schisma nefarium excitaverat, ritusque omnes, in quibus Latini a Græcis discrepabant mordaciter carperet homo fervidus & quietis impatientissimus, de azimis profecto non siluisset si putasset materiam Eucharistiæ esse non posse. Ideo vero lapidem illum non movit, quia persuasum ei erat, azimorum offerendorum ritum ab ipso Christi Eucharistiam instituentis exemplo profectum. Nam in *Bibliotheca* (*Codice* 116) ex Ecclesiæ Græcæ traditione docet, Christum Pascha Mosaicum celebrasse, antequam mysticam Eucharistiæ cœnam institueret: unde consequens est, quod ad ejus consecrationem, panem azimum adhibuerit.

2. Secutis ab XI sæculo temporibus, legitime in azimo Eucharistiam fieri, Græci solemniter sunt professi. Nam in *Concilio Florentino*, ex Oriente & Occidente congregato, (*anno* 1439) communi partium consensu est definitum, *in azimo sive fermentato pane triticeo, Corpus Christi veraciter confici; Sacerdotesque in alterutro ipsum Domini Corpus conficere debere*: unumquemque scilicet juxta Ecclesiæ suæ morem. Idemque scriptis publicatis Græci plurimi docuerunt; sic inter cæteros *Barlaamus*, natione Græcus, *Hieracensis* in Calabria Episcopus, in Epist. ad Græcos, *quoniam*, inquit, *Apostoli divina nobis tradentes mysteria, non distinxerunt sive fermentatum sive azimum; sed Orientalis Ecclesia continuo usurpavit fermentatum, Occidentalis vero azimum, eo quod gerit imaginem puritatis, sinceritatis, & veritatis; utraque ego similiter adoro & colo: Latinos vero in tantum prudentiores æstimo, quod illi quidem minime hostiam de fermentato vituperant, sed similiter venerantur: Græcorum vero multi non timent in Sancta blasphemare.*

Ex his & similibus testimoniis sic concluditur argumentum.

Hæc est conveniens materia Eucharistiæ, quam approbant ii ipsi qui tenent morem contrarium; atqui Græci in pane fermentato Eucharistiam consecrantes, Latinæ Ecclesiæ morem contrarium solemniter in Florentino Concilio approbarunt, eademque tum præcedentibus tum secutis temporibus multorum inter illos doctrina fuit: quodque notandum magis, ante XI sæculum nemo repertus, qui Latinos ea de causa redarguere ausus fuerit; quam vero de hac re, an. 1053 Latinæ Ecclesiæ litem moverunt, *Michael Cerularius*, *Leo Acridanus*, (*Africa Bulgariæ Metropolit.*) & alii Græcorum Schismatici, bonis omnibus non Latinis tantum, sed & Orientalibus, contemptibilis visa est, magisque digna odio, quam defensione; *Petrus enim Antiochenus* tum temporis Patriarcha, in sua ad ipsummet *Cerularium* Ep. Latinos a crimine immunes facit, si nimirum Canonicum hoc effatum sectentur: *consentaneum est, ut omnes antiquis consuetudinibus suis utantur*; aliundeque probent antiquam se in consecrandis azimis traditionem sectari: quod sane non erat Latinis difficile. Ergo &c.

ARGUMENTUM QUARTUM.

Ex eo quod azima veri pani naturam habeant.

4. Denique ipsa ratio suggerit: ad consecrationem enim Corporis Christi id omne sufficit, quod veri panis triticei naturam habet; atqui panis triticeus, sive fermentatus sit, sive non, verus nihilominus panis est, cum

cum ad ejus naturam plene sufficiat, quod ex farina triticea, cum aquæ naturalis admixtione coquatur. Ergo &c.

PROBATIO II. PARTIS.

Partem alteram quæ est de pane fermentato a Græcis & Orientalibus consecrari consueto, non erit persuadere difficile. Nam

1. Nemo dubitat, verum esse & usualem panem, qui ex fermenti coagmentatione accrescit; cum hoc solo uti ad communem mensam homines consueverint.

2. Doctrina hæc unanimi Græcorum Latinorumque consensione in Florentino Concilio, consentanee Patribus antiquis probata est.

3. Materiam hanc ad Eucharistiæ consecrationem sufficere, absque hæsitatione dicendum, quam more antiquissimo Græci & Orientales, scientibus probantibusque Latinis usurpant: alioquin enim dicendum foret, Orientem inveterato errore teneri, in ejusdemque criminis partem venisse Occidentem, a quo Græcorum consuetudo probata est: adeoque universam, in materia maxime necessaria errasse Ecclesiam; atqui absurdum consequens, & Christi promissioni contrarium. Ergo &c.

4. Si qua ratione probari posset, omnibus in azimo consecrandi necessitatem impositam, maxime ab exemplo Christi Eucharistiam instituentis repeteretur; atque ad hoc adstruendum exemplum Christi nil facit: quod sane si erga omnes vim legis haberet, consequens foret, Eucharistiam semel in anno, & ad vesperam, & post cœnam debere celebrari: hæc enim & pleraque alia Christus observavit: atqui nemo sapiens hoc dixerit. Ergo &c.

Standum itaque judicio Ecclesiæ, quæ ritus a Christo in ultima cœna servatos, docente S. Sancto ita distinxit: ut alios quidem intellexerit esse necessarios, quales sunt, panem triticeum ad sacram mensam deferre, vinum adhibere, & utrumque elementum verbis Evangelicis consecrare: alios vero, quos Christus pro ratione loci, temporis, & personarum adhibuit, pro certa & constanti regula non habendos.

Hinc Latina Ecclesia Eucharistiam a Græcis in pane fermentato consecratam, summa semper reverentia coluit, nec minus sub fermentati, quam sub azimi speciebus Christum præsentem adoravit: quod exemplis plurimis probare in promptu est.

Primum petitur ex auctoritate *Leonis Papæ* IX in Epis. ad *Michaelem Cerularium*, *&* *Leonem Acridanum*, ita loquentis: *Ecce in hac parte Romana Ecclesia, quanto discretior & clementior vobis est? si quidem cum intra & extra Romam, plurima Græcorum reperiantur monasteria, sive Ecclesiæ; nullum eorum adhuc perturbatur vel prohibetur a paterna traditione sive consuetudine: quin potius suadetur & admonetur eam observare... scit enim Romana Ecclesia, quia nihil obsunt saluti credentium diversæ pro loco & tempore consuetudines, quando una fides per dilectionem operans bona quæ potest, uni Deo commendat omnes.*

Secundum ex *S. Anselmo*, sæculo XI desinente, & ineunte XII Archiepiscopo Cantuariensi: scripsit ille anno 1101, ad *Walteramum* Naumbergensem in Saxonia Episcopum Epistolam. de azimo, in qua præter cætera: *de sacrificio*, inquit, *in quo Græci nobiscum non sentiunt, multis rationabilibus Catholicis videtur, quia quod agunt, non est contra fidem Christianam. Nam & azimum & fermentatum panem sacrificans sacrificat: & cum legitur de Domino, quando corpus suum de pane fecit, quia accepit panem & benedixit, non additur, azimum vel fermentatum: certum tamen est, quia azimum benedixit; forsitan, non quia res quæ fiebat, hoc exigebat; sed quoniam cœna in qua hoc factum est, hoc exigebat.*

Tertium ex Concilio generali Lugdunensi II (*anno* 1274): Latinis namque præsentibus, Græci qui Synodo aderant more suo Liturgiam celebrantes, in templo S. Joannis fermentatum panem solemniter consecrarunt.

Quartum denique ex Concilio Florentino (*anno* 1439), in quo, ut prædiximus, definitum est, *in azimo, sive fermentato pane triticeo, Corpus Christi veraciter confici*. Ergo &c.

§. SECUNDUS.

Diluuntur objectiones Græcorum.

¶ Michaelis Cerularii, aliorumque Græcorum hæc erant contra Latinos argumenta, præter ea, quæ de institutione Eucharistiæ agentes proferemus. ¶ Materia Eucharistiæ debet esse verus panis; atqui veri panis naturam azima non habent. Ergo &c.

R. Concessa maj. nego min. Nam præter receptissimam hominum opinionem, quæ verum panem in azimis non secus ac in fermentatis agnoscit, ejusdem rei fidem faciunt innumera testimonia Scripturarum: *tolle vitulum de armento*, inquit, (*Exod.* 29, 2) .... *panesque azimos, & crustulam absque fermento* ... item: (*ib.* 25, 30) *pones super mensam* (tabernaculi), ait Deus, *panes propositionis in conspectu meo semper*. Constat vero panes propositionis

positionis non alios fuisse quam azimos. Item: (*Judic.* 6, 19 *& seq.*) *ingressus est Gedeon*, *& coxit . . . . azimos panes . . . . cui dixit Angelus Domini : tolle carnes & azimos panes*, &c. denique, ne labore inutili congeram universa, in Evangelio legitur, (*Luc.* 24, 35) quod duo Discipuli cum Christo in Castello Emmaus hospitantes, *cognoverint Dominum in fractione panis*; atqui panis ille azimus necessario fuit, cum diebus ipsis Paschalibus apparitio illa contingerit. Ergo falso Græci contendebant azimum veri panis naturam haudquaquam habere.

Instabant 1. Probando min. Panis ex primitiva vocis origine dicitur a verbo, *attollo*: unde Græce *αρτος*, hoc est *elevatus*, & *sursum portatus* nominatur; atqui non habet panis nisi a fermento, quod elevetur & intumescat. Ergo &c.

℟. Data maj. & min. n. conseq. Debilissimum hoc est argumenti genus; quod ex vocum Etimologia petitur; quia quemadmodum nomina, ita & eorum explicationes ab hominum arbitrio pendent: *illud quoque*, inquit Humbertus Cardinalis, (*in Dial. contra Cerularium*) *quod azimum negantes panem esse, per Etymologiam hujus nominis, quod est αρτος, conavimi nos vincere, sciatis omnino vanum & puerile: quia & a linguarum peritis diversæ Etymologiæ dantur ex uno nomine, secundum hominum placitum magis, quam secundum naturam rerum.*

Inst. 2. Atqui etiamsi azimus, verus panis aliquatenus dici posset; non esset tamen materia sufficiens ad Eucharistiam consecrandam. Ergo &c.

Prob. subs. Materiam inter Sacramenti & ejus effectum aliqua debet esse proportio, ut libro primo observatum est; atqui azimum inter & effectum Eucharistiæ nulla proportio reperitur. Nam

1. Azima insipida sunt; ergo non possunt effectum Eucharistiæ adumbrare, quæ & vitam dat, & saporem totius suavitatis in homine excitat.

2. Signa sunt luctus & doloris: ideo namque sunt instituta, ut Judæi memores essent calamitatum: quas tum in Ægypto, tum in deserto longa annorum serie passi fuerant: e contra Eucharistia, convivium scilicet Dei cum hominibus, ingentis lætitiæ Sacramentum est. Ergo &c.

℟. Nego subs. ad probat. concessa maj. n. min. Licet enim azimum inter & effectum Eucharistiæ non sit convenientia adæquata, quam inter res tantopere dissitas, quales sunt natura & gratia, materia & Spiritus, quærere insanum fuerit; aliqualem tamen esse, haud immerito affirmamus, quanta scilicet ad salvandam Sacramenti rationem sat est.

Ad probationes adjunctas responde sigillatim.

Ad 1 quidem concesso ant. n. conseq. Azima enim quantumvis insipida, corpus nihilo-secius nutriunt, reficiuntque. Ergo ea saltem causa effectum Eucharistiæ quadam accommodatione significant: *sicut panis iste azimus, vel fermentatus dat vitam transitoriam*, inquiebat S. Anselmus supra memoratus, (*in Epist. ad Walteranum*) *ita Corpus Christi* æternam.

Ad 2 n. ant. exclusive intellectum. Nam azima doloris simul & lætitiæ signa erant, doloris quidem, quia præteritarum calamitatum memoriam refricabant: lætitiæ vero, propter recreationem ab iisdem miseriis; utrumque pariter azima Christianorum significatur: dolorem, quia recolunt memoriam passionis Christi; lætitiam, quia mentem gratia implent, & futuræ gloriæ dant pignus certissimum.

Inst. 3. Non licet Christianis communicare cum Judæis, legales enim Cæremonias Evangelium reprobavit: atqui consecrare in azimis quid aliud est quam Judæis communicare, & ritus Mosaicos æmulari? Ergo &c.

℟. 1. Cum *Humberto Cardinali*, retorquendo argumentum. Nefas Christianis est, cum Judæis communionem aliquam affectare; atqui Judæi in quibusdam suis sacrificiis fermentato utebantur. Ergo ne hac quidem ratione debet Eucharistia consecrari: adeoque si quid valet hoc argumentum, Græcos non secus ac Latinos ferit: *itaque*, inquit ille, (*in Dial. cont. Cerularium*) *si azima quemadmodum adstruere conamini, per Christum & ejus Evangelium fuerunt maledicta, reprobata, & derelicta, & ideo deinceps non debent offerri in sacrificio Domini, quia per Moysen constituta sunt Judæis; sciatis per Moysen quoque fermentatum constitutum Judæis. Sic enim dicit in Libro Levitici*: (*c.* 7, *v.* 11, *&* 13) hæc est lex hostiæ pacificorum, quæ offertur Domino..... offerent panes fermentatos cum hostia gratiarum, quæ immolatur pro pacificis ..... *& ibidem*: (*c.* 23, 17) offeretis (*in Pentecoste*) sacrificium novum Domino . . . . panes primitiarum duos, de duabus decimis similæ fermentatæ, quos coquetis in primitias Domini: *quapropter si a nobis non debent offerri azima, quia Mosaica sunt; nec a vobis debent offerri fermentatum & sal, quia Mosaica sunt.*

℟. 2. Concessa maj. n. min. Nam si ut non judaizemus, debemus hoc omne respuere quod Judæi exterius faciebant: debemus profecto a cultu nostro altaria, & templa, & sacrificia, & sacerdotium ipsum, & pleraque alia quæ Ju-

Judæis in usu erant, sine exceptione rejicere. Quod cum dictu absurdissimum sit; neque Græcis est concedendum quod dicunt, azima penitus abjicienda, ne Judæis consentiamus. Non enim in ritibus Religiosis, quid fiat, sed quo fine fiat spectatur: *quod Græci aiunt nos judaizare*, ait S. Anselmus sæpe laudatus, (*in Ep. ad Walteranum*) *non est verum, quia non sacrificamus de azimo, ut legem veterem servemus, sed ut .... Dominum qui hoc non judaizando fecit, imitemur: cum enim facimus aliquid quod Judæi, ut judaismum servarent, faciebant, non judaizamus; quia non propter judaismum, sed propter aliam causam hoc agimus. Si enim in diebus Paschæ azimum panem aliquis comedat, sive quia non habet alium, sive quia illo magis delectatur, quam fermentato: aut si quis propter infirmitatem præputium circumcidere cogitur; .... nullus nisi insipiens hæc agentem Judaizare judicabit. Cum ergo nos panem azimum sacrificamus .... nequaquam in hoc legis vetustatem servamus, sed Evangelii veritatem celebramus.*

Inst. 4. Nón est ea conveniens Eucharistiæ materia, quam Ecclesia vetuit usurpari; atqui Ecclesia azimorum usum in Eucharistiæ consecratione prohibuit. Nam

1. *Ebion* in ipsis Evangelii primordiis Patrum sententia est damnatus, tum propter alios errores suos, tum speciatim quod diceret, ritus legis Mosaicæ debere cum Evangelii professione conjungi.

2. In Trullano Concilio Constantinopoli versus finem 7 sæculi (*anno* 692) celebrato Can. 11 vetitum, *ne Clerici aut Laici comedant azima Judæorum*. Ergo &c.

℟. Concessa maj. nego min. Argumenta in contrarium sic resolvo.

Ad 1 concesso ant. n. conseq. Factum namque Ebionis a præsenti controversia alienissimum est; ideo ille anathematis sententiam subiit, quod summa ignorantia diceret, nemini Evangelium sufficere ad salutem, sed debere mandata Christi cum Moysi lege conjungi. Ab hoc porro tam insano dogmate immensum Latina Ecclesia discrepat, quæ non ut obtemperet Moysi, sed ut Christi exemplum sequatur, in azimo Eucharistiam conficit.

Ad 2 Ex Trullano Canone duplex esto responsio.

1. Admissa auctoritate nego conseq. Non enim infermentatum panem ad Eucharistiam adhibendo, azima Judæorum comedimus, sed Christi imitamur exemplum, qui hoc ipso tempore quo novum condidit Pascha, ex pane azimo Corpus suum fecit: non implendæ Mosaicæ Legis necessitate, sed liberrima voluntate. Dicendum itaque hoc Canone eos dumtaxat damnari, qui cultu superstitioso dies azimorum cum Judæis observarant & pravum *Ebionis* dogma temerario excitarint.

2. Nego hunc Canonem illius roboris esse, & dico in eorum numero contineri, quos Ecclesia Romana numquam probavit: Nemo namque nescit *Trullanam* Synodum Œcumenici Concilii non habere auctoritatem, & plurimos ejus Canones merito rejectos. Sic enim e. c. Canon 13 communi Latinorum consensione est improbatus, quo lex Ecclesiastici cœlibatus concutitur, & Romanæ Ecclesiæ disciplina mordetur, usu conjugii sacros ministros interdicentis: idemque de Canone qui modo opponitur, est dicendum: *nos scientes*, inquit Humbertus Cardinalis, (*in resp. ad Nicetam Pectoratum*) *sextam Synodum ad destruendam hæresim Græcorum Monothelitarum, non autem ad tradendum Romanis novas institutiones congregatam; capitula quæ nobis sub ejus auctoritate opponitis, omnino refutamus, quia prima & Apostolica sedes nec aliquando ea accepit, nec observat; quia aut sunt nulla, aut ut vobis libuit depravata.*

§. TERTIUS.

Explicantur quædam magni momenti quæstiones.

Cum virum Theologum oporteat esse in exquirenda antiquitate curiosum, muneri nostro defuturi fuerimus, si cæteras ad panem Eucharisticum pertinentes, valdeque necessarias quæstiones intactas reliquerimus.

Q. 1. Utri agant convenientius, an Græci panem fermentatum, an Latini azimum consecrantes?

℟. 1. Si exempli Christi ratio habeatur, causam Latinorum sine dubio esse meliorem; quia vero Christus non ideo azimo usus est, ut ejusdem rei faciendæ legem præscriberet, sed quia tempus sic exigebat.

℟. 2. Græcos & Latinos habere suorum rituum causas congruentes. Illi enim utuntur fermento ut recedant a Judæis, quantum fieri potest, longissime; tum quia in admixtione tritici cum fermento ineffabile Incarnationis mysterium ex divinæ cum humana natura, in persona Verbi unione, consurgentes contemplantur ac repræsentant.

Latini e contra his rationibus innituntur.

1. Panis, post transubstantiationem, Corporis Christi est Sacramentum. Quemadmodum igitur Corpus Christi in purissimo Beatæ Virginis Utero, sine ulla corruptione conceptum est; ita decet panem qui ad Eucaristiæ consecra-

secrationem assumitur, corruptionis, adeoque fermenti esse expertem.

2. Panis azimus magis idoneus est ad significandam munditiem & animi puritatem, quæ ad tanti sacramenti sumptionem afferri debet. Nam azimum, innocentiæ, fermentum, nequitiæ typum esse Apostolo Paulo docente accepimus: *expurgate*, inquit, (1 *Cor.* 5, *v.* 7 *& seq.*) *vetus fermentum, ut sitis nova conspersio, sicut estis azimi: etenim Pascha nostrum immolatus est Christus*; *itaque epulemur, non in fermento veteri*, *neque in fermento malitiæ & nequitiæ*, *sed in azimis sinceritatis & veritatis*.

Q. 2. An liceat Græcis in azimo, & Latinis in fermentato indifferenter Eucharistiam consecrare?

℟. Negative. Nemini namque liberum ac integrum est, Ecclesiæ suæ mores ad arbitrium immutare, & leges invertere majorum auctoritate sancitas; atqui consuetudo Græcorum ac Latinorum usu tam diuturno roborata, vim legis habet. Hinc in Concilio Florentino postquam definitum est, *in azimo sive fermentato pane triticeo Corpus Christi veraciter confici*: statim adjectum: *Sacerdotes in alterutro ipsum Domini Corpus conficere debere*, *unumquemque scilicet juxta suæ Ecclesiæ sive Occidentalis*, *sive Orientalis consuetudinem*. Unde inferunt Canonistæ, Latinum graviter peccaturum, qui in sua Ecclesia pane fermentato uteretur; eumdemque si scienter & consulto hoc faceret, officio & beneficio privandum colligunt ex cap. *finali*: *extra*: *de celebratione Missarum*.

Q. 3. Utrum Græcorum consuetudo antiqua sit?

℟. Ab ipsis Evangelii primordiis videri repetendam. Nam

1. Nullum proferri potest historicum monumentum, unde certo ostendatur, Græcos fermentati usum more novo introduxisse.

2. Ex antiquissimis liturgiis notum est, Græcos panem integrum, turgidum, magnæque molis ad sacrificium attulisse, unde particulas consecrandas incidebant cultello quem *Lanceam* appellabant, propterea quod figuram ejus haberet, quæ Latus Domini e cruce pendentis transfixit: eumdemque morem retinent Græci hodierni, ut apud *Goarium* videre est (*pag.* 116, *n.* 30 *& seq.*)

3. *Origenes* celeberrimus Græcorum 3 sæculi scriptor, *commentario in Matth.* disserens de fermento Pharisæorum: *an non & aliquando*, inquit, *fermentum offertur super altare*? quod cum in verbo præsenti dicat, merito creditur sui temporis consuetudinem, in pane fermentato consecrandi significare.

4. *Joannes Philoponus* 6 seculi Græcus scriptor, in disputatione de Paschate: *Christus*, inquit, *azimum proprii sui Corporis antitypum Discipulis suis non dedit*: *alioquin enim hoc etiamnum fieret*. Hinc sic argumentum infertur: probare inde contendit *Philoponus*, Christum quando instituit Eucharistiam, azimo usum non fuisse, quia, inquit, si tale dedisset exemplum, morem hunc Ecclesia retineret. Ergo morem in azimo consecrandi, 6 sæculo Græci, teste *Philopono*, non habebant. Quamquam enim falsum sit quod dicit, Christum pane azimo usum non fuisse: at in eo tamen est audiendus, quod spectat ad sui temporis ritum, & mores in Oriente receptos.

5. Non leve hujus rei ab ipsa Græcorum indole ducitur argumentum. Licet enim innumeros contra fidem errores mala quadam proclivitate commenti sint, ut heu nimium! constat ex historia hæresum, quas infausta gens protulit: ea tamen fuit semper eorum laus singularis, quod ritus antiquos & acceptam a majoribus disciplinam constantia summa servaverint, adeo ut in tanta sectarum, quibus ab invicem distrahuntur, diversitatem, ritus pene eosdem ubique custodiant. Cum ergo probari certo non possit, quo primum tempore fermentati panis usum invexerint, haud immerito creduntur ab initio habuisse.

Q. 4. Utrum omnes societates Orientalium, quæ Christiano nomine gloriantur, fermentatum panem adhibeant?

℟. Negative. Nam

1. Certum est, ut in ipso capitis limine præmonuimus, *Armenos* sive *Jacobitas*, multis ab hinc sæculis in azimo consecrare: ita enim *Demetrius Cizicenus*, in tractatu de Jacobitarum hæresi: *Nicephorus* l. 8 histor. c. 53, & alii plerique testantur.

2. Idem de *Maronitis* affirmat, multisque probat argumentis *Joannes Morinus*, præfatione in *Maronitarum* ordinationes.

Q. 5. Quæ his causa tantæ singularitatis fuerit.

℟. Mutandi antiqui ritus causam illis fuisse, non exemplum Christi, non Romanæ Ecclesiæ disciplinam, quam imitari non gestiebant, sed hæresim. *Armeni* namque corpus Dominicum etiam ante ipsius resurrectionem incorruptibile fuisse effutiebant. Quem errorem ut in sacris etiam mysteriis significarent, fermentum ab Eucharistico pane elliminaverant: idemque, ipsique, forte *Maronitæ*, (quod enim certo nescimus, asseverare non audemus,) cum *Eutychianam* Doctrinam amplexi essent, in azimo consecrandam Eucharistiam judicaverunt, ut naturæ in Christo unitatem, quam pertinaciter defendebant, in ipsa sacrificii materia osten-

ostentarent: adeo proclive est, res optimas & sapientissime constitutas in usum malum convertere.

Q. 6. Utrum Latini azimis semper usi fuerint?

℞. 1. Usum azimorum apud Latinos antiquum esse, vetus enim merito consuetudo censetur, cujus initium nullo Canone, nullo præsidentium decreto, nulla denique certa auctoritate præscribi potest; quia antiquum merito creditur, quod non probatur de novo statutum; atqui quo primum tempore fuerint in Latinam Ecclesiam azimi panes invecti, probari certa auctoritate non potest. Ergo &c.

Deinde Latini Patres communiter tradunt, in consecratione Eucharistiæ insistendum exemplo Christi. Si quid vero in sacris ritibus ab exemplo Christi animadvertunt esse diversum, quæ fuerit causa mutationis explicant accurate: sic e. c. cur a jejunis Eucharistia percipiatur, quam post cœnam Apostoli receperunt, rationem affert S. Aug. (*Ep. ad Janu ir.* 118, *vel* 54) *ut*, inquit, *in honorem tanti mysterii, in os Christiani prius Dominicum Corpus intret, quam cæteri cibi*; atqui de panibus azimis nec minimam moveat quæstionem. Ergo &c.

Accedit majorum auctoritas, quos, si esset necessarium, longo possemus ordine recensere.

1. Occurrit *Alcuinus*, desinentis 8 sæculi, & 9 ineuntis Scriptor. Natus ille in majore Britannia, diu in Gallia *Carolo Magno* imperante versatus est, & præter cæteras laudes hanc habuit singularem, quod Romanæ consuetudinis vindex ubique & assertor acerrimus fuerit; ad propositum vero nostrum: *tria sunt*, inquit, (*Ep. 69 ad Lugdunenses*) *quæ in sacrificio offerenda sunt, panis, aqua, & vinum. Panis qui in Christi Corpus consecratur, absque fermento..... debet esse mundissimus.*

Suffragatur eodem sæculo *Rhabanus Maurus*, Alcuini Discipulus, & Archiepiscopus Moguntinus: scripsit ille *de institutione Clericorum*, sive, *de Ecclesiasticis officiis libros tres*. In ipsa præfatione operis spondet, dicturum se de officio Missæ secundum Romanæ Ecclesiæ morem: mox vero l. 1, c. 31, postquam docuit, in Sacramento altaris non aliud offerendum, nisi quod Dominus suo exemplo præscripsit, sic concludit: *ergo panem infermentatum, & vinum aqua mixtum, in sacramentum Corporis & Sanguinis Christi sanctificari oportet*: & c. 33: *istum ergo ordinem*, inquit, *ab Apostolis & Apostolicis viris traditum Romana tenet Ecclesia, & per totum pene Occidentem omnes Ecclesiæ eamdem traditionem servant.*

Idem eodem sæculo docuerunt, *Amalarius Fortunatus*, l. 3 de Ecclesiast. officiis, c. 24, *Paschasius Ratbertus, Abbas Corbejensis* lib. de Corpore & Sanguine Domini, c. 20, *Ildephonsus*, in Hispania Episcopus, in opusculo de pondere & inscriptione panis Eucharistici, divina (ut fert titulus) inspiratione conscripto, ubi conceptis terminis affirmat, *panem Eucharisticum infermentatum, & intra ferrum coctum esse debere.*

Nec prætermittendum XI sæculo *Leonis* Papæ IX gravissimum testimonium: *illud autem*, inquit, (*in Epist. ad Michaelem Cerularium*) *quis non stupeat, quod post tot Sanctos & orthodoxos Patres, post mille & viginti a Passione Salvatoris annos, novus calumniator Ecclesiæ Latinorum emersit; anathematizans omnes & publicam persecutionem excitans in eos quicumque participarent ex azimis?* constat itaque usum azimorum in Latina Ecclesia esse antiquum.

℞. 2. Demonstrari certo non posse, morem hunc statim ab initio Ecclesiæ ubique in Occidente receptum.

1. Enim, *Cardinalis Jo: Bona*, (*Rerum Liturgic. l. 1 in Ep. ad Joann. Mabillon.*) & quorumdam aliorum non levis est conjectura, putantium Apostolos, aliosque primorum temporum Sacerdotes indifferenter usos fuisse sive fermentato, qui communior & ubique obvius erat, sive azimo, qui parari data opportunitate facile poterat. Sæviente enim persecutione, quando in carceribus, in privatis domibus, & in speluncis furtim ac clanculum sacrificium offerebant, eo pane oportebat uti qui occurrebat: hæcque forte origo fuit, rituum dissimilium Orientis & Occidentis, quibus dare locum Apostoli potuerunt, modo azimum, modo fermentatum, prout ferebat occasio offerentes.

2. Hoc ipsum magna probabilitate colligitur ex consuetudine veteri, qua liberum unicuique erat, panem consecratum & a ministris ad manum acceptum, aut in templis manducare, aut in privatas domos deferre, certis diebus, maxime vero persecutionis tempore consumendum: hujus enim moris meminerunt præter cæteros, *Tertullianus* l. 2 ad uxorem, c. 5, ubi, *non sciet maritus*, inquit, *quid secreto ante omnem cibum gustes? & si sciverit panem, non illum credit esse qui dicitur*. Et *S. Cyprianus* in libro de lapsis, ubi de quadam fœmina narrat, *quod cum arcam suam, in qua Domini Sanctum erat, manibus indignis tentasset aperire, igne inde surgente deterrita est,*

est, *ne auderet attingere*: hinc sic argumentor: fideles Eucharistiam in domos deferentes, quanta poterant cautione thesaurum divinum celabant, ne scilicet Ludibrio infidelium quibuscum in eadem sæpe familia morabantur, exponerent; atqui si in azimo pane fuisset Eucharistia consecrata, piam fraudem detegere infideles facile potuissent, cum non panes azimos, sed fermentatos in usu communi haberent. Ergo &c.

3. Ex historia Ecclesiastica certum est, prioribus & proxime secutis temporibus Eucharistiam ex oblationibus fidelium consecratam: ita testatur S. *Cyprianus*, *in lib. de opere & eleemos.* ubi divitis cujusdam matronæ avaritiam sic redarguit: *locuples & dives es*, & *Dominicum celebrare te credis, quæ in Dominicum sine sacrificio venis, quæ partem de sacrificio quod pauper obtulit sumis?* idemque affirmat S. *Aug.* sive quisquis auctor est sermonis 215 S. Doctori adscripti: *oblationes*, inquit, *quæ in altario consecrentur, offerte: erubescere debet homo idoneus, si de aliena oblatione communicaverit*. Jam sic prosequor argumentum: atqui panes quos fideles ad sacrificium offerebant, fermentati erant, non azimi. Hæ namque oblationes in tres partes dividebantur, quarum prima ad usum sacrificii, secunda in pauperum, tertia in ministrorum altaris alimoniam conferebatur, ut ex historia notum est. Erant ergo fermentati: azimorum enim, saltem quantum ad mensam communem, usus nunquam obtinuit.

4. Denique hujus rei petitur argumentum ex veterum quorumdam Pontificum decretis. Sic de *Melchiade* legitur in ejus vita: *hic fecit ut oblationes ab Episcopo consecratæ per Ecclesias dirigerentur: quod declaratur fermentum*..... idem de *Siricio* narrat *Damasus* Sum. Pontifex: nec minor expressa est *Innocentii primi* sententia in Ep. ad *Decentium* Episcopum: *de fermento vero*, inquit, *quod die Dominica per titulos mittimus*, *superflue nos consulere voluisti*, *cum omnes Ecclesiæ nostræ intra civitatem sint constitutæ*, *quarum Presbyteri quia die ipsa propter plebem sibi creditam nobiscum convenire non possunt*, *idcirco fermentum a nobis confectum per acolythos accipiunt*, *ut se a nostra communione*, *maxime illa die non judicent separatos*. *Quod per Parochias fieri debere non puto*, *quia nec longe portanda sunt Sacramenta*.... & *Presbyteri eorum conficiendorum jus habent atque licentiam*.

Non me latet, de hoc fermento diversas eruditorum esse sententias, aliis Eucharistiam fuisse negantibus, aliis affirmantibus, aliis nomen *fermenti* sensu proprio, aliis, morali ac metaphorico accipientibus: quo fit, ut certo concludi inde non possit, usum panis fermentati aliquando in Latina Ecclesia viguisse: fatendum tamen, non parum probabilitatis habere indeque saltem inferri, quod demonstrari non possit, fermentatum panem fuisse a primis Ecclesiæ sæculis apud Latinos ab Eucharistiæ consecratione exclusum; *vide Natalem Alexand. in historia sæculi* 11 & 12, *dissertatione* 11.

Q. 7. Utrum certo valeat tempus assignari, quo solus azimus panis per totum late occidentem incœperit usurpari?

R. Azimorum usum sæculo 7 antiquiorem videri: conjecturam adstruit Concilii *Toletani* 16 (*anno* 693) Canon 6: *ad conventus nostri agnitionem delatum est*, inquiunt Patres, *quod in quibusdam Hispaniarum partibus quidam sacerdotum, non panes mundos & studio præparatos, supra mensam Domini in sacrificio offerant; sed de panibus, suis usibus præparatis crustulam in rotunditatem auferant, eamque super altare, cum vino & aqua pro sacro libamine offerant*. *Quod factum nequaquam in sacræ auctoritatis historia gestum perpenditur*. *Unde idem unanimitatis nostræ delegit conventus, ut non aliter panis in altari Domini, sacerdotali benedictione sanctificandus proponatur, nisi integer & nitidus, qui studio fuerit præparatus*.

Hunc canonem expendenti multa notatu digna occurrunt.

1. Decernitur, panem Eucharisticum alium esse debere ab eo qui communibus usibus præparatur.

2. Præcipitur, ut panis mundus, panis nitidus offeratur, panis autem mundus, quatenus opponitur usuali, non alius quam azimus intelligi potest, fermento scilicet careas in quo corruptionis est symbolum, juxta hæc Apostoli verba: *modicum fermentum totam massam corrumpit*.

3. Statuitur, panem Eucharisticum debere esse studio præparatum: quod azimo præcipue convenit: ut enim inquiebat *Humbertus Cardinalis*, Latinorum disciplinam contra Græcorum argutias vindicans: (*in Ep. ad Cerularium*) *vos* (Græci) *aliquando fermentatum a quocumque viro seu fœmina præparatum pretio obtinetis*, *in tantum ut nonnunquam ab ipsis publicis negotiorum tabernis emptum panem ad Dominicam mensam transferatis*, *quem tractatum illotis & sordidis manibus negare non potestis*.

4. Præcipitur, ut panis integer offeratur, *neque grande aliquid*, *sed modica tantum oblata ad*

ta ad sacrificium proponatur. Quibus verbis significantur *oblatæ* exiles ac tenues (hostias communiter vocant) quales etiamnum in Latina Ecclesia adhibentur.

Objectio.

Contra responsionem hanc contendunt aliqui non nisi desinente 9 sæculo, azimorum usum in Latinam Ecclesiam introductum; quippe qui schismate Photii recentior sit. Nam, inquiunt, si temporibus Photii viguisset, procul dubio morem hunc Latinis improperasset, quibus ita erat infensus, ut ritus omnes, in quibus a Græcis discrepabant iniquissime reprehenderet; atqui de azimis silet penitus. Ergo eorum usus nondum in Latina Ecclesia obtinebat.

R. Nego usum azimorum schismate Photiano esse recentiorem. Nam an. 866 schisma Photius excitavit; atqui longe ante usus azimorum observabatur. *Alcuinus* enim e vivis excessit anno 804: *Rabanus Maurus* vixit antequam Photius dissidium faceret, anno quippe obiit 856: *Amalarius Fortunatus* anno 814: atqui *Alcuinus*, *Rabanus*, *Amalarius*, & alii ejusdem ætatis supra memorati usum azimorum ex Latinæ Ecclesiæ præscripto necessarium docent, eamdemque consuetudinem non de novo introductam, sed antiquam esse affirmant. Ergo &c.

Ad probationem nego maj. Ideo enim Photius Latinis propter azima nullam movit litem, quia ritum hunc ab ipso Christi Eucharistiam instituentis exemplo profectum bene noverat. Locum superius indicavimus, (*Bibliothecæ Cod.* 161) ubi docet, Christum, antequam Eucharistiam institueret, Pascha Mosaicum perfecisse, adeoque non aliter quam in azimo novum Pascha consecrasse. Mirum itaque non est quod ab hac criminatione abstinuerit.

Q. 8. Utrum *Lutherani* & *Calvinistæ* pane azimo secundum Latinæ Ecclesiæ ritum utantur?

R. negative. Utrique enim ad Eucharistiam (si tamen habere dicendi sunt, qui vanam tantum Sacramenti imaginem retinuerunt) contempto Latinæ Ecclesiæ more, panem fermentatum ad imitationem Græcorum, ad suam, ut vocitant, cœnam adhibuerunt, & etiamnum adhibent.

CAPUT SECUNDUM.

De vino Eucharistico.

Vinum est, ut prædiximus, altera Eucharistiæ consecrandæ materia; in quo autem elemento vini nomen ac ratio poni debeat, nec est, nec fuit unquam inter Catholicos controversia, *omnes enim*, inquit Cardinalis Jo: Bona, (*Rerum Liturgic. lib.* 1, *c.* 23) *vini nomine audito statim mente concipiunt, id quod ab uvis exprimitur, & hominibus in potum exhibetur*. Verum quia olim a multis contra Catholicam veritatem putatum est, posse sine vino Eucharistiam fieri, sacrum dogma pro officio vindicabimus.

§. PRIMUS.

Recensentur errores.

In hoc numero fuerunt,

1. *Ebionitæ*, qui vanam nescio quam laudem sobrietatis quærentes, panem quidem ex Christi præscripto in suis mysteriis offerebant, sed aquam vini loco substituebant: *Mysteria faciunt*, inquit S. Epiphanius, (*hær.* 30) *ad imitationem sanctorum... per azimos panes, & alteram mysterii partem per aquam solam*.

2. *Tatianus* 2 sæculi Hæreticus, *qui mysteriis similiter usus est*, inquit idem Sanctus Epiphanius, (*hær.* 46) *ad imitationem Sanctæ Ecclesiæ; verum aquam solam in iisdem mysteriis usurpavit*.

3. *Encratitæ*, sive *abstinentes*, parente *Tatiano* progeniti, quorum hic fuit palmaris error, a vino, quippe fœtu diaboli abstinendum: *vino omnino non utuntur*, ait idem S. Doctor, (*hær.* 47) *diabolicum esse dicentes, eoque utentes iniquos esse ac peccatores.... unde sane mysteria quæ apud ipsos per aquam solam fiunt, nequidem mysteria sunt, sed ad imitationem veritatis falso fiunt*.

4. *Manichæi*, qui pariter diabolum vini authorem mentiebantur, illudque ideo arcebant a suis synaxibus: de illis S. *Leo Magnus* Pontifex Max. *cum ad tegendam infidelitatem suam*, ait, (*Serm.* 4 *de quadragesima*) *nostris audeant interesse mysteriis..... ut tutius lateant, ore indigno Corpus Christi accipiunt; Sanguinem autem redemptionis nostræ haurire omnino declinant*.

5. Denique ad eamdem classem revocari possunt ignavi quidam ex Africa Episcopi & Sacerdotes, qui tempore persecutionis a vino in matutinis sacrificiis temperabant, veriti ne odorem ejus efflando, in Christianæ religionis suspicionem, & in mortis discrimen venirent. Unde non equidem contra fidem errabant, quam integram in corde servabant, sed humano timore quæ erant fidei prætermittebant: hos S. *Cyprianus* in Ep. ad *Cæcilium*, quæ 63 est, egregie confutavit.

Hos omnes quos recensuimus generali vocabulo S. Patres *Aquarios* appellarunt. *Aquarii appellati sunt*, ait S. Aug., (*her.* 64) *quod aquam offerant in poculo Sacramenti, non illud quod omnis Ecclesia*. Contra illos sit

§. SECUNDUS.

Vinum esse necessariam materiam Eucharistiæ demonstratur.

PROBATIO PRIMA.

Ex Scripturis.

Ad profligandum errorem occurrunt 1 verba Christi Eucharistiam instituentis: *accipiens calicem*, inquit S. Evangelista, (*Matt.* 26, 27 *& seqq.*) *gratias egit, & dedit illis dicens: bibite ex hoc omnes: hic est enim Sanguis meus novi Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum: dico autem vobis, non bibam amodo de hoc genimine vitis, usque in diem illum, cum illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei.* Similia sunt quæ leguntur *Marci* 14, 23 & seqq. & *Lucæ* 22, 16 & seqq. unde sic eruitur argumentum:

Hæc est essentialis Eucharistiæ consecrandæ materia, ex qua Christus suum Sanguinem fecit; atqui Christus Eucharistiam instituendo, quemadmodum ex azimo Corpus suum, sic ex vino Sanguinem fecit. Nam quod verba ejus: *accipiens calicem &c.* debeant de vino intelligi, manifestum est ex verbis sequentibus: *dico autem vobis, non bibam amodo de hoc genimine vitis*, &c. ubi pronomen (*hoc*) ut bene Sanctus Thomas advertit, significat præsentem materiam in calice nimirum, quem Christus manu gestabat, contentam. Ergo &c.

PROBATIO SECUNDA.

Ex figuris & prophetiis antiquis.

Est illud præter cætera in Christiana Religione divinum atque mirabile, quod ejus institutio, & mysteria ad eamdem pertinentia ab ipso mundi exordio, diversis figuris adumbrata; & præclarissimis Prophetarum fuerint prænuntiata oraculis. Id quod in præsenti materia, fœlici experimento probamus. Nam & Sacramentum Eucharistiæ promissum atque præfiguratum, & ejusdem consecrandi materiam legimus multis modis esse significatam.

1. Vini Eucharistici in *Noe*, sive figura, sive prædictio excellentissima fuit: *ille enim*, inquit S. Cyprian. (*Ep.* 63, *ad Cæcilium*), *typum futuræ veritatis ostendens*, (Gen. 9, 20) *non aquam, sed vinum bibit, & sic imaginem Dominicæ Passionis expressit.*

2. Fuit in sacrificio Melchisedech: *at vero Melchisedech Rex Salem*, inquit Scriptura, (*Gen.* 14, 18) *proferens panem & vinum, erat enim Sacerdos Dei Altissimi, benedixit ei, & ait: benedictus Abram Deo Excelso .... in Sacerdote Melchisedech*, ait S. Cyprianus (*Ib.*), *sacrificii Dominici Sacramentum præfiguratum videmus, secundum quod Scriptura Divina testatur, & dicit*: Melchisedech Rex salem protulit panem & vinum: fuit autem sacerdos Dei summi, & benedixit Abraham: *quod autem Melchisedech typum Christi portaret, declarat in Psalmis Sp. Sanctus ex persona Patris ad Filium dicens*: ante Luciferum genui te: tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech: *qui ordo utique hic est, de sacrificio illo veniens & inde descendens, quod Melchisedech sacerdos Dei summi fuit ... nam quis magis sacerdos Dei summi, quam Dominus noster Jesus Christus, qui sacrificium Deo Patri obtulit, & obtulit hoc idem quod Melchisedech obtulerat, id est panem & vinum, suum scilicet Corpus & Sanguinem? ... præcedit ante imago sacrificii Christi, in pane & vino scilicet constituta, quam rem perficiens & adimplens Dominus, panem & calicem mixtum vino obtulit; & qui est plenitudo, veritatem præfiguratæ imaginis adimplevit.*

3. In benedictione quam Jacob, quantocyus moriturus, Judæ filio suo est impartitus: *non auferetur*, ait, (*Gen.* 49, 10 *& seqq.*) *sceptrum de Juda, & dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est: & ipse erit expectatio gentium .... lavabit in vino stolam suam, & in sanguine uvæ pallium suum.* Quemadmodum enim his verbis: *donec veniat qui mittendus est*: Dominum Jesum Christum prænuntiatum certo tenemus: ita nec debemus dubitare, per alia quæ sequuntur: *lavabit in vino stolam suam, & in sanguine uvæ pallium suum*: passionem ejus & Sacramentum esse prædicta: *quando sanguis uvæ dicitur*, ait S. Cyprian. (*Ib.*) *quid aliud quam vinum calicis Dominici, ejusdemque Sanguis ostenditur?*

4. In his divinæ Sapientiæ verbis: (*Prov.* 9, 1 *& seq.*) *sapientia ædificavit sibi domum ... immolavit victimas suas, miscuit vinum, & proposuit mensam suam ... venite, comedite panem meum, & bibite vinum quod miscui vobis*: quæ verba S. Cyprian. interpretans: (*Ib.*) *per Salomonem*, ait, *Spiritus S. typum Dominici sacrificii ante præmonstrat, immolatæ hostiæ, & panis, & vini ... vinum mixtum declarat, id est, calicem Domini aqua & vino mixtum prophetica voce prænuntiat, ut appareat in passione Dominica id esse gestum, quod fuerat ante prædictum.*

Ex his similibusque Scripturarum oraculis sic

sic colligimus argumentum: hæc est essentialis Eucharistiæ consecrandæ materia, quæ a sacris vatibus est prædicta, & in lege veteri sub figurarum imagine adumbrata; atqui Christum ex vino Sanguinem suum esse facturum, prophetæ in antiqua lege prænuntiarunt, & diversis significaverunt figuris. Ergo &c.

PROBATIO TERTIA.

Ex perpetuæ Ecclesiæ traditione.

Consentit doctrina Patrum, & numquam interrupta traditio.

S. Justinus medio 2 sæculo inclytus Doctor & martyr: *deinde*, inquit, (*in Apol. 2 pro Christianis*) *ei qui Fratribus præest, offertur panis, & poculum aquæ & vini: quibus ille acceptis, laudem & gloriam rerum universarum Patri, per nomen Filii, & Sp. Sancti offert, & Eucharistiam, sive gratiarum actionem . . . prolixe exequitur . . . postquam vero gratiarum actionem perfecit . . . qui apud nos vocantur Diaconi atque ministri, distribuunt unicuique præsentium, ut participet eum in quo gratiæ actæ sunt, panem, vinum, & aquam: & ad absentes perferunt . . . non ut communem panem, neque ut communem potum ista sumimus: sed quemadmodum per Verbum Dei Caro factus Jesus Christus servator noster, & Carnem & Sanguinem salutis nostræ causa habuit; ad eumdem modum etiam eam, in qua per preces verbi ejus ab ipso profecti, gratiæ sunt actæ, alimoniam, unde & caro nostra per mutationem aluntur, incarnati illius Jesu Carnem & Sanguinem esse edocti sumus.*

S. Irenæus eodem sæculo Episcopus Lugdunensis: *quando ergo*, ait, (*contr. hær. lib. 5, c. 2*) *& mixtus calix, & fractus panis percipit verbum Dei, fit Eucharistia Corporis & Sanguinis Christi.*

S. Cyprianus 3 sæculo in Ep. ad *Cæcilium* sæpe laudata, totus est ad adstruendam Catholicam veritatem.

S. Epiphanius 4 sæculo *Encratitas* sic refutat: (*hær. 47*) *illorum mysteria quæ aqua solummodo constant, mysteria non sunt, sed ficta atque fallacia, vanam veritatis imaginem præferentia: in quo planissima illos Salvatoris sententia redarguit*: non bibam de hoc genimine vitis, donec bibam illud novum in regno cælorum vobiscum.

Eodem desinente sæculo Patres 3 Concilii Carthaginensis statuunt: (*Can. 24*) *ut in Sacramento Corporis & Sanguinis Domini nihil amplius offeratur, quam ipse Dominus tradidit, hoc est panis, & vinum aqua mixtum.*

Plures adderemus, nisi foret inutile: Nemo enim Patrum inferius (*qu. 6*) referendorum, realem Christi in Eucharistia præsentiam, & Elementorum, in Corpus & Sanguinem ejus transubstantiationem propugnavit, qui vini, tamquam essentialis consecrandæ Eucharistiæ partis, mentionem non fecerit. Tantum hic annotare sufficiat, in hoc ritu tamquam necessario præscribendo, Græcorum Euchologia & ritualia Latinorum plenissime consentire. Ergo &c.

§. TERTIUS.

Aquariorum objectiones refutantur.

Aquarii, ut ex prædictis observari facile potest, in duplici ordine erant. Quidam, *Ebionitæ* nimirum &c. contra divinam auctoritatem vinum absolute respuebant, adeoque erant hæretici; alii, non errore, sed ignavia laborantes, vinum quod sciebant divina lege præscriptum, quodque, dum erant ab insidiis Gentilium tuti, in sacrificio adhibebant, excludebant a Liturgiis matutinis, ne videlicet vini odore residuo semetipsos proderent: atque adeo licet a tramite veritatis, & a fidei zelo deflecterent, hæretici tamen non erant.

Et primi quidem unico quod sibi in speciem faveret, abuti poterant tesimonio Scripturarum: *si quis sitit*, ait Christus, (*Joan. 7, 37, & seq.*) *veniat ad me, & bibat: qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ.* Hinc argumentum sic inferebant: voluit Christus his verbis incruenti sacrificii calicem significare; atqui solius aquæ fecit mentionem. Ergo sola aqua est Sanguinis consecrandi materia.

R. Cum *S. Cypriano* admissa auctoritate, n. maj. Et dico his verbis, non Eucharistiæ, sed baptismi Sacramentum esse significatum: *ut magis posset esse manifestum*, inquit, (*ib. ad Cæcil.*) *quia non de calice, sed de baptismo illic loquitur Dominus, addit Scriptura ibidem dicens*: hoc autem dixit de Spiritu quem accepturi erant, qui in eum credebant: *per baptisma enim Sp. sanctus accipitur: & sic a baptizatis, & Sp. sanctus consecutis ad bibendum calicem Domini pervenitur.*

R. 2. Nego eamdem maj. Hæc enim Christi verba, non de aliquo peculiari Sacramento, sed generatim de gratia novi Testamenti debent intelligi, cujus mediator fuit Christus, & de omnibus donis Sp. Sancti quæ credentibus conferuntur: ait enim: *si quis sitit*, idest, si quis veræ salutis est cupidus, *veniat ad me*, tamquam ad fontem publicum, in quo nemine prohibente sedare sitim, hoc est, veram bea-

titudinem possit comparare, quæ ita sitim ejus extinguet, ut nullam unquam bonorum spiritualium inopiam sit passurus. Perperam itaque illo testimonio *Aquarii* ad suæ hæresis præsidium nitebantur.

Quod vero ad alios pertinet, suam ut ignaviam aliquatenus defenderent, his movebantur argumentis.

Non tenemur, inquiebant, cum vitæ periculo vinum in Eucharistia consecrare; tunc ergo licite prætermitti potest hic ritus, quando metus est, ne in judicium a Gentilibus pertrahamur.

℟. S. Cyprian. (*Ib.*) negando ant. tum quia est contrarium verbo Christi: (*Luc.* 9, 26) *qui me erubuerit & meos sermones, hunc Filius hominis erubescet, cum venerit in maiestate sua, & Patris, & SS. Angelorum*: tum quod quorum hæc agendi ratio erat, in fidei negandæ periculum, longe gravius mortis temporalis periculo, incurrebant: *quomodo*, ait, *possumus propter Christum Sanguinem fundere, qui Sanguinem Christi erubescimus bibere?*

Inst. 1. *Exemplo non caret quod facimus: ita enim aliquos prædecessores nostros, ut ingruentem mortem evaderent, egisse accepimus; quidni pariter & nos poterimus vitæ consulere, & impendens periculum evitare?*

R. S. Doctor, (*Ib.*) dato ant. negat conseq. *nam*, inquit, *si in sacrificio quod Christus est, non nisi Christus sequendus est; utique id nos obaudire, & facere oportet quod Christus fecit, & faciendum esse mandavit: neque enim hominis consuetudinem sequi oportet, sed Dei veritatem . . . nam si sacerdotes Dei & Christi sumus, non invenio quem magis sequi quam Deum & Christum debeamus, quando ipse in Evangelio dicat*: ego sum lumen mundi, qui me secutus fuerit, ambulabit in tenebris, sed habebit lumen vitæ: *ne ergo in tenebris ambulemus, Christum sequi, & præcepta ejus observare debemus.*

Inst. 2 *Numquid*, inquiebant, *non erit Christi exemplo & imperio satisfactum, si quando sacrificium vespertinis horis offerimus, quando nimirum ab iniquorum insidiis favente nocte tuti sumus, vino calicem misceamus; & ab eodem in matutinis oblationibus abstineamus, cum aliter non possimus Gentilium insidiantium astutiam fallere?*

R. S. Doctor negative; quia numquam licet Eucharistiam facere sine memoria Dominicæ Passionis, quæ tunc absolute non fit, cum aliquid eorum omittitur, quæ Christus voluit in sui memoriam necessario fieri: *quod si*, ait, (*Ib.*) *& a Domino præcipitur, & ab Apostolo eius hoc idem confirmatur & traditur, ut quotiescumque biberimus, in commemorationem Domini hoc faciamus, quod fecit Dominus . . . miror unde hoc usurpatum sit, ut contra Evangelicam & Apostolicam disciplinam, quibusdam in locis aqua offeratur in Dominico calice, quæ sola Christi Sanguinem non possit exprimere.*

Inst. ultimo. Christus non mane, sed post cœnam mixtum calicem obtulit. Non ergo sumus in Christum rebelles quando matutinum sacrificium vini libamine decurtamus.

R. S. *Cyprianus* concesso ant. negando conseq. *Christum offerre oportebat*, inquit, (*Ib.*) *circa vesperam diei, ut hora ipsa sacrificii ostenderet occasum & vesperam mundi, sicut in Exodo scriptum est*: (*Exod.* 12, 6) immolabit eum universa multitudo filiorum Israel ad vesperam: *nos autem resurrectionem Domini mane celebramus: & quia Passionis eius mentionem in sacrificiis omnibus facimus: passio est enim Domini sacrificium quod offerimus: nihil aliud quam quod ille fecit facere debemus. Scriptura enim dicit*, quotiescumque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat: *quotiescumque ergo calicem in commemorationem Domini & passionis ejus offerimus, id quod constat Dominum fecisse, faciamus.* Sequitur

CAPUT TERTIUM.

De aqua in Sanctum Calicem infundenda.

Plurima hic occurrunt dubia resolvenda.

1. Est, utrum Christus quando instituit Eucharistiam, vinum aqua diluerit?

2. An exemplum Christi ita vim legis obtineat, ut nequeat sine aquæ admixtione consecratio calicis fieri?

3. Quantum aquæ infundi debeat?

4. Utrum aqua prius in vinum, deinde in Christi Sanguinem convertatur?

§. PRIMUS.

Ostenditur, Christum quando insituit Eucharistiam vinum aqua temperasse.

PROBATIO PRIMA.

Ex Apostolica traditione.

Hujus assertionis certum quidem ex Scripturis testimonium non habemus, cum solius vini Sancti Evangelistæ apertam fecerint mentionem; est tamen aliunde ex Apostolica & Ecclesiastica traditione certissima. Sic enim testantur antiquissimæ Liturgiæ, quarum, quidquid in con-

contrarium hæretici garriant, summa authoritas est, cum a primis ipsis temporibus Ecclesiarum usu receptæ & probatæ fuerint. Sic Liturgia S. Basilii: *similiter*, inquit, *etiam calicem post cænam aqua & vino miscuit*, &c. Liturgia S. Cyrilli: *similiter & calicem post cænam miscuit vino & aqua* &c. quorum paria in aliis passim reperies. Hinc sic eruitur argumentum.

Liturgiarum nomine intelligimus officia, seu rituales libros, secundum regulam ab Apostolis acceptam, publica auctoritate descriptos, & Ecclesiarum usu probatos, quibus preces & ritus continentur ad consecrationem Eucharistiæ adhibendi; atqui in his purissimis veritatis fontibus affirmatur, Christum quando Eucharistiam consecravit, aqua vinum miscuisse. Ergo &c. hinc in *Trullano* Concilio (*Can.* 32), sic constitutum: *si quis Episcopus vel Presbyter, non secundum traditum ab Apostolis ordinem, & aquam vino non miscens, immaculatum offert sacrificium, deponatur; quippe qui imperfecte mysterium enuntiet, & quæ tradita sunt, innovet.*

PROBATIO SECUNDA.

Ex doctrina Patrum.

Nec minus expressa antiquiorum Patrum doctrina est.

Ita S. Irenæus (*contr. hær. l.* 4, *c.* 57): *accipiens Christus panem*, inquit, *corpus suum illum fecit, & temperamentum calicis suum Sanguinem confirmavit.* Quid enim est temperamentum calicis, nisi vinum aqua temperatum?

Et *S. Cyprianus* in Ep. ad Cæcilium sæpe memorata: *sed & per Salomonem*, inquit, *Sp. Sanctus typum Dominici sacrificii ante præmonstrat, immolatæ hostiæ, & panis & vini faciens mentionem . . . .* venite, edite de meis panibus, & bibite vinum quod miscui vobis: *vinum mixtum declarat, id est calicem Domini aqua & vino mixtum prophetica voce prænuntiat, ut appareat in passione Dominica id esse gestum, quod fuerat ante prædictum.* Et S. Hieronymus (*comm. in c.* 14 *S. Marci*): *format Christus Sanguinem suum in calice, vino & aqua mixtis.*

Suffragantur Patres Concilii III Carthaginensis, decernentes (*Can.* 24) *ut in Sacramento Corporis & Sanguinis Domini nihil amplius offeratur, quam ipse Dominus tradidit, hoc est panis, & vinum aqua mixtum.*

Accedit Concilii *Trullani* supra allegata auctoritas: *similiter postquam cænavit Christus*, inquit, (*Can.* 32) *accipiens calicem, & permiscens ex aqua & vino, & benedicens dedit Discipulis suis . . . . si quis ergo Episcopus vel Presbyter non secundum traditum ab Apostolis ordinem, & aquam vino non miscens, offert sacrificium, deponatur* &c.

¶ Favent etiam Patres Concilii Aurelianensis IV ita decernentes: *Nullus in oblatione Sacri Calicis, nisi quod ex fructu vineæ separatur, & hoc aqua mixtum offerre præsumat: quia Sacrilegum judicatur aliud offerri, quam quod in mandatis Sacratissimis Salvator noster instituit.*

PROBATIO TERTIA.

Ex antiquo more Judæorum.

Quamquam quid opus est, in congerendis auctoritatibus terere tempus, cum ad ejus veritatis probationem vel una sufficiat Judæorum antiqua consuetudo? ut enim observat *Grotius* (*in c.* 26 *Matth.*) docent Rabbini veteres, Judæos tum in quotidianis Epulis, tum præsertim in cœna Paschali vinum aqua miscuisse: cujus observationis causa erat, tum a majoribus accepta traditio, tum temperantiæ in his regionibus necessitas, ubi propter calores immodicos, & vini prævalidos Spiritus, vulgo aqua diluitur, ne capiti & stomacho noceat: credibile porro non est, Christum hominum temperantissimum, in institutione Eucharistiæ ab illo more deflexisse, quem Hebræi partim religione, partim necessitate servabant. Ergo &c.

Corollaria.

Inde consequens est,

1. Immerito *Lutheranos* & *Calvinistas* ritum aquæ vino in Eucharistia commiscendæ humanis commentis & novellis traditionibus accensere: *Nondum constitui mecum*, inquit Lutherus, (*in formula missæ pro Ecclesia Witemberg.*) *miscenda ne esset aqua vino: quamquam huc inclino, ut merum vinum paretur absque aquæ mixtura . . .* & alibi (*in* 1 *scripto contra Henric.* 8 *Anglorum Regem*): *meo sensu*, ait, *melius & tutius foret, aquam non miscere vino, cum sit merum figmentum humanum.*

Falso enim & impie ritus ille humanis commentis adscribitur, quem a Christo observatum, tum antiquissima liturgiarum & sanctorum Patrum auctoritas, tum traditio Hebræorum, tum ratio temperantiæ persuadet; atqui ritum miscendi aquam cum vino, Christi Eucharistiam instituentis exemplo niti, hæc omnia momenta evincunt; ergo Lutherus contrarium asserens somniavit: nec est quod commentum suum scripturæ silentio tueatur, quia quod

quod tacet verbum Dei scriptum, abunde traditio supplet.

2. *Armenos* merito fuisse in *Trullano* Concilio damnatos, eo quod vinum merum, omni aqua semota ad sacrificium adhiberent: quamquam enim non ideo essent hæretici, quia, ut modo probaturi sumus, aquæ mixtio non est jure & mandato divino ad valorem Eucharistiæ necessaria; merito tamen anathemate sunt percussi, quia erroneo & hæretico principio nitebantur: nam quemadmodum, ut prædiximus, propter *Eutychianum* errorem a pane fermentato in Eucharistia abstinebant, pariter vinum purum in sacrificio offerebant, ne scilicet vini & aquæ permixtione duarum in Christo naturarum distinctionem admittere viderentur; itaque suam hæresim argumento ad arbitrium conficto, admodumque ridiculo sic confirmabant: Eucharistiæ Sacramentum ac Sacrificium Christum repræsentat, quem continet; atqui simplici farinæ & vini elemento conficitur: oportet itaque unam Christi esse naturam: cujus syllogismi quam male partes connectantur nemo est qui non videat.

§. SECUNDUS.

Utrum vim legis perpetuæ exemplum Christi habeat?

Nota 1. non omnia quæ in Sacramentis, etiam traditione antiquissima observantur, ad illorum essentiam pertinere: cujus rei exempla in omnibus pene Sacramentis occurrunt: sic enim e. c. constat Exorcismos in baptismo, & insufflationes, multosque alios ritus vetustissima esse canitie venerandos, qui tamen si prætermittantur, modo in aqua & verbis Evangelicis baptisma consecretur, erit ex essentia integrum.

Nota 2. Neque etiam omnia quæ Christus Sacramenta instituendo servavit, esse absolute necessaria: certum namque est, e. c. quod in pane azimo Eucharistiam instituerit: sed numquid ideo sequitur fermentatum ab ejus oblatione excludi? itaque ut probetur, aquæ cum vino mixtionem esse necessitate Sacramenti necessariam, parum est exemplum Christi afferre, nisi insuper ostendatur præcepto divino ejus observationem inniti. Jam

I.

Ostenditur aquæ cum vino mixtionem non esse necessitate Sacramenti necessariam.

Si enim Sacramento & sacrificio foret essentialis, profecto divinum mandatum haberet; atqui præceptum hujusmodi nec scriptura, nec Patres insinuant, imo contrarium ex antiqua doctrina infertur: sic Ecclesia *Armenos* quidem damnavit, aquam sacrificio excludentes; nusquam tamen eos violati aut in irritum missi sacrificii accusavit, ut ex can. 32 Trullani Concilii sæpe memorato colligitur, quin e contra quando Concilia de ea mixtione sermonem fecerunt, solius meminerunt præcepti Ecclesiastici: *Monet S. synodus*, ajunt Patres Trid. (*Sess. 22*, *cap. 7*), *præceptum esse ab Ecclesia Sacerdotibus, ut aquam vino in calice offerendo miscerent; tum quia Dominum ita fecisse credatur: tum etiam quia e latere ejus aqua simul cum sanguine exierit: quod Sacramentum hac mixtione recolitur.*

Deinde, quoties Concilia & Patres necessariam Eucharistiæ materiam explicant, solius vini, aqua nequidem nominata, faciunt mentionem: affero hujus assertionis ex S. Cypriano testimonium, quod etsi prima fronte nobis contrarium videatur, revera tamen illam adstruit atque confirmat: *in sanctificando calice Domini*, inquit, (*Ep. 63 ad Cæcil.*) *offerri aqua sola non potest, quomodo nec vinum solum potest: nam si vinum tantum quis offerat, sanguis Christi incipit esse sine nobis: si vero aqua sit sola, plebs incipit esse sine Christo: quando autem utrumque miscetur, & adunatione confusa sibi invicem copulantur, tunc Sacramentum Spirituale & cœleste perficitur*: Unde sic informatur argumentum.

Eucharistia est essentialiter Sacramentum corporis & Sanguinis Christi; ergo hæc sola materia est necessitate Sacramenti & præcepti divini necessaria, ex qua præexistente: Corpus & Sanguis Christi consecrantur; atqui quemadmodum ex pane subjecto fit corpus, ita juxta S. Cyprianum ex solo vino Sanguis Christi conficitur: *Si vinum tantum quis offerat*, inquit, *Sanguis Christi incipit esse sine nobis*. Ergo solum vinum est essentialis vini consecrandi materia, atque adeo aquæ admixtio non est necessaria, nisi ad significandam plebis Christianæ cum Christo conjunctionem, quæ significatio non ad essentiam, sed ad integritatem accidentariam mysterii pertinet.

Multo expressius *S. Chrysostomus* (*comm. in Matth.*) explicans hæc Christi verba: *Non bibam amodo de hoc genimine vitis, usque in diem illum, cum illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei: de genimine vitis*, inquit, *quæ certe vinum, non aquam producit*.

Idem probant verba Eugenii IV (*in decr. pro instr. Armen.*) *sicut panis triticeus*, ait, *est Eucharistiæ materia, ita & vinum de vite*. Quis enim dixerit Sum. Pontificem aquæ men-

mentionem prætermissurum, si illam, non secus ac vinum, necessariam credidisset?

Accedit Concilii Trid. auctoritas, fidem Ecclesiæ sic explicantis (*Sess.* 13, *cap.* 3): *semper hæc fides in Ecclesia Dei fuit*, *statim post consecrationem*, *verum Domini nostri corpus*, *verumque ejus sanguinem*, *sub panis & vini specie*, *una cum ipsius anima & divinitate existere*. Existit ergo Sanguis Christi sub specie vini; atque adeo Patribus Trident. judicibus, aquæ cum vino mixtura ad essentiam Sacramenti non pertinet.

Ad mentem Concilii catechismus ejusdem decreto editus: *Quamvis*, ait, (*part.* 2, *tit. de Euchar. n.* 17) *aquæ admiscendæ rationes ita graves sint*, *ut eam sine mortali peccato prætermittere non liceat*, *ea tamen si desit*, *Sacramentum constare potest*.

Hinc Missalis Romani *Rubricæ*: *Si celebrans*, inquiunt, *ante consecrationem calicis advertat*, *non fuisse appositam aquam*, *statim ponat eam*, *& proferat verba consecrationis*: *si id advertat post consecrationem calicis*, *nullo modo apponat*, *quia non est de necessitate Sacramenti*. Dicendum itaque, non aliam habere, nisi Ecclesiastici præcepti necessitatem.

II.

Proponuntur & resolvuntur objectiones.

Contra opponitur. Ideo non esset necessaria aquæ cum vino mixtio necessitate Sacramenti, quia non foret divinitus imperata; atqui mandatum divinum habet. Ergo &c.

Prob. min. Divinitus imperatum putari debet, quod fecit ipse Christus quando instituit Eucharistiam; atqui vinum aqua mixtum Eucharistiam instituendo consecravit. Ergo &c.

℟. Concessa maj. nego min. ad probat. nego maj.: quæ si vera foret, consequens esset. 1. Panem azimum præcepto Divino esse necessarium, quia azimum consecravit.

2. Non nisi post cœnam posse legitime Eucharistiam fieri, quia Christus cœna facta novi paschatis legem sanxit; atqui hæc, & id genus pleraque nemo dixerit esse necessitate Sacramenti & præcepti divini necessaria. Dicendum itaque hoc solum esse necessario observandum, quod Christus fecit, & faciendum esse mandavit.

Inst. 1. Atqui Christus ita vinum aqua temperavit, ut ritum hunc voluerit perpetuo observari. Ergo &c. prob. subs. Statim calice consecrato Salvator, de eodem faciendo mandatum Apostolis significavit: *hoc facite*, inquit, (1 *Cor.* 11, 25) *quotiescumque bibetis*, *in meam commemorationem*. Ergo &c.

℟. nego subs. ad probat. admitto auctoritatem, & dist. antec. de eodem faciendo mandatum tulit, *quantum ad vini consecrationem*, concedo: *quantum ad aquæ admixtionem*, nego. Verbum enim: *hoc facite*, ad solum vinum spectare, manifestum est ex iis quæ statim vino consecrato pronuntiavit: *non bibam amodo de hoc genimine vitis* &c. & vero sic debere intelligi, ex usu & mente Ecclesiæ admonemur, quæ est veritatis magistra, quamque debemus solam audire Scripturarum interpretem.

Inst. 2. Atqui interpretatio hæc est a mente Ecclesiæ aliena. Ergo &c. Prob. subs. SS. Patres præceptum de aqua commiscenda divinum intellexerunt. Sic. *S. Cyprianus* in Ep. *ad Cæcilium* sæpe cit. *si in sacrificio quod Christus est*, inquit, *non nisi Christus sequendus est*; *utique id nos obaudire & facere oportet*, *quod Christus fecit*, *& quod faciendum esse mandavit*, atqui hanc profert S. Doctor de qua vino admiscenda sententiam. Ergo &c.

℟. nego subs. ad probat. nego ant. & admissa *Cypriani* auctoritate, nego min. Hæc enim verba, ut superius dictum est, de vino debent intelligi, a quo nonnulli Sacerdotes in matutinis sacrificiis abstinebant, ne a Gentilibus quærerentur ad mortem: cum enim scopus hujus Epistolæ sit, *Aquariorum* ignaviam refutare; debent verba S. Doctoris mandatum divinum sonantia, non de aqua intelligi, sed de vino.

Inst. 3. probando min. Paulo ante hæc verba sic dixerat S. Cyprianus: *in sanctificando calice Domini offerri aqua sola non potest*, *quomodo nec vinum solum potest*. Ergo quæ sequuntur, debent de mixtione aquæ cum vino intelligi.

R. Concesso ant. nego conseq. Non enim ex iis quæ paulo ante, sed ex iis quæ immediate præcedunt, debet legitimus S. Cypriani sensus exquiri. Porro quæ præcedunt immediate, hæc sunt: *non est ergo*, *frater carissime*, *quod aliquis existimet sequendam esse consuetudinem*, *si qui in præteritum in calice Dominico aquam solam offerendam putaverunt*: *quærendum enim est*, *quem ipsi sint secuti*: *nam si in sacrificio quod Christus est*, *non nisi Christus sequendus est* &c. Atqui ut mediocriter attendenti patet, his verbis S. Doctor eos solum redarguit, qui putabant validum sine vino offerri sacrificium. Ergo verba: *quod faciendum esse mandavit*: non ad aquam pertinent, sed ad vinum.

Inst. 4. Atqui docet S. Cyprianus, aquæ admixtionem præcepto divino esse necessariam. Ergo &c. prob. subs. ex aliis ejus verbis ib. *sic autem*, inquit, *in sanctificando calice*

lice

lice Domini offerri aqua sola non potest, quomodo nec vinum solum potest. Hinc sic informatur argumentum:

Qui dicit aquam esse necessariam necessitate Sacramenti, plane intelligit in præcepto divino contineri; atqui aperte docet S. Cyprianus aquam esse necessariam necessitate Sacramenti: *in sanctificando calice*, inquit, *offerri solum vinum non potest*. Ergo &c.

R. nego sub. ad probat. admitto auctoritatem, & concessa maj. dist. min. Docet S. Cyprianus aquam ad Sacramentum necessario pertinere, ut nimirum significet populi cum Christo conjunctionem, conc. ut revera Sanguinem Christi contineat, nego min. & cons.

E. R. In Sacramento Eucharistiæ duo spectari debent. Primum est, quod Corpus & Sanguinem Christi significet, realiterque contineat. Secundum, quod significet populi cum Christo conjunctionem: prima significatio est Eucharistiæ essentialis: est enim Sacramentum Corporis & Sanguinis Christi sub speciebus panis & vini realiter contentorum; altera, non ad essentiam, sed ad integritatem pertinet. Dico igitur, adducta S. Cypriani verba ita debere intelligi, ut velit quidem vinum esse necessarium absolute, ut Sanguis Christi realiter in calice præsens sit; aquam vero tantum requiri, ut populi fidelis unio cum Christo repræsentetur. Quod si quis gratis dictum putaverit, recolat S. Doctoris verba adducta superius: *nam si vinum tantum quis offerat*, inquit, *Sanguis Christi incipit esse sine nobis; si vero aqua sit sola, plebs incipit esse sine Christo: quando autem utrumque miscetur, & adunatione confusa sibi utrumque copulatur, tunc Sacramentum spirituale & cæleste perficitur*, (naturale scilicet Christi Corpus continens, & mysticum repræsentans.)

Inst. 5. Atqui vult *S. Cyprian.* aquæ cum vino admixtionem absolute esse necessariam, ut Sacramentum Eucharistiæ Sanguinem Christi contineat: Ergo &c. prob. subs. Ex aliis ejus verbis ibidem: *sic vero*, inquit, *calix Domini non est aqua sola aut vinum solum, nisi utrumque sibi misceatur; quomodo nec Corpus Domini potest esse farina sola aut aqua sola, nisi utrumque adunatum fuerit & copulatum, & panis unius compage solidatum*: hinc sic elicitur argumentum.

Juxta *S. Cyprian.* tam est necessaria aquæ in calice mixtio, quam ad panem conficiendum; atqui aquæ cum farina admixtio ad panem Eucharisticum conficiendum absolute necessaria est, & quidem necessitate Sacramenti; ergo a pari &c.

R. Nego sub. ad probat. admitto auctoritatem, & dist. maj. tam est necessaria aquæ in calice mixtio, ex S. Cypriano, quam ad panem conficiendum, *gradu quodam generico*, conc. *gradu specifico*, nego maj. & concessa min. nego consequ. E. R. quando duo invicem comparantur, & generatim dicuntur ad unum aliquid necessaria, non inde consequens est, quod æquiparentur in omnibus, & necessaria pari gradu intelligantur: omnis enim comparatio, ut in proverbio est, claudicat, id est, in aliquo deficit: id quod in præsentia experimur. Nam de aqua generatim dici potest, quod pani Eucharistico & calici necessario adhibenda sit: inde tamen non sequitur quod utrobique pariter necessaria affirmetur. Sic enim panem Eucharisticum ex aquæ & farinæ concretione confici oportet; ut aliter Eucharisticus panis esse non possit, cum nequidem panis sit. At vero calix Domini, etiam aqua semota calix Domini est; cum realiter Sanguinem ejus contineat. Non aliter itaque aqua est in calice Domini necessaria, quam ut significet conjunctionem mysticam populi fidelis cum Christo: hanc autem esse Cypriani mentem, verba immediate subjecta declarant: *in hoc ipso Sacramento*, inquit, *populus noster ostenditur adunatus, ut quemadmodum grana multa in unum collecta & commixta panem unum faciunt, sic in Christo qui est panis cœlestis, unum sciamus esse corpus, cui conjunctus sit noster numerus & adunatus.*

Monitum.

Si cui superest de genuino *S. Cypriani* sensu scrupulus, meminerit ex ejus scopo esse requirendum! *Nam*, ut ait, in causa simili S. Hilarius, *intelligentia dictorum ex causis est assumenda dicendi*; atqui scopus S. Doctoris, in hac ad *Cæcilium* Ep. est, refutare *Aquarios* qui solam aquam in calice, sæviente persecutione, consecrari posse contendebant, & validum sine vino sacrificium fieri; itaque verba ejus probant quidem absolutam vini necessitatem ad Sacramenti substantiam, aquam vero necessariam non evincunt, nisi ex Ecclesiæ præcepto, ad significandam conjunctionem populi fidelis cum Christo: nec aliud posse inferri fatebitur, qui Epistolam hanc attente & sine præjudicio legerit.

III.

Resolvitur quæstio quædam.

Quæritur, utrum aquæ vino miscendæ convenientes causæ sint?

R. Cum

R. Cum *S. Thomæ* affirmative: *Vino quod offertur in hoc Sacramento*, inquit, (3 p. q. 74, art. 6, in c.) *debet aqua misceri*, 1 *quidem propter institutionem: creditur enim quod Dominus hoc Sacramentum instituerit in vino aqua permisto, secundum morem illius terræ: unde & Proverbiorum 9 dicitur*: Bibite vinum quod miscui vobis: 2 *Quia hoc convenit repræsentationi Dominicæ Passionis: e latere enim Christi mortui sanguis cum aqua effluxit*: 3 *Quia hoc convenit ad significandum effectum hujus Sacramenti, qui est unio populi Christiani cum Christo*: 4 *Quia hoc competit ad ultimum effectum hujus Sacramenti, qui est introitus ad vitam æternam: unde S. Ambros. lib. 5 de Sacramentis c. 1*, redundat, *inquit*, aqua in calicem, & salit in vitam æternam.

§. TERTIUS.

Quantum aquæ infundi in calicem debeat.

I.

Ante 9 sæculum de hac re nihil legimus a majoribus constitutum: unde merito infertur ministrorum prudentiæ priscis temporibus relictum, ut pro suo quisque arbitrio vinum aqua dilueret, modo ut vini quantitas aquæ molem superaret: cum vero labente ætate nonnulli contra morem antiquum abusus irreperent, diversis identidem Conciliorum & Sum. Pontificum decretis reprimi oportuit: sic in Concilio *Triburiensi* desinente 9 sæculo (*anno* 895) ab Episcopis Germaniæ prope *Moguntiam* celebrato, can. 19 statutum, *duas saltem in calice debere esse vini partes, tertiam aquæ*: cujus canonis sensus est, non quod necessario debeat aqua vino mixta tertiam partem æquare: sed quod ad minus debeat vini quantitas esse duplo major quam aquæ.

Ineunte sæculo 13 *Honorius III* Pontifex Max. ad quemdam Archiepiscopum his verbis rescripsit (*Extra in celebr. Missarum c. Perniciosus*): *perniciosus in tuis partibus inolevit abusus, videlicet quod in majori quantitate de aqua ponitur in sacrificio, quam de vino, cum secundum rationabilem consuetudinem Ecclesiæ generalis, plus in ipso sit de vino, quam de aqua ponendum, ideoque fraternitati tuæ mandamus, quatenus id non facias, nec in tua Provincia fieri patiaris.*

Idem sæculo 15 ab *Eugenio IV* statutum in decreto pro instruct. *Armenorum*, ubi declarat Sum. Pontifex, *aquam modicissimam esse in calicem infundendam.*

Antonius Augustinus in synodalibus constitutionibus Ecclesiæ *Tarraconensis* constitutionem memorat Sanctissimi Pontificis *Pii V* ad ejusdem civitatis Archiepiscopum missam, qua nonnullos redarguit, *qui non guttam aquæ, ut fieri debet, sed plus aquæ quam vini in calicem infundebant: quod omnino corrigi & emendari præcepit.*

Quo autem certius in hac mixtione excessus omnis præcaveretur, nullusque maneret scrupulo locus, in quibusdam olim Ecclesiis statutum erat, ut sacris operantes ministri aquam vino miscendam parvo cochleari exciperent, indeque in calicem funderent: quem morem etiamnum Monachi *Carthusiani* observant.

Constat itaque in Latina Ecclesia, more antiquo, modicam, aquæ quantitatem vino consecrando admisceri: neque minus hoc de Orientalibus Ecclesis certum esse ostendit doctissimus *Renaudotius* commentario in liturgiam copticam *S. Basilii*, ubi observat aquæ cum vino attemperationem habita indolis vini ratione sic fieri: ut si generosissimum sit, tertia aquæ pars misceatur; si imbecillius, aqua minuatur usque ad decimam partem: si mediam vim habeat, aqua augeatur, servata, quoad fieri potest, proportione: unde apud illos aquæ augmentum aut decrementum a tertia parte usque ad decimam fit.

II.

Quædam dubia explicantur.

Q. 1. Quamobrem debeat aquæ quantitas minor esse quam vini?

R. Quia vinum est materia essentialis sanguinis Christi consecrandi: aqua vero ad essentiam Sacramenti & sacrificii non pertinet, quippe quæ solummodo significet mysticam populi fidelis cum Christo capite conjunctionem; par itaque est ut materia essentialis, alteram quæ est accessoria superet.

Q. 2. Utrum si in calice plus esset aquæ quam vini, nulla & irrita consecratio foret?

R. Quidquid plerique de schola in contrarium sentiant, negative: nisi tanta aquæ copia fuerit, ut corrupta vini natura sit, & vis ejus penitus evanuerit: nam

1. Quo suam tueantur opinionem, nullum Ecclesiæ decretum, nulla majorum occurrit auctoritas: equidem a Patribus *Triburiensis* synodi modo laudatæ, & a Sum. Pontificibus *Honorio III* ac *Pio V* quorumdam repressus abusus, qui contra rationabilem Ecclesiæ generalis consuetudinem plus aquæ quam vini in calicem infundebant: sed irritum propterea Sacramentum ac sacrificium fieri, a nemine dictum.

2. Ideo propter majorem aquæ quam vini in calice quantitatem irrita consecratio fieret, quia non jam vinum maneret, sed prævalente aquæ virtute in ipsam converteretur; atqui illationem hanc ratio & experientia respuit, medicorum, & chymicorum constanti judicio confirmata: quamquam enim major sit in calice aquæ moles quam vini, vinum nihilominus est, nec propterea deserit naturam suam; nec spiritus ac robur deperdit; quod si vinum est, valide ergo consecratur, quantumvis aqua præponderet: argumentum hoc in præsenti indicasse sufficiat, quod erit sequenti §. latius prosequendum.

3. Responsionem hanc haud mediocriter adjuvant, quæ præsentis capitis §. 1 prædicta sunt, ubi probatum est, Christum quando instituit Eucharistiam vini, vinum aqua temperasse: ut enim certe constaret, propter aquæ exuperantiam, irritam consecrationem fieri, deberet pariter certum esse, Christum modicam aquæ quantitatem in calicem infudisse; atqui nihil de hac re, silente scriptura & traditione decernere possumus; imo si rationem sequamur, aut plus aquæ in divino calice fuisse, aut saltem ad vini æquipondium redactam, summa Christi sobrietas, Hebræorum consuetudo, conditio climatis, & vini, quod ibidem nascitur, generositas roburque persuadebit.

Itaque si plus in calice esset aquæ quam vini, peccaret quidem gravissime minister, qui consulto sic ageret, quippe qui contemneret Ecclesiæ auctoritatem, & praxim: sed propterea (salvo meliore judicio) non putamus Sacramentum irritum nullumque futurum.

Q. 3. Utrum liceat facta consecratione aquam in calicem fundere?

R. Apud Latinos non licere, e contra apud Græcos & Orientales præcipi, ut paulo ante communionem aqua fervida ex Urceolo in calicem infundatur: *Diaconus*, ajunt eorum liturgiæ (*Vide rituale Goarii pag. 82, & 148*) *accepta ferventi aqua, dicit Sacerdoti: benedic Domine Sanctam hanc fervidam: Sacerdos vero benedicens ait: benedictus fervor sanctorum tuorum jugiter, nunc & semper & in secula seculorum, amen: Diaconus vero infundit in modum crucis in Sanctum calicem, dicens: fervor fidei plenus Sp. Sancto, amen: & statim sequitur communio corporis & sanguinis Christi.*

Q. 4. Quid de singulari illo Græcorum ritu sentiendum?

R. Nec a Latinis sequendum, cum morem contrarium habeamus, & privato nemini liceat, suæ Ecclesiæ disciplinam invertere, nec propterea Græcos esse culpandos, (quod multi e nostris incaute fecerunt,) tum quia ab Ecclesia non damnantur, tum quia morem hunc ab antiquo observant: quod quidem cum ob rem non fuerint ab Ecclesia reprehensi, habemus ex *actis Concilii Florentini*, ubi narratur Latinos a Græcis præter cætera quæsivisse, *cur infunderent in sacrum calicem ferventem aquam?* huicque quæstioni a *Dorotheo Mytilenensi Episcopo*, viro, ut ex actis colligitur, doctissimo, plene satisfactum: quamquam quid responderit ignoremus; cum itaque sine censura dimissi sint, iniquum putamus, eos hac de causa novitatis aut hæresis, redarguere, quia eos meliori titulo redarguendos censemus, quibus id omne displicet, quod fieri & observari a suis non vident, quibusque unum & idem est, fidem, ac disciplinam habere contrariam: quod vero apud Græcos antiquissima hæc observatio sit, fidem in primis facit *S. Germanus* Patriarcha Constantinop. qui 8 ineunte sæculo floruit, in libro cui titulus est: *Ecclesiastica & mystica Theoria*, sive, liturgiæ expositio: hic enim hujus ritus aperta mentio & explicatio est; ergo mille & amplius anni sunt, ex quo apud Græcos disciplina hæc obtinebat: est & alterum ejusdem assertionis antiquius monumentum in *narratione de rebus Armeniæ* quam imperante *Justiniano II* scripsit *Isaac Baracastrius* Armenorum Catholicus sive Primas, quamque proxime elapso sæculo *Combefisius* edidit (*tom. 2 auctuarii bibliothecæ Græcorum*): hic enim narratur *Mauritium Imperatorem* subacta Armenia, mitti Constantinopolim jussisse *Mosen* Armenorum tunc temporis primatem hæreticum, qui Imperatoris præcepto parere renuit, *absit a me*, inquiens, *ut fluvium azat transeam, vel furno coctum comedam, vel calidum bibam*: quid enim est, *furno coctum*, nisi panis fermentatus, quem Armeni velut prophanum, ut prædiximus, procul ab altari arcebant? quid vero ex ejus mente erat *calidum bibere*, nisi sacro calici aqua ferventi delibuto participare? fatendum itaque morem hunc in Constantinopolitana & adjacentibus Asianis Ecclesis, 6 saltem currente sæculo, quo imperavit *Mauritius*, observatum.

Q. 5. Quid mysterii habeat illa ferventis aquæ cum vino consecrato admixtio.

R. Hujus ritus tres potissimum afferri a Græcis mysticas causas.

1. Est, ut significentur aqua & sanguis quæ de Christi latere fluxerunt: *Quemadmodum*, inquit S. Germanus, (*in Ecclesiastica & mystica Theoria*) *Sanguis & aqua, calida utraque e Christi latere fluxerunt: ita sane aqua calidissima, tempore communionis calici injecta, absolutum mysterii typum explet.*

2. Est,

2. Est, ut per aquam fervidam significetur, mortuo Christo divinitatem ab ejus corpore non fuisse separatam: *ferventem aquam*, ait Simeon Thessalonicensis (*in lib. de templo*) *calici Sacerdos infundit quasi testatus mortuum Domini corpus, ejus anima separata, vivificum adhuc mansisse, propter divinitatem ab eo nusquam semotam: fervens enim aqua vividum calore virtutem complectitur.*

3. Et, ut hoc ritu significetur Sp. Sancti in Ecclesiam illapsus: *Hæc enim aqua*, inquit Cabasilas (*de sacris mysteriis c. 37*) *cum & aquæ naturam habeat, & ignis sit particeps, significat Spiritum Sanctum, qui etiam aqua dicitur, & tanquam ignis, in Christi discipulos illapsus apparuit.* (Vide Jacobum Goar. in rituali Græcorum pag. 148).

§. QUARTUS.

Utrum aqua vino mixta in Christi sanguinem convertatur.

De aqua Eucharistica quæritur,

1. Utrum in Christi sanguinem virtute verborum Sacramentalium convertatur?

2. Utrum ad fidem conversio illa pertineat?

3. Utrum prius in vinum quam in Christi Sanguinem transmutetur?

I.

Ostenditur aquam Eucharisticam converti in sanguinem Christi.

Quæstio, de aqua vino permixta quid fiat sub idem ferme tempus excitari cœpit, quo scholastica Theologia nata est. Prioribus enim sæculis hoc unum legimus ex Scriptura & traditione simpliciter affirmatum, facta consecratione Corpus Christi sub panis specie, sanguinem vero in calice mutata elementi præcedentis substantia realiter contineri; nec putabant Patres, hujusmodi quæstionibus immorandum, quæ plus subtilitatis, quam utilitatis haberent: postquam vero cœperunt Theologi more Philosophico, res divinas curiosius indagare, multæ obortæ sunt quæstiones, quas antiqui ita neglexerant, ut nec leviter quidem attingerent.

Itaque quod ad præsens facit, versus 12 sæculi finem de aqua Eucharistica, magno in Galliis animorum æstu est disputatum: volentibus aliis, facta consecratione immutatam prorsus manere, vini accidentibus circumfusam; aliis contendentibus, in illam aquam converti, quæ e Christi de cruce pendentis latere fluxit: aliis denique propugnantibus in Christi sanguinem transmutari: luculentum hujus rei testem habemus *Gaufredum* Ordinis Cisterciensis hoc tempore Monachum (*in Ep. ad Cardinalem Episcopum Albanensem*): *Ad partes Galliæ cum vestra benedictione reversus*, inquit, an. 1188, *novam & mihi hactenus inauditam ventilari inter aliquos reperi quæstionem, de substantia aquæ, quæ vino mixta in calice similiter offertur: an & ipsa similiter cum eodem vino in sanguinem Domini convertatur? nec mediocris est inter modernos Theologos super eadem quæstione dissensio, negantibus aliis, aliis affirmantibus totius liquoris mixti, sicut panis qui ex simila & aqua conficitur, unam fieri transubstantiationem.* Ad Gaufredi litteras quid respondendit Albanensis Cardinalis penitus ignoramus: cum nihil de hac re rescriptum reperiamus: præstantissimorum vero qui vixere tunc temporis, & deinde secuti sunt Theologorum vestigiis insistendo:

Dicimus 1. aquam Eucharisticam non converti in illum liquorem qui e Christi latere fluxit: non enim debemus in re tam seria quidquam nisi revelatum divinitus affirmare; atqui aquam calicis converti in illam quæ fluxit a latere Christi, nec Scriptura nec traditio docuit; ergo &c. deinde, in illud solum in Eucharistiæ Sacramento conversio fit, quod verbis consecrationis significatur, nihil enim mystica verba efficiunt, nisi quod significant: atqui consecrandi calicis formula, nullam significat conversionem aquæ in illam quæ e latere Christi effluxit: non enim dicit Sacerdos Christi nomine calicem consecrans: *Hæc est aqua lateris mei*, sed: *hic est calix Sanguinis mei*. Ergo &c.

Dicimus 2. Aquam vino mixtam facta consecratione, in propria natura immutatam non manere vini accidentibus circumfusam: tum quia veritas formæ videtur requirere, ut totum quod in calice continetur sit Sanguis Christi: ait enim ejus nomine, nullaque facta restrictione aut exceptione Sacerdos: *Hic est enim calix Sanguinis mei* &c. tum quia quidquid in calice continetur, populo adorandum proponi, communis doctrina est: quod sane non fieret, si immutata aqua maneret: tum denique quia post consumptas vini species adhuc Sacerdos censetur jejunus: unde consequens esse videtur, aquam in sua naturali conditione non mansisse: quod ut plenius persuadeatur:

Dicimus 3. Aquam vi verborum Sacramentalium in Christi Sanguinem commutari: quod quidem etsi adstrui nequeat conceptis Scripturæ verbis, magna tamen probabilitate infertur: ait enim Christus consecratum ca-

licem Apostolis exhibens (*Matth.* 26, 27 *& seqq.*): *Bibite ex hoc omnes: hic est enim sanguis meus novi Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum*: unde sic subsumo; atqui ut superius ex traditione probatum est Christus non vinum merum, sed aqua temperatum consecravit, & discipulis obtulit: cum ergo absolute dixerit: *hic est Sanguis meus*, ab illa mirabili conversione nullam sacri poculi partem exclusam voluit; atque adeo aqua non aliter ac vinum in ejus sanguinem vertitur.

Deinde, quamvis doctrina hæc non legatur expresse a Patribus definita: fatendum tamen magis nostræ quam contrariæ favere sententiæ.

1. Enim qui labente duodecimo sæculo aquam converti in sanguinem obstinate negabant, ne unum quidem, sæpe licet provocati, laudare Doctorem præteriti temporis potuerunt, cujus patrocinio niterentur: *Qui aliis adversantur*, inquiebat Gaufredus (*in Ep. ad Cardinalem Albanensem*), *ex nullis antiquorum, sive etiam modernorum scriptis evidentia testimonia protulerunt suæ assertionis*.

2. Ex Patrum sententiis facilius certiusque infertur, aquam converti in sanguinem, quam negatur. Sic enim e. c. S. Justinus Martyr: *Ei*, inquit, (*in 2 pro Christianis Apologia*) *qui fratribus præest, offertur panis & poculum aquæ & vini: quibus ille acceptis . . . Eucharistiam sive gratiarum actionem prolixe exequitur . . . non ut communem panem, neque ut communem potum ista sumimus: sed... eam in qua per preces verbi ejus ab ipso profecti gratiæ sunt actæ alimoniam . . . incarnati illius Jesu carnem & sanguinem esse edocti sumus*. Hinc sic informatur argumentum: ex S. Justini doctrina, alimonia in qua gratiæ sunt actæ, est Sanguis Christi; atqui aguntur gratiæ super calicem vino & aqua temperatum; ergo ex illa mixtione fit Sanguis Christi; atque adeo aqua in sanguinem convertitur.

Similiter S. Irenæus: *Christus*, inquit, (*lib. 4 cont. hær. cap. 57*) *temperamentum calicis, suum sanguinem confirmavit* . . . S. Cyprianus (*Ep. 63*) *calix Domini non est aqua solum vel vinum solum, nisi utrumque misceatur*. . . & S. Hieronymus (*in cap. 14 Mar.*) *format sanguinem suum Christus in calice, vino & aqua mixtis, ut alio purgemur a vitiis & culpis, alio redimamur a pœnis* . . . . & S. Ambrosius (*lib. 4 de Sacram. cap. 3*): *Sermone Christi hoc conficitur Sacramentum, quia sermo Christi creaturam mutat: & sic ex pane fit Corpus Christi, ut vinum cum aqua in calice mixtum sit Sanguis consecrationis verbi cœlestis*. Ex his enim similibusque sententiis quasi sponte fluit, aquam pari cum vino in calice honore donari, & utrumque pariter in Sanguinem Christi converti.

3. Hæc ipsa scriptorum doctrina fuit, qui non longe ante 12 sæculum floruerunt: sic enim 9 sæculo Paschasius Ratbertus, *aqua*, inquit, (*in lib. de corp. & sang. Domini*) *consecratur, non quod aqua permaneat, sed vertitur in Sanguinem Christi*: & sæculo 11 *Algerus Leodiensis*, Scriptor hujus ætatis commendatissimus, *licet*, inquit (*in tract. de Sacram. Corpor. & Sanguinis Domini*), *in mensa Domini tria constituantur munera, sunt tamen duo per quæ sacrificatur: est aqua mixta prius vino: sed quando sacratur, non est nisi sanguis quo anima intus alatur* . . . Cui subscribens ejusdem temporis *Hildebertus Cenomanensis*, cujus opera extant in Bibliotheca Patrum, tomo 6: *Aqua*, ait, *in sanguinem vertitur, ut populus qui per aquam figuratur, in melius se mutatum intelligat*.

4. Denique a 12 sæculo ad nostram usque ætatem, sententiam hanc, paucis contradicentibus, scholarum magistri præcipui propugnarunt, quod ita sane senserit S. Thomas certum est ex art. 8, qu. 74, 3 partis, ubi doctrinam hanc adstruit, & refellit contrariam: nec minus constat, Doctori Angelico Thomistas celeberrimos, aliosque fere omnes Theologos adhæsisse: igitur a primo ad ultimum sequitur, sententiam hanc in scholis esse certissimam, reumque temeritatis futurum qui contrarium affirmaret, quia contra communem Ecclesiæ sensum arroganter insurgeret.

II.

Ostenditur, conversionem aquæ in Sanguinem Christi ad fidem non pertinere.

Non est tamen putandum, conversionem hanc in objecto fidei contineri, & de eorum dogmatum numero esse, quæ sine formali, ut loquuntur, hæresi negari non possunt: ut enim fidei esset, ex aqua Eucharistica fieri sanguinem Christi, deberet ex eodem fonte constare, Christum quando instituit Eucharistiam, aqua vinum diluisse, eamque commixtionem in perpetuum imperasse; atqui ut ex supra dictis liquet, pie quidem creditur Christum more Hebræorum, & innata temperantia, in hac ultima veteris Paschatis celebratione, & novi institutione vinum aqua temperasse: ad fidem tamen divinam non pertinet, cum nec Scriptura, nec traditione certo possit demonstrari. Ergo &c.

Deinde: licet ex Patrum sententiis eruatur, ad

ad eorum mentem aquam mutari in sanguinem: non eam tamen certitudinem afferunt, quæ fidei divinæ æquari possit: tum quia pauci admodum, in aliorum qui de hac re silent comparatione, ad illam adstruendam citantur: tum quia verba eorum de præcipua calicis parte, vino scilicet, fere omnia explicari in summo rigore possunt: tum quia in tantum inferunt, aquam in sanguinem Christi converti, quatenus principii loco ponunt, Christum ex aqua & vino mixtis suum sanguinem consecrasse: cum itaque major nequeat esse conclusionis certitudo, quam principii unde infertur, certumque fide divina non sit, Christum vinum aqua miscuisse, neque etiam ad fidem spectabit, aquam quæ in calicem funditur, converti in Sanguinem Christi.

Præterea: sententiam hanc *Innocentius III* ineunte 13 sæculo Sum. Pontifex opinionem appellavit, non ergo putavit in dogmatum fidei numero esse: de hac enim quæstione consultus ab Archiepiscopo Lugdunensi: *Quæsivisti*, inquit, (*extra ad celebratione Missarum cap. Cum Martha*) *utrum aqua cum vino in Christi Sanguinem convertatur. Super hoc autem opiniones apud scholasticos variantur: aliquibus enim videtur, quod cum de latere Christi duo præcipua fluxerint Sacramenta, redemptionis in Sanguine, & regenerationis in aqua, in illa duo vinum & aqua quæ commiscentur in calice, divina virtute mutantur, alii vero tenent, quod aqua non transit in sanguinem, sed remanet prioris vini accidentibus circumfusa: verum inter opiniones prædictas illa probabilior judicatur, quæ asserit aquam cum vino in sanguinem transmutari*: Profecto si Sum. Pontifex existimasset, conversionem hanc pertinere ad fidem, non opinionem dixisset cæteris probabiliorem, nec contrariis sententiis gradum opinionis servasset, sed iis tamquam falsis & erroneis repudiatis, dogma divinum verbis, uti par erat, convenientioribus stabilisset: cum itaque quam defendit doctrinam, meram dicat esse opinionem, aliis licet probabiliorem: idemque post ipsum fecerit S. Thomas (3 *p. q.* 74, *art.* 8): nec quidquam in contrarium hactenus Ecclesia definiverit: standum hic omnino putamus, nec temere ejus judicium prævertendum.

Diluuntur quædam objectiones.

In contrarium opponitur: fidei est, id omne quod Christus dixit suum esse sanguinem, revera esse Sanguinem Christi: atqui in ultima cœna id omne quod calix continebat, dixit esse sanguinem suum: aquam vero cum vino miscuerat, ut docet traditio, & Concilium Trid. confirmat. Ergo &c.

℟. Concessa maj. nego min. ex verbis enim Christi hoc unum necessario infertur, in sanguinem ejus converti præcipuam calicis partem, vinum scilicet, de quo continuo subjunxit: *Non bibam amodo de hoc genimine vitis*, &c. & vero eodem sensu debent accipi, quo nunc intelligerentur, si a Sacerdote proferrentur supra calicem, in quem casu, & incuria ministrantium, aliquæ liquoris alieni guttulæ intrusæ forent; atqui in hoc casu per verba Sacramentalia: *Hic est sanguis meus*: non significaretur id omne quod calix continet, in sanguinem Christi converti; ergo a pari &c. Deinde, ut sæpius dictum est, etsi pie credatur, Christum instituendo Eucharistiam, vinum aqua temperasse; ad fidem tamen divinam non pertinet: nec contrarium habent sensum verba Trid. Concilii, ut ex prædictis est manifestum; ergo neque dogma est fidei, aquam converti in sanguinem.

Inst. 1. Ecclesiæ Catholicæ doctrina est, facta consecratione solas species panis & vini in Eucharistia remanere: sic enim definitum a Patribus Trid. (*Sess.* 13. *Can.* 2): ad fidem ergo Ecclesiæ pertinet, aquam vi verborum in sanguinem esse mutatam: alioquin enim præter panis & vini species aliquid remaneret, quod est contrarium fidei.

℟. Dist. antec. Catholicæ Ecclesiæ doctrina est, facta consecratione solas species panis & vini in Eucharistia remanere, idest, totam panis & vini substantiam in corpus & sanguinem Christi esse conversam, conc. idest, non posse extraneam quandam substantiam, facta consecratione, sub speciebus Eucharisticis latitare, nego ant. & conseq.

Ad responsionis intelligentiam sola opus est Trid. canonis lectione: *Si quis dixerit*, inquiunt Patres, *in Sacrosancto Eucharistiæ Sacramento remanere substantiam panis & vini, una cum corpore & Sanguine Domini nostri Jesu Christi: negaveritque mirabilem illam & singularem conversionem totius substantiæ panis in corpus, & totius substantiæ vini in sanguinem, manentibus duntaxat speciebus panis & vini: quam quidem conversionem catholica Ecclesia aptissime transubstantiationem appellat: anathema sit*. Conditus ille canon est, contra Lutheranos præfracte contendentes, in Eucharistia post consecrationem manere panis & vini substantiam: contra hos scripturæ, perpetuæque traditionis auctoritate statutum, solas panis & vini species remanere: solus ergo panis, & solum vinum consecratione facta ab Eucharistia secundum fidem Catholicam excluduntur; atque adeo ex hoc canone inferri no-

nequaquam potest; aquam aliamve substantiam non manere: præsertim cum de aqua Eucharistica consulto Patres siluerint: non enim ajunt totam substantiam calicis quæ in vini & aquæ temperamento consistit, sed *totam substantiam vini, manentibus duntaxat ejus speciebus, in sanguinem Christi converti*.

Inst. 2. Quidquid continetur in calice, post consecrationem populo adorandum proponitur. Ergo præter corpus & Sanguinem Christi, nihil in Eucharistia remanet.

℞. Nego absolute ant. dico loqui convenientius qui affirmant, adorandum proponi Christum, corpus scilicet ejus & sanguinem animamque & divinitatem ejus. Nam

1. Fieri potest, ut liquor aliquis extraneus, aut quodvis aliud corpusculum consecrato calici commisceatur, cui latriæ cultus nec exhibetur, nec vero potest.

2. Certum est, ut prædiximus, Græcos antiqua consuetudine, post factam consecrationem, & paulo ante communionem, aquam ferventem in calicem mittere: nemo tamen dixerit, aquam hanc ab eorum Sacerdotibus & a populo adorari quando sacram Communionem sumpturi humiles procumbunt in Genua.

3. Nec minus ex physica certum est, intra vini poros interclusum aerem, aliamve subtiliorem materiam contineri, quæ cum in Christi Sanguinem non convertatur, eosdem tamen, facta consecratione implet meatus, quos antea occupabat: deinde nemo nescit, tantisper in naturæ contemplatione versatus, nullum ita purum ac simplex esse corpus, quin ex aliorum admixtione concrescat: in elementis etiam quæ simplicissima esse videntur, varia animantium semina, immo & plerumque diversa animalcula latitare: cujus admixtionis vinum expers dici non potest, cum etiam in aceto deprehendantur: quis vero sanæ mentis dixerit extraneas illas substantias, quæ tales facta consecratione sunt, quales antea fuerant, a fidelibus adorari?

Inst. ultimo: S. Thomas inde probat aquam converti in Sanguinem Christi: *Quia*, inquit, (*3 p. q. 74, art. 8, in c.*) *in Sacramento Altaris post consecrationem nihil est, nisi Corpus & Sanguis Christi .... alioquin non totum adoraretur veneratione latriæ*. Ergo Doctori Angelico contradicimus.

℞. Dist. ant. & explico mentem S. Doctoris: & illud dicit velut probabilius, conc. tamquam ad fidem pertinens, n. ant. & consequens: plena nobis cum S. Thoma consensio est: 1 namque cum illo sentimus, aquam converti in Sanguinem Christi: 2 cum illo pariter propugnamus, doctrinam hanc licet contraria probabiliorem, ad fidem non pertinere: quod enim ita sentiat Angelicus Doctor, ex verbis ejus in hoc ipso articulo clarissimum est: *Et ideo*, inquit, *sicut Innocentius III dicit, aliorum opinio probabilior est, qui dicunt aquam converti in Sanguinem*.

III.

Aquam prius in vinum quam in Sanguinem Christi converti, nedum certum sit, argumentis efficacissimis impugnatur.

Venio ad ultimum dubium, utrum scilicet aqua Eucharistica in vinum prius quam in Christi Sanguinem convertatur? Et dico opinionem hanc, quam multi de schola defendunt, & quasi pro aris ac focis propugnant, tum nullo niti argumento plausibili, tum rationibus meo quidem judicio convincentibus facile convelli.

Hanc enim aquæ in vinum conversionem, vel adstruet fides, vel ratio; atqui neutrum dici potest.

Non primum: nam quod fide credendum est, in divina revelatione continetur: divinæ vero revelationis thesaurus in Scriptura Sacra & traditione consistit; atqui neque ex Scriptura, neque ex traditione habetur, aquam Eucharisticam in vinum prius quam in Sanguinem Christi converti: cum de prodigiosa hac mutatione altum sit in scriptura, & conciliorum canonibus, & Patrum scriptis silentium: imo videntur Patres aperte sentire contrarium, quando affirmant aquam converti in Sanguinem Christi. *Format sanguinem suum Christus in calice*, inquit S. Hieronymus, (*in cap. 14 Marci*) *vino & aqua mixtis .... &* S. Ambrosius (*lib. 4 de Sacr. c. 3*): *vinum cum aqua in calice mixtum fit Sanguis, consecratione verbi cælestis*. Si enim putarent aquam in vinum converti, falso dicerent Christum formare Sanguinem suum ex vino & aqua: in illa enim hypothesi non ex aqua, sed ex solo vino fieret Sanguis, quia aqua mutata in vinum, jam non aqua sed vinum foret. Ergo &c.

Sed nec etiam secundum: ut enim huic opinioni faveret ratio naturalis, deberet aquæ in vinum conversio ex principiis Philosophiæ possibilis demonstrari; atqui hanc adeo necessariam demonstrationem, nemo hactenus attulit. Nam

1. Ex quo quæstio hæc versus 12 sæculi finem acriter cœpit hinc inde moveri, multi quidem Theologi, alter, ut fieri solet, post alterum, velut probabiliorem sententiam, propugnarunt, aquam prius in vinum quam in San-

San-

Sanguinem Christi converti: hujus vero transmutationis causam nemo attulit convincentem: id quod experimento probabit, quisquis Theologorum commentaria lectitando, in hanc quæstionem inciderit: compertum namque erit, sola eos plerumque niti Theologorum præcedentium humana auctoritate, rationes vero aut omnino nullas afferre, aut adeo tenues & imbecilas, ut ne refutatione quidem indigeant.

2. Cum hæc quæstio tota Philosophici juris sit, in ejus explicatione Philosophos naturæ indagatores, Judices audire præstat, quam Theologos, quorum officium est, de rebus divinis ex revelatione disserere: ut enim vulgari proverbio dicitur, *Perito cuique in arte credendum*; atqui aquæ io vinum conversionem Physici, Chymici, Medici, nedum naturaliter possibilem fateaotur, repugnare una voce cootendunt: docent scilicet, quantalibet sive metallorum, sive liquorum, sive salium mixtio, attritio, & resolutio fiat, unumquodque elementum in minutissimas licet partes discissum quam ante habuerat tenere naturam: neque vero hoc dicunt tantum, sed experimentis certissimis persuadeot, ponuntque ob oculos: nam & metalla, & sales, & liquores mira industria separant, quæ in unam coaluisse naturam videbantur, longeque facilius in hac de qua modo agitur materia obtinent: nam, inquiunt, ut aqua diu licet vino concocta & macerata, separetur a vioo, sibique tota restituatur, sola opus est junci medula, vel spongia oleo delibuta, vel vase confecto ex hedera, e cujus poris aqua guttatim, solo vino remanente, quasi ad oculum effluere cernitur: quod experimentum, oisi insigniter mendaces esse velimus factum a sexcentis attestantibus est credendum.

Deinde, quærimus qui tandem fieri possit, ut tota vino mixta ante habitam naturam deperdat, & convertatur in vinum: hoc ideo fit, inquies, quia vinum actuosissimum est: bene est; atqui similiter aqua est actuosa, penetrabiles enim & mobiles, & flexibiles habet partes: quemadmodum itaque tertia aquæ pars in vinum immissa, vini naturam, si tibi credimus, induit: ita & tertia vini pars aquæ duplo majori commixta in aquam mutabitur; atqui secundum quotidiano experimeoto repugnat. Ergo & primum.

At latissimum, dices, aquam inter & vinum, quantum ad virtutem agendi discrimen est, innato namque calore vinum aquam torquet, ejusque partes discindit ac macerat: parem vero aqua in vinum virtutem non habet, natura iners & otiosa.

Sed in contrarium dicimus,

1. Falso affirmari aquam natura inertem esse & otiosam; nam plurimam agendi, imo majorem vino ipso solvendi habere vim, chymici & medici multiplici experimento confirmant.

2. Nec calori vini potest effectus ille attribui: idem enim esto judicium de vino ac de igne quem certe negari non potest vino esse calidiorem; atqui quantalibet ignis activitas sit, neque aquam, neque metalla, nec alia multa potest in se ipsum convertere. Ergo a pari nec potest vinum quantovis calore præstans, immixtam aquam mutare: vioi namque esse feraces vitibus, & virtuti solis qua fœcundantur natura dedit.

Præterea, si aqua in vinum injecta, naturaliter in ipsum converteretur, absque ullo negotio, & exiguo sumptu modica vini quantitas brevi in immensum posset excrescere: unum dolium e. c. paucis diebus ad centesimum numerum augeretur, quod etsi dictum absurdissimum sit, ex adversariorum hypothesi necessario sequi sic ostendo. Concilii *Triburiensis* definitio est, duas saltem in calice debere vini esse partes, tertiam aquæ: apud Græcos vero & orientales aquæ cum vino attemperatio ea proportione fit, ut si vinum sit generosum, tertia aquæ pars adjungatur, si languidius, pro variis gradibus imbecilitatis ad 10 usque partem decrescat: porro quibus cum agimus Theologi contendunt 3 hanc aut 10 aquæ portionem naturaliter in vinum converti, hancque mutationem paucis momentis fieri affirmant, eo scilicet tempore quod offertorium missæ & consecrationem interfluit: jam sic prosequor argumentum:

Quod a Sacerdote vinum cum aqua miscente in templo fit, cum naturali virtute fiat, nec ad sacri ministerii potestatem absolute pertineat, potest pariter quilibet domi privatim attentare; atque adeo Tabernarius v. c. duo habens venalia vini dolia, brevissimo tempore poterit e duobus tria facere: iterumque e tribus, servata proportione, quatuor cum dimidio, & sic in infinitum: quod enim hora præsenti fit, quid impedit quominus iterum hora sequenti, parique successu fiat, & sæpius sæpiusque magno brachiorum molimine, ad latitudinem usque puteum exsiccando, repetatur? quodque mirum magis, ab omni erit culpa & fraude immunis, vinum recens ex aqua natum divendens; non enim aquam, in hac hypothesi vendet, sed vinum; adeoque non magis peccabit, quam peccaret Alchimista; qui verum aurum arte factum (si id quidem posset) pro vero venderet: hunc enim immunem a peccato futurum, S. Thomæ & Theologorum communis doctrina est; atqui consequens

quens illud tum absurditatis plenum est, tum refutari ab adversariis solida ratione non potest.

Nam quod aiunt, non posse nec debere hoc fieri, quia aqua vino addita ejus vigorem imminuit, vere illud quidem dicitur, sed adversariorum hypothesim funditus evertit: si enim aqua in vinum revera mutata foret, ejusdem naturæ esset ac vinum, cum omne agens, ut vere affirmant Philosophi, generet sibi simile; atque adeo vini vigor eo magis (nedum minueretur) excresceret, quomodo quando foco lignum imponitur, ignis suppositi calor non minuitur, sed augetur: cum itaque illationem hanc tum sensus communis, tum quotidiana experientia probet veritati esse contrariam, fatendum ideo vini ex adventu aquæ vigorem extenuari, quia natura immutata manet, & nativa virtute frangit obtunditque acumen vini: quod magis vel minus fit, prout major minorve aquæ quantitas admiscetur; ita ut si centesima, quinquagesima, aut quævis tandem aquæ sit portio, pari gradu vini acies hebetetur. Ergo &c.

Solvuntur quædam objectiones.

Opponunt adversarii: aquam in vinum converti affirmant scriptores auctoritate præcipui: sic *Innocentius III* Pontifex Max. eorum dicit (*c. Cum Martha*) probabiliorem esse sententiam qui volunt aquam converti prius in vinum quam in sanguinem: concinit S. Thomas 3 par. qu. 74, art. 8, in corpore: *Et ideo*, inquit, *sicut dicit Innocentius, aliorum opinio probabilior est, qui dicunt aquam converti in vinum, & vinum in sanguinem*: multo expressius idem Innocentius, antequam ad Summ. Pontificatum esset evectus, missæ mysteria explicans, (*lib. 4, cap. 4*) sic statuerat: *Quis ambigat, aquam in vinum transire cum multo vino modicum infunditur aquæ?* hinc catechismus Concilii Trid. *Illud autem*, ait, (*part. 2, tit. de Eucharistia, n. 18*) *Sacerdotibus est animadvertendum, ut quemadmodum in sacris mysteriis aquam vino adhibere oportet, sic etiam modicam infundendam esse: nam Ecclesiasticorum scriptorum sententia & judicio aqua illa in vinum convertitur.* Ecclesiastici porro scriptores, quos, tacitis nominibus, laudat, sunt Innocentius III, Albertus Magnus, S. Thomas, Alexander Halensis, S. Bonaventura, Scotus, & alii scholarum omnium scriptores pene innumerabiles; ergo sententia illa tenenda est, & contraria explodenda, ne videamur contra tantos tamque graves auctores arroganter insurgere.

℟. Dist. ant. aquam in vinum converti affirmant scriptores auctoritate præcipui, affirmant, inquam, *historice*, & aliorum sententiam referendo, quam nec examinant nec expendunt, conc. affirmant *de suo*, doctrinam hanc explicando, & rationes quibus innititur afferendo, n. ant. & conseq.

E. R. Equidem in objectione laudati scriptores velut probabiliorem doctrinam admittunt, volentium aquam in vinum converti: verum mere historice, & veluti in transcursu ita loquuntur: nam vix unum inter mille reperias, qui fundamentum hujus sententiæ adstruat, & afferat ad eam demonstrandam vel approbandam plausibiles rationes, nec mirum: cum enim hæc quæstio tota Philosophica sit, e re sua non judicarunt in ejus discussione morari: eorum itaque auctoritas quantalibet (& sane magnam in cæteris esse non refragamur) ad probandum aquam in vinum mutari non sufficit: quæstio enim quæ tota in natura versatur, non humana auctoritate, sed ratione resolvi debet: *Theologorum scholasticorum etiam multorum testimonium*, inquit Melchior Canus (*de locis Theolog. lib. 8, c. 4*) *si alii contra pugnant viri docti, non plus valet ad faciendam fidem, quam vel ratio ipsorum, vel gravior etiam auctoritas comprobarit, videlicet in scholastica disputatione plurium auctoritas obruere Theologum non debet: sed si paucos viros, modo graves, secum habet, poterit sane adversus plurimos stare: non enim numero hæc judicantur, sed pondere*: ita præfatus, magno sane judicio, scriptor: jam sic subsumo; atqui aquam in vinum converti, nec fides divina adstruit, nec ratio probat, cum e contrario conversionem hanc impossibilem esse multis momentis evincat. Ergo &c.

Inst. 1. vinum Eucharisticum modica aqua esse temperandum, Ecclesiæ Catholicæ præscriptio est; atqui hujus ferendæ legis causa non alia esse potuit nisi quia credit aquam in vinum mutari; unde sequitur modica quantitate in calicem infundi debere, ut majore vini virtute superetur. Ergo &c.

R. Concessa maj. nego min. satis namque ludicra res est, quæ in objectione insinuatur, Ecclesiam scilicet ad suas regulas adstruendas, expectare Philosophorum oraculum, neque in schola Christi, sed in Platonicis Aristotelicisve Academiis normam agendi & credendi doceri: non ideo igitur majorem debere esse vini quam aquæ in calice molem sancitum est, quia aqua creditur in vinum mutari; sed quia Eucharistia essentialiter ex vino præexistente fit, quod fide divina tenemus in Christi Sanguinem commutari: aqua vero accidentario se habet ad sacrificium & Sacramentum, nec aliam ob causam requiritur, nisi ad significandam unionem populi fidelis cum Christo.

Inst.

Inst. 2. FF. Prædicatores & antiquæ observantiæ Carmelitani ritu veteri prius aquam cum vino infundunt in calicem, quam missæ sacrificium auspicentur; atqui hujus consuetudinis non alia ratio est, nisi ut vino detur tempus sufficiens ad agendum in aquam, eamque in seipsum mutandum: ergo &c.

R. Concessa maj. nego min. non enim ideo Carmelitani & FF. Prædicatores calicem ante missæ exordium præparant, ut tempus vino concedant ad vires suas in aquam exerendas, eamque donec vinum facta fuerit, fatigandam, quod absurdissimum dictu est; sed quia Latinæ Ecclesiæ ritum antiquum sequuntur, quo cautum erat, uti observabit qui veteres leget occidentis liturgias, prius materiam sacrificii esse præparandam, quam Sacerdos missam inciperet: nam quod in occidente isti faciunt, observat per universum Orientem Ecclesia, ut ex omnibus Græcorum aliorumque liturgiis constat; atqui nemini unquam Græcorum in mentem venit ideo ante celebrationem mysterii esse calicem præparandum, quia certo temporis intervallo opus est, ut aqua mutetur in vinum; ergo idem de istis putandum est: deinde Missalis Romani Rubricis præscribitur, ut *si celebrans ante calicis consecrationem advertat aquam non fuisse appositam in calice, statim ponat eam, & proferat verba consecrationis*: Ergo non putat Ecclesia mora aliqua opus esse, ut aqua mutetur in vinum, & de hac conversione ne cogitat quidem, ad unum intenta mysterium, quo Christus & plebs in Sacrosancta Eucharistia per vini & aquæ admixtionem adunari significantur.

APPENDIX. ¶

De valida alterius speciei sine altera consecratione.

S. Thomas 3 p. qu. 78, art. 6, quosdam antiquos Doctores memorat, qui putarunt consecrationes panis, & vini ita ab invicem pendere ut altera sine altera suum nequaquam effectum, assequeretur, adeo ut consecratio e. g. panis, ante vini consecrationem pendula, & inofficiosa remaneret. Hanc ille opinationem, sive potius errorem efficaciter refellit eodem articulo his verbis: „ Hoc stare, inquit, non potest: quia, sicut dictum est, ad veritatem „ hujus locutionis, *hoc est corpus meum*, re„ quiritur propter verbum præsentis temporis, „ quod res significata simul tempore sit cum „ ipsa significatione locutionis: alioquin si in „ futurum expectaretur res significata, appo„ neretur verbum futuri temporis, non autem „ verbum præsentis; ita scilicet, quod non „ diceretur, *hoc est corpus meum*, sed, *hoc* „ *erit corpus meum*. Significatio autem hujus „ locutionis completur statim completa prola„ tione verborum. Et ideo oportet rem signi„ ficatam statim adesse, qui quidem est effe„ ctus hujus Sacramenti: alioquin locutio non „ esset vera. Est etiam hæc positio contra „ ritum Ecclesiæ, quæ statim post prolatio„ nem verborum Corpus Christi adorat. “ Præterea quam absurda sit hujusmodi opinio, nemo non perspicit: fieret enim ut prima consecratio irrita, ac frustranea subinde redderetur ex contingentibus casibus, ut si post illam repentina morte sacerdos deficiat, aut si alterius consecrationis materia deprehendatur inepta, nec idonea, quæ opportune suostituatur, præsto sit, aliisve de caussis etiam sine alicujus culpa incurrentibus. Quod si consecratio panis independenter a sacri calicis consecratione firmitatem habet; vini quoque consecratio, etiamsi præpostero ordine panis præmittatur consecrationi, valida omnino existimanda est.

Opponebant veteres illi Doctores exemplum baptismi, in quo licet tres essent immersiones, prima tamen immersio suum non consequabatur effectum nisi tertia completa.

Disparem inter unum, & aliud Sacramentum rationem assignat idem S. Doctor in resp. ad 2, inquiens: *hoc Sacramentum* (Eucharistiæ) *est unum perfectione, sicut supra dictum est, scilicet inquantum constituitur ex duobus, scilicet cibo, & potu, quorum utrumque per se habet suam perfectionem. Sed tres immersiones baptismi ordinantur ad unum simplicem effectum. Et ideo non est simile.* Quæ disparitas clara est, nec explicatione indiget.

Cardinalis de Lugo, quamquam ab errore refutato recedat, novam tamen hac de re invexit, ac defendit opinionem ab aliorum omnium Theologorum sensu, ac principiis universim probatis alienam: docet nimirum panem sine vino, aut vinum sine pane invalide consecrari quoties intentio Sacerdotis ad alterutram tantum consecrationem determinatam, alteram subducere meditatur.

Hæc quoque rejicienda sententia est. In omni siquidem Sacramento, si minister intendat efficere, quod verba significant, quidquid de se efficere possunt circa materiam subjecti, illa intentio sufficit ad effectum: sicut Episcopus vere confert unum ordinem ei, cui in animo habet numquam alium conferre. Si ergo velit Sacerdos ex pane Christi corpus conficere, etiamsi renuat vini in Sanguinem conversionem adjungere, & super idoneam materiam requisita verba pronunciet, cur quæso ejus in-

tentio carebit effectu? quia, inquit de Lugo, intentio necessaria ad quidpiam valide præstandum in Eucharistiæ confectione debet saltem implicite ad totius sacrificii, quod utramque speciem essentialiter, & ex Christi institutione comprehendit, integritatem, atque perfectionem spectare. At fatemur quidem sacrificium a Christo institutum utriusque speciei consecratione indigere. Verum gratis de Lugo asserit intentionem totum peragendi ad singularum partium validam confectionem requiri: cum oppositum jam allatis rationibus evincatur.

Illud tamen fateri debemus omnes, illicitam prorsus esse alterutrius ab altera speciei dissociatam, aut vini anticipatam consecrationem. Id apertissime constat ex cap. *Comperimus*, *de consecrat.* dist. 2, ubi Leonis Papæ I verbis dicitur, *non posse absque grandi sacrilegio dividi mysterium* &c. Id ipsum ex praxi, & methodo perpetua Ecclesiæ cognoscitur, ejusque præscriptionibus, nec non ingenti sollicitudine, ut species utraque consecretur, etiam alterius Sacerdotis opera substituta, si post unius consecrationem celebrantem mori contingeret, ut Concil. Toletanum 7, can. 2 decrevit: unde etiam ordo in utraque consecranda servandus elucet, ut scilicet panis ante vinum consecretur, qui alioquin rebus ipsis, seu materiæ utriusque analogiæ consentaneus est: quia cibus etiam in naturali refectione potum antecedit.

Hinc vero colligere oportet contra Alensem, Adrianum, aliosque Auctores, qui præcepto dumtaxat ecclesiastico interdictam existimant alterius speciei sine altera consecrationem; falsissimam esse horum opinionem. Utriusque quippe speciei consecratio est primum necessaria ad integritatem Sacramenti, quod Christus sub panis, & vini conjunctis speciebus ideo instituit, ut sub symbolis, & signis perfectæ, & absolutæ refectionis corporalis, quam nec cibus sine potu, nec potus sine cibo præstare intelligitur integra, & perfecta spiritualis per Christi corpus, & sanguinem alimoniæ repræsentatio haberetur, adeoque in una tantum specie completa hæc significatio nequaquam consisteret.

2. Est necessaria ad rationem sacrificii, cujus interposita celebratione Sacramentum ipsum complecti Christus jussit: Sacrificium enim illud est incruentum, & mystica immolatio Christi Domini ejus cruentam passionem, & occisionem separatione sanguinis a corpore peractam quadam imagine repræsentans, quatenus vi, & significatione verborum panis in solum Christi corpus convertitur, & vinum in solum sanguinem Christi (licet utrumque per concomitantiam sub alterutra specie contineatur) & sic quædam unius ab altero in signo ut Sacramento separatio exhiberetur. Hæc autem interdicit repræsentatio mystica, aut obscura redditur, & involuta: uno verbo, non qualem Christus instituit, una tantum consecrata materia, peragitur.

Ex quibus statim divinum apparet de utriusque materiæ consecratione præceptum: Nam quæ ad integritatem Sacramenti, vel sacrificii pertinere noscuntur, a Christi institutione descendunt, atque adeo divinam deferunt jussionem: quæ ulterius a Concilii Trid. *sess.* 22, *cap.* 1, verbis evidenter elicitur: ait enim ibi Concilium de Christo: *Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech se in æternum constitutum declarat, corpus, & Sanguinem suum sub specie panis, & vini Deo Patri obtulit, & sub eorumdem rerum symbolis Apostolis, quos novi Testamenti sacerdotes constituebat, ut sumerent tradidit, & eisdem, eorumque in Sacerdotio successoribus, ut offerrent præcepit per hæc verba*: hoc facite in meam commemorationem, *ut semper Ecclesia catholica tenuit, ac docuit*.

Colligere etiam oportet falsam esse opinionem Gabrielis Azorii, Enriquez, Fagundez, qui Ecclesiæ, ac sum. Pontificum dispensationi utriusque speciei consecrationem subjectam existimant: quoniam præcepta, quæ sunt juris divini absolute, & immediate, nulla possunt humana potestate, qualis & ecclesiastica noscitur, auferri, minui, aut relaxari. Dixi, quæ sunt juris divini immediate, & absolute, ut ea exciperem, quæ sub illo non comprehenduntur, nisi interveniente aliquo humano actu, seu creatæ voluntatis effectu, prout contingit in votis, juramentis, & contractibus, in quibus ideo dispensare Ecclesia potest, quia auferre valet obligationis materiam, sive actum humanum, super quem illa cadit, irritum reddere. At consecratio utriusque speciei est juris divini absolute, & immediate, ac independenter, ut pote sine qua integritas Sacramenti, aut sacrificii divinitus instituti stare minime potest. Ergo dispensatoriæ Ecclesiæ potestati non subjacet.

Possent, inquies, sum. Pontifices hujusmodi jus saltem interpretari, & declarare in quibusdam circumstantiis non obligare. Non abnuo si ea jura obscura forent, & interpretationem admitterent. At in casu nostro nimis apertum est divinum præceptum de sacrificio in utraque specie peragendo, & consequenter nonnisi in utroque conficiendo Eucharistiæ Sacramento. Et omnibus privatis, & publicis commodis illud prævalere debet: quod ipsius etiam Ecclesiæ judicio comprobatur, quæ neminem

minem unquam ab ejus observantia declaravit immunem. Equidem Valateranus in sua Cosmographia narrat, Innocentium VIII Norvegis permisisse solum panem in missa consecrare ob vini penuriam. Verum huic Auctori adhibenda fides non est, cum nullum proferat facti hujusce testimonium, quod perpetuæ Ecclesiæ praxi adversatur, & cujus nullum reperitur monumentum, nullum extat vestigium, cujus demum permissionis nulla apparet necessitas, cum Norvegis aliunde vinum & abundanter quidem afferatur.

QUÆSTIO TERTIA.

De forma Eucharistiæ consecrandæ.

Sequitur ut de forma dicamus, sive de verbis quibus divinæ Eucharistiæ consecratio fit: cum autem illam Christus non solum instituerit, sed ipsemet in ultima cœna confecerit, duplex hic difficultas objicitur: 1 est, utrum Christus verbis aliquibus, ex pane & vino corpus suum & sanguinem fecerit? 2 utrum aliqua verba præscripserit in perpetuum usurpanda? itaque tripartita quæstio erit. 1. Qua ratione Christus Eucharistiam fecerit, indagabimus: 2 quam voluerit in posterum esse formam panis consecrandi: 3 quæ verba calici benediceudo aptaverit. Sit igitur

CAPUT PRIMUM.

Qua ratione Christus panem & vinum, corpus suum & sanguinem fecerit.

§. PRIMUS.

Quæstio explicatur.

Quo certius feratur de hac difficultate judicium, verba ipsa legenda sunt, quibus SS. Evangelistæ institutionis Eucharistiæ historiam narrant: *Cœnantibus autem eis*, ait S. Matthæus (*c. 16, v. 26 & seqq.*) *accepit Jesus panem, & benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, & ait, accipite & comedite, hoc est corpus meum: & accipiens calicem gratias egit, & dedit illis dicens: bibite ex hoc omnes: hic est enim sanguis meus novi Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum*. Pari modo SS. Marcus, Lucas, & Paulus loquuntur. (*Marc. 14, 22 & seqq., Luc. 22, 29 & seqq., 1 Cor. 12, 23 & seqq.*)

Hinc manifestum est, Christum Eucharistiam instituendo & discipulis exhibendo verba quædam protulisse: qua de re difficultas esse non potest: sed quæritur, utrum; his ipsis verbis, aut solo voluntatis imperio, in corpus & sanguinem suum subjecta elementa mutaverit?

Innocentius III in libris antequam sum. attigisset Pontificatum editis, velut probabilem sententiam propugnavit, Christum suprema qua vigebat potestate, absque ullis omnino verbis Eucharistiam consecrasse: nec alia causa voces Evangelicas protulisse: *hoc est corpus meum: hic est sanguis meus*: nisi ut Sacramenti in posterum conficiendi normam præberet. *Sane dici potest*, inquit, (*de Myst. altaris lib. 4, c. 6*) *quod Christus divina virtute confecit, & postea formam expressit, sub qua posteri benedicerent: ipse namque per se virtute propria benedixit: nos autem ex illa virtute quam indidit verbis*.

Contraria est Magistri sentent. S. Thomæ, & omnium Theologorum doctrina affirmantium, Christum verbis ipsis Evangelicis consecrasse, & eamdem tradidisse Apostolis regulam in perpetuum observandam. *Quidam dixerunt*, ait præceptor Angelicus, (*3 p. q. 18, art. 1, ad 1*) *quod Christus qui habebat potestatem excellentiæ in Sacramentis, absque omni forma verborum hoc Sacramentum perfecit, & postea verba protulit, sub quibus alii postmodum consecrarent: quod videntur sonare verba Innocentii III dicentis:* sane dici potest, quod Christus virtute divina confecit, & postea formam expressit, sub qua posteri benedicerent. *Sed contra hoc expresse sunt verba Evangelii, in quibus dicitur quod Christus benedixit, quæ quidem benedictio aliquibus verbis facta est: unde prædicta verba Innocentii sunt opinative magis dicta, quam determinative*. Ita S. Thomas cum quo sit

§. SECUNDUS.

Ostenditur Christum, quamquam solo voluntatis imperio potuerit Eucharistiam consecrare: revera tamen verbis Evangelicis, ex pane & vino fecisse corpus & sanguinem suum.

1. Sententiæ pars quia perspicua est, & de illa convenit inter omnes, probatione non indiget: quis enim ambigat Christum quod verbo sonante exterius poterat, hoc ipsum, etiam sine verbo, cum sit omnipotens, potuisse?

2. Adstruitur, tum verbis Evangelii modo allegatis, unde constat, Christum panem & vinum benedixisse: *quæ quidem benedictio*, ait S. Thomas, *verbis aliquibus facta est*; tum ex communi Ecclesiæ sensu: tum expressis Patrum testimoniis.

S 2. Sic

Sic inter cæteros Tertullianus : *Acceptum panem*, inquit, (*cont. Marcion. lib.* 4, *cap.* 40) *& distributum discipulis*, *corpus suum illum fecit*, *hoc est corpus meum*, *dicendo*.

Et S. Ambrosius: *Tu forte dicis*, ait, (*de Sacr. lib.* 4, *c.* 4) *meus panis est usitatus* : *sed panis iste*, *panis est ante verba Sacramentorum*, *ubi accesserit consecratio*, *de pane fit caro Christi : consecratio igitur cujus verbis est*, *& cujus sermonibus ? Domini Jesu*.

Concinit S. Joannes Chrysost. *Sacra ipsa oblatio*, inquit, (*hom.* 2 *in* 2 *Ep. ad Tim.*) *sive illam Petrus*, *sive illam Paulus*, *sive cujusvis meriti Sacerdos offerat*, *eadem est quam dedit Christus ipse discipulis suis*, *quamque Sacerdotes nunc quoque conficiunt* : *nihil habet ista minus*, *quam illa*: *quamobrem? quia non hanc sanctificant homines* : *sed Christus qui illam ante sacraverat* : *quemadmodum enim verba quæ locutus est Christus*, *eadem sunt quæ Sacerdotes nunc quoque pronuntiant* : *ita & oblatio eadem est*.

Et alibi: (*hom. de proditione Judæ*) *Hoc verbo*: *hoc est corpus meum*, *mavera proposita consecrantur*; *& sicut illa vox quæ dixit* : Crescite & multiplicamini: *semel quidem edita est*, *sed omni tempore sentit effectum*: *ita & vox illa* : hoc est corpus meum, *semel quidem a Christo dicta est*, *sed per omnes mensas Ecclesiæ usque ad hodiernum diem*, *& usque ad ejus adventum*, *præstat sacrificio firmitatem*.

Et denique, ut longe plures præteream, S. Joannes Damasc. *Sicut Deus dicendo*, *fiat lux*, *fecit lucem*: *ita*, inquit, (*lib.* 4 *de fide*, *c.* 13) *dicendo*: hoc est corpus meum, hic est sanguis meus, *perficit hoc Sacramentum*.

Hinc sic elicitur argumentum:

Illa doctrina tenenda est, quæ ad scripturæ textum sensumque magis accedit, quam Ecclesia communi consensione amplectitur, quamque postremo SS. Doctores propugnant; atqui hujusmodi sententia est, quæ Christum verbis Evangelicis Eucharistiam confecisse affirmat. Ergo &c.

§. TERTIUS.

Diluuntur quædam difficultates.

Obj. Christus panem, benedicendo consecravit ut colligitur ex his verbis : *Accepit panem*, *& benedixit*; atqui benedicendo, verba nulla protulit; ergo sine verbis Eucharistiam consecravit.

℟. Concessa maj. nego min. vox illa (*benedixit*) diversimode potest intelligi.

1. Pro interna oratione, per quam Patris potentiam invocaverit, uti facere solebat, quoties insigne quoddam miraculum patrare meditabatur.

2. Pro designatione & destinatione prævia panis & vini ad mox futurum Sacramentum, cujusmodi est, quæ aquæ impenditur, antequam ad usum baptismatis assumatur.

3. Ad mentem Doct. Angelici, quia & communi Ecclesiæ sensu rectissime intelligitur de consecratione, quæ facta fuerit verbis Evangelicis : *hoc est corpus meum : hic est Sanguis meus*, cui explicationi ex animo insistendo negamus, Christum nulla protulisse verba, quando panem benedixit.

Inst. 1. Probando min. si quædam Christus verba panem benedicendo protulisset, maxime ista; *hoc corpus meum*; atqui quod ea tum temporis non protulerit, ex Evangelio manifestum est: *Accepit panem*, inquit, *& benedixit*, *ac fregit*, *deditque discipulis suis*, *& ait* : *accipite & comedite* : *hoc est corpus meum* : inde sic formatur argumentum.

Inter benedictionem panis, & prolationem verborum, duplex actio Christi media est, fractio scilicet panis, & ejusdem distributio; ergo verba benedicendo non protulit.

℟. Concessa maj. nego min. ad probat. admitto testimonium, & distinguo antecedens: inter benedictionem panis & prolationem verborum, duæ Christi actiones mediæ sunt : mediæ, inquam, *ordine narrationis*, concedo: *ordine temporis quo hæc gesta sunt*, nego aut. & conseq.

E. R. Aliud est quidpiam facere, aliud narrare factum: possunt uno puncto temporis ab uno eodemque diversæ elici actiones : non vero possunt nisi cum aliqua temporis & orationis successione enumerari : sic porro se habet res in præsenti : Christus enim Eucharistiam instituendo simul quidem panem & benedixit, & omnipotenti sermone consecravit, & fregit, & porrexit Apostolis; at hæc eadem ordine narrationis, quia dici una voce non poterant, ab historicis sacris distingui oportuit; itaque benedictionem inter panis & prolationem verborum, duæ illæ actiones, non in facto Christi, sed in historia factum referente mediæ sunt: ita respondet S. Thomas: *Videtur*, inquit, (3 *p. q.* 78, *art.* 1, *ad* 1) *quod Christus manifeste hæc verba proferens consecraverit*; *& ideo alii dixerunt*, *quod Evangelistæ non semper eumdem ordinem in recitando servaverunt*, *quo res sunt gestæ*, *ut docet S. Aug.* (in libris de consensu Evangel.) *unde intelligendum est*, *ordinem rei gestæ sic exprimi posse*: *accipiens panem*, *benedixit dicens*: *hoc est corpus meum*: *& deinde fregit*, *& de-*

& dedit discipulis suis: sed idem sensus haberi potest, etiam verbis Evangelicis non mutatis: nam hoc participium, (dicens) concomitantiam quandam importat verborum prolatorum ad ea quæ præcedunt: non autem oportet quod hæc concomitantia intelligatur solum respectu ultimi verbi prolati: quasi Christus tunc ista verba protulerit, quando dedit discipulis suis: sed potest intelligi concomitantia respectu totius præcedentis, ut sit sensus: dum benediceret, frangeret, & daret discipulis suis, hæc verba dixit: accipite & comedite, hoc est corpus meum.

Inst. 2. Atqui benedictio panis non debet de consecratione intelligi, quæ facta fuerit per Evangelica verba. Ergo &c. Pr. subs. idem esto judicium de panis, ac de calicis benedictione; atqui benedictio calicis his verbis facta dici non potest: *hic est sanguis meus.* Ergo a pari &c.

Probatur minor Scripturæ auctoritate: *Accepto calice, gratias agens dedit eis*, ait S. Marcus (*c.* 14, 23 *& seq.*): *Et biberunt ex illo omnes; & ait illis: hic est sanguis meus novi Testamenti, qui pro multis effundetur.* Hinc sic argumentum eruitur.

Christus calicem non consecravit his verbis, quæ non protulit nisi postquam Apostoli biberant, atqui Apostoli sacri calicis participes facti fuerant, antequam Christus hæc verba proferret: *Biberunt*, inquit, *ex illo omnes;* deinde vero ait Christus, *hic est Sanguis meus* &c. Ergo &c.

℟. Nego subs. ad probat. concessa maj. n. min. ad probat. admitto auctoritatem, & concessa iterum maj. nego min. hæc enim verba; (*biberunt ex illo omnes*) per anticipationem dicta debeat intelligi, non vero quasi revera præcesserit communio Apostolica, deinde secuta verborum prolatio fuerit. Nam

1. Ut modo observat ex S. Aug. S. Thomas, non semper eumdem ordinem in recitando servarunt Evangelistæ, quo res gestæ sunt, sed pleraque vel anticipato narrarunt, vel narrare distulerunt, quod est omnibus historicis admodum familiare. Exempla si quærit aliquis, legat S. Aug. l. 2 *de consensu Evangel.* cap. 30, 31, & 44.

2. Debet S. Marcus cum aliis Evangelistis & S. Paulo conciliari, ne videlicet credantur locuti contraria; atqui juxta alios Evangelistas & S. Paulum Christus hæc verba prius protulit: *hic est sanguis meus novi testamenti* &c. quam Apostoli de calice biberent; ergo ad hunc sensum debet S. Marci testimonium revocari.

Inst. 3. Apud Lucam sic legitur: (*c.* 24, *v.* 30) *factum est dum Jesus recumberet cum eis*, (discipulis Emmaus) *accepit panem, & benedixit, ac fregit, & porrigebat illis:* hinc sic argumentum conficitur; locum hunc S. Augustinus, Hieronymus, Theophilactus, vener. Beda, atque omnes interpretes de Eucharistia intelligendum, nec immerito contendunt, cum sit aliis textibus simillimus quibus prima SS. Sacramenti institutio memoratur: atqui de Christo, quod aliqua verba protulerit, penitus siletur: ergo solo voluntatis imperio Eucharistiam consecravit.

℟. Admitto testimonium: ad argumentum concessa maj. & min. nego conseq. benedictio enim panis de qua hic sermo est, eodem modo, eodemque sensu debet intelligi, quo in cæteris Evangelii locis facta narratur, nimirum per prolationem verborum, *hoc est corpus meum:* nec quidquam in contrarium probat Lucæ in hoc c. 24 silentium; quia quod c. 22 dixerat, compendio & aliquid reticendo repetit: porro nemo nescit, ineptum argumenti genus esse, ex historiæ silentio rem factam inficiari, quando ex aliis ejusdem historiæ locis facta probatur. Responsionis veritatem illustrat non mediocriter id quod ibidem narratur (*v.* 31), ad hoc Jesu Christi insigne factum oculos discipulorum esse apertos, & cognovisse Dominum in fractione panis: nam si acceptum panem nulla proferendo verba benedixisset, fregisset, ac porrexisset, nihil pene præter solitum hebræorum morem egisset, & neque se, neque panis porrecti sanctitatem manifestasset.

Inst. 4. Sententia hæc *Innocentio III* contraria est; ergo non est admittenda.

℟. Concesso antecedente nego conseq. tum quia quæ opponitur auctoritas, non affertur ex aliqua Apostolica constitutione; quam ad Ecclesiæ mentem *Innocentius* evulgaverit, sed ex libris *de Mysterio altaris*, quos longe ante scripserat quam ad Sum. Pontificatum assumeretur: tum quia, inquit S. Thomas, modo laudatus, *opinative magis, quam determinative locutus est:* porro nemo homo est tantæ auctoritatis, qui quemquam valeat ad suas opiniones amplectendas tuendasque pertrahere; itaque ex hoc ejus, aliorumque qui ipsum secuti sunt testimonio, hoc unum inferri potest, sententiam quam defendimus ad fidem non pertinere, quod ultro fatemur: teste enim *Salmeronio* (*tom.* 9, *tract.* 13) cum de hac re in *Trid. Concilio* gravis esset contentio excitata, multique instarent Theologi, ut controversiam Ecclesia definiret, satius Patres existimarunt a ferenda sententia abstinere, & quæstionem scholarum disputationi relinquere: nec immerito: quamquam enim certum omnino non sit, Christum verbis aliquibus Eucharistiam, dum insitueret, consecrasse, certissimum

simum tamen est, verba quibus in perpetuum esset consecranda præscripsisse: quod Ecclesiæ satis superque est.

CAPUT SECUNDUM.

De necessaria panis consecrandi forma.

§. PRIMUS.

Verba sacræ liturgiæ recensetur.

Ecclesiam toto orbe diffusam in verbis Christi, quatenus a Sacerdote sacrum faciente proferuntur, Eucharistiæ consecrandæ virtutem agnoscere, res est ex omnibus Græcorum ac Latinorum tum antiquis, tum recentioris ævi liturgiis, totiusque Orientis & Occidentis confessione notissima.

Latini quidem ad consecrandum verbis utuntur, quæ leguntur in canone. *Qui pridie quam pateretur accepit panem in sanctas ac venerabiles manus suas: & elevatis oculis in cœlum ad te Patrem suum omnipotentem, tibi gratias agens, benedixit, fregit, deditque discipulis suis, dicens: accipite, & manducate ex hoc omnes: hoc est enim corpus meum: simili modo postquam cœnatum est, accipiens & hunc præclarum calicem in sanctas ac venerabiles manus suas, item tibi gratias agens, benedixit, deditque discipulis suis, dicens: accipite, & bibite ex eo omnes: hic est enim calix sanguinis mei, novi & æterni testamenti mysterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.*

Græci vero & Orientales ritu simili: *Qui cum venisset*, inquiunt (*in liturgiis SS. Basilii, Chrysostomi, &c.*) *& quam pro nobis susceperat dispensationem implevisset, nocte qua tradebatur, vel potius seipsum tradebat pro mundi vita, accepto pane in sanctis suis, & illibatis, & innoxiis manibus; cum gratias egisset, & benedixisset, sanctificasset, fregisset, dedit Sanctis suis Apostolis & discipulis, dicens: accipite, comedite, hoc est corpus meum quod pro vobis frangitur in remissionem peccatorum. Amen.* Et respondet chorus: *Amen. Similiter etiam calicem, postquam cænavit dicens: bibite ex hoc omnes: hic est sanguis meus novi testamenti, qui pro vobis & pro multis effunditur in remissionem peccatorum.* Respondet similiter chorus: *Amen.* (Vide apud *Goarium* pag. 76 & 168 divinam missam S. Jo. Chrysostomi, & S. Basilii. Consule pariter doctissimum *Eusebium Renaudot*, in liturgias orientales, quas ex Græcis, Copticis, Syriacis, & Arabicis fontibus in linguam Latinam translatas, duplici volumine typis Parisiensibus evulgavit).

§. SECUNDUS.

Notantur errores.

Contra tam apertam veritatem pugnarunt, tum in Occidente recentiores Hæretici, tum in Oriente Schismatici quidam: quin & a nonnullis Græcorum Catholicis scriptoribus, dogma sacrum imminutum, multorum e nostris opinio est, quam falsam esse, & Græcis injuriosam ex responsione ad objectiones infra patebit.

In Occidente *Lutherus* contra Catholicam Ecclesiam vesano furore animatus, nihilque intactum relinquens, & ne divino quidem sacrificio parcens in lib. *de captiv. Babylonica*, & aliis passim effutiit, nihil plus habere virtutis verba Evangelica ad Eucharistiam consecrandam, quam ceteras liturgiæ partes, eademque *Kemnitii* persuasio fuit, ut *Bellarminus* observat (*de Sacr. Euchar. l. 4, cap 12*).

Calvinus cum negaret verba Sacramentorum esse consecratoria, sed mere concionalia esse vellet; consequens fuit ut diceret, adhiberi quidem debere verba Evangelica, ad fidem more concionis excitandam ac nutriendam, minime vero ut panem & vinum virtute quadam divinitus accepta sanctificent: hinc *institutionum lib. 4, c. 17, §. 39*, & *in formula* de administratione Sacramentorum præscribit, sola lectione historica c. 11 primæ Ep. ad Cor. & concione ministri, paucis additis precibus, Eucharistiam esse faciendam: eademque *Buceri*, & aliorum doctrina fuit.

In Oriente Theologi quidam, (si hoc tamen vere narratur, quod nobis plane compertum non esse fatemur) singulari opinione existimarunt, eadem numero verba, & in individuo sumpta, quibus Christus in ultima cœna Eucharistiam consecravit, his etiam temporibus sacrum operari mysterium, & a Sacerdotibus sacrificium offerentibus historice tantum proferri: quod idem est, ac si quis diceret, his verbis: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Sp. Sancti:* baptismum modo non confici, sed iis solis quæ Christus pronuntiavit, quando Apostolis Evangelii prædicationem committens, *euntes*, inquit, *docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Sp. Sancti:* hujus autem opinionis falsitas demonstratur:

1. Ex mandato Christi: *hoc facite in meam commemorationem*: hinc enim intelligitur, id ipsum quod fecerat, Apostolis eorumque in perpetuum successoribus præcepisse: atque adeo,

pe-

per hæc verba: *hoc est corpus meum* &c. debere Eucharistiam consecrari.

2. Ex ipsa natura Sacramenti, quod quando actu fit, debet habere formam & materiam actu existentes: porro si eadem numero verba quæ protulit Christus, his etiam temporibus consecrationem operarentur, Eucharistia quæ modo fit, formam actu existentem non haberet: non enim actu existunt verba, quæ Eucharistiam instituendo pronuntiavit.

3. Catholicæ Ecclesiæ contra Hæreticos recentiores doctrina est, verba Sacramentorum non esse concionalia, aut mere promissoria, sed consecratoria, quippe quæ effectum exerant ex opere operato; atqui si verba Evangelica historice tantum a Sacerdotibus proferrentur, rueret dogma Catholicum: historica namque narratio verbi concionalis virtutem non superat. Ergo &c.

Nec est quod auctoritate S. *Jo. Chrysostomi* se se græculi tueantur, in *hom. de proditione Judæ* ita loquentis: *sicut illa vox quæ dixit*: crescite, & multiplicamini, *semel quidem edita est, sed omni tempore sentit effectum . . . ita & vox illa*: hoc est corpus meum: *semel quidem dicta est a Christo, sed per omnes mensas Ecclesiæ usque ad hodiernum diem, & usque ad ejus adventum præstat sacrificio firmitatem*. His enim verbis hoc unum significare voluit S. Doctor, verba Eucharistica, non aliam nisi quam a Christo acceperunt, habere virtutem: quod ultro fatemur, & cum Ecclesia Catholica propugnamus, cujus constans doctrina est, efficaciam omnem Sacramentorum a Christo institutore pendere: quod vero Evangelicis verbis semel a Christo prolatis, ita hac panis & vini in corpus & sanguinem eius conversio, ut ad illam ministerium Sacerdotis nihil conferat, nequaquam dixit S. Doctor, quidquid garriant ii contra quos agimus Theologi; immo longe contrarium affirmavit *hom. 2 in 2 Ep. ad Timoth.* supra laudata, ubi ostendens ab offerentium meritis divinam hostiam non pendere: *Sacra ipsa oblatio*, inquit, *sive illam Petrus, sive Paulus, sive cujusvis meriti Sacerdos offerat, eadem est quam dedit Christus ipse discipulis suis, quamque Sacerdotes nunc quoque conficiunt: nihil habet ista minus quam illa: quamobrem? quia non hanc sanctificant homines, sed Christus qui illam ante sacraverat: quemadmodum enim verba quæ locutus est Christus eadem sunt quæ Sacerdotes nunc quoque pronuntiant: ita & oblatio eadem est*.

Sane ad mentem Chrysostomi eamdem quam Christus obtulit hostiam, Sacerdotes nunc quoque conficiunt; atqui si verba quæ proferunt, non haberent Eucharistiæ consecrandæ virtutem, eamdem quam Christus obtulit hostiam non conficerent, sed tantummodo narrarent a Christo factam. Ergo &c.

Deinde, inde probat S. Doctor, quæ modo oblatio fit, eamdem esse quam Christus fecit, quia verba quæ Sacerdotes nunc quoque pronuntiant, eadem sunt quæ Christus in ultima cœna locutus est: supponit ergo verba Evangelica, etiam quando a simplicibus Sacerdotibus proferuntur, eamdem, Christo ita volente, habere virtutem, quam in 1 institutione Eucharistiæ habuerunt: alioquin enim ex indentitate verborum quæ Sacerdotes efferunt, frustra sacrificii unitas probaretur. Jam sit

§. TERTIUS.

Ostenditur formam panis consecrandi his verbis absolvi: hoc est corpus meum.

PROBATIO PRIMA.

Ex scripturis.

Sententia hæc SS. Evangelistarum Matthæi, Marci, & Lucæ consonis auctoritatibus demonstratur (*Matth.* 26, 26, *Marc.* 15, 22, *Luc.* 22, 19) quibus consentiens S. Paulus, *Ego enim*, inquit (1 *Cor.* 11, 23) *accepi a Domino quod & tradidi vobis, quoniam Dominus Jesus in qua nocte tradebatur accepit panem, & gratias agens fregit & dixit: accipite & manducate, hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur; hoc facit in meam commemorationem*: unde sic formatur argumentum.

In his verbis panis consecrandi essentialis forma consistit, quæ Christus adhibuit; ut de pane faceret corpus suum, quæque voluit in perpetuum observari; atqui Christus tum hac formula usus est, panem Eucharisticum consecrando, tum in perpetuum tenendam præscripsit dicendo: *hoc facite in meam commemorationem*: quod enim ait *Bucerus* (*in cap.* 26 *Matth.*) jussise quidem Christum, ut in sui memoriam panis frangeretur, & manducaretur; sed non jussisse ut diceretur super panem, *hoc est corpus meum*; afferri hoc quidem potest in exemplum impudentiæ & temeritatis: sed nullius certe roboris est, nisi iis forte quibus *Buceri* major erit auctoritas quam Ecclesiæ. Ergo &c.

PROBATIO SECUNDA.

Ex auctoritate liturgiarum.

Quod ut efficacius demonstretur, alterum ex

ex præscriptione, & liturgiarum auctoritate sic instituimus argumentum: *Quod universa tenet Ecclesia, nec conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate Apostolica traditum rectissime creditur*, uti S. Aug. in causa simili docuit: atqui his verbis: *hoc est corpus meum*: essentialem panis consecrandi formam absolvi tenet Ecclesia universa, nec probari potest ritum hunc alicujus Concilii auctoritate inductum: quod ita sane credat Ecclesia, probant antiquissimæ liturgiæ: quod vero ab Apostolis sit illa Dominici Corpus consecrandi norma accepta, fidem facit *S. Justinus* martyr in secunda pro Christianis Apologia, ubi, *Non ut communem panem*, inquit, *neque ut communem potum ista sumimus: sed quemadmodum per verbum Dei caro factus Jesus Christus Salvator noster, & carnem & Sanguinem salutis nostræ causa habuit: ad eumdem modum etiam eam in qua per preces verbi ejus ab ipso profecti gratiæ sunt actæ, alimoniam.... incarnati illius Jesu carnem & sanguinem esse edocti sumus: nam Apostoli in commentariis a se scriptis, quæ Evangelia vocantur, ita tradiderunt præcepisse Jesum: eum enim pane accepto, cum gratias egisset, dixisse: hoc facite in mei recordationem; hoc est corpus meum; & poculo similiter accepto, & gratiis actis dixisse; hic est sanguis meus*: jam sic prosequor argumentum.

Verbum a Christo profectum, Evangelica verba sunt quæ Eucharistiam instituendo pronuntiavit, atqui S. Justino teste his ipsis verbis Eucharistia in Ecclesia consecratur: *Ad eumdem modum*, inquit, *etiam eam in qua per preces verbi ejus ab ipso profecti gratiæ sunt actæ alimoniam, incarnati illius Jesu carnem & Sanguinem esse edocti sumus*. Eodemque auctore, non ad arbitrium Ecclesiæ sed ex ipsius Christi mandato decet ritus ille teneri: *Apostoli*, inquit, *in commentariis a se scriptis, quæ Evangelia vocantur, ita tradiderunt præcepisse Jesum*. Ergo &c.

Nec est quod reponatur, hæc quidem verba requiri, non tamen sola sufficere, nec plane Eucharistiam confici, nisi cætera addantur, quæ in liturgia divina sequuntur: his enim solis revera Eucharistiæ materiam converti in Corpus, & Sanguinem Christi, argumentis certissimis confirmatur.

1. Quidem est illud observatione dignissimum quod in orientali Ecclesia clara & elata voce hæc verba a Sacerdote pronunciantur: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur in remissionem peccatorum*; itemque alia: *hic est sanguis meus novi Testamenti, qui pro vobis & pro multis effunditur in remissionem peccatorum*: Quibus auditis continuo fidelium chorus respondet: *Amen*, eumdemque olim in Latina Ecclesia morem viguisse, multis testimoniis probare in promptu est: sic inter cæteros *Tertullianus* in lib. de spectac. contra eos invectus, qui eodem ore, quo *Amen* in sacrificio Christi protulerunt, profanos laudare gladiatores non verebantur: *Quale est*, inquit, (*c. 25*) *de Ecclesia Dei in diaboli Ecclesiam tendere? de cœlo, quod ajunt, in cœnum? illas manus quas ad dominum extuleris, postmodum laudando histrionem fatigare? ex ore quo amen in sanctum protuleris, gladiatori testimonium reddere?* Idemque ex veteribus missalibus libris compertius est quam ut in dubium mitti possit. Jam sic subsumo:

Atqui clara hæc vocis *Amen* pronuntiatio præsentiæ realis Corporis & Sanguinis Christi aperta confessio est: per illam enim idem significatur, ac: *ita est, vere est, ut dicis.... His verbis:* Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus: *Corpus Christi & sanguinem confici*, (ait Cardinalis Bessarion, 15 sæculi Græcus scriptor, in lib. de Sacramento Eucharistiæ *tom. 6 Bibliothec. Patrum*) *ostendunt populi ad ea verba responsiones; Sacerdote enim illa verba pronunciante, assistens Populus in utraque parte respondet: Amen, quasi dicat: vere ita est, ut dicis. Amen, cum affirmandi apud Hebræos adverbium sit, idem quod (vere) significat. Amen igitur ad ea verba respondens populus: certe, inquit, Corpus & Sanguinis Christi sunt munera ista proposita; ita credimus, ita confitemur .... unde non pauci Græcorum, vel ex ipso populo, dicto Amen, continuo subjiciunt ex antiqua forsan consuetudine & traditione: Credo Domine, atque fateor, te esse Filium Dei vivi, qui in mundum venisti, ut peccatores salvos faceres, quorum primus ego sum*. Ita laudatus Cardinalis. Idemque de Æthiopibus certum est, ut ex eorum liturgia patet: illi enim *Amen* pronunciato statim subjiciunt: *Vere hoc est corpus tuum: vere hic est sanguis tuus; ita credimus, ita certissima persuasione tenemus*.

Eodemque sensu *Amen* in Latina Ecclesia intellectum, docet perspicue S. Ambrosius: *Ante benedictionem verborum cœlestium, alia*, inquit, (*lib. de his qui initiantur*) *species nominatur, post consecrationem Corpus (Christi) significatur, ante consecrationem aliud dicitur: post consecrationem sanguis nuncupatur, & tu dicis Amen: hoc est verum est; quod os loquitur, mens intus fateatur; quod sermo sonat, affectus sentiat*. Itaque his solis verbis plena Eucharistiæ consecratio, & panis ac vini

vini in Corpus & Sanguinem Christi conversio fit.

2. Nisi crederet Ecclesia verbis Evangelicis consecrationem Eucharistiæ contineri, statim illis pronuntiatis dona Sacra non adoraret: atqui universa Ecclesia post eorum factam a Sacerdote prolationem, statim & sine mora Eucharistiæ latriam exhibet: de Latinis certa res est, & rudiori populo nota: nec minus constat idem a Græcis & Orientalibus fieri: in eorum namque liturgiis præscribitur, ut verbis Evangelicis pronunciatis adoratio fiat: *Diaconus*, inquit liturgia S. Chrysostomo attributa (*Vide Goarium in rituali Græcorum*), *Accedit ad Sacerdotem vicinius, & ambo ter adorant ante sanctam mensam, & orant intra se dicentes: Deus propitius esto mihi peccatori*: ejusdemque rei fidem facit formula ex Cardinali Bessarione paulo ante recitata: *Credo Domine atque fateor, te esse Filium Dei vivi* &c. Ergo verbis Evangelicis essentialem panis consecrandi formam absolvi, tenet ab antiquo Ecclesia, hancque fidem suam ab Apostolis indubitato accepit.

PROBATIO TERTIA.

Ex Sanctis Patribus.

Suffragatur SS. Patrum nusquam interrupta traditio.

Ita S. Irenæus: *Quod ergo*, inquit, (*contr. hær. lib.* 5, *cap.* 2) *mixtus calix, & fractus panis percipit verbum Dei, fit Eucharistia Sanguinis & Corporis Christi.*

S. Gregorius Nyssenus: (*orat. catech.*) *Panis statim per verbum in corpus mutatur, ut dictum est a Christo: hoc est corpus meum.*

S. Jo. Chrysostomus: (*hom.* 2 *in* 2 *Epis. ad Tim.*) *Eucharistiam non sanctificant homines, sed Christus qui illam ante sacraverat: quemadmodum enim verba quæ locutus est, eadem sunt quæ Sacerdos nunc quoque pronunciat, ita & oblatio eadem est.*

Et alibi (*in homil. de proditione Judæ*) *hoc verbo, hoc est corpus meum: dona proposita consecrantur: sicut illa vox quæ dixit*, crescite & multiplicamini, *semel quidem edita est, sed omni tempore sentit effectum, ita & vox illa semel dicta est a Christo, sed per omnes mensas Ecclesiæ usque ad hodiernum diem, & usque ad ejus adventum præstat sacrificio firmitatem.*

S. Ambrosius: *Panis iste*, (*lib.* 4 *de Sacram. cap.* 4) *panis est ante verba Sacramentorum: ubi accesserit consecratio, de panis fit caro Christi: consecratio igitur cujus verbis est, & cujus sermonibus? Domini Jesu .... ubi venitur ut conficiatur venerabile Sacramentum, jam non suis sermonibus Sacerdos utitur, sed sermonibus Christi .... ergo sermo Christi hoc conficit Sacramentum.* (Vide ib. c. 5.)

Eadem denique aliorum quos enumerare longum esse, doctrina fuit: ad quorum mentem *Eugenius IV* Pontifex Max. *forma*, inquit, (*in decr. pro instr. Arme.*) *hujus Sacramenti sunt verba Salvatoris, quibus hoc Sacramentum conficitur: Sacerdos enim in persona Christi loquens hoc conficit Sacramentum.*

Et Concilium Trid. *Semper*, ait (*sess.* 13, *cap.* 3), *hæc fides in Ecclesia Dei fuit, statim post consecrationem verum Domini nostri corpus, verumque ejus sanguinem, sub panis & vini specie, una cum ipsius anima in divinitate existere.... ex vi verborum.* Porro verba hæc, sancta synodus ib. eadem esse affirmat, quibus Christus testatus est, corpus suum esse id quod præbebat Apostolis. Ergo &c.

§. QUARTUS.

Eliduntur Objectiones.

Opponitur: in iis verbis non consistit essentialis panis consecrandi forma, quibus prolatis nondum transubstantiatio facta est; atqui pronuntiatis a Sacerdote verbis, *hoc est corpus meum*, nondum facta est panis in Corpus Christi conversio. Ergo &c.

Probatur minor auctoritate liturgiarum, quibus præscribitur Sacerdoti, postquam verba Evangelica protulit, ut iteratis precibus Deum exoret, ad obtinendam donorum propositorum in Corpus & Sanguinem Christi conversionem: *Offerimus tibi*, inquit in divina Missa S. Jo. Chrysostomi: (*Vide Goarium in Euchology.*) *rationalem hunc & incruentum cultum, & rogamus, & oramus, & supplicamus, emitte Sp. Sanctum tuum in nos, & in hæc dona proposita.... deinde inclinans caput Diaconus, ostendit stola sanctum panem, & dicit secreto Sacerdoti: benedic Domine Sanctum panem: & Sacerdos erectus, cruce ter signat sancta, & dicit secreto: fac quidem panem hunc, pretiosum Corpus Christi tui. Respondet Diaconus: amen; & iterum Diaconus: benedic Domine sanctum calicem: Sacerdos autem benedicens ait: quod autem in calice, pretiosum Sanguinem Christi tui: respondet Diaconus: amen: & rursus Diaconus utraque sancta stola demonstrans ait, benedic Domine: & Sacer-*

cerdos utraque sancta manu benedicens ait: *immutans Sp. Sancto tuo . Diaconus ter respondet*: *Amen*.

Similia leguntur in liturgiis SS. *Jacobi*, *Marci*, *Clementis*, *Basilii* &c. Hinc sic concluditur argumentum:

Illi existimant, pronunciatis Evangelicis verbis, nondum factam esse transubstantiationem, qui enixe adhuc efflagitant, ut ex pane fiat Corpus, & ex vino Sanguis Christi; atqui universa Orientis Ecclesia pronunciatis verbis Evangelicis denuo Deum precatur, ut ex pane Corpus, & ex vino faciat Sanguinem Christi. Ergo &c.

℟. Quorumdam e nostris animos hæc Græcorum & Orientalium disciplina ita offendit, ut propter illam Græcos velut capitalis criminis & violatæ fidei reos incaute traduxerint: incaute inquam, tum quia in re tanti momenti Ecclesiæ Catholicæ (ad quam pertinet graves adeo quæstiones decidere) anticipare judicium, non levis temeritatis est argumentum: tum quia contra Latinos ipsos hæc accusatio recidit: constat enim, in antiquis liturgiis *Gothicis*, quin & in *Africanis* plane similem post verba Evangelica invocationem fuisse: *Gothicas* viri in litterario orbe clarissimi, *Joannes Mabillonius*, & *Joseph Maria Thomasius* ediderunt, in quibus hæ similesque preces leguntur: *Hæc nos Domine instituta & præcepta retinentes, suppliciter oramus, uti hoc sacrificium suscipere, benedicere, & sanctificare digneris, ut fiat nobis Eucharistia legitima, in tuo Filiique tui nomine & Sp. Sancti, in transformationem Corporis & Sanguinis Domini Dei nostri Jesu Christi unigeniti filii tui, per quem hæc omnia &c..... descendat Domine in his sacrificiis, tuæ benedictionis coæternus & cooperator paraclitus Spiritus, ut oblationem quam tibi de tua terra fructificante porrigimus, cœlesti permuneratione, te sanctificante sumamus: ut translata fruge in corpore, calice in cruore, proficiat meritis, quod obtulimus pro delictis .... descendat, precamur, omnipotens Deus, super hæc quæ tibi offerimus, verbum tuum sanctum: descendat inæstimabilis gloriæ tuæ Spiritus &c.* De Africanis vero quod a *Basiliana* Græcorum hac in parte non discreparent, ex *S. Fulgentio* compertum est: (*lib. 2. ad Monimum c. 6 & seq.*) cum itaque difficultas hæc non secus Latinos quam Græcos tangant, quos omnes errorem amplexos dictu nefarium est: quærenda responsio quæ utrosque a crimine purget, quod non erit difficile. Unde

℟. 1. Concessa maj. n. min. ad probat. admitt o auctoritatem liturgiarum: & ad argumen tum inde petitum concessa maj. dist. min. universa orientis Ecclesia post Evangelica verba denuo Deum precatur, ut ex pane corpus, & ex vino faciat sanguinem Christi: idest, ut Corpus, & Sanguis Christi, sub panis & vini speciebus vi verborum Evangelicorum præexistentia, conferant ad salutem suscipientium, concedo; ut revera his precibus panis & vinum, quasi immutata hactenus manserint, in corpus & sanguinem convertantur, n. min. & conseq.

E. R. Genuinus harum precum sensus ex iis quæ immediate sequuntur exquiri debet. Sic vero Sacerdos prosequitur: *Ut fiat accipientibus in sobrietatem animæ, in remissionem peccatorum, in communicationem Sancti Sp. in regni cœlorum plenitudinem, in fiduciam erga te, non in delictum aut damnationem*. Unde manifestum fit, non petere his orationibus Ecclesiam, ut panis & vinum revera in Christi Corpus & Sanguinem convertatur, cum mirabilem hanc mutationem jam factam intelligat: sed ut hoc ipso Sacramento Sancti efficiantur omnes qui in ejus consortium venerint.

℟. 2. Dist. eamdem min. pronuntiatis Evangelicis verbis Ecclesia denuo orat, ut ex pane Corpus, & ex vino Sanguis Christi fiat: sic inquam, orat, petendo stabilitatem & confirmationem rei obtentæ: concedo: petendo rem nondum obtentam, n. min. & conseq.

E. R. Id genus orationibus vehemens Ecclesiæ ergo Christum corporaliter præsentem amor exprimitur, quo movetur pia mater ad Deum precandum, non ut subjectam materiam in Corpus & Sanguinem Christi convertat: hoc enim, docta divinitus, jam se intelligit consecuta; sed ut mirabilem hanc vereque divinam liberalitatem confirmet, stabiliatque: sæpe namque contingit, ut quæ deperimus, etiam postquam iis frui datum fuerit, pari pene impatientia postulemus, ac si nondum essemus assecuti: cujus rei Regius Propheta opportunum exemplum præbet, qui cum ps. 4 statim ab initio, exauditum se a Deo contestatus foret his verbis: *Cum invocarem, exaudivit me Deus justitiæ meæ*: continuo subjicit quasi nondum voti compos effectus: *Miserere mei, & exaudi orationem meam*.

Inst. 1. Repugnant adductæ responsiones communi Græcorum & orientalium doctrinæ: credunt enim illi memoratis precibus fieri Eucharistiæ consecrationem: ergo non sunt admittendæ.

R. Nego absolute ant. quod falsitatis convincitur, tum ex dictis superius in probatione conclusionis, tum ex *Florentini Concilii* actis, cum enim ibi quæsitum esset a Græcis, quare ad Christi verba preces illas adjiceret, quasi nondum foret Sacramentum completum?

Res-

Responderunt, quam de consecratione tenebant sententiam, habere se cum toto orbe Christiano communem: sic enim in Romana editione legitur: *de Divino item sacrificio quæsierunt a nobis Latini quorsum prolatis Christi verbis*: Hoc est corpus meum &c. *& Sanctis donis per hæc verba sanctificatis, vos Græci post ea hanc additis orationem, dicentes: & fac panem quidem hunc, pretiosum Corpus Christi tui, quod vero in calice est, pretiosum Sanguinem Christi tui, transmutans Sp. tuo Sancto: sic porro est a nobis quæstio resoluta: fateri nos diximus, per hæc verba* (Evangelica) *transmutari sanctum panem, & fieri Corpus Christi: sed postea quemadmodum dicitis vos ipsi Latini:* Supplices te rogamus omnipotens Deus, & jube hæc perferri per manus Sancti Angeli tui, in sublime altare tuum, in conspectu divinæ majestatis tuæ, ut quotquot ex hac altaris participatione Sacrosanctum Filii tui Corpus & Sanguinem sumpserimus, omni benedictione cælesti & gratia repleamur: *Ita nos quoque oramus dicentes, ut Sp. Sanctus descendat super nos, & faciat in nobis panem hunc, pretiosum Corpus Christi, & quod est in calice, pretiosum Sanguinem Christi, transmutetque illa Spiritu Sancto suo, ut fiant accipientibus in emundationem animæ, in remissionem peccatorum, non vero in judicium aut condemnationem.*

Eodem modo Ecclesiæ suæ mentem in hac ipsa synodo explicuit *Isidorus Russiæ Metropolita: credimus*, inquit, (*collatione* 22) *Dominicam vocem effectricem esse divinorum: & illa semper recitatur a Sacerdote in omni liturgia: supplicat Sacerdos, ut per virtutem Sp. Sancti concedatur gratia, qua vox repetita efficiatur ita effectiva, ut verbum Dei fuit, & ita credimus consummativam fieri per illam orationem Sacerdotis, sed confectionem Sacramenti principaliter fieri per verba Dominica.* Quæ Isidori declaratio ita Latinis arrisit, ut omissis vitilitigationibus ab *Eugenio IV* totoque Concilio fuerit sine ulteriore examine approbata, repulsamque tulerit *Cardin. Joannes de Turrecrementa*, qui censebat declarationem de hoc capite *decreto unionis* interserendam: Græcis enim ultro annuit S. Pontifex, *ut nulla ejus mentio fieret, ne Græci in fidei violatæ suspicionem venirent, & mitteretur in dubium, quod numquam fuit.*

Inst. 2. Græci complures existimarunt, verba Christi vel ad consecrationem nil facere, vel certe preces sequentes ad ejus pariter essentiam pertinere: sic enim putaverunt *Cabasilas .... Simeon Thessalonicensis ..... Gabriel Philadelphiensis .... Marcus Ephesius*, pluresque alios in hanc sententiam sua auctoritate traxerunt. Ergo &c.

R. 1. Nego ant. *Marcus* enim ipse *Ephesius* Græcorum Schismaticorum antesignanus, etsi consecrationem precibus, tamquam conditione necessaria, ex toto perfici censeat: ejus tamen efficiendæ vim Domini verbis inesse concedit. (*in opere de hoc argument.*) *Verba*, inquit, *quæ apud omnes in modum narrationis recitantur, tum nos ad rei pridem gestæ recordationem attollunt, tum virtutem oblatis donis ingerunt ut transmutentur*; iterumque fatetur: *Has Christi voces vim propriam suam servare, Sacerdotis vero potestatem ministerium omne complere per spiritus invocationem, quæ in omni Sacramento adhibetur.* Itaque ex ejus mente non aliter est necessaria Sp. Sancti per preces mysticas invocatio in Sacramento altaris, ac in cæteris Sacramentis; atqui invocatio hæc, licet quorumdam Sacramentorum formam essentialem constituat, ut de sacra ordinatione est certum; non ad omnium tamen essentiam pertinet, sed meri complementi habet rationem: ergo a pari de divina Eucharistia, in ejus sententia, dici debet, quod essentialiter verbis Domini perficiatur, ita tamen ut Sacerdotis invocatio necessaria veluti conditio sit per quam consecratio & oblatio perfecta consummataque habeatur: nec aliter *Cabasilas* & alii censuerunt quorum nomina objectio ostentavit: imo, *credimus*, inquit Cabasilas, *verbo Domini fieri Sacramentum, sed ministerio Sacerdotis, ejusque invocatione ac prece .....* pariterque Simeon Thessalonicensis: *terribilis communionis mysteria*, ait, *invocatione divini Spiritus, verbis Christi, & Sacerdotum precibus celebramus ....* & Gabriel Philadelphiensis: *Præcedit*, inquit, *forma Sacramenti Eucharistiæ in verbis Domini*: Accipite & comedite, hoc est corpus meum: *Quibus deinceps Sacerdotis preces adjiciuntur ....* & Gregorius Protosyncellus: *Non nobis*, inquit, *hæc opinio insidet, a Sacerdote, quippe simplici homine, dona sancta mutari: sed invocat* (Sp. Sanctum) *& verba Christi, conversionem hanc efficientia profert*: itaque huc Græcorum doctrina revolvitur, consecrationis essentiam in his verbis Christi, ejusdem vero complementum in Ecclesiæ orationibus contineri: quæ etsi plana convincensque responsio sit, si cui tamen non placeat:

R. 2. Dato ant. nego conseq. qui enim opponuntur, & alii qui opponi possent, vel schismatici fuerunt, vel non: si primum, nulla eorum auctoritas est; ab exteris enim divina dogmata non quærimus, sed a nostris: si secundum, aliorum multo graviori judicio cor-

rigendum, quod illi prave senserunt: ut enim *Arcudius* loquitur hoc ipsum refutans argumentum: (*concor. die lib.* 3, *c.* 31) *Obscuriores ex clarioribus sunt exponendi, & pauci consociandi cum pluribus, benigne interpretando quæ minus accurate locuti sunt, vel certe majorum & doctiorum, longeque plurium auctoritas est sequenda.*

Inst. 3. Atqui gravissima majorum auctoritate nituntur, qui sentiunt solis precibus quæ in liturgia sequuntur, consecrationem vel fieri, vel essentialiter compleri. Ergo &c.

Prob. subs. SS. Patrum communis doctrina est, Eucharistiam perfici precibus Sacerdotum.

Eucharistia, inquit S. Cyrillus Hierosolym. (*catec.* 3 *mystag.*) *Post Sancti Sp. invocationem non est amplius panis communis, sed est Corpus Christi.*

Hic panis, ait S. Gregorius Nyssenus (*orat. catechetica c.* 37) *per verbum Dei & orationem sanctificatur.*

Eodem sensu S. Hieronym.: *Quis patiatur*, ait, (*Ep.* 85 *ad Evagr.*) *ut mensarum & viduarum minister, supra eos se tumidus efferat, ad quorum preces Christi Corpus sanguisque conficitur?*

Et S. Aug. *Eucharistia est*, inquit, (*de Trin. lib.* 3, *c.* 4) *id quod prece mystica consecratum sumimus ad salutem.*

Quin & hujus rei tanta olim persuasio erat, ut missæ canonem non aliter quam *precem catholicam* appellarent, ut videre est apud *Paulum Diaconum in vita S. Gregorii*. Hinc sic enascitur argumentum:

Illi sentiunt non solis verbis Evangelicis Eucharistiam essentialiter consecrari, qui dicunt fieri precibus Sacerdotum; atqui communis hæc SS. Patrum doctrina est. Ergo &c.

℞: nego subs. ad probat. admitto auctoritates, & argumentum inde petitum resolvo variis modis.

1. Dist. maj. illi sentiunt non solis verbis Evangelicis Eucharistiam essentialiter consecrari, qui dicunt fieri precibus Sacerdotum, *formaliter & revera*, conc. *dispositive & meritorie*, nego maj. dist. pariter min. affirmant Patres Eucharistiam confici precibus Sacerdotum, *dispositive & meritorie*, conc. *formaliter & revera*, nego min. & consequ.

E. R. Quando dicunt SS. Doctores, Eucharistiam confici precibus Sacerdotum, hoc unum significant, ad verborum Domini prolationem præmitti aliquas preces, alias consequi quæ ad liturgiam sacram pertineant, quibusque fideles ad percipiendos divinæ Eucharistiæ fructus, & digne sacrificium offerendum disponantur. Cæterum his ipsis precibus Eucharistiam formaliter, ut schola loquitur, consecrari, quasi ab illis pendeat panis & vini in Corpus & Sanguinem Christi mutatio, nullibi expresse dicunt; imo contrarium, si bene attendimus, aperte declarant. Sic enim e. c. S. Justinus affirmat, (*in* 2 *pro Christianis Apologia*) suo tempore, in ipsis scilicet Evangelicæ prædicationis primordiis, Eucharistiam magno orationum & laudum apparatu fieri solitam: *ei*, inquit, *qui Fratribus præest, id est Sacerdoti, offertur panis & poculum aquæ & vini: quibus ille acceptis laudem & gloriam rerum universarum Patri, per nomen Filii, & Sp. Sancti offert, & Eucharistiam sive gratiarum actionem prolixe exequitur*: ibidem vero in solis Evangelicis verbis Eucharistiæ consecrandæ virtutem agnoscit: *eam*, inquit, *in qua per preces verbi ejus ab ipso profecti gratiæ sunt actæ alimoniam, incarnati illius Jesu Carnem & Sanguinem esse edocti sumus*. Quid enim est verbum ab ipso Christo profectum, nisi: *hoc est Corpus meum: hic est Sanguis meus?*

2. Dist. min. SS. Patres dicunt Eucharistiam fieri precibus Sacerdotum, *tamquam ritibus ex Apostolico & Ecclesiastico præscripto solitis observari*, conc. *tamquam ritibus absolute necessariis*, n. min. & conseq.

E. R. Quando ad unum negotium peragendum actiones multæ concurrunt, etsi ab illis rei exitus diversimode pendeat; singulis tamen vulgari more loquendi tribui solet. Sic e. c. licet baptismi essentia in solius aquæ infusione, & verborum Evangelicorum enuntiatione consistat; quia tamen solemnem baptismi ritum alia multa præcedunt, comitantur, & consequuntur, haud inepte dixerit aliquis, baptismum fieri exorcismo, impressione signi crucis, manuum impositione, degustatione salis, & aliis denique ritibus, qui solemnitate baptismatis observantur. Ita porro se res in præsenti habet: ajunt Patres, *Eucharistiam confici precibus Sacerdotum*, Missæ Canonem, *Catholicam precem* appellant: vereque hoc dicunt, cum multarum precum continuatione sacrificium absolvatur: nec tamen hinc sequitur, ex eorum mente, Eucharistiam formaliter & essentialiter precibus consecrari; non enim per quid fiat, sed quid fiat in Eucharistia his locis expendunt, nec in mente habent formam Sacramenti scrupulosius more scholasticorum inquirere; atque adeo si quid obscurum in eorum verbis occurrit, debet ex aliis clarioribus, ut prædiximus, explicari.

3. Dist. eamdem min. SS. Patres dicunt Eucharistiam perfici precibus Sacerdotum, & *precum nomine Evangelica ipsa verba significant*,

cant, conc. *intelligunt orationes ab iis diversas*, neg. min. & conseq.

E. R. precum nomine apud veteres mystica etiam verba significari quibus Eucharistiæ consecratio ad normam Evangelii fit, nemo negaverit qui libros eorum legerit: cum enim oratio in supremi numinis invocatione consistat, preces appellari possunt verba omnia quibus invocatio continetur; atqui in verbis Evangelicis: *hoc est corpus meum &c.*, etsi non explicita, implicita tamen divinæ virtutis imploratio est, per quam orat Ecclesia, ut juxta Christi promissionem subjecta elementa in Corpus & Sanguinem ejus convertat. Deinde cum per hæc verba revera Christus immoletur & offeratur æterno Patri, nihil impedit quominus preces vocentur; tunc enim Deum precari merito dicimur, cum supremum ejus dominium, quam fieri potest excellentissime recognoscimus.

Inst. 4. Atqui affirmant SS. Patres, Eucharistiam formaliter & revera fieri precibus Sacerdotum. Ergo &c.

Prob. subs. ex *S. Basilio* sic loquente: (*lib. de Spir. S. c. 27*) *invocationis verba ad panem Eucharisticum, & poculum benedictionis, quis Sanctorum nobis scripto reliquit? non enim his contenti sumus, quorum Apostolus aut Evangelium mentionem facit; sed & ante & post alia dicimus, veluti magnum robur ad mysterium habentia, quæ ex traditione accepimus.* Hinc sic infertur argumentum:

Qui dicit orationes quæ Evangelica verba præcedunt & consequuntur, magnum habere robur ad mysterium faciendum, plane sentit Eucharistiam formaliter fieri precibus Sacerdotum; atqui ita *S. Basilius*. Ergo &c.

R. nego subs. ad probat. admitto auctoritatem, & concessa maj. dist. min. *S. Basilius* affirmat orationes magnum habere robur ad mysterium *licite & utiliter* faciendum, conc. ad mysterium faciendum *valide*, subdistinguo: *per modum conditionis*, conc. *ita ut ad essentiam consecrationis pertineant*, nego min. & conseq.

E. R. Ex his S. Doctoris verbis hoc unum inferri potest quod ultro fatemur, preces nimirum Ecclesiæ quibus Sacra Liturgia continetur, necessarias esse ad sacrificium rite ex instituto Apostolico perficiendum, magnumque robur habere ad Eucharistiam rite & utiliter offerendam: quo sensu a S. Hieronymo dictum, (*comm. in c. 3 Sophoniæ*) *impium & erroneum esse putare Eucharistiam fieri verbis solum, & non meritis Sacerdotum.* Cum enim non modo Sacramentum sit, sed etiam sacrificium & actio gratiarum; licite non potest fieri ab eo, qui gratias, Eucharistiam consecrando, non agit. Porro preces Ecclesiæ quid aliud sunt quam actio gratiarum?

Inst. 5. *S. Gregorius* Pontifex Max. affirmat, (*Ep. lib. 7, Ep. 49, vel 63*) primis temporibus Apostolos, *sola Dominica oratione præmissa, Eucharistiam consecrasse, & Sacramenta distribuisse.* Idemque post illum quidam alii enarrarunt. Ergo Evangelica quidem verba, nedum aliæ canonis preces, ex eorum mente, necessario ad faciendam Eucharistiam requiruntur.

R. dist. ant. simulque *Gregorii*, & aliorum explico mentem: & hoc ab iis dictum est ad exclusionem verborum Evangelicorum, quasi ea omnino Apostoli non protulerint, nego: dictum est ad exclusionem prolixioris liturgiæ, subdistinguo; ut nimirum significarent, Apostolos aliquando solam orationem Dominicam verbis Evangelicis præmisisse, conc. ut innuerent eos semper ab aliis præter Dominicam orationibus abstinuisse, nego ant. & conseq.

E. R. Ineptum prorsus fuerit existimare *S. Gregorium* in ea fuisse sententia quod Apostoli sine verbis Evangelicis Eucharistiam consecraverint; cum eorum necessitas ex Scripturæ & Patrum auctoritate & ex Liturgiis antiquissimis certissime adstruatur. Hoc unum itaque verbis suis Sanctissimus Pontifex innuit, Apostolos aliquando vel angustia temporis, vel loci inopia, vel alia qualibet necessitate compulsos, a prolixioribus inter sacrificandum orationibus abstinuisse, & verbis Evangelii solam orationem Dominicam adjunxisse, quæ precum omnium quæcumque Deo fieri possunt, sacrum compendium est, ab ipso Domino datum. Nam quod communiter longo orationum apparatu Eucharistiam fecerunt, certum est tum ex Actibus Apost (*Act. 2, 42*) ubi de primis fidelibus dicitur, quod *erant perseverantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus*: tum ex Liturgia Apostolis attributa, tum ex altera *Jacobi*, tum ex *S. Justino* in Apologia 2, ex *S. Jo. Chrysostomo*, (*hom. 27 in 1 Ep. ad Cor.*) aliisque antiquis Doctoribus.

Dices. Saltem hæc verba; *qui pridie quam pateretur*, & cætera, quæ verba Evangelica immediate præcedunt, ad consecrationis essentiam pertinent. Ergo non ea sufficiunt, quæ Evangelio præscribuntur.

R. nego ant. Ideo enim necessaria forent, quia alioquin Sacerdos in persona Christi non loqueretur, quod in hoc maxime Sacramento necessarium judicatur; atqui falsum consequens: ut enim argute disputat S. Thomas: (*3 p. qu. 78, artic. 1, ad 4*) *etiamsi Sacerdos*

dos sola verba prædicta, (hoc est corpus meum) *proferret, cum intentione faciendi hoc Sacramentum, revera Sacramentum perficeret: quia intentio faceret, ut hæc verba intelligerentur quasi ex persona Christi prolata; etiamsi verbis præcedentibus hoc non recitaretur. Graviter tamen peccaret Sacerdos sic conficiens hoc Sacramentum, utpote ritum Ecclesiæ non servans* (1).

CAPUT TERTIUM.

De forma vini consecrandi.

GRæci calicem consecrando, dicunt: *hic est Sanguis meus novi Testamenti, qui pro vobis & pro multis effunditur in remissionem peccatorum.*

Latini vero: *hic est calix Sanguinis mei, novi & æterni Testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis & pro multis effenditur in remissionem peccatorum.*

De his verbis utrum ad consecrationis essentiam omnia & singula sine exceptione pertineant, scholarum quæstio est, quam ut pro modulo resolvamus, sit

§. PRIMUS.

Ostenditur calicis consecrandi formam his verbis absolvi: hic est Sanguis meus: *seu quod idem est:* hic est calix Sanguinis mei.

PROBATIO PRIMA.

Ex comparatione vini consecrandi, cum pane.

1. Enim de vino consecrando idem ac de pane debet esse judicium; atqui panis consecratio his verbis: *hoc est corpus meum*, plene absoluteque continetur. Ergo a pari his solis verbis: *hic est Sanguis meus*, calix essentialiter consecratur, cætera vero quæ sequuntur, ad formæ integritatem, majoremque significationem pertinere putanda sunt.

Deinde *natura hujus Sacramenti*, inquit S. Thomas (3 *p. q.* 78, *art.* 1, *in c.*), importat solam *consecrationem materiæ, quæ in transubstantiatione consistit*; atqui per hæc verba: *hic est calix Sanguinis mei*, exprimitur consecratio vini, ejusdemque in Sanguinem Christi conversio: quemadmodum per ista: *hoc est corpus meum*, consecratio & transubstantiatio panis ex opere operato significatur; eoque hoc certius unicuique attendenti erit, quod cætera quæ sequuntur, calicem jam consecratum supponant; prius enim est Sanguinem esse quam fundi; nec potest dici calix, *novi Testamenti, & mysterium fidei*, nisi quatenus Sanguinem Christi complectitur. Ergo &c.

PROBATIO SECUNDA.

Ex Græcorum a Latinis discrepantia.

2. Si verba omnia & singula quæ Latini calicem consecrando pronunciant, ad formam sacramenti essentialiter pertinerent; deberent pariter præscribi in Græcorum Liturgiis, & ab eorum Sacerdotibus sine differentia ulla proferri: alioquin enim Eucharistiæ Sacramento carerent, quod dicere nefas est; atqui in Græcorum Liturgiis tum antiquis tum recentioribus, ab Ecclesia Latina probatis, non omnia quæ observant Latini verba præscribuntur: hæc enim vox, *æterni*, itemque hæc altera, *mysterium fidei*, nullibi in eorum Euchologiis legitur. Ergo &c.

PROBATIO TERTIA.

Ex liturgiis Orientalibus.

3. Quod observatione dignissimum est; quodque argumenti vim auget non mediocriter, non modo Græci discrepant, ut prædiximus, a Latinis; sed ne Orientales quidem in omnibus sacræ formulæ verbis, cum Græcis conveniunt. Nam neque hæc verba: *novi Testamenti*, nec sequentia: *qui pro vobis, & pro multis effunditur in remissionem peccatorum*, in omnibus eorum Liturgicis libris leguntur, sed in aliquibus vel ex parte, vel penitus omittuntur; ut patebit legenti editas tum in Bibliotheca Patrum, tum ab aliis eruditis viris Liturgias: idemque pridem observavit doctissimus *Cardinalis de Lugo*, sic loquens (*disp.* 11, *de Sacram. sect.* 4, *n.* 6) *in aliis Liturgiis, scilicet S. Jo. Evangelistæ, SS. Apostolorum, S. Eustasii, S. Joannis Patriarchæ, hæc verba sunt*: hoc est Corpus meum: hic est Sanguis meus, *in Liturgia S. Marci Evangelistæ*: Corpus meum est hoc: Sanguis meus est hic: *in Liturgia S. Matthæi, sen Pastoris*: hoc caro mea est: hoc Sanguis meus est: *quas formas*, inquit ibidem laudatus Cardinalis, *ex Missali Manuscripto Maronitarum, a monte Libano Romam misso, dedit mihi perdoctus vir Victorius Seialach, Abbas S. Gregorii, natio-*

(1) *Qui de hac controversia plura scire desiderat, consulat Dissertationem doctissimi, & eruditissimi viri P. F. Augustini Orsi* de Lyturgica Sancti Sp. invocatione &c.

tione Maronita, *& in urbe Roma a multis annis linguarum publicus interpres*. Similesque antea affirmaverant vidisse se Liturgias, *Cardinalis Cajetanus*, *Durandus*, *& Dominicus Soto*:-hinc merito *Petrus Arcudius*: *forma*, inquit, (*concord. lib.* 3, *cap.* 16) *consecrationis hujus Sacramenti apud Græcos sunt hæc certa & determinata verba*, *eaque sola*: hoc est Corpus meum: hic est Sanguis meus: *quæ sunt verba Salvatoris*: *& ea extant in Liturgia Græcorum*. Jam sic contraho argumentum:

In his solis verbis consistit vini consecrandi essentia, quæ sola in omnibus Liturgiis uniformiter præscribuntur; quod nisi confessi fuerimus, majori Orientis parti eripimus Sacramenti & Sacrificii veritatem, quin & ipsam Romanam Ecclesiam accusamus, quæ Græcorum & Orientalium formas, a sua licet differentes, ratas probatasque habet; atqui in his solis verbis: *hic est Sanguis meus*: omnes Orientis & Occidentis Liturgiæ uniformes comperiuntur; reliquas vero formulæ sacræ particulas, aliquæ vel ex parte, vel omnino non habent. Ergo &c.

PROBATIO QUARTA.

Ex doctrina Sanctorum Patrum.

4. Accedit SS. Patrum consensio, qui de calicis consecratione agendo, eam in his solis verbis ponunt: *hic est Sanguis meus*. Sic S.Justinus Martyr: *Apostoli*, inquit, (*in Apol.c.* 13) *in commentariis a se scriptis*, *quæ Evangelia dicuntur*, *ita sibi Jesum præcepisse tradiderunt*: *eum enim accepto pane*, *cum gratias egisset*, *dixisse*: hoc est Corpus meum: *dixisse etiam accepto poculo*: hic est Sanguis meus. Et S. Jo. Damascenus: (*lib.* 4 *de fide c.* 13) *in principio dixit Deus*, inquit, *producat terra herbam virentem . . . dixit perinde Deus*: *hoc est Corpus meum*, *&*: *hic est Sanguis meus*: *hoc facite in meam commemorationem*. *Idque omnipotenti ejus præcepto*, *donec veniat*, *efficitur*. Similia habent *S. Ambrosius* l. 4 de Sacramentis: *Author Sermonis in cœna Domini*, inter S. Cypriani opera: *Innocentius III* Pontifex Max. lib. 4 de mysterio Missæ: & alii passim quos consulto, ne nimium in re facili immoremur, prætermittimus.

PROBATIO QUINTA.

Ex Theologica ratione.

5. Et ultimum sic proponimus: si hæc verba: *novi*, *& æterni Testamenti*, & alia quæ sequuntur, ad formam consecrandi calicis necessario pertinerent; vel hoc ideo esset, quia iis Christus instituendo Eucharistiam usus esset; vel quia divinum de iisdem proferendis mandatum esset; vel denique quia naturam hujus Sacramenti significarent; atqui harum rationum nulla convincens est.

Non 1. Nam voces, *æterni*, & *Mysterium fidei*, non habentur in Evangelio; sed *ea sancta traditio Catholicæ veritatis interpres & custos nos docuit*, inquit Concilii Trid. Catechismus (2 *par. tit. de Euch. n.* 21).

Deinde. Licet Christus panem Eucharisticum consecrando hæc verba protulerit: *quod pro vobis datur*, vel, *quod pro vobis tradetur*, ut referunt Sancti Lucas & Paulus (*Luc.* 22, 19, 1, *Cor.* 11, 24): absolute tamen necessaria non putantur, cum a Sacerdotibus Eucharistiam consecrantibus non pronuntientur. Ergo pariter etiamsi Christus calicem consecrando dixerit: *novi Testamenti*, *qui pro vobis &c.* inde tamen non sequitur, ita esse necessaria, ut iis omissis nequeat Eucharistia fieri.

Neque 2. Si enim intelligeret Ecclesia horum prolationem verborum esse divinitus imperatam, nec ea pateretur omitti, nec Eucharistiam sine illis factam probaret; atqui ut constat ex dictis superius, Eucharistiæ mysterium sine his verbis celebrari patitur, & ita celebratum approbat, prohibetque Græcis & Orientalibus ullam de hac re inferri molestiam. Ergo &c.

Nec denique 3: quia ut ex S. Thoma prædiximus, natura hujus Sacramenti tota in transubstantiatione consistit, quæ his verbis exprimitur: *hic est Sanguis meus*. Ergo &c.

§. SECUNDUS

Solvuntur quædam difficultates.

Obj. contraria est illa sententia Sancto Thomæ. Ergo tenenda non est.

℟. Nego ant. Quin e contra illa in asserenda totus est Angelicus Doctor: cum enim quæstionem sibi proposuisset: *utrum hæc sit forma hujus Sacramenti*: *hic est calix Sanguinis mei*? affirmative respondit: (3 *p. q.* 78, *art.* 1, *in c.*) *nam*, inquit, *formæ aliorum Sacramentorum important usum materiæ*; *sed forma*

ma hujus Sacramenti importat solam consecrationem materiæ, quæ in transubstantiatione consistit: puta cum dicitur: *hoc est Corpus meum*: *hic est calix Sanguinis mei*.

Inst. 1. Prob. ant. S. D. ejusdem quæstionis art. 3 movet hanc quæstionem, *utrum hæc sit conveniens forma consecrationis vini: hic est calix Sanguinis mei, novi & æterni Testamenti mysterium fidei, qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum?* difficultatem sic resolvit: *dicendum*, inquit, *quod circa hanc formam est duplex opinio; quidam enim dixerunt, quod de substantia formæ hujus est hoc solum quod dicitur*: hic est calix Sanguinis mei: *non autem ea quæ sequuntur; sed hoc videtur esse inconveniens, quia ea quæ sequuntur, sunt quædam determinationes prædicati, id est, Sanguinis Christi: unde pertinent ad integritatem ejusdem locutionis: & propter hoc, sicut alii melius dicunt, omnia sequentia sunt de substantia formæ, usque ad hoc quod postea sequitur*; hoc quotiescumque feceritis &c. *quod pertinet ad usum hujus Sacramenti: unde non est de substantia formæ .... dicendum est ergo, quod omnia prædicta verba sunt de substantia formæ*. Hinc sic infertur argumentum:

S. Thomas diserte docet, omnia hæc verba: *hic est calix Sanguinis mei, novi & æterni testamenti*, &c. quæ in Liturgia Latina sequuntur, esse de substantia formæ calicis; nobis ergo contrarius est.

R. Admitto auctoritatem, & dist. ant. Docet hæc omnia esse *de substantia*, id est de integritate formæ calicis, quatenus, ut ipse loquitur, quædam sunt prædicati determinationes, conc. id est, ad essentiam consecrandi calicis æqualiter omnia & singula pertinere: nego ant. & conseq.

E. R. Quandoquidem cum scholasticis litigamus, scholarum more loqui debemus, & vim vocum rimari scrupulosius. Duobus porro modis dici aliquid potest esse de rei substantia: vel quia essentiam ejus constituit, ut cum dicitur animam esse de substantia hominis, vel quia dat ei Integritatem & complementum. Sic manus & digiti de substantia hominis esse affirmantur, non quod illius essentiam constituant, cum possit homo sine manu & digitis & intelligi & vere esse, sed quia ad ejus perfectionem & integritatem concurrunt. Hoc vero secundo sensu debere accipi quod opponitur testimonium, manifestum est.

1. Ex ejusdem quæstionis a. 1, ubi ex professo docet S. Thomas, his solis verbis: *hic est calix Sanguinis mei*, vinum Eucharisticum consecrari: ex ejus itaque mente verba sequentia ad essentiam formæ non pertinent: alioquin enim paucissimas intra lineas sibimet contradiceret, secumque ipso pugnaret, quod absit ut de tam eximio magistro dicamus.

2. Hoc ipsum adstruit ex eodem qui opponitur articulo tertio: Nam statim post verba in objectione adducta, subdit S. Doctor: *sed per prima verba, cum dicitur*: hic est calix Sanguinis mei, *significatur ipsa conversio vini in Sanguinem, eo modo quo dictum est in forma consecrationis panis: per verba autem sequentia designatur virtus Sanguinis effusi in passione, quæ operatur in hoc Sacramento*. Unde sic argumentor: ea verba non putat S. Thomas ad essentiam consecrandi calicis pertinere, per quæ vinum in Sanguinem non convertitur; atqui ex Angelico Doctore per hæc verba: *novi & æterni Testamenti &c.* vinum in Sanguinem non convertitur, cum verborum præcedentium virtute mutatio facta fuerit; neque ad aliud valeant, nisi ad significandam virtutem Sanguinis in passione effusi. Ergo &c.

Inst. 2. Tam debet hoc testimonium de essentia formæ intelligi quam alter ejusdem Sancti Doctoris locus, (3 p. q. 60, *art.* 8, *in c.*) ubi, *manifestum est*, inquit, *quod si diminuatur aliquid eorum quæ sunt de substantia formæ Sacramentalis, tollitur debitus sensus verborum: & ideo non perficitur Sacramentum*. Quam ergo attulimus responsionem, evasio, non difficultatis solutio fuit.

R. Nego ant. Quando enim nomen aliquod æquivocum est, non est mirum si diverso sensu ab uno eodemque Scriptore, in locis diversis accipiatur: in hoc porro numero est, *adeo* vox *substantiæ*, cum aliquando rei essentiam, aliquando integritatem, ut modo advertebamus significet. Quando itaque dicit S. Thomas, *quod si diminuatur aliquid eorum quæ sunt de substantia formæ Sacramentalis, tollitur debitus sensus verborum, atque non perficitur Sacramentum*; per substantiam, essentiam intelligimus sine qua res esse non potest. Quando vero alibi dicit, omnia quæ in consecratione calicis exprimuntur, esse de substantia formæ, τὸ *substantiam* de sola integritate accipiendam, ex ejus proposito manifestum est; cum in eodem art. contendat, vereque ad mentem Ecclesiæ doceat, his solis verbis: *est calix Sanguis mei*, vinum consecrari.

Inst. 3. S. Thomas in 4 sent. dist. 8, qu. 2, art. 4, ad 3, affirmat, *omnia quæ in consecratione calicis recitantur; esse essentialia Sanguini, prout in hoc Sacramento consecratur*. Ergo vocem substantiæ qua utitur in textu opposito, de essentia formæ intelligit.

R. 1. Concesso ant. nego conseq. Ex iis enim quæ junior scripsit S. Thomas, non ejusdem an-

auctoritatis argumentum eruitur, ac ex summa Theologica, quod opus ejus ultimum fuit ætate maturiore, diligentia majore & uberiore doctrinæ copia exaratum. Unde quæ in præcedentibus commentariis nonnumquam obscure & negligentius est locutus, per ea debent explicari, quæ vel corrigendo priores sententias, vel suam clarius mentem aperiendo in summa Theologica dictavit. Hoc itaque nixus fundamento:

R. 2. dist. ant. Simul & explico mentem S. Thomæ: affirmat S. Doctor, verba omnia quæ in consecratione calicis recitantur, esse essentialia Sanguini, ut vinum in Sanguinem convertatur, nego: hoc enim in summa Theologica expresse inficiatur: ut clarior & explicatior Sanguinis Christi in passione effusi memoria celebretur, conc. ant. & nego conseq. Ex ipsis ejus verbis colligitur hæc responsio; non enim simpliciter dicit, verba de quibus agitur, esse essentialia calici, sed ait essentialia esse prout consecratur, id est quatenus per illa exprimitur effusio & separatio Sanguinis Christi.

Monitum.

Pari ratione resolves quædam alia quæ ex S. Thoma opponi possunt. Sic quod dicit in comment. Epistolarum S. Pauli: (*lect. 6, in c. 11, 1 ad Cor.*) *omnia verba esse de necessitate formæ*, ita debet accipi, non quasi velit his omnibus essentialem vini consecrandi formam constitui, sed quia quæ ultimo proferuntur, præcedentium quædam explicationes sunt, cum illis intime conjunctæ. Unde subdit, ea pertinere ad ejusdem locutionis sententiam. Similiter quod ibidem ait, *totum hoc pertinere ad vim effectivam*, hunc sensum habet, his omnibus verbis explicari vim effectivam, seu effectus Sacramenti Eucharistiæ, fidem nimirum, peccatorum remissionem, gratiæ plenitudinem, divinæ passionis memoriam, & introitum in regnum cœlorum.

Inst. 4. *S. Pius V* Pontifex Max. ex commentariis *Cardinalis Cajetani* in S. Thomam, dissertationem expungi jussit, in qua prædictus Cardinalis propugnabat hæc sola verba, *hic est calix Sanguinis mei*, formam consecrandi calicis constituere. Existimavit ergo Sanctissimus Pontifex doctrinam hanc tum falsam esse, tum S. Thomæ contrariam.

℟. Concesso ant. nego conseq. Quod enim *Pius V* non putaverit falsam esse sententiam, quæ negat omnia verba a Latinis ad consecrandum calicem proferri solita ad formæ essentiam pertinere; vel inde evincit quod non secus ac alii Romani Pontifices ritus Græcorum, nominatimque quam in usu habeat calicis consecrandi formam probaverit: quis enim sibi persuadeat *Pium V* a prædecessorum suorum *Leonis X & Clementis VII* sententia recessisse, a quibus constat, datis de hac re diplomatibus vetitum, ne ulla Græcis molestia inferretur, & Græcis ipsis prohibitum, ne ritus suos cum Latinis commutarent? atqui ut paragrapho præcedenti ostensum est, voces *æterni*, & *mysterium fidei* in Græcorum & Orientalium Liturgiis nullibi præscribuntur; sed nec alias quæ sequuntur, *qui pro multis effundetur &c.* omnes Liturgiæ habent. Non ergo hac de causa *Cajetano* subiratus est summus Pontifex, quod negaret omnes formæ particulas ad ejus essentiam pertinere; sed quod de S. Doctore non sat honorifice esset in hac dissertatione locutus vir ad reprehendendum paulo audacior, forteque etiam quod Germanum S. Thomæ seosum minime esset assecutus.

Inst. 5. Ecclesia præcipit, ut hæc verba, *novi & æterni Testamenti* &c. in consecratione calicis ex integro recitentur. Ergo omnia necessaria sunt.

R. 1. Nego absolute ant. de universa Ecclesia intellectum; ritum enim contrarium Græci & Orientales habeat, quem Ecclesia nedum reprobet, præscribit observari.

℟. 2. Si de Ecclesia Latina agatur, dist. conseq. Ergo omnia hæc verba necessaria sunt, necessitate præcepti, concedo, necessitate Sacramenti, nego conseq. plana responsio est, neque explicatione indiget.

Inst. ultimo. Atqui Latina Ecclesia sentit omnia hæc verba ad Sacramentum necessario pertinere. Ergo &c. prob. subs. in Rubricis Missæ præscribitur, *ut si vel unum ex his vocibus contingerit prætermitti, sacerdos formam ex integro repetat*. Idemque non ita pridem ab *Innocentio XI* Pontifice max. constitutum; arqui non ita Ecclesia præciperet, nisi judicaret omnia & singula verba ad consecrandæ Eucharistiæ essentiam æqualiter pertinere. Ergo &c.

℟. Nego subsumptum. Ad probationem

1. Retorqueo argumentum. Probat Romana Ecclesia consecrationem calicis a Græcis & Orientalibus factam, quos certum est, has voces, *æterni*, & *mysterium fidei*, immo & sequentes, in plerisque saltem Liturgiis prætermittere: suis eadem in Romana Ecclesia districte prohibet, ne Græcis propter ritum Latino contrarium molestos se præbeant. Quid plura? suo cuique, sive Græco, sive Latino, ritu agendum in Sacramenti & sacrificii consecratione, sacris constitutionibus imperat. Non ita porro se gereret, si putaret omnia & singu-

singula Latinæ Liturgiæ verba esse æqualiter necessaria. Quid hoc esset nisi errori, & superstitioni, ipsique idololatriç patrocinari, & in Apostolicum anathema incurrere, quo declarat *dignos esse morte, non solum qui faciunt mala, sed etiam qui consentiunt facientibus?* (Rom. 1, 32)

2. Concessa maj. nego min. Hinc enim solum sequitur, quod non negamus, teneri ministros in praxi facere id, quod juxta suæ Ecclesiæ morem & institutum tutius est. Latinis porro tutius est, & a peccandi periculo magis alienum, verba quę rituale pręscribit ex integro recitare, quam eorum aliquod, non sine protervię nota recitare. Quamquam enim speculative, ut schola loquitur, probabilius, quin & certius sit, his solis verbis, *hic est calix Sanguinis mei*, consecrationis impleri mysterium; cum tamen alia quę sequuntur, omnino requiri Latini multi teneant, & acriter disputent, aliundeque certum sit antiquissimo usu esse pręscripta, prudenter jubet Ecclesia ut ex integro, si vocula aliqua defuerit, resumantur, ne videlicet in re omnium gravissima ullum relinquat dubii locum, aut peccandi viam aperiat. Hinc merito **Innocentius XI** istam propositionem inter cęteras scandalo plenas damnavit: (*anno 1679 die 2 Martii*) *non est illicitum in Sacramentis conferendis, sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore.*

QUÆSTIO QUARTA.

De Auctore & ministro Eucharistiæ.

DOminum Jesum Christum pridie quam pateretur, celebrato cum Discipulis veteri paschate, ut figura veritati, & umbra Corpori cederet, divino inexplicabilique Consilio, Eucharistię Sacramentum instituisse, verbis adeo perspicuis Sancti *Matthæus, Marcus, Lucas, & Paulus*, locis sępe cit. affirmant; nullum ut de hac re possit esse, fueritve aliquando dubium; in hujus itaque tam apertæ veritatis defensione ponendam operam non putamus, quam si quis negare pręsumeret, facile Scripturarum & traditionis auctoritate revinceretur: restat ergo de solo Eucharistię ministro difficultas: quam ut resolvamus, quod sępe diximus memoria recolendum, huic scilicet Sacramento eximium esse ac singulare, quod non in usu tantum, ut cętera, sed & in re permanenti consistat; quo fit ut alter consecrandę, alter dispensandę Eucharistię minister intelligatur. De utoque sigillatim dicere proponimus. Quapropter sit

CAPUT PRIMUM.

De ministro Eucharistiæ consecrandæ.

MInister Sacramentorum quis sit? rursum quid ministri ordinarii, quid extraordinarii nomine veniat intelligendum? nemo est qui nesciat; itaque quantum ad præsens attinet, ministrum ordinarium appellamus, qui sacrificio offerendo, tantoque celebrando mysterio, divina auctoritate communique lege præficitur. Extraordinarium si quis esset, diceremus, in quem certis casibus, ex divina concessione & dispensatione Ecclesiæ potestas devolveretur.

§. PRIMUS.

Notantur errores.

1. Notandus occurrit *Gnosticorum, Montanistarum, Collyridianorum*, aliorumque anti quus error, quem l. 8 de Sacramento ordinis data opera refutabimus, qui vulgaribus fœminis plus tribuendo, quam ipsi Virgini Deiparæ concessum fuerit, volebant ad Eucharistiæ celebrationem admitti.

2. *Waldenses* referente *Raynerio*, (*lib. cont. Waldens. c. 5*) cum vellent Sacramentorum vim & efficaciam pendere a fide & sanctitate ministri; consecrandæ Eucharistiæ potestatem negabant in malis sacerdotibus permanere, eandemque in bonos quoslibet, etiam laicos transferebant.

3. *Lutherus* in lib. de Captivit. Babylonica (*cap. de Ord.*) omnes sine differentia Christianos, jure divino esse Sacerdotes, adeoque habere in casu saltem necessitatis, faciendæ Eucharistiæ potestatem effutiit: hujusque tam absurdæ doctrinæ Lutheranos omnes hæredes scripsit.

4. *Calvinus & Calvinistæ* licet Presbyteratus nomen, ad fucum simplici populo faciendum retinuerint, rem tamen ipsam nomine venerando significatam exterminarunt. Nam nec veros Sacerdotes habent, Episcopali manuum impositione consecratos: quin nec ullos Episcopos admittendo, a quibus valeant ordinari, ipsi sibi fontem Christiani Sacerdotii præcluserunt: itaque laicis homuncionibus larvatæ Eucharistiæ faciendæ, non spirituali Ecclesiæ, sed civili magistratuum suorum auctoritate potestatem attribuunt, prout placuerit Reipublicæ vel auferendam vel prorogandam. Unde in eos optime quadrat percelebre Tertulliani contra Gnosticos aliosque hæreticos dictum; *ordinationes eorum*, inquit, (*præscr. c. 41*)

c. 41) *temerariæ*, *leves*, *inconstantes*: *nunc Neophytos conlocant*, *nunc sæculo obstrictos*, *nunc Apostatas nostros*, *ut gloria eos obligent*, *quia veritate non possunt*: *nusquam facilius proficitur*, *quam in castris rebellium*, *ubi ipsum esse illic*, *promereri est*; *itaque alius*...... *hodie Diaconus*, *qui cras lector*; *hodie Presbyter*, *qui cras laicus*. *Nam & laicis Sacerdotalia munera injungunt*. Contra hos omnes, eorumque similes sit

§. SECUNDUS.

Demonstratur, *consecrandæ Eucharistiæ ministerium ita solis Sacerdotibus convenire*; *ut alteri cuilibet*, *in quantalibet necessitate committi non possit*.

Sententia fidei est, in Conc. Trid. novo canone roborata: *si quis dixerit*, inquit, (*sess.22.Can.2*) *illis verbis*, hoc facite in meam commemorationem, *Christum non instituisse Apostolos Sacerdotes*, *aut non ordinasse*, *ut ipsi aliique Sacerdotes offerrent Corpus & Sanguinem suum*: *anathema sit*.

PROBATIO PRIMA.

Ex præscriptione.

Solus ille dicendus est Eucharistiæ conficiendæ minister, quem solum hac potestate donatum ita semper Ecclesia intellexerit; ut nullo casu putaverit posse vel ministros inferiores, vel laicos ad hoc officium delegari. Atqui,

1. Semper Ecclesia credidit, solos Sacerdotes habere jus Eucharistiæ consecrandæ: cujus rei fidem faciunt omnia tum Græcorum & Orientalium, tum Latinorum ritualia, sive antiqua sive nova.

2. Semper hæc ejus persuasio fuit, non posse sacrificii ministerium alteri quam Sacerdoti committi, quicumque tandem casus necessitatis urgeret: quod variis historiæ ac disciplinæ Ecclesiasticæ monumentis demonstrare facile est: Nam

Primo, si existimasset Ecclesia posse aliquando ministris Sacerdotio inferioribus ipsisque laicis, divini exercendi officii fieri facultatem; hoc sane jure potissimum usa foret erga martyres & confessores, qui tempore persecutionis detrusi in carceres, ibidem annos sæpe plurimos tyrannorum sævitia detinebantur: quis enim casus urgentior, quæve æquior concedendæ dispensationis causa esse poterat? atqui ne in his quidem angustiis arbitrata est, posse vel a laicis, vel a ministris inferioribus Eucharistiam consecrari. Constat enim, sæviente persecutione, Presbyteros cum magno vitæ periculo summissos in carceres, ut sanctis confessoribus omne quod poterant solatium darent, præsertim vero ut communione Corporis & Sanguinis Christi, quam votis ardentissimis postulabant, reficerent. Præclarissimum de hac *S. Cypriani* est testimonium, qui cum Carthagine propter persecutionem secedere coactus fuisset, scripsit ad Clerum Carthaginensem Epist. qua sacerdotes sollicitudine vere pastorali exhortabatur, ut suo rite defungerentur officio, & diligenter curarent, ne quid confessoribus in carcere constitutis deesset: *quoniam*, inquiebat, (*Ep. 5*) *mihi interesse nunc non permittit loci conditio*, *peto vos pro fide & religione vestra*, *fungimini illic & vestris partibus & meis*, *ut nihil vel ad disciplinam*, *vel ad diligentiam desit*..... *peto quoque ut Presbyteri qui illic apud confessores offerunt*, *singuli cum singulis Diaconis per vices alternent*, *quia & mutatio personarum*, *& vicissitudo convenientium*, *minuit invidiam*. Ergo &c.

Secundo, si dispensandi cum laicis potestatem penes se esse Ecclesia credidisset, indulgentiam hanc non confessoribus tantum conjectis in ergastula, sed & omnibus promiscue fidelibus, & numerosissimis plerumque civitatibus concessisset. Magna enim tum temporis pastorum raritas erat, cum multi vel ignavia, vel necessitate fugam arriperent, omnesque undique a Tyrannis quærerentur ad necem; atqui jus illud numquam sibi arrogavit Ecclesia: nec Sacerdotibus permisit unquam ut solo persecutionis obtentu, commissum sibi gregem desererent. Certum namque est, fideles imminente tempestate acceptam a Sacerdotibus Eucharistiam in domos suas deferre consuevisse, ut ea, antequam ad martyrium raperentur, semetipsos reficerent, ne scilicet inermes, fidei certamen inirent, & divino carerent viatico.

Nec minus constat, totos in eo esse Sanctos Patres, ut ostendant ne in casu quidem sævissimæ persecutionis licitum esse Sacerdotibus arripere fugam: cujus doctrinæ non aliam causam afferunt, nisi divinæ Eucharistiæ aliorumque Sacramentorum administrandorum officium: *cum duces fugiunt*, ait egregie Tertullianus (*lib. de fuga in persecutione c. 11*) *quis de gregario numero sustinebit*, *ad gradum in acie figendum suadere*? *certe quidem bonus Pastor animam pro peccatoribus ponit*: *ut Moyses*... *Christo in se figurato ait*: (Exod. 32) si perdis hunc populum, & me pariter cum eo disperde: *cæterum Christo confirmante figuras suas*, malus pastor est, *inquit*, qui viso lupo fugit,

fugit, & pecora diripienda derelinquit..... *porro si eos qui Gregi præsunt, fugere cum lupi irruunt, nec decet, immo nec licet: (qui enim talem pastorem malum pronuntiavit, utique damnavit: omne autem quod damnatur, illicitum factum est sine dubio:) ideo præpositos Ecclesiæ in persecutione fugere non oportebit*.... moxque ad ejusdem libri finem, (*ib. c.* 14) vanam quorumdam argutiam refutans, qui vel licitam esse fugam, vel pecunia saltem redimi posse causabantur, propterea quod alioquin Eucharistiam celebrare libere non possent: *quomodo colligemus*, ajebant illi, *quomodo Dominica solemnia* (sacrificium Eucharisticum) *celebrabimus*? quibus Tertullianus: *si colligere interdiu non potes*, inquit, *habes noctem luce Christi luminosi adversus eam: non potes discurrere per singulos: sit tibi & in tribus Ecclesia*. Ita prædictus Scriptor *in libro de fuga in persecutione*, ubi licet plurima contra veritatem & Ecclesiæ doctrinam effutierit; hoc tamen verissime censuit, Pastoribus, cum persecutio publica est, & in odium Ecclesiæ excitata, legitimam fugiendi causam esse non posse: *præpositis enim Ecclesiæ*, ut docent SS. Athanas., Aug. & alii, *fugere non licet, nisi grege fugiente, aut præpositum non desiderante*: id est ejus operam non amplius requirente, quando nimirum personalis est, ut sic dixerim, Episcoporum aut Pastorum persecutio.

Hoc ipsum confirmat *Eusebii Episcopi Samosatensis* exemplum, qui *Valentis* Ariani Imperatoris temporibus, ut narrat Theodoretus in historia, (*lib.* 4, *c.* 23, *vol.* 13) cum audivisset multas Ecclesias propter Arianam perfidiam, Sacerdotibus esse viduatas, militari habitu sumpto, Palæstinam & finitissimas Provincias peragravit, & ubicumque potuit Sacerdotes ac Diaconos ordinavit, qui nimirum gregem Christi, verbo vitæ & Sacramentis pascerent; atqui imprudenter Eusebius, aliique ejus exemplo, cum tanto vitæ periculo de ordinandis Sacerdotibus fuissent solliciti, si putassent in casu necessitatis posse laicum quemlibet sibimet esse Pastorem, & consecrandæ Eucharistiæ jure frui. Ergo &c.

Tertio, etiam quando tranquilla omnia erant, & tuta vivebat a Tyrannorum metu Ecclesia, si aliquos præter Sacerdotes credidisset conficiendæ Eucharistiæ posse esse ministros, hanc facile facultatem Anachoretis fecisset, iis scilicet non tam hominibus quam Angelis, qui ab omni mortalium commercio segregati, eremos remotissimas incolebant; atqui ne iis quidem gratia hæc legitur aliquando concessa. Constat itaque semper credidisse Ecclesiam, nemini præter Sacerdotem posse conficiendæ Eucharistiæ ministerium, quacumque de causa permitti.

PROBATIO SECUNDA.

Ex Scripturis.

Deinde, cum Sacramenta a Dei instituto ris voluntate absolute dependeant; quemadmodum aliam vindicare materiam aut formam non possunt, præterquam supremus legislator præscripserit; ita nec ministros habere possunt, ab iis, quos elegit ipse, diversos; atqui voluit Christus Eucharistiæ consecrandæ solos Sacerdotes esse ministros: solis enim Apostolis, eorumque in perpetuum successoribus, *hoc facite*, inquit, *in meam commemorationem*. Ergo &c.

PROBATIO TERTIA.

Ex traditione.

Nam quod hæc verba ad solos Apostolos, & futuros ad finem sæculi Sacerdotes respexerint, præter quam quod ex ipso Christi mandato clarissimum est; si quid videatur obscuritatis habere, auctoritate traditionis facile dissipatur, quam certissimam veritatis interpretem, quisquis est vere Catholicus, profitetur. Itaque sic argumentor:

Ad eos solos sermonem dirigebat Christus, quando dixit: *hoc facite in meam commemorationem*, quibus solis factam esse consecrandæ Eucharistiæ potestatem, Ecclesia Catholica semper tenuit; nisi velimus sponsi vocem sponsam non audivisse; atqui facultatem hanc solis Sacerdotibus datam esse, semper Ecclesia intellexit, & contrarium sentientes, tamquam inimicos veritatis, semper damnavit. Quod probamus

1. Ex auctoritate Conciliorum.

Concilium Arelatense 1, ineunte 4 sæculo (*an.* 314) habitum, quosdam Diaconos qui sacrificium offerre præsumpserant sic redarguit: *de Diaconis*, inquit, *quos cognovimus multis locis offerre, placuit minime fieri debere*.

Concilium Nicænum Œcumenicum 1, *pervenit*, inquit, (*Can.* 18) *ad sanctum magnumque Concilium, quod in quibusdam locis & civitatibus, Presbyteris gratiam sacræ communionis Diaconi porrigant; quod nec regula, nec consuetudo tradidit, ut ab his qui potestatem non habent offerendi, illi qui offerunt Christi Corpus accipiant*.

Synodus Alexandrina quam laudat S. Athanasius in Apologia contra Arianos, hinc probat

bat *Ischiram* sacro calice uti non potuisse, quem instigante Athanasio confractum Ariani calumniabantur, quod *Ischiras* Presbyter non esset, neque haberet consecrandæ Eucharistiæ potestatem: *Presbyter autem*, inquit, *qui fingitur adfuisse, est ille toties rumoribus jactatus Ischiras, qui neque ab Ecclesia ordinatus est Presbyter, neque in Presbyterorum numero unquam habitus fuit: quo pacto igitur Presbyter Ischiras, aut quo tandem auctore constitutus? .... quomodo homo privatus, & privatas ædes inhabitans, poculum mysticum sibi concreditum habuit?*

Concilium Lateranense IV sub *Innocentio III* congregatum, (*an.* 1215) can. 1 de Eucharistia sic decrevit: *hoc utique Sacramentum nemo potest conficere nisi Sacerdos, qui rite fuerit ordinatus.*

Concilium Trid. (*Sess.* 22, *c.* 2) *Dominus noster Jesus Christus*, inquit, *Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech se in æternum constitutum declarans, Corpus & Sanguinem suum sub speciebus panis & vini Deo patri obtulit; ac sub earumdem rerum symbolis, Apostolis, quos tunc novi Testamenti Sacerdotes constituebat, ut sumerent, tradidit; & eisdem, eorumque in sacerdotio successoribus, ut offerrent præcepit per hæc verba:* hoc facite in meam commemorationem: *uti semper Catholica Ecclesia intellexit & docuit.*

2. Auctoritate Patrum, quorum vox una, unusque consensus est, potestatem Eucharistiæ consecrandæ solis Sacerdotibus esse commissam.

Et qui Fratribus præest, ait S. Justinus sæpe laudatus (*in Apol.* 2) *offertur panis & poculum aquæ, & vini: quibus ille acceptis, Eucharistiam sive gratiarum actionem prolixe exequitur.*

Eucharistiam, inquit Tertullianus (*lib. de cor. mil. c.* 3) *non de aliorum manu, quam de præsidentium sumimus:* eamque consuetudinem in sacrarum traditionum numero ponit, quas recipi ab omnibus, etiamsi deforent Scripturæ instrumenta, oportet. Porro præsidentes, sive eos qui Fratribus præsunt, non alios esse quam Sacerdotes, res est lippis & tonsoribus nota.

Concinunt, auctor constitutionum Apostolicarum .... S. Epiphanius ..... S. Joan. Chrysostomus ... S. Ambrosius ... S. Hieronymus .... & alii quorum verba l. 5 de sacrificio Eucharistico, & l. 8 de ordine citata reperies, & a quibus exscribendis in præsenti abstinemus. Ergo &c.

§. TERTIUS.

Contraria argumenta refelluntur.

Materiam hanc l. 1 de Sacramentis in genere, qu. 5 de ministro Sacramentorum occupavimus, iterumque recurret in libro de Sacramento ordinis. Interim pauca quæ sequuntur argumenta solvemus.

Object. Potest Laicus in necessitate baptizare: quidni ergo pariter poterit conficere Eucharistiam?

R. Nego conseq. & paritatem. Potestatem enim quamcumque homines in sacris mysteriis habent, non a se ipsis, sed a Christo acceptam habent, nec contra ejus voluntatem aliquid possunt. Baptismum porro voluit Christus posse a quolibet in necessitate conferri: de Eucharistia non idem præscripsit, quam ab iis tantum confici voluit, quibus dixit: *hoc facite in meam commemorationem*: non est, quod reponatur, solis pariter Apostolis dictum: (*Matt.* 28, 19) *euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris &c.* hujus namque loci obscuritatem divina & Apostolica traditio explicat, qua docemur baptismi ministerium ipsis etiam laicis, quin & infidelibus committi aliquando posse, Eucharistiæ consecrandæ officium nemini præter Sacerdotem posse: *harum & aliarum hujusmodi disciplinarum*, ait apposite Tertullianus, (*lib. de cor. milit. c.* 4) *si legem expostules Scripturarum, nullam invenies*, (quæ saltem aperta sit, omnisque expers difficultatis,) *traditio tibi prætendetur auctrix, consuetudo confirmatrix, & fides observatrix: rationem traditioni, consuetudini, fidei patrocinaturam, aut ipse prospicies, aut ab aliquo qui perspexerit disces.* Contra auctoritatem adeo gravem humanis ratiunculis litigare, idem est, ac Deum ipsum in jus vocare, eique temerario ac sacrilege intentare litem.

Inst. 1. Ideo potest Sacerdos Eucharistiam consecrare, quia Christo conjunctus est; atqui similiter homo sanctus, laicus licet, est Christo conjunctus, cum vivum ejus sit membrum. Eadem ergo fruitur potestate.

R. Dist. maj. quia Christo conjunctus est, per Sacramentalem potestatem, & ordinis characterem, conc. per charitatem, internamque justitiam, nego maj. Similiter distinguo min. homo Sanctus, licet laicus, est Christo conjunctus, per charitatem conc. per potestatem Sacramentalem, nego minor. & consequ.

E. R. Potestas Eucharistiæ conficiendæ non ab interna justitia & charitate, sed a charactere

ctere Sacerdotali absolute dependet, qui etiam in impiissimis ministris, in propriam licet eorum perniciem, indelebiliter perseverat: est enim illa potestas de numero gratiarum quas gratis datas vocamus; itaque licet fidelis quilibet hoc ipso quod justus est, spirituale gerat sacerdotium, ad offerendas spirituales hostias comparatum; non habet tamen externum & proprie dictum, his verbis a Christo significatum & concessum Apostolis: *hoc facite in meam commemorationem*.

Inst. 2. In Concilio Ancyrano Can. 2 statutum est, *ut Diaconi qui Idolis sacrificaverunt, ac postea resipuerunt, & denuo pro Christi fide certarunt, in cæteris quidem sui ordinis honorem retineant, cessent vero ab omni sacerdotali vel sacro ministerio panem & calicem offerendi, ac prædicandi*. His ergo temporibus Diaconi panem & calicem offerebant.

R. Dist. conseq. Diaconi panem & calicem offerebant, *Sacerdoti sacrum facienti*, concedo: *offerebant Deo per hostiæ consecrationem*, nego. Hoc ipsum tum temporis Diaconi faciebant, quod modo agunt: proxime scilicet ad altare Sacerdotibus adhærentes, panem illis & vinum destinata ad sacrificium præsentabant, non a se, sed a solis Presbyteris Sacramentaliter offerenda ac consecranda: cujus honoris *Ancyrani* Patres voluerunt in perpetuum eos esse expertes, qui fidem negassent & idolorum sacrificiis manus inquinassent, etiamsi resipiscerent, & denuo pro Christi fide certarent.

Inst. 3. Apud S. Ambrosium (*de offc. lib.* 1, *c.* 45) S. Laurentius Xistum Pontificem Max. ad martyrium sine Diacono raptum sic alloquitur: *quo sacerdos sancte, sine ministro properas, cui commisisti Dominici corporis consecrationem .... huic sanguinis tui consortium negas?* Ergo Diaconi aliquando Eucharistiam consecrabant.

R. Dist. conseq. Consecrabant, *improprie*, offerendo scilicet Sacerdoti sacrificii peragendi materiam, & deinde consecratam Eucharistiam fidelibus distribuendo, conc. consecrabant ipsi per se, verba Evangelica in elementa subjecta pronuntiando, nego. E. R. Consecrandi vox, non solum actionem, per quam ex pane & vino fit Corpus & Sanguis Christi, sed etiam actionem quamlibet sacram significat, ad sacrificium pertinentem; atqui præsentare sacerdoti materiam sacrificii peragendi, & Eucharistiam fideli populo distribuere, sacræ actiones sunt ad sacrificium pertinentes. Nihil itaque mirum si *Laurentius* Diaconus commissam sibi dicat Dominici corporis consecrationem: nec aliter sentire S. *Ambrosius* potuit, cujus certa & constans sententia est, Eucharistiæ consecrandæ potestatem solis Apostolis traditam, & eorum in sacerdotio successoribus.

CAPUT SECUNDUM.

De ministro Eucharistiæ dispensandæ.

Dispensandæ Eucharistiæ ministrum dicimus, cui incumbit illam fideli populo distribuere: ut autem ostendatur, quam late hoc officium pateat, olimque patuerit;

Dico 1. Episcopos & Presbyteros jure divino esse ordinarios dispensandæ Eucharistiæ ministros.

Nam quibus convenit Eucharistiam consecrare, merito distribuendæ jus arrogatur: consecratio enim ad distributionem tamquam ad finem ordinatur; cum dixerit Christus; *accipite & comedite, bibite ex hoc omnes*; atqui, ut capite præcedenti ostensum est, Eucharistiæ consecratio ad solos Episcopos & Presbyteros pertinet. Ergo &c. *dicendum*, inquit S. Thomas (3 *p. q.* 82, *ar.* 3, *in c.*), *quod ad sacerdotem pertinet dispensatio Corporis Christi .... 1 quidem quia ipse consecrat in persona Christi: ipse autem Christus sicut consecravit Corpus suum in cœna, ita & aliis sumendum dedit. Unde sicut ad Sacerdotem pertinet consecratio Corporis Christi, ita ad eum pertinet dispensatio: 2 quia sacerdos constituitur medius inter Deum & populum. Unde sicut ad eum pertinet dona populi Deo offerre; ita ad eum pertinet, dona sanctificata divinitus populo tradere* .... hinc Concilium Trid. ad illud quod est jure divino Presbyteris concessum attendens: *in Sacramentali sumptione*, inquit, (*sess.* 13, *c.* 8) *semper in Ecclesia Dei mos fuit, ut Laici a Sacerdotibus communionem acciperent; Sacerdotes autem celebrantes se ipsos communicarent: qui mos tamquam ex traditione Apostolica descendens, jure ac merito retineri debet*.

Dico 2. Diaconos olim Eucharistiam in Oriente & Occidente administrasse.

In Oriente quidem, testem moris antiqui fidelem habemus S. *Justinum martyrem*, in Apologia sæpe laudata: *qui apud nos vocantur Diaconi atque ministri*, inquit, *distribuunt unicuique præsentium, ut participet eum in quo gratiæ sunt actæ, panem, & vinum, & aquam, & ad absentes perferunt*.

Idemque aperto colligitur ex Nicæno Can. 18 superius allegato, quo hoc unum prohibetur, ne Presbyteris Diaconi Eucharistiam admini-

ministrent, idque ea ratione, *quia neque canon, neque consuetudo tradidit, ut qui offerendi potestatem non habent, iis qui offerunt, dent Corpus Christi.* Supponunt ergo Patres Diaconos posse inferioribus Clericis & Laicis Eucharistiam distribuere, moremque hunc suo tempore solitum observari: alioquin non causam pro causa afferrent.

In Occidente vero quæ disciplina antiquitus obtinuerit, *constitutionibus*, vulgo dictis *Apostolicis* edocemur, ubi sic præscribitur: (*lib.* 8, *c.* 28) *oblatione vero ab Episcopo aut Presbytero facta, ipse Diaconus dat populo, non tamquam sacerdos, sed tamquam qui ministrat Presbyteris:* Idemque Patres *Conc. IV Carthaginensis* aperte tradunt, Can. 38 decernentes, *ut Diaconus præsente Presbytero, Eucharistiam Corporis Christi populo, si necessitas cogat, jussus eroget.* Quem in sensum debet accipi *Alcuinus* in l. de divinis officiis ita loquens: *si necessitas evenerit, & Presbyter non fuerit præsens, Diaconus suscipiat pœnitentem, & det sanctam communionem.* Idem denique in veterum scriptis ita perspicue continetur, ut dubii nec minimus locus remaneat.

Jam si quærat aliquis, quo jure Diaconi hoc sibi ministerium arrogarent? Respondeo, jure ipso suæ ordinationis: in Actis enim Apostolorum legitur (*c.* 6) ad mensarum ministerium Diaconos ab Apostolis ordinatos; atqui prima illa Ecclesiæ ætate, in mensis communibus Christi exemplo Eucharistia sumebatur. Ergo &c.

Deinde, Diaconi ordinatione sua Episcoporum & Presbyterorum ministri constituuntur. Ergo illis jubentibus, sicut baptismum & plerique alia exercebant, pariter poterant Eucharistiam jure suæ ordinationis fidelibus distribuere: quo sensu auctor constitutionum Apostol. modo laudatus: *Diaconus*, inquit, *dat Eucharistiam populo, non tamquam sacerdos, sed tamquam qui ministrat Presbyteris.*

Rursum si roget quispiam utrum nostris temporibus Diaconis eadem facultas concedi possit?

℟. Affirmative. Viget enim etiam num apud Græcos & Orientales prisca disciplina. Equidem apud Latinos non obtinet, obtineret tamen & reviivisceret, si sic Ecclesiæ videretur; tum quia ejus non est arctata lapsu annorum potestas: tum quia Canones si vim eorum & sensum spectemus, hoc aperte significant: *Diaconus*, ajunt Patres Carthaginenses, *præsente Presbytero Eucharistiam Corporis Christi populo, si necessitas cogat, jussus eroget:* idemque *Alcuinus* supra laudatus affirmat. Argumenti vim auget; quod antiqui Canones nullo fuerint contrario Canone successu temporum, quod quidem sciam, revocati. Cur autem potestate hac hodie Latina Ecclesia non utatur, in promptu ratio est, ingens ubique numerus Sacerdotum, & ministrorum paucitas qui ex officio Diaconatum exerceat.

Dico 3. Minoribus Clericis, immo & Laicis, Eucharistiam tum cæteris, tum sibimet ministrare, olim ex Ecclesiæ indulgentia concessum fuisse.

Prima pars, quæ est de Clericis minoribus, probatur ex Martyrologiis *Bedæ*, *Adonis*, & *Usuardi*, ubi hæc narratur historia: *Romæ via appia, in cœmeterio Callixti, Natale S. Tharsiti Acolythi & Martyris, quem Sacramenta Domini deferentem pagani cum reperissent, cœperunt inquirere quid gereret? ille indignum æstimans margaritas porcis prodere, ab eis tamdiu fustibus & lapidibus mactatus est, donec Spiritum exhalavit: evoluto ejus corpore sacrilegi nihil Sacramentorum Domini in ejus manibus aut vestibus invenientes, eo relicto fugerunt cum terrore.* Igitur sæviente persecutione, Acolythi, absentibus Presbyteris & Diaconis, Eucharistiam administrabant.

Secunda pars, quæ est de Laicis, auctoritate *Dionysii Alexandrini* adstruitur, apud Eusebium (*hist. lib.* 6, *cap.* 44) referentis, Eucharistiam Serapioni seni porrectam a puero, quem Presbyter ad eum miserat, cum ipse propter infirmitatem decumbens, hoc officio fungi non posset: *puer*, inquit, *Eucharistiam propria manu Serapionis ori admovit.*

Tertia pars affirmans, Laicos olim ex concessione Ecclesiæ, non aliis solum, sed sibi ipsis Eucharistiam administrasse, facile demonstratur: certum enim est, panem Eucharisticum olim non ori admotum, ut modo fit, sed manui fidelium a ministris impositum, ut illum, pro arbitrio, vel in Ecclesia manducarent, vel in suas quique domos deferrent, data opportunitate, vel necessitate urgente consumendum: *non sciet maritus*, ait Tertullianus uxorem a contrahendo cum Gentilibus matrimonio dehortans, (*lib.* 2 *ad uxor. cap.* 5) *quid secreto ante omnem cibum gustes? & si sciverit, panem non illum credit esse qui dicitur? & hæc, ignorans quisque rationem, simpliciter sustinebit, sine gemitu, sine suspicione panis an veneni?* .... idemque confirmans S. Basilius: (*in Ep. ad Cæsariam*) *sacerdos*, inquit, *particulam tradit. Detinet autem eam cum omni libertate, is qui accepit, & sic ori admovet propria manu:* idem plerique alii attestantur. Sed & Græcorum mos hodiernus antiquæ disciplinæ certissimum testimonium est: apud illos enim simplices fideles,

les, præsertim vero qui monasticam vitam agunt, deferendæ in cellulas, privatimque quando lubet sumendæ Eucharistiæ plenam habent libertatem, ut Arcudius, Allatius, & alii multi affirmant.

Equidem apud Latinos dudum disciplinam hanc abrogatam scimus, quibus enim ne vasa quidem sacra licet manu tangere, a fortiori non permittitur, Corpus Dominicum contrectare; atqui scimus pariter posse hanc laicis etiam num gratiam concedi: quod enim olim Ecclesia potuit, mirum si modo non posset; quin & hac auctoritate usum *S. Pium V Pontificem Max.* ex historia certum est. Nam Religiosissimæ Scotorum Reginæ *Mariæ Stuartiæ*, cum ab *Elisabetha* Anglorum Regina Catholicis infensissima in carcere detineretur, concessit ut manu propria Eucharistiam sumeret, unde in eius vita narratur, quod se ipsam Sanctissimo Sacramento, quod apud se ex indulgentia *Pii V* servabat, antequam capite plecteretur, munierit. Sequitur.

QUÆSTIO QUINTA.

De figuris Eucharistiæ.

Divina Eucharistia, ut est sæpius observatum, non modo Sacramentum est, ad sanctificandos homines institutum, sed etiam sacrificium, per quod Dei supremum dominium modo excellentissimo recognoscitur. Illud vero tam inæstimabile Sacramenti & sacrificii bonum legi gratiæ reservatum, diversis mirabilibusque figuris fuisse in veteri Testamento prænuntiatum, scilicet in sacrificio *justi Abel*, in immolatione *Isaac*, in victimis omnibus quas Deo imperante præscripserat Moyses, in sacrificio *Melchisedech*, in manna, pane nimirum illo cœlesti, quem Israelitis per loca deserta oberrantibus, 40 annorum spatio Dominus miraculose providit, *donec veniret in terram habitabilem*, ut habetur Exodi c. 16, v. 35, in panibus propositionis, & in aliis plerisque quæ Hebraico populo in figura contigerunt, SS. Ecclesiæ Patres unanimi consensione agnoscunt.

De his figuris sigillatim disserere instituti nostri non est; tum quod tractatio earum quæ ad Eucharisticum sacrificium pertinent, in librum sequentem differatur; tum quod nullam difficultatem habeant, aut si quam habeant, solis relinquatur interpretibus Scripturarum, quos e re nata facile quisque adire potest. Una tamen est, quam jure proprio vindicamus, nimirum Paschatis antiqui solemnitas, in cujus locum Eucharistia, novum Pascha novæ legis a Christo est subrogata. Itaque dicemus

1. De veteri Paschate.
2. Quæremus, utrum Christus pridie mortis suæ Pascha Mosaicum celebraverit?
3. Utrum ultimum Pascha eadem qua cæteri Judæi die confecerit? Jam sit

CAPUT PRIMUM.

De veteri Pascha.

Diversas quæ occurrunt difficultates sigillatim proponemus ac resolvemus.

Q. 1. Antiquum Pascha quid fuerit?

R. Fuisse Religionis Judaicæ ritum Augustissimum, in perenne monumentum liberationis Hebræorum ab Ægyptiaca servitute, divinitus institutum: *vocavit autem Moyses*, inquit Scriptura, (*Exod.* 12, 21 *& seq.*) *omnes seniores filiorum Israel, & dixit ad eos: ite tollentes animal* (agnum) *per familias vestras, & immolate phase.... custodi verbum istud legitimum tibi & filiis tuis usque in æternum. Cumque introieritis terram, quam Dominus daturus est vobis, ut pollicitus est, observabitis cæremonias istas: & cum dixerint vobis filii vestri: quæ est ista Religio? dicetis eis: victima transitus Domini est, quando transivit super domos filiorum Israel in Ægypto, percutiens Ægyptios, & domos nostras liberans*, &c.

Q. 2. Paschatis nomine quid significetur?

℞. Genuinam hujus vocis intelligentiam debere ex Originali textu requiri: porro vox hebraica (פסח) seu Caldaica (פסחא) quam propriam Latini & Græci fecerunt, idem significat ac transitum, sive motum quo quis transgreditur & transilit aliquid.

Q. 3. Hujus appellationis quæ causa fuerit?

℞. Verbis Scripturæ: *est phase*, inquit, (*Exod.* 12, 11 *& seq.*) *idest transitus Domini: transibo per terram Ægypti nocte illa, percutiamque omne primogenitum in terra Ægypti, ab homine usque ad pecus, & in cunctis Diis Ægypti faciam judicia, ego Dominus: erit autem sanguis* (agni) *vobis in signum in ædibus in quibus eritis: & videbo sanguinem & transibo vos: nec erit in vobis plaga disperdens, quando percussero terram Ægypti. Habebitis autem hanc diem in monumentum, & celebrabitis eam solemnem Domino, in generationibus vestris cultu sempiterno*, &c. Itaque ideo de qua agimus solemnitas *Pascha* dicta fuit, quia in hujus diei memoriam instituta est, qua Angelus exterminator ab una Ægyptiorum domo, prætermissis Hebræorum interpositis domibus, transivit in alteram, & percussit omne primogenitum Ægyptiorum ab homine usque ad pecus.

Q. 4.

Q. 4. Quo ritu primum Pascha in Ægypto fuerit celebratum?

℟. Sic describi in Exodo: (*ib. v.* 1 *& seq.*) *dixit quoque Dominus ad Moysen & Aaron in terra Ægypti: mensis iste vobis principium mensium, primus erit in mensibus anni. Loquimini ad universum cœtum filiorum Israel, & dicite eis: decima die mensis hujus tollat unusquisque agnum per familias & domos suas .... erit autem agnus absque macula, masculus, anniculus: juxta quem ritum tolletis & hædum, & servabitis eum usque ad* 14 *diem mensis hujus: immolabitque eum universa multitudo filiorum Israel, ad vesperam: & sument de sanguine ejus, ac ponent super utrumque postem, & in superliminaribus domorum, in quibus comedent illum: & edent carnes* (agni vel hœdi) *nocte illa assas igni, & azimos panes cum lactucis agrestibus: non comedetis ex eo crudum quid, nec coctum aqua, sed tantum assum igni. Caput cum pedibus ejus, & intestinis vorabitis; nec remanebit quidquam ex eo usque mane. Si quid residuum fuerit, igne comburetis. Sic autem comedetis illum: renes vestros accingetis, & calceamenta habebitis in pedibus, tenentes baculos in manibus, & comedetis festinantes: est enim phase, idest transitus Domini.*

Q. 5. Quis anni mensis significetur his verbis: *mensis iste vobis principium mensium, primus erit in mensibus anni?*

℟. Significari primum verni temporis mensem, ניסן *nisan* hebraice dictum, martio partim nostro, partim Aprili respondentem; a quo annum sacrum Judæi auspicabantur, & in cujus plenilunio Pascha ex præscripto divinæ legis faciebant.

Q. 6. Quid significetur his verbis: *erit agnus absque macula & anniculus?*

R. 1. Dictum absque macula, non quod requireretur ut omni ex parte candidus aut unicolor esset, ut quidam falso interpretantur; sed quod sanus, integer, nulloque vitio deformis esse deberet. Macula enim litterali sensu hic sumitur, pro vitio & defectu quolibet, vetaturque, ne assumatur ad solemnitatem Paschalem agnus cœcus, claudus, mutilus, æger, scabiosus, aut alio quolibet defectu notatus.

℟. 2. Anniculum ideo dictum, non quod deberet necessario esse unius anni, sed quod non deberet annum excedere. Nam poterat eligi etiam semestris, bimestris, aut minoris ætatis, satisque erat, si septimum ab ortu diem implesset: hanc enim ætatem ad minus necessariam omni victimæ fuisse Scriptura diserte tradit: *bos*, inquit, (*Levit.* 22, 27) *ovis, & capra, cum genita fuerit, septem diebus erunt sub ubere matris suæ: die autem octavo & deinceps offerri poterunt Domino.*

Q. 7. Verbis sequentibus quid denotetur: *juxta quem ritum tolletis & hœdum?* numquid enim ad Pascha faciendum debuit simul cum agno hœdus immolari?

℟. Hæc verba non copulativum, sed disjunctivum habere sensum, iisque significari, agni defectum posse hœdi mactatione suppleri. Cum enim in tam prodigioso numerò, Hebræorum plerumque contingeret, ut ad Pascha celebrandum copia agnorum sufficiens non reperiretur, prudens legis cautio fuit, ut hœdus posset agno substitui.

Q. 8. Quamobrem præceptum, *ut die decima mensis tolleret unusquisque agnum per familias & domos suas*, cum non esset immolandus nisi die decima quarta?

℟. Hoc ideo imperatum, ut spatium daretur sufficiens ad explorandum utrum agnus sine macula esset, & ab omni, ut prædictum est, vitio immunis.

Q. 9. Quis immolandi agni Paschalis minister esset?

℟. Hujus sacrificii ministrum, non Sacerdotem fuisse de familia Aaron, sed quemlibet de Hebraica gente Patrem familias: unde dicitur: *immolabit eum universa multitudo filiorum Israel.* Ita docent *Philo*, (*de vita Moysis l.* 3, *& lib. de Decalogo*) *Josephus*, (*antiquit. Judaicarum lib.* 2, *c.* 5) & alii passim Mosaicæ legis interpretes: certum sane est, primi Paschatis quod in exitu Israelitarum de terra Ægypti est immolatum, cum nondum esset Aaronicum Sacerdotium institutum, in unaquaque domo mactationem a Seniore seu Patre familias, ut Israelitarum moris erat, factam fuisse. Merito itaque creditur, idem jus secutis deinde in unaquaque familia majoribus divinitus reservatum; præsertim cum nullibi contrarium vel leviter innuatur.

Q. 10. Quid significetur his verbis: *immolabit eum universa multitudo filiorum Israel ad vesperam?*

℟. Significari, agnum immolari & comedi debuisse desinente mensis *Nisan* luna, sive die 14, eo scilicet temporis intervallo quod cum ejusdem mensis die 15 proxime jungitur. Nam

1. Quod immolari die 14 debuerit, manifestum est ex verbis Exodi supra relatis: *servabitis eum* (agnum) *ad* 14 *diem mensis hujus, immolabitque eum universa multitudo filiorum Israel ad vesperam .... & edent carnes* (agni) *nocte illa assas igni &c.* & ex libro Levitici, (*c.* 23, *v.* 5 *& seq.*) ubi sic habetur: *mense primo,* 14 *die mensis ad vesperum phase Domini*

mini est; *& 15 die mensis bujus solemnitas azimorum Domini est*. Et ex libr. Numerorum, (*c.* 9, *v.* 1 *& seq.*) ubi *locutus est*, ait sacer scriptor, *Dominus ad Moysen in Deserto Sinai*, *dicens*: *facient filii Israel phase in tempore suo*, *quartadecima die mensis hujus ad vesperam*, *juxta omnes cæremonias & justificationes ejus*: *præcepitque Moyses filiis Israel ut facerent phase*, *qui fecerunt tempore suo*: *14 die mensis ad vesperam &c.*

2. Quod immolari debuerit desinente die 14 eo tempore quod proxime ad 15 accedit, præterquam quod manifesto ex dictis apparet, probatur contra quosdam qui sentiunt, non desinente, sed ineunte 14 immolari Pascha debuisse. Probatur inquam

1. Ex testimoniis modo allegatis, ubi præscribitur Phase faciendum esse ad vesperam: (*Exod.* 12, 6) *immolabit eum universa multitudo filiorum Israel ad vesperam* .... (*Levit.* 23, 5) *mense primo*, *quarta decima die mensis ad vesperum phase Domini est* ..... (*Num.* 9, 3) *faciant filii Israel phase in tempore suo*, *quartadecima die mensis hujus ad vesperam*.... (*Deut.* 16, 6) *immolabis phase vespere ad solis occasum*, *quando egressus es de Ægypto*. Porro quando vespera die vocatur, secundum communem hominum usum & sensum, non initium sed finis diem claudit, quando scilicet sol occumbens diem claudit, & proxime secuturæ dat locum. Ergo &c.

2. Immolatio & comestio agni Paschalis cum azimorum solemnitate immediate conjuncta erat: *primo mense*, inquit Deus, (*Exod.* 12, 18) *quartadecima die mensis ad vesperam comedetis azima*, *usque ad diem 21 ejusdem mensis ad vesperam*.... (*Num.* 28, 16) *mense primo*, *14 die mensis Phase Domini erit*, *& 15 die solemnitas*: *septem diebus vescentur azimis*. De hac utriusque ritus individua conjunctione apertior scripturæ declaratio est, quam vel ut minimus supersit dubii locus: *edent carnes* (agni) *nocte illa*, ait Deus, (*Exod.* 12, 8) *& azimos panes*.... (*Num.* 9, 11) *cum azimis & lactucis agrestibus comedent illud* (Phase). Jam sic prosequor argumentum:

Atqui nisi agnus desinente decima quarta mactatus esset, azimorum solemnitas non fuisset cum Pascha immediate conjuncta. Quomodo enim se tangunt, quæ solidæ diei intercapedine separantur? quod est necessario dicendum in adversariorum hypothesi, volentium agnum Paschalem non exeunte, sed ineunte decima quarta immolatum: in hac enim sententia, inter agni mactationem & azimorum solemnitatem tota dies 14 excurrit. Ergo &c.

3. Hac ipsa nocte quæ Paschalem celebritatem secuta est, Israelitæ ex Ægypto profecti sunt: *filii Israel*, ait Scriptura, (*Exod.* 12, 28 *& seq.*) *fecerunt sicut præceperat Dominus Moysi & Aaron*: *factum est autem in noctis medio*, *percussit Dominus omnem primogenitum in terra Ægypti*.... *vocatisque Pharao Moyse & Aaron*, *nocte*, *ait*: *surgite*, *& egredimini a populo meo*, *vos & filii Israel*.... *profectique sunt filii Israel de Ramesse*, &c. Jam sic infero argumentum; atqui ineunte die 15 Israelitæ profecti sunt: *profecti sunt de Ramesse*, ait Scriptura (*Num.* 33, 3) *mense primo*, *15 die mensis primi*, *altera die phase*. Ergo non ineunte sed desinente die 14 Pascha immolaverant; atque adeo verba hæc: *immolabit eum universa multitudo filiorum Israel ad vesperam*, significant agnum Paschalem immolari & comedi debuisse, desinente primi mensis die 14, eo temporis intervallo, quod ejusdem mensis diei 14 confine erat.

Q. 11. Quamobrem præceptum Judæis, ut Paschalem agnum cum pane azimo, & lactucis agrestibus comederent?

℟. Hoc ideo imperatum, ut lactucæ agrestes amaritudine sua, & azimus qui insipidus est, Hebræos perpessarum in Ægypto calamitatum perpetuo admonerent: *immolabis phase Domino Deo tuo*, inquit Deus (*Deut.* 16, 2 *& seq.*) . . . *non comedes in eo panem fermentatum*: *septem diebus comedes absque fermento afflictionis panem*, *quoniam in pavore egressus es de Ægypto*: *ut memineris diei egressionis tuæ de Ægypto*, *omnibus diebus vitæ tuæ*.

Q. 12. Quanto dierum numero solemnitas Paschalis celebraretur?

℟. Ex legis præscripto 7 dies solidos perdurasse, scilicet a vespera diei decimæ quartæ, ad vesperam 21 *mense primo*, *decima quarta die mensis ad vesperam*, inquit, (*Exod.* 12, 18 *& seq.*) *comedetis azima*, *usque ad diem vigesimam primam ejusdem mensis ad vesperam* .... (*Levit.* 23, 5 *& seq.*) *mense primo*, *14 die mensis ad vesperum*, *phase Domini est*: *& 15 die mensis hujus*, *solemnitas azimorum Domini est*. *Septem diebus azima comedetis*: *dies primus erit vobis celeberrimus sanctusque*: *omne opus servile non facietis in eo*: *sed offeretis sacrificium in igne Domino septem diebus*: *dies autem septimus erit celebrior & sanctior nullumque servile opus facietis in eo*. Similia reperies *Num.* 28, v. 16. & seqq.

Q. 13. Quæ causa Deo fuerit, præcipiendi ut per septem dies continuos azima comederentur?

℟. Præter Dei voluntatem, quæ suprema ipsa

ipsa lex est, nullam sui causam agnoscens, aliam ex Scriptura convenientem afferri posse, scilicet angustias temporis, panem fermentatum præparari non permittentis: *urgebant Ægyptii populum*, ait Scriptura, (*Exod.* 11, 33 *& seq.*) *de terra exire velociter, dicentes: omnes moriemur: tulit igitur populus conspersam farinam, antequam fermentaretur, & ligans in palliis posuit super humeros suos ... coxeruntque farinam, quam dudum de Ægypto conspersam tulerant, & fecerunt subcinericios panes azimos, neque enim poterant fermentari cogentibus exire Ægyptiis, & nullam facere sinentibus moram: nec pulmenti quidquam occurrerat præparare*; itaque ut harum angustiarum, hujusque tam præcipitatæ profectionis memoria servaretur, præceptum divinitus ut 7 diebus continuis azimorum solemnitas perduraret: *in memoriam eius inopiæ*, ait Josephus natione Hebræus, idemque in lege divina doctissimus (*Orig. lib.* 2, *c.* 5), *quam passi sunt Hebræi cum ex Ægypto proficiscerentur, festa per octo dies celebramus, quæ vocantur azimorum*; ubi quod ait, *per octo dies*, nihil habet, si bene attendatur, legi contrarium, decernenti, *septem diebus azima comedenda*. Cum enim immolatio agni ad diem 14 aliquatenus pertineret, additis 7 qui a 15 ineunte, ad finem 21 excurrunt, tam possunt dici octo, quam septem dies azimorum.

Q. 14. Utrum præter azimos, singulare aliquid horum dierum observatio habuerit?

℞. Ex Scriptura affirmative: *mense autem primo*, inquit, (*Num.* 28, 26 *& seqq.*) 14 *die mensis, phase Domini erit: & 15 die solemnitas: septem diebus vescentur azimis, quarum prima dies venerabilis & sancta erit; omne opus servile non facietis in ea: offeretisque incensum holocaustum Domino, vitulos de armento duos, arietem unum, agnos anniculos immaculatos septem ... & hircum pro peccato unum, ut expietur pro vobis, præter holocaustum matutinum quod semper offeretis. Ita facietis per singulos dies 7 dierum ... dies quoque septimus celeberrimus & sanctus erit vobis: omne opus servile non facietis in eo*; itaque hoc habuit singulare azimorum solemnitas, quod die quolibet peculiaria sacrificia offerrentur, eorum vero primus & septimus festivi, quinque medii vulgares profestique essent.

Q. 15. Utrum sacrificia quæ per dies azimos offerebantur, ad Paschalem solemnitatem pertinerent?

℞. Ita pertinuisse, ut interdum in Scripturis, Paschatis ipsius nomen habeant: *observa mensem novarum frugum*, ait Deus, (*Deut.* 16, 1, *& seq.*) *& verni primum temporis, ut facias phase Domino Deo tuo: quoniam in isto mense eduxit te Dominus Deus tuus de Ægypto nocte: immolabisque phase Domino Deo tuo, de ovibus & de bobus, in loco quem elegerit Dominus Deus tuus, ut habitet nomen ejus ibi.*

Q. 16. Utrum lex Paschatis inviolabilis esset?

℞. Affirmative. *Habebitis hanc diem in monumentum*, inquit Deus, (*Exod.* 12, 24) *& celebrabitis eam solemnem Domino in generationibus vestris cultu sempiterno ... custodi verbum istud legitimum tibi, & Filiis tuis usque in æternum ....* (*Num.* 9, 13) *si quis & mundus est, & in itinere non fuit, & tamen non fecit phase, exterminabitur anima illa de populis suis, quia sacrificium Domino non obtulit tempore suo: peccatum suum ipse portabit.* Unde evidens est, Paschatis celebrandi legem, non universim modo genti Hebraicæ, sed & privato cuilibet, saltem quantum spectat ad immolationem agni, ejusdemque comedendi diem, tempus, & horam, & ad esum azimorum inviolabiliter impositam.

Q. 17. Quid si aliquis tempore Paschali peregrinaretur, aut immundus foret, aut altero quovis legitimo impedimento detineretur?

℞. In eorum gratiam indultum, ut Pascha quod mense primo facere non potuerant, in mensem sequentem differrent: *locutus est Dominus ad Moysen*, inquit Scriptura, (*Nu.* 9, 9 *& seq.*) *dicens: loquere Filiis Israel: homo qui fuerit immundus super anima* (id est, ex contactu cadaveris, aut curatione funeris) *sive in via procul in gente vestra, faciat phase Domino in mense secundo, 14 die mensis ad vesperam: cum azimis & lactucis agrestibus comedent illud ... omnem ritum phase observabunt*. Quamquam vero de solis peregrinantibus, & de iis qui ex contactu cadaveris legalem immunditiam contraxissent, diserta hic mentio fiat; certior tamen eorum sententia est, qui cum *Philone Judæo* putant, longe pluribus, iis scilicet indiscriminatim, qui immunditia qualibet, aut morbo, aut involuntario impedimento detinerentur, hanc gratiam divinitus esse factam: cujus rei exemplum sacræ litteræ suggerunt. Legitur enim in libris Paralipomenon, (*lib.* 2, *cap.* 30, *v.* 2, *& seqq.*) quod Israelitæ, *inito Consilio Regis & Principum, & universi cœtus Jerusalem, decreverunt ut facerent phase mense secundo. Non enim poterant facere in tempore suo, quia sacerdotes qui possent sufficere sanctificati non fuerant, & populus nondum congregatus fuerat in Jerusalem*.

Q. 18. Ubinam deberet fieri Pascha?

℞. Certum esse ab Hebræis in Ægypto statim ante suam a captivitate liberationem primo

mo celebratum: deinde ab iisdem in deserto tempore peregrinationis, annuo quoque primi mensis reditu, ubicumque reperirentur, peractum, ut videre est in Scripturis (*Num.* 9, 5, *Jos.* 5, 10). Quantum vero ad futurum tempus spectabat, sic esse divinitus constitutum: (*Deut.* 16, 5 & *seq.*) *non poteris immolare phase in qualibet urbium tuarum, quas Dominus Deus tuus daturus est tibi, sed in loco quem elegerit Dominus Deus tuus, ut habitet nomen ejus ibi*. Locum vero hunc fuisse civitatem Hierusalem, quo annis singulis universa gens confluebat Paschatis faciendi causa, ex historia notissimum est: indeque est quod Judæi post Sanctæ civitatis eversionem, ubique gentium extorres & peregrini, non jam agni immolatione diem festum agant, cum nec templum, nec altare, nec sacrificium habeant, tantumque azimorum usum observent. Sequitur

CAPUT SECUNDUM.

Utrum Christus pridie mortis suæ Pascha Mosaicum celebraverit?

Quæstio quam aggredimur cuilibet mediocriter attendenti, sic facilis est ad solvendum, ut in luce meridiana cœcutire oporteat, qui non viderit in Evangelicis libris, Christum pridie quam pateretur, legem Mosaici paschatis implevisse.

§. PRIMUS.

Notantur errores.

Quia tamen veritas hæc a primis usque temporibus sæpius est impugnata, ad virum Thelogum pertinet, errorem contrarium diligenter refutare. Adversarii porro quos habuit, fuerunt:

1. *Marcion* sæculi secundi Hæreticus, quem præter cæteros *S. Epiphanius* egregie confutavit (*hær.* 42).

2. Sexto sæculo *Joannes Grammaticus*, cognomento *Philoponus*, multiplici contra fidem errore notus.

3. Sæculo 11, & sequentibus, Græci quidam Schismatici cum Romanæ Ecclesiæ in pane azimo consecrantis morem audacter reprehenderent, & Christi Eucharistiam instituentis exemplo a Latinis sic premerentur, ut opprimerentur; quo facilius spinam illam evellerent, negaverunt Christum in ultima cœna Pascha Mosaicum celebrasse.

4. Sæculis 16 & 17 idem senserunt Latini quidam Hæretici, quos inter præcipuum locum tenent, *Marcus Antonius de Dominis*, Spalatrensis in Dalmatia Archiepiscopus, Ecclesiæ Catholicæ desertione famosus: & *Grotius* Calvinista, a quo eamdem doctrinam *Arminiani*, & *Sociniani* sumpserunt.

5. Quod mirum magis, non Hæreticis tantum & Schismaticis quos prædiximus, sed & Catholicis quibusdam, iisque non obscuri nominis opinio illa arrisit: nam in Italia *Hieronymus Vecchietus* Florentinus *in libro de anno primitivo*: in Gallia, *Nicolaus de Villa Gagnonis*, Eques Rhodius: *Amicus* Gallicani Oratorii Presbyter, & alii quidam proxime elapso sæculo, Christum Dominum in vigilia mortis suæ legale Pascha non fecisse, serio & graviter disputarunt, omnique arte probare conati sunt. Contra illos sit

§. SECUNDUS.

Ostenditur, Christum pridie mortis suæ vere Pascha Judaicum celebrasse.

PROBATIO PRIMA.

Ex Scripturis.

Quam quidem assertionem nisi ostenderimus verbi divini auctoritate certissimam; nihil prorsus supererit, quod Scripturarum testimonio indubitate probari queat.

Prima autem die azimorum, ait S. Matthæus, (*c.* 26, 17 & *seqq.*) *accesserunt Discipuli ad Jesum dicentes: ubi vis paremus tibi comedere Pascha? at Jesus dixit: ite in civitatem ad quemdam, & dicite ei: magister dicit: tempus meum prope est, apud te facio Pascha cum Discipulis meis. Et fecerunt Discipuli sicut constituit illis Jesus, & paraverunt Pascha: vespere autem facto discumbebat cum duodecim Discipulis suis. Et edentibus illis dixit &c.*

Parique sententia S. Marcus: (*c.* 14, 12, & *seqq.*) *primo die azimorum, quando Pascha immolabant, dicunt ei Discipuli: quo vis eamus & paremus tibi ut manduces Pascha? & mittit duos ex Discipulis suis, & dicit eis: ite in civitatem, & occurret vobis homo lagenam aquæ bajulans, sequimini eum: & quocumque introierit dicite Domino domus, quia magister dicit: ubi est refectio mea, ubi Pascha cum Discipulis meis manducem? & ipse vobis demonstrabit cœnaculum grande, stratum, & illic parate nobis: & abierunt Discipuli ejus, & venerunt in civitatem, & invenerunt sicut dixerat illis, & paraverunt Pascha; vespere autem facto venit cum duodecim, & discumbentibus eis, & manducantibus, ait Jesus: amen dico vobis, quia unus*

ex

ex vobis tradet me, qui manducat mecum &c.

Quibus consentiens S. Lucas: (*cap. 22, v. 7 & seqq.*) *venit autem dies azimorum in qua necesse erat occidi Pascha: & misit Petrum & Joannem dicens: euntes parate nobis Pascha ut manducemus. At illi dixerunt: ubi vis paremus? & dixit ad eos: ecce introeuntibus vobis in civitatem, occurret vobis homo quidam amphoram aquæ portans: sequimini eum in domum in quam intrat, & dicetis Patri familias domus: dicit tibi magister: ubi est diversorium, ubi Pascha cum Discipulis meis manducem? & ipse ostendet vobis cœnaculum magnum stratum, & ibi parate: euntes autem invenerunt sicut dixit illis, & paraverunt Pascha. Et cum facta esset hora, discubuit, & duodecim Apostoli cum eo, & ait illis: desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum antequam patiar. Dico enim vobis, quia ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in regno Dei.*

Ex his testimoniis sic informatur argumentum:

Ille Pascha Judaicum vere celebravit, qui agnum Paschalem ritu Mosaico comedere proposuit, qui præcepit Apostolis, ut agnum pararent; qui denique agnum Paschalem vere manducavit; atqui tria hæc Evangelium palam & aperte declarat.

1. Inquam, proposuit manducare Pascha: *euntes*, inquit, *parate nobis Pascha, ut manducemus . . . ubi est refectio mea, ubi Pascha cum Discipulis meis manducem? . . . ubi est diversorium, ubi Pascha cum Discipulis meis manducem?* quæ verba si quis ad Eucharistiam, novum videlicet Pascha transtulerit, næ ille ridiculum se præbebit, & sacro textui apertissime contradicet. Illud enim Pascha manducare Christus proponebat, quod adveniente azimorum prima die, ex veteri instituto, necesse erat occidi, atqui occidendi in hac circumstantia Paschatis lex, nihil aliud nisi agnum significabat, cum de novo Paschate in locum veteris subrogando, hactenus nihil aperte auditum foret. Deinde si scire volumus quid Christus proposuerit, quid ipsi Apostoli in verbis ejus intellexerint audiamus; atqui nihil aliud nisi Pascha vetus intellexerunt, agnum scilicet quem mactari ex legis præscripto necesse erat. Ergo &c.

2. Præcepit Apostolis ut agnum pararent; illud enim præparari, præcepit, quod ipsi Discipuli intellexerant dicendo, *ubi vis paremus tibi comedere Pascha?* atqui sic Christum interrogando, agnum Paschalem præcipue intellexerant, illum videlicet quem ineunte azimorum festivitate necesse erat occidi. Deinde Christi mandatum non solis est significatum Apostolis, sed eorum ministerio Domino domus est intimatum: *magister dicit: ubi est refectio mea, ubi Pascha cum Discipulis meis manducem? . . . apud te facio Pascha cum Discipulis meis*; atqui nisi Prophetam hunc facimus, novæ legis mysteriis plusquam Apostoli ipsi imbutum, & secretis cœlestibus mirabiliter illustratum profecto verba Christi aliter quam de Mosaico Paschate accipere nequaquam potuit. Ergo &c.

3. Christum vere Pascha Mosaicum manducasse clamant hæc verba: *vespere autem facto discumbebat cum Discipulis suis: cum facta esset hora discubuit, & duodecim Apostoli cum eo. Et ait illis: desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum antequam patiar.* Connexa namque sunt cum præcedentibus, & ad apparatum convivii ab Apostolis factum, necessarium respectum habent: non enim quidquam aliud in mensa comeditur, nisi quod appositum fuerit, nihil vero apponitur, nisi quod est præparatum; atqui Apostoli agnum Paschalem paraverant, eum scilicet quem quotannis redeunte azimorum solemnitate, necesse erat occidi. Ergo nisi volumus omnia sus deque miscere, & clarissimos Scripturæ textus opinionum fictitiarum caligine conturbare, necessario fatendum, Christum pridie mortis suæ vere Pascha Judaicum celebrasse.

PROBATIO SECUNDA.

Ex eo quod Apostoli anno quo Christus mortuus est, Pascha celebraverint.

Deinde, temerarium dictu foret, Apostolos, quo anno Christus mortuus est, legem Paschatis infregisse. Cum enim nondum vetus mandatum solutum esset, violari sine anathematis pœna non poterat: *si quis*, ait Scriptura, (*cap. 22, v. 7 & seqq.*) *& mundus est, & in itinere non fuit, & tamen non fecit phase, exterminabitur anima illa de populis suis, quia sacrificium Domino non obtulit tempore suo*; atqui nisi Christus pridie mortis suæ pascha comederit, necessario erit dicendum Apostolos hoc anno infregisse legem.

Nam si Pascha fecerint, vel pridie mortis Christi, vel ipsa die qua mortuus est; atqui neutrum in adversariorum hypothesi dici potest. Non primum. Quomodo enim agnum comedere poterant, si de illo præparando nequidem cogitarunt? atqui adversarii Evangelium in alienos torquendo sensus, fateri coguntur Apostolis de agno præparando ne in mentem quidem venisse. Deinde hac ipsa die Christo comites individui adhæserunt, postremamque cœ-

cœnam cum ipso, ut constat ex Evangelio celebrarunt: *cum facta*, inquit, *esset hora discubuit, & duodecim Apostoli cum eo*. Si ergo Christus Pascha non fecit, quomodo implere Apostoli poterant? neque alterum dici potest, tum quia qua die Christus cruci affixus est, tempus mactandi agni jam præterierat, adeoque nec supererat agendi Paschatis locus; tum quia quos constat metu mortis hinc inde dispersos & in fugam turpiter actos, dicere nisi divinando non possumus, in locum unum agendi causa Paschatis congregatos; atqui Apostoli die mortis Christi, in fugam turpiter abierunt, sicque Prophetarum & Salvatoris ipsius oraculum impleverunt: *percutiam Pastorem, & dispergentur oves*. Ergo &c.

PROBATIO TERTIA.

Ex perpetua Doctrina Ecclesiæ.

Præterea, non debet sententia rejici, quam tota retro antiquitas tenuit, in quam omnes Græci & Latini, sive Catholici, sive Hæretici, paucis exceptis, ab ipsis Ecclesiæ primordis consenserunt, quæque omnium sive rudium, sive Theologorum animis infixa penitus hæret; atqui hujusmodi est doctrinam quam defendimus.

1. Græci omnes & Latini qui de rebus a Christo gestis vel obiter, vel ex professo scripserunt, celebratum ab illo Pascha contendunt, in hac postrema cœna quæ mortem ejus immediate præcessit; ne iis quidem exceptis, qui mysticis & allegoricis Scripturæ expositionibus delectantur. Testem, ne omnes afferre cogamur, in re notissima, neminem producimus.

2. In hoc tam prodigioso hæreticorum & Schismaticorum numero qui Ecclesiam a primis temporibus infestarunt, vix quos prædiximus, paucos sane reperias qui a communi doctrina recesserint. Nam in hoc luctuoso schismate, quo Græci a Latinis undecimo sæculo miserabiliter scissi sunt, tam alte omnium animis opinio insidebat, Christum quo anno mortuus est, Pascha Mosaicum celebrasse, ut stolidi & insipientes pauci qui contradicebant publice haberentur: quis enim hoc negat, inquiebat Humbertus Cardinalis (*in Dial. contra Cerularium*) *nisi stultus & sane non sapiens*?

3. Quotquot in scholis sacram doctrinam expendunt, & scripturas interpretantur, quicumque die sacra jovis in majore hebdomada, aut in festo venerabilis Sacramenti, publicas conciones habent, uno ore doctrinam hanc profitentur, a qua si recederent, non est dubium fideles graviter offendendos: quodque præjudicatæ veritatis certissimum argumentum est, quicumque nomen Christianum seu in Ecclesiæ gremio, seu extra in Lutheri, & Calvini hæresi habent, in hoc dogma statuendum ore uno & sensu conspirant. Ergo &c.

PROBATIO QUARTA.

Ex vanitate rationum contrariarum.

Denique hoc ipso ruit aliqua doctrina, quod falso & futili fundamento niti convincitur; atqui negantes ultimum Pascha a Christo esse celebratum, falsis futilibusque momentis nituntur.

Marcion innumerabilium parens absurditatum volebat, 1 legem veterem malam fuisse, 2 Christum ejusdem legis adversarium esse & juratum hostem, 3 vesci carnibus nefas esse, 4 a Christo non verum, sed phantasticum corpus assumptum: unde consequens erat ut diceret, nec unquam manducasse Pascha, nec potuisse.

Ceruliarus vero, ceterique ejusdem ætatis Græci Schismatici, in pane azimo Eucharistiam non posse fieri contendebant; itaque ne Latinis concedere cogerentur, azimorum usum bonum ac licitum esse, contra apertissimam scripturæ vocem negarunt Pascha Mosaicum a Christo factum in hac postrema cœna in qua Pascha novum insituit.

Denique recentiores quos prædiximus scriptores Catholici, ideo negarunt Christum die jovis quæ fuit pervigilium mortis ejus, Pascha legitimum celebrasse, quia Joannes in Evangelio insinuare videtur, Judæos nonnisi sequente veneris die, ex legis præscripto Paschalem agnum mactasse.

Atqui fundamenta hæc, nedum soliditatis aliquid habeant, undequaque labascunt: de *Marcione* quidem certum est, vesana ejus dogmata ex æquo rationi & fidei adversari, quod demonstrare facile foret, nisi disquisitio hæc alterius esset loci & temporis: *Cerularium* ejusque similes quæstione secunda, capite primo refutavimus, ubi exemplo Christi probatum est, panem azimum legitimam esse Eucharistiæ consecrandæ materiam: *Joannis* vero *Evangelistæ* testimonia licet difficultatem aliquam habeant, quod non negamus, non ideo tamen deseri debent: *Matthæus*, *Marcus*, & *Lucas*, aperte veritatem Paschatis a Christo peracti testantur, sed quærenda via, quæ multiplex sane occurrit, ut sequenti capite dicturi sumus, ad conciliandum Joannem cum cæteris: non enim debet negari quod est apertum est, quia non comprehenditur quod est occultum. Ergo &c.

§. TER-

§. TERTIUS.

Solvuntur Objectiones.

Opponitur: verba ex Sanctis Evangelistis adducta æque facile de Paschate novæ legis, ac de veteri intelliguntur; ergo necessario non probant, Christum Pascha Judaicum celebrasse.

R. Nego ant. quod mirum est hominibus sensatis probari: verba namque Evangelistarum Pascha illud enunciant, quod Judæorum gens immolabat, quodque necesse erat occidi: *Venit*, inquit S. Marcus, *dies azimorum, quando Pascha immolabant*: & S. Lucas: *venit dies azimorum, in qua necesse erat occidi Pascha:* ergo textui sacro vim faciunt, qui illum ad Pascha novæ legis hactenus Judæis, ipsisque discipulis inauditum, detorquent: deinde per hæc verba significatur Pascha de quo Apostoli Christum interrogaverant, & ad quod præparandum missi in civitatem fuerant; atqui non de novo, quod ignorabant, interrogaverant Christum, neque ad aliud quam ad vetus præparandum missi fuerant, ut ex omnibus historiæ sacræ circumstantiis manifestum est. Ergo &c.

Inst. 1. Probando ant. possunt, imo debent verba Evangelistarum eodem sensu intelligi, ac alia quæ Christus edidit cum discipulis discumbendo: *Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum antequam patiar*: (*Luc.* 22, 15) atqui non videntur hæ voces posse nisi de Paschate novo intelligi. Ergo &c.

R. Concessa maj. nego min. horum enim verborum sensus colligi ex præcedentibus debet, quibus immediate conjuncta sunt: nisi volumus abruptas minimeque cohærentes Evangelii sententias esse: ista vero sunt quæ præcedunt: *Venit dies azymorum, in qua necesse erat occidi Pascha .... euntes parate nobis Pascha ut manducemus ...: ubi est diversorium ubi Pascha cum discipulis meis manducem? .... euntes invenerunt, sicut dixit illis Jesus, & paraverunt Pascha*; atqui hæc tam apertæ tamque simplices sententiæ, non aliud nisi Pascha legis antiquæ significant; idem ergo dicendum de cæteris quæ immediate in Evangelio Lucæ sequuntur: *Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum antequam patiar*.

Inst. 2. De hoc Paschate illa verba accipi debent quorum prolationem institutio Eucharistiæ statim secuta est; atqui Christus Eucharistiam statim instituit his verbis prolatis. Ergo &c.

R. 1. Nego maj. de hoc enim Paschate sunt intelligenda, quod demonstrativo nomine significabatur, quando ait Christus: *Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum antequam patiar*; atqui pronomen (*hoc*) Eucharistiam præsentem exhibere non poterat, quippe quæ nondum foret instituta; agnum vero præsentissimum demonstrabat, quem hoc ipso tempore Apostoli comedebant. Ergo &c.

R. 2. Transeat major & nego min. nam inter hæc Christi verba, & Eucharistiæ institutionem, actio Salvatoris media intercessit, legalis scilicet calicis benedictio, ejusdemque distributio; ergo sive spectentur quæ præcedunt, sive quæ immediate sequuntur, videtur longe certissimum verba Christi: *desiderio desideravi* &c. ad Pascha Mosaicum designandum necessario pertinere.

Inst. 3. Probando min. statim prolatis his verbis Christus, *accepto calice*, inquit S. Lucas (*ibid. v.* 17, *& seqq.*) *gratias egit, & dixit: accipite & dividite inter vos: dico enim vobis, quod non bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat, & accepto pane, gratias egit, & fregit, & dedit eis, dicens: hoc est corpus meum, quod pro vobis datur: hoc facite in meam commemorationem.* Ergo prolationem verborum: *desiderio desideravi* &c. institutio Eucharistiæ immediate secuta est.

R. Concesso ant. nego conseq. & suppositum: pro certo namque ponitur, hæc verba: *accepto calice gratias egit, & dixit: accipite & dividite inter vos &c.* ad Eucharistiam pertinere, quod falsum esse, multis momentis adstruitur.

1. S. Evangelista partium Eucharisticarum ordinem interverteret, si benedictionem calicis panis consecrationi præmitteret.

2. Consecrationem calicis bis intra paucos versiculos enarraret; semel quidem v. 17, iterumque v. 20, quod foret incongruum.

3. Quæstione 3, c. 1, §. 2 probatum est, Christum etsi absoluto voluntatis imperio poterat absque ullis verbis Eucharistiam consecrare, qui nutu solo condidit mundum, verba tamen ad tantum præstandum miraculum adhibuisse, quæ Evangelio continentur: *hoc est corpus meum: hic est calix sanguinis mei*; atqui versu decimo septimo qui opponitur, verba hæc aut similia non leguntur.

Dicendum itaque versum hunc non de Eucharistico, sed de Paschali calice debere intelligi: nam more antiquo hebræorum, tum in mensa communi, tum præcipue in Paschali cœna, Pater-familias calicem vino & aqua temperatum, convivis honoris gratia porrigebat, quod utique Christum facere decuit, ne quid antiquorum & quantocyus antiquandorum rituum prætermissum ab illo videretur: deinde

de postquam panem consecravit, & dixit: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur: hoc facite in meam commemorationem*: *similiter*, ait S. Lucas, *& calicem postquam cœnavit, dicens: hic est calix novum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur &c.* hinc sic instauro argumentum:

Calix, post panis benedictionem consecratus, novi Testamenti fuit: ille itaque cujus benedictio panis consecrationem præcesserat, veteris testamenti erat, & ad Mosaicum spectabat convivium, quod Christus voluit in cibo & potu, ut moris erat, impleri.

Inst. 4. Nihil adeo sapidum aut suave agnus Paschalis habebat, ut ejus intuitu Christus in hæc verba exultationis prorumperet: *desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum antequam patiar*: longe itaque convenientius est, hoc ejus oraculum de novæ legis Paschate explicare.

R. Dist. ant. nihil adeo suave aut sapidum agnus Paschalis habebat *ratione sui*, ut in hæc verba Christus prorumperet &c. conc. *ratione finis*, quem intuebatur, nego ant. & conseq.

E. R. Equidem agni Paschalis comestio in se sumpta, Christum ad hæc proferenda movere non potuit: agnus enim phase veteris figura erat, quam impleturus suprema veritas venerat; porro veritas umbris & figuris quas dispellit, non delectatur: sed si ratio finis habeatur, quem Christus hoc tempore intendebat, facile intelligetur quam merito dixerit, *desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum antequam patiar*, fortunatum enim tempus attigerat, quo Adami progeniem plene erat æterno Patri effusione Sanguinis reconciliaturus, aderat hora cruenti baptismatis, de quo paulo ante prædixerat: *Baptismo habeo baptizari, & quomodo coarctor, usque dum perficiatur?* deinde novum Pascha, in Sacramento corporis & sanguinis sui, novumque sacrificium facta legali cœna condere meditabatur, hocque tam admirabili dono Ecclesiæ suæ in perpetuum gratificari, quo nihil æterno Patri acceptius, nihil amori suo convenientius, nihil demum sponsæ suo pro qua se ipsum tradebat, fructuosius esse poterat.

Inst. 5. Hæc verba, *desiderio desideravi* &c. de pane & vino possunt intelligi; ergo non est necessarium ut de agno Paschali accipiatur.

R. Nego ant. qui enim ita pueriliter disputant, vim faciunt Evangelio: de hoc namque Paschate loquitur Christus, quod immolabant Judæi, de quo dictum ante fuerat, quod necesse erat occidi: porro immolari & occidi panem & vinum, si quis diceret, non inepte solum, sed stultissime loqueretur.

Deinde, verba Christi hoc Pascha significant, cujus præparandi gratia discipulos Hierosolymam multis ante horis miserat: quis porro sanæ mentis dixerit, ad hujus cœnæ apparatum ante discipulos delegandos, si in solo pane & vino consisteret?

Præterea: licet panis & vinum quæ ad Paschalem mensam instruendam necessaria erant, possint accommodatione aliqua nomine Paschatis appellari, hoc tamen nomen agno, sacrarum epularum præcipuæ parti, principaliter conveniebat; ergo ad agnum præcipue pertinebat sententia Christi: *desiderio desideravi* &c.

Denique, ut eam ipsam quæ modo opponebatur rationem contra adversarios inflectamus, quis tantus erat erga Christum Deum hominem panis & vini sapor, quæ tanta suavitas, ut eorum intuitu in hæc verba erumperet: *desiderio desideravi &c.*

Inst. 6. atqui non possunt hæc verba de agno Paschali intelligi. Ergo &c. Prob. subs. aut nullus mensæ agnus in hac postrema cœna est appositus, aut si comparuit aliquis, Paschalis certe non fuit. Ergo &c.

Prob. ant. Paschalis agnus non fuit, cui deerat necessaria conditio Paschatis; atqui agnus, etiamsi concedamus ab Apostolis præparatum, carebat conditione ad Paschalem victimam prorsus necessaria. Ergo &c.

Prob. min. agnum Paschalem in templo esse immolandum, divina lege præscriptum erat: *Non poteris*, inquiebat, (*Deut.* 16, 5) *immolare phase in qualibet urbium tuarum .... sed in loco quem elegerit Dominus Deus tuus, ut habitet nomen ejus ibi*; atqui si quem Apostoli agnum præparaverant, in templo immolasse dici non possunt. Ergo &c.

R. Nego subs. ad probat. nego ant. agnus enim ille in mensa comparuit, quem prima die azimorum necesse erat occidi, quemque Apostoli Christo jubente paraverant.

Ad probat. concessa maj. nego min. & ad ultimum argumentum:

1. Data, & non concessa maj. nego minorem etiamsi concederetur, agnum Paschalem a solis leviticis Sacerdotibus immolari in templo debuisse, probari ex Evangelio non posset, ritum hunc ab Apostolis prætermissum, quia esset contrarium affirmandum, cum dicantur Apostoli ex legis præscripto Hierosolymam ad Pascha parandum a Christo præmissi; vel enim ideo in templo mactatus agnus non esset, quia discipuli Hierosolymam serius advenissent, vel quia huic sacrificio Christus, totaque Apostolorum familia non interfuisset; atqui neutrum dici potest: non primum; nam quos missit Christus ad instruendum sacri convivii apa-

paratum, haud dubie convenienti tempore misit, tantumque eis horarum spatium dedit, quantum ad legis observationem sufficeret, nec seipsum fefellit, supremus temporum moderator & arbiter: neque etiam secundum; ipsis enim Rabbinis fatentibus necesse non erat, ut Paschali sacrificio tota familia interesset; sed satis erat, ut unus omnium nomine sacro ministerio fungeretur.

2. Et quidem solidius respondeo negando majorem, nego inquam, agnum Paschalem immolari in templo debuisse: hujusque assertionis affero convincentissimas causas.

Primo, neminem Israelitam lex immolandi Paschatis excipiebat: *Immolabit eum*, inquit, (*Exod.* 12, 6) *universa multitudo filiorum Israel ad vesperam*; atqui impossibile erat, ut tam prodigiosum numerum templi ambitus caperet. Ergo &c.

Secundo, agnus Paschalis per singulas distinctim familias, in privatis domibus erat immolandus: *Decima die mensis hujus*, ait Moyses (*Exod.* 12, 3, & 6) *tollat unusquisque agnum per familias & domos suas... immolabitque eum universa multitudo filiorum Israel ad vesperam*; ergo non erat necessarium in templo hoc sacrificium fieri.

Tertio, ad vesperam immolatio Paschatis erat præfixa, ut liquet tum ex testimonio modo citato, tum ex altero Deuteronomii: (*cap.* 16, *v.* 6) *Immolabis phase vespere ad solis occasum:* quo fiebat ut horarum 2 circiter intervallo, a 3 scilicet vespertina ad 5 mactanda aliquando forent 250, & amplius agnorum millia: narrat sane *Josephus*; (*de bello Judaico lib.* 7, *c.* 17) ætate sua aliquando contigisse, ut 256 millia supra quingentos una die immolarentur; atqui impossibile prorsus erat, ut Sacerdotes sacrificiis in templo operam dantes, tam brevi mora tanto victimarum numero mactando sufficerent. Rabbinis enim ad miraculum sine testimonio Scripturarum confugientibus non magis in hac parte credendum, quam in cæteris quæ ut suæ religionis excellentiam prædicent, anili loquacitate fabulantur. Ergo &c.

Quæ cum ita sint, dico textum in objectione laudatum, non de templo, sed de civitate Hierosolymitana debere intelligi. Nam

1. Locus quem electurus Deus prædicitur, cæteris Palæstinæ urbibus opponitur: *Non poteris*, inquit, (*Deut.* 36, 5) *immolare phase in qualibet urbium tuarum, quas Dominus Deus tuus daturus est tibi: sed in loco quem elegerit Dominus Deus tuus, ut habitet nomen ejus ibi*. Ergo ut oppositio vera sit, suisque legibus constet, locus quem electurus erat Dominus, non de templo, sed de urbe ipsa Hierusalem est intelligendus.

2. Eodem c. 16 præcipitur, ut tres præcipuæ anni solemnitates, azimorum scilicet, hebdomadarum, & tabernaculorum in loco quem elegerit Dominus celebrentur; atqui constat festivos hos dies non intra ambitum templi, sed in urbe Hierosolyma actos fuisse. Ergo &c.

3. In hoc ipso loco ubi præcipitur agnum immolari, coquendum esse & comedendum decernitur: *Immolabis phase*, ait Moyses (*ib. v.* 6, & 7) *vespere ad solis occasum, quando egressus es de Ægypto, & coques, & comedes in loco quem elegerit Dominus Deus tuus*. Jam si quis mordicus contendat, potuisse gentem universam in atrio templi uno tempore immolare & coquere Pascha, ejusdemque comedendi causa ibidem recumbere, aperiat oculos, & si potis est, videat in quantum se barathrum absurditatum immergat: nam, ut sæpius dictum est, per singulas distinctim familias Hebræi Pascha immolare & comedere tenebantur: *Tollat unusquisque agnum per familias & domos suas*, inquit Deus in Exodo (*cap.* 12, *v.* 3): convivarum autem ad cœnam Paschalem in unaquaque domo numerus nec vicenario major, nec minor denario esse poterat, ut monet *Josephus* l. 7 de bello Judaico, c. 17 modo laudato, huicque sententiæ non obscure favent Exodi verba: (*cap.* 12, *v.* 4) *sin autem minor est numerus, ut sufficere possit ad vescendum agnum, assumet vicinum suum qui junctus est domui suæ, juxta numerum animarum quæ sufficere possint ad esum agni*; itaque erat ut minimum decuplo major Hebræorum Pascha celebrantium numerus, quam agnorum qui in hunc finem immolabantur: unde cum ætate Josephi, ut prædictum est, 256 agnorum millia cum quingentis mactata fuerint, oportuit hoc anno Hierosolymam causa Paschatis convenire ad minus vicies centena, cum quingentis & sexaginta quinque hominum millibus, quem numerum, imo majorem Hierosolymis repertum ibidem testatur: quis porro nisi rerum incredibilium amator sibi persuadeat, tam stupendam hominum multitudinem in ambitu templi recumbere, & Pascha uno eodemque tempore facere potuisse?

Igitur a primo ad ultimum certum constansque maneat, agnum in templo nec immolari, nec comedi potuisse, & illa Domini verba: *Immolabis phase in loco quem elegerit Dominus*: non de templo, sed de regia civitate debere intelligi.

Inst. 7 probando maj. *l.* 2 *Paralipomenon c.* 30,

c. 30, fuse narratur, ad jussum Regis *Ezechiae*, Pascha fuisse a Levitis & Sacerdotibus immolatum: idemque *l.* 1 *Esdrae c.* 6 legitur, ubi templi instauratio, ejusdemque solemnis dedicatio recensetur. Ergo agnus Paschalis a Sacerdotibus in templo immolabatur.

℞. 1. Dist. antec. legitur in locis citatis *Pascha*, idest holocausta, aliasque victimas ad solemnitatem Paschatis pertinentes fuisse a Sacerdotibus immolatas, conc. *Pascha proprie dictum*, agnum videlicet qui die 14 ad vesperam mactabatur, nego ant. & consequ. E. ℞. legenti caput 30, libri 2 Paralipomenon, & 6 libri primi Esdrae, nihil occurrit unde necessario inferatur, agnum Paschalem a solis Sacerdotibus immolatum: nam quod ibi *Phase* vocatur, nihil impedit de holocaustis caeterisque victimis intelligi, quae Paschatis, ut prædiximus, nomen habebant, propterea quod decursu solemnitatis immolarentur: quod ne gratis dictum putetur, affero expressa libri Paralipomenon verba: *Initio consilio regis & principum*, inquit, (*Ibid. v.* 2, & 3) *& universi coetus Hierusalem, decreverunt ut facerent phase mense 2, non enim potuerant facere in tempore suo, quia Sacerdotes, qui possent sufficere, sanctificati non fuerant*: mox vero quodnam esset illud Sacerdotum officium explicans: *immolaverunt* (populi) inquit, (*ibid. v.* 15) *phase 14 die mensis secundi: Sacerdotes quoque atque Levitae tandem sanctificati obtulerunt holocausta in Domo Domini*; ubi vides immolationem *phase* populis, Sacerdotibus vero atque Levitis oblationem holocaustorum attribui, nec quidquam in contrarium ex c. 6, l. 1 Esdrae, in rigore elici potest: *Fecerunt*, inquit, (*v.* 16 & *seqq.*) *filii Israel, Sacerdotes & Levitae, & reliqui filiorum transmigrationis, dedicationem domus Dei in gaudio, & obtulerunt in dedicationem domus Dei vitulos* 100, *arietes* 200, *agnos* 400, *hircos caprarum pro peccato totius Israel duodecim, juxta numerum tribuum Israel: & statuerunt Sacerdotes in ordinibus suis, & Levitas in vicibus suis, super opera Dei, Hierusalem, sicut scriptum est in libro Moysi: fecerunt autem Filii Israel transmigrationis Pascha 14 die mensis primi: purificati enim fuerant Sacerdotes & Levitae quasi unus: omnes mundi ad immolandum Pascha* &c. ubi Paschatis nomine haud incongrue intelliguntur, vitulorum, arietum, agnorum, hircorumque victimae, de quibus paulo ante dictum fuerat.

℞. 3. Sed esto de Paschate proprie dicto hi textus accipi debeant, nihil contra nos facient: non enim quid fieri aliquando posset præter consuetudinem, sed quid ex lege communi fieret indagamus; itaque dist. aliter ant. narratur his locis, Pascha a Levitis & Sacerdotibus immolatum; & hoc præter consuetudinem factum debet intelligi, concedo: factum ex usu communi, nego ant. & consequ. præter consuetudinem ita factum jure nostro reponimus, (si tamen est factum:) tum propter immunditiam populi, tum propter paucitatem Judaeorum e captivitate redeuntium, tum denique ad majorem Paschati solemnitatem conciliandam. Nam

1. Regnante impio *Achaz*, pene abolitus fuerat Dei cultus: aequum igitur erat ut Ezechias ejus successor religionem instaurans ac vindicans, honorem deferret Sacerdotibus Paschatis immolandi: præsertim cum totus fere populus, a veri Dei cultu recedendo, pollutus esset: *Sacerdotes*, inquit textus sacer (4 *Paralip.* 30, 16 & *seqq.*) *suscipiebant effundendum sanguinem de manibus Levitarum, eo quod multa turba sanctificata non esset: & idcirco immolarent Levitae phase bis, quia non occurrerant sanctificati Domino*.

2. Quod Esdras narrat, eo tempore contigit, quo templum reaedificatum cum ingenti lætitia dedicatum est: ut igitur nihil ad splendorem solemnitatis deesset, conveniens forte putatum est, a Sacerdotibus omnes, ne Paschali quidem excepta, victimas immolari: verum peculiares hi casus sunt, quibus nostra sententia de Paschate in singulis seorsim familiis etiam a laicis immolando roboratur magis quam impugnetur: cum ex axiomate in jure notissimo, exceptio firmet legem.

Inst. 8. Atqui agnus ad postremam Christi coenam paratus caruit necessaria conditione, ut Paschalis vere diceretur. Ergo &c. prob. subs. lege præscriptum fuerat, ut die decima primi mensis tolleret unusquisque agnum per familias & domos suas, adeoque ut quatriduo ante festum præpararetur; atqui conditionem hanc Apostoli non impleverunt, cum de agno conquirendo non ante diem quo erat immolandus cogitaverint: *Prima autem die azimorum*, inquit Matthæus (*cap.* 26, *v.* 17) *accesserunt discipuli ad Jesum dicentes: ubi vis paremus tibi comedere Pascha*? Ergo &c.

℞. Nego subs. ad probat. dist. maj. lege sic cautum fuerat, *ad majorem cautionem*, concedo: *ad necessitatem*, quasi hujus conditionis defectu Pascha absolute non posset fieri, nego maj. & concessa min. nego conseq.

E. ℞. Non omnia quæ Exodi capite duodecimo & alibi præscripta leguntur, pari gradu necessitatis ad solemnitatem Paschalem perti-

pertinuisse credenda sunt: nam alia quidem ad festum sic pertinebant, ut eorum defectu pascha non fieret: nimirum immolatio agni, usus azimorum &c. alia ad decentiam, majoremque cautionem sic pertinebant, ut iis prætermissis Pascha nihilominus impleretur: quale erat quod de agno quatriduo ante provideretur, ad probandum sanus ne esset & integer: nam absolute loquendo, tanto ad hoc faciendum experimentum tempore opus non fuisse, facile intelligitur: alioquin enim quid de illis dicturi sumus, qui biduo, vel pridie, vel die ipsa & in ipso solemnitatis procinctu Hierosolymam advenissent? prorsus ergo credibile est, quod in aliis sacrificiis servabatur, etiam erga Paschalem victimam factitatum, ut scilicet agni a viris expertis ante probati, publice venales ad populi advenientis commoditatem exponerentur: unde nihil est quod Christum & Apostolos legis despectæ redarguamus.

Inst ultimo. *S. Joannes Damasc.* in duobus de azimo pane opusculis plane negat Dominum Jesum, pridie quam pateretur, Pascha Judaicum comedisse. Ergo &c.

℟. 1. Transeat ant. & nego consequ. ex unius enim privati scriptoris opinione, uti sæpe admonuimus, contra doctrinam apertis scripturæ & Patrum testimoniis roboratam nihil infertur.

R. 2. nego ant. totus enim noster est Damascenus in genuinis suis operibus ita loquens: (*de fide orth. lib.* 4, *cap.* 13) *Itaque Christus in sancto & illustris Sion cœnaculo postquam vetus Pascha cum discipulis manducasset, testamento veteri expleto, discipulorum pedes lavit* &c. quorum similia repetit in libro *de duabus voluntatibus*: quæ vero opponuntur opuscula *de panibus azimis*, eruditis omnibus certum est S. Doctori falso attribui: id quod præter cæteros doctissimus *Michael le Quien* nuperus S. Damasceni operum editor, argumentis validissimis demonstravit, quorum præcipuum est, quod hæc opuscula erroribus plurimis scateant, quos S. ipse *Damascenus* libris suis egregie confutavit. Sequitur

CAPUT TERTIUM.

Utrum Christus postremum Pascha eadem qua cæteri Judæi die fecerit?

SAnctus Joannes Evangelista locis inferius referendis insinuare videtur, Judæos, quo anno Christus mortuus est, non die Jovis, sed sequente die veneris, ea ipsa scilicet, qua mysterium crucis impletum est, Pascha celebrasse.

§. PRIMUS.

Recensentur opiniones.

Eaque Theologis origo fuit diversarum opinionum, quas pro suo quisque affectu amplexi sunt.

1. Catholici quidam, quos capite præcedenti refutavimus, testimoniis Joannis perperam intellectis in eam iverunt sententiam, Christum pridie mortis suæ Pascha legitimum non fecisse: nam, inquiebant, Judæi hoc anno, uti antehac, ritum tempusque Paschatis observarunt, cum ergo non ante diem veneris phase fecerint, consequens est fieri a Christo die præcedente non potuisse.

2. Alii auctoritate scripturæ utrumque contendunt esse certissimum, Pascha nimirum a Judæis & a Christo servatum: sed dies volunt fuisse diversos: nec aliter putant Joannem posse cum cæteris Evangelistis conciliari, quam dicendo Christum die jovis, Sacerdotes vero cum magna parte Judæorum sequente die præceptum comedendi Paschatis implevisse.

In hac vero opinione defendenda non unam omnes ineunt viam, nec iisdem nituntur conjecturis.

Quidam enim volunt Judæos hoc anno festum Paschatis præsumptione nefaria distulisse, quo promptius certiusque inveteratum contra Salvatorem odium, data ejusdem comprehendi occasione, exsaturarent: eamque ajunt *S. Jo. Chrysostomi* fuisse sententiam.

Alii jure id factum affirmant, propterea quod mensis cujuslibet duplex esset dies decima quarta, adeoque liberum unicuique foret, quam vellet ad Pascha immolandum eligere: sic autem statuunt: Hebræi, inquiunt, annos & menses lunæ cursu metiebatur: itaque mensis exordium a novilunio petebatur: ita tamen ut vel ab ipsa conjunctione cum sole, ubi interlunium est, vel a prima lunæ phasi inciperet: hinc duplex mense quolibet neomenia erat: primam, conjunctio astronomica, alteram die sequente lunæ apparitio dabat: quo fiebat ut duplex pariter esset dies decima quarta, quam sibi poterat quilibet ad arbitrium, vel astronomicum calculum, vel phasim observando, ad Pascha celebrandum præfigere: hac facta hypothesi, inquiunt, non reperitur Joannes cæteris Evangelistis contrarius, facileque intelligitur Christum & Judæos diebus licet diversis, legem Paschatis implevisse: Christus enim & Apostoli primam mensis diem a conjunctione Lunæ cum

Sole, more astronomico: Judæi, more vulgari a prima Lunæ phasi petierant: fuit hæc *Ægidii Bucherii* e societate Jesu (*in lib. de Paschali Judæorum Cyclo*), *Pezronii* (*ad calcem historiæ Evangelicæ*), & quorumdam aliorum opinio.

Alii recurrunt ad quoddam synagogæ decretum, quod antiquissimum jactitant, quo statutum affirmant, ne duo consequentes festivi dies celebrarentur, sed unus transferretur in alterum, & ex duabus solemnitatibus una fieret: porro, inquiunt, anno quo Christus mortuus est, casus ille contigit: nam dies decima quinta primi mensis, quæ erat ex lege venerabilis & sancta, in diem veneris incidebat, adeoque Sabbatum, non minore Religione servandum, immediate præcedebat: nihil itaque mirum si Christus & Judæi hoc anno diebus diversis Pascha fecerunt: Christus enim legem ad amussim sequendo, agnum Pascalem die jovis, quæ erat decima quarta, comedit: Judæi vero humanæ insistendo traditioni, neve continuatæ per duos dies festivitatis paterentur incommodum, hunc ritum ad vesperam sequentis veneris transtulerunt: habuit opinio hæc plerosque magni nominis sectatores, *Paulum* scilicet ex Judæo Christianum, & Episcopum Burgensem in Hispania: (*comm. in cap. 26 Matth.*) *Paulum* item alterum de Mildeburgo, Episcopum Semproniensem: (*in lib. de recte celebrandi Paschatis ratione*) *Hentenium* (*præfatione ad Euthimii commentarios*) *Onuphrium*: (*lib. 2 fastorum*) *Catharinum*: (*lib. 2 cont. Cajetanum*) *Cornelium Jansenium*: (*in concordia Evang.*) *Maldonatum*: (*in cap. 26 Matth.*) & alios.

Alii S. Joannem cum cæteris Evangelistis facile conciliari contendunt, modo tamquam certum ponatur, Pascha indiscriminatim fieri potuisse, luna decima quarta, vel ineunte, vel desinente: porro, aiunt, revera sic se res habet: quamquam enim Judæi in Ægypto ineunte Luna 14 ad vesperum Pascha celebraverint: permisit tamen Deo providente Moses, ut in posterum quam vesperam vellent sive primam sive secundam eligerent; ideo porro Christus diem jovis in quam Lunæ decimæ quartæ initium incidebat, censuit præferendam, quia quod primum ab Hebræis observatum fuerat, implere accurate voluit, ut plene veritas figuræ corresponderet. Judæi vero ex privilegio in sequentem veneris diem antiquum usum sequendo, Pascha transtulerunt, nec desunt huic sententiæ patroni: hanc enim *Aloysius Legionensis*, *Basilius Pontius*, uterque Augustinianus, *Ferrandus*, aliique haud ignobiles sane scriptores acriter & ingeniose defendunt.

Alii denique fingunt Hebræos, cum propter prodigiosam multitudinem non possent una eademque die ad solemnitatem omnes convenire, in duas classes sic esse distributos, ut Judæis & Galilæis, nunc prima diei decimæ quartæ vespera, nunc secunda alternatim obtingeret; ideo vero Christum genere Galilæum Judæos in hoc postremo Paschate prævertisse, quia Galilæis hoc anno erat prima vespera assignata: hanc opinionem a se inventam *Harduinus* mirus conjectandi artifex scripta de hac re peculiari dissertatione nervis omnibus propugnavit.

3. Alii communiter Theologi numero & authoritate majores; missis illis ambagibus & falsis hypothesibus, simpliciter affirmant Christum & Judæos una eademque die Pascha fecisse, & facile ad hanc sentenitiam pugnantia specie tenus Joannis testimonia revocari. Cum quibus sit

§. SECUNDUS.

Ostenditur Christum pridie mortis suæ, Pascha uno eodemque cum Judæis tempore celebrasse.

PROBATIO PRIMA.

Ex Evangelio.

Quam quidem sententiam certissimam esse fatebitur, quisquis ad Evangelii textus animum attulerit ab omni præjudicio liberum: *Prima autem die azimorum*, inquit Matthæus, *accesserunt discipuli ad Jesum dicentes, ubi vis paremus tibi comedere Pascha*? Et S. Marcus: *primo die azymorum, quando Pascha immolabant, dicunt ei discipuli: quo vis eamus & paremus tibi, ut manduces Pascha*? multoque expressius S. Lucas: *Venit autem dies azimorum, in qua necesse erat occidi Pascha.*

Primo itaque azimorum die Christus Pascha comedit; atqui non minus ad reliquos Judæos, quam ad Christum dies illa spectabat; immo ideo a Sanctis Evangelistis azimorum prima vocatur, quia erat totius synagogæ observatione notissima; ergo Christus Judæos in Paschatis celebratione non antevertit; adeoque una dies utriusque fuit.

Deinde, Christus agnum comedit, *quando*, inquit S. Marcus, *Pascha immolabant*; atqui vox illa, *Pascha immolabant*, gentem universam significat, nec potest ad Christum & ejus discipulos sine aperta absurditate restringi. Ergo &c.

Præterea, hac die Christus agnum comedit, *in qua necesse erat occidi Pascha*: vel ergo

ergo dicendum Judæos hoc anno, quod erat necesse fieri, prætermisisse, vel fatendum, una eademque die utrosque Pascha fecisse; atqui primum dici sine temeritate non potest, cum hujus infractionis nec ex Evangelio, nec ex historia, nec ex Patribus testimonium proferatur; ergo alterum dici debet.

PROBATIO SECUNDA.

Ex antiquo more Hebræorum.

Accedit antiquissima Hebræorum consuetudo: quando constat præscriptionem aliquam a supremo legislatore dictatam, eamdemque a subditis observatam inviolabiliter, pugnare in contrarium, imprudentis & litigiosi hominis est, nisi certissima afferantur ad contradicendum momenta: non enim debemus cognitam veritatem propter obscuras & debiles conjecturas deserere. Atqui

1. Constat ex prædictis, immolando Paschati unam tantum diem, scilicet 14 primi mensis ad vesperam, fuisse præfixam, cum hac sola exceptione, quod si quis hac die legitime impeditus phase facere non posset, ad vesperam diei decimæ quartæ mensis sequentis illud differret; itaque lege divina poterat quidem Pascha ab uno mense transferri in alterum, ut ex libro Numer. (*Num.* 9, *v.* 9, *& seq. Paral.* 2, *c.* 30, *v.* 2, *& seqq.*) & 2 Paralipom. certum est: diei vero mensis nec anticipatio nec procrastinatio esse poterat.

2. Nec minus constans est, Hebræos ab eo tempore quo lex est a Moyse promulgata, ad Christum usque, una eademque die semper Pascha celebrasse, ut videre est *Exodi* 12 .... *Numeror.* 9, *v.* 5 ... *Josue* 5, *v.* 10 ... 2 *Paralip. c.* 30, *v.* 15 ... *Ib. c.* 35, *v.* 1 ... & denique *primi Esdræ c.* 6, *v.* 19, nec in contrarium ullus veteris testamenti locus opponi potest.

3. Citra dubium est, Christi temporibus antiquam consuetudinem viguisse: nam præterquam quod illud aperte declarant Matthæi, Marci, & Lucæ testimonia supra relata, ejusdem rei testes sunt omni exceptione majores *Josephus & Philo Judæus*, ille quidem *de bello Judaico l.* 7, *c.* 17, iste, in *libro de septenario*, *& lib.* 3 *de vita Moysis*.

4. Certum pariter est, primis Ecclesiæ sæculis Judæos morem antiquum mordicus tenuisse: quod præter cætera quæ afferri possent ex monumentis historicis argumenta, *quartodecimanorum* error invicte probat: *quartodecimani* sic dicti, quod vellent Pascha more Judæorum debere a Christianis fieri die 14 primi mensis ad vesperam in quamcumque hebdomadæ diem incideret; ergo nitebantur exemplo Judæorum; atque adeo 2 sæculo, quo nata hæresis est, tertioque & 4, quibus orientem infestavit, donec œcumenicæ Nicænæ synodi decretorio judicio extincta fuit, Judæi hac sola die Pascha faciebant.

5. Denique nemini non notum est, nostræ ætatis Judæos antiqui & antiquati ritus esse tenacissimos, neque Pascha facere nisi die 14 ad vesperam: ut nimirum impleant quod a Mose præscriptum: (*Exod.* 12, 14) *Habebitis hanc diem in monumentum, & celebrabitis eam solemnem Domino in generationibus vestris, cultu sempiterno.*

Itaque de die Paschati faciendo præfixa, ejusdemque perpetua observatione nemini dubitare fas est. Jam sic subsumo:

Atqui quæ in contrarium afferuntur ab adversæ partis Theologis argumenta, ut quomodo possunt suadeant Christum Judæos in hujus postremi Paschatis celebratione prævertisse, nec divina lege, nec ullo antiquo synagogæ decreto, nec certo historiæ testimonio, sed meris conjecturis nituntur, quas rejicere tam est facile, quam afferre: id quod speramus inficiabitur nemo, qui accurate illas expenderit

PROBATIO TERTIA.

Ex systematis contrarii vanitate.

Quod ut paulisper experiamur, lubet opiniones contrarias primo paragrapho recensitas ad examen vocare.

1. Sunt qui volunt, hoc anno Judæos Pascha in diem crastinum, ne perdendi damnandique Christi occasioni deessent, prævaricatione sacrilega distulisse: sed quæso unde hoc habent? numquid ex Evangelio? atqui in contrarium Sacer textus affirmat, Christum tunc Pascha fecisse, quando Judæi *Pascha immolabant*, quando *necesse erat occidi Pascha*: numquid ex *Josepho*, *Philone*, aut aliis rerum Judaicarum scriptoribus? atqui altum ubique de hac procrastinatione silentium est: quis vero putet tam scandalosam in tanto populorum concursu, sacratissimæ legis infractiones, Sanctos Evangelistas, aliosve historicos, si ita quidem contigisset, prætermissuros, neminemque reperiendum, qui hoc Judæis flagitium exprobraret?

2. Fingunt aliqui mensis cuilibet diem 14 duplicem assignatam, quarum altera ex conjunctione astronomica, altera ex prima Lunæ phasi numeraretur: liberum porro cuique fuisse, ex duabus quam vellet ad Pascha faciendum eligere: hincque contigisse, ut Christus astronomicum calculum sequendo, Judæos una die

die prævérterit: ingeniosum sane commentum, sed commentum est tamen, cui scripturarum auctoritas contradicit: nam in his testimoniis quæ sane plurima sunt, ubi Paschatis ab Hebræis celebrati mentio est, ubique reperies uno eodemque die ab universa gente peractum, nullibi occurret illa duorum dierum distinctio, qui ex æquo Lunæ decimæ quartæ nomen & solemnitatem haberent; ergo opinionem hanc nemo nisi qui fabulis delectatur admittet.

3. Nec plus soliditatis habet quod ajunt alii, antiquo decreto sancitum, ut quoties duo festivi dies occurrerent, in unum commiscerentur, & ex duabus solemnitatibus una fieret: casum vero hunc quo anno Christus mortuus est contigisse, incidente nimirum Luna 15 primi mensis, quæ erat sancta atque solemnis, in diem veneris, adeoque cum sequente Sabbato inviolabiliter observando immediate conjuncta: quo factum volunt, ut a Judæis quidem privilegio dispensationis utentibus fuerit azimorum solemnitas cum Sabbato adunata, a Christo vero legis observantissimo secundum antiquam normam celebrata: quæ quidem opinio satis esset ad Joannem cum cæteris Evangelistis conciliandum accommodata, nisi veritate quam unice quærimus destituta reperiretur: decretum enim hoc tum textui legis foret manifeste contrarium, festo cuilibet diem proprium addicentis, tum nullibi in Hebræorum antiquis monumentis comparet, iis saltem quæ certam faciant fidem; tum denique nusquam latum fuisse, hodierna Judæorum consuetudo demonstrat, primam diem azimorum 15 primi mensis, etiam quando Sabbato occurrerit, summa religione observantium: habet præterea hæc hypothesis hoc singulare, quod seipsam unde expedire conatur, illaqueat: nam si quo anno Christus mortuus est, dies prima azimorum in diem veneris cadens, ad vitandum consequentium festorum incommodum, in Sabbatum sequens translata fuerit: quid de 7 dicturi sumus, *eadem festivitate venerabili*, *quaque nihil operis faciendum permittebatur*, *exceptis his quæ ad vescendum pertinent* (*Exod.* 12, 16)? posito enim quod dies prima in Sabbatum sit translata, dies 7, si bene calculum ducimus, in sequentem diem veneris incidit; adeoque duo sese festivitates immediate contigerunt; quid ergo in his angustiis a Judæis factum oportuit? numquid ad 8 usque diem azimorum solemnitas prorogandа? numquid 7 ad sequens Sabbatum remittenda? atqui pugnat utrumque cum lege: *Septem diebus*, inquit (*ib.* 15, *& seq.*) *azima comedetis . . . . dies prima erit sancta atque solemnis: & dies septima eadem festivitate venerabilis*: apage ergo nænias pueriles, quas a falsitate quorumdam forte obscuri nominis Rabbinorum attestatio suspecta non liberat.

4. Quod alii unicuique liberum fuisse effutiunt sive ad primam, sive ad secundam diei 14 vesperam pro arbitrio Pascha facere, legis constitutioni e diametro adversatur: *Servabitis eum* (agnum) inquit, (*Exod.* 12, 6) *usque ad quartam decimam diem mensis hujus; immolabitque eum universa multitudo filiorum Israel ad vesperam. . .* (*ibid. v.* 28) *egressi filii Israel fecerunt sicut præceperat Dominus Moysi & Aaron*; itaque una dies unaque diei vespera Israelitis ex Ægypto egressuris ad immolandum phase præscribitur: quod autem lex illa perpetua inviolabilisque futura esset, non minus expresse ib. declaratur: *Habebitis autem*, ait, (*ibid. v.* 14) *hunc diem in monumentum: & celebrabitis eum solemnem Domino in generationibus vestris cultu sempiterno. . . .* (*ibid. v.* 24) *custodi verbum istud legitimum tibi & filiis tuis usque in æternum: cumque introieritis terram quam Dominus daturus est vobis ut pollicitus est, observabitis cæremonias istas. . . .* (*ibid. v.* 42) *nox ista est observabilis Domini, quando eduxit eos de terra Ægypti: hanc observare debent omnes filii Israel in generationibus suis*; ergo quod Israelitis semel præscriptum pro semper præscriptum est, nec illis in posterum alterutrius vesperæ delectus permissus est, & vero si aliquando locum hæc dispensatio habuisset, maxime erga eos qui propter legitimum quodvis impedimentum Pascha celebrare tempore præstituto non poterant: sic e. c. dictum alicubi foret, *immundis super anima*, aut Jerosolyma ad diem 14 necessario profecturis, integrum esse, quod prima vel secunda vespera facere non possent, vel anticipare ad primam, vel ad secundam differre; atqui nedum hac lege libertas fiat, præscribitur e contrario, ut quod primo mense ad vesperam diei 14 fieri non potuit, in mensem secundum ad eamdem Lunæ diem & vesperam remittatur: unaque ubique vespera nominatur, non duplex: *Homo*, inquit, (*Num.* 9, 10 *& seq.*) *qui fuerit immundus super anima, sive in via procul in gente vestra, faciat phase Domino in mense secundo, quarta decima die mensis ad vesperam*. Ergo &c.

5. Denique *Harduini* sententia, qua contendit Judæis & Galilæis, alterutram diei decimæ quartæ vesperam ad Pascha faciendum alternatim assignatam, quoniam mera fictio est, cui nec Evangelium, nec historiæ auctoritas fundamentum vel tenue præbet, refutatione nostra non indiget.

Fatendum itaque unam Paschati diem divi-

na.

na lege præfixam, adeoque quo anno Christus mortuus est, ab ipso & ab universa Judæorum gente, uno eodemque tempore esse celebratum.

§. TERTIUS.

Enodantur difficultates.

Expendenda modo Joannis testimonia quæ prima fronte videntur Evangelistis cæteris adversari, quæque iis quos prædiximus scriptoribus sic difficilia visa sunt, ut non aliter posse ad concordiam revocari putaverint, nisi ad duplicem celebrandi Paschatis diem recurreretur.

Sic porro S. Evangelista loquitur: (*cap.* 18, *v.* 28) *adducunt ergo Jesum a Caipha in prætorium*: *erat autem mane*, *& ipsi non introierunt in prætorium*, *ut non contaminarentur*, *sed ut manducarent Pascha*: inde sic disputant.

Ex dictis cap. præcedente certum est, Christum celebrasse ultimum Pascha, die Jovis ad vesperam; atqui non eadem die Judæi celebraverunt: nam illi non immolaverant Pascha die jovis, qui die veneris proxime sequente non ausi sunt introire in prætorium, ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha; atqui ita de Judæorum Sacerdotibus testatur Joannes. Ergo &c.

℞. Admitto auctoritatem: ad probat. concessa maj. nego min. & ad alterum argumentum concessa iterum maj., dist. min. Judæi die veneris non introierunt in prætorium, ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha, *legales scilicet victimas*, ad festi lætitiam pertinentes, quæ septem continuis azimorum diebus offerebantur, conc. ut manducarent agnum Paschalem, qui præcipue Paschatis nomen conveniebat, nego min. & conseq.

E. R. Vox *Pascha*, Scripturarum consuetudine, ut c. 1, in responsione ad quæstionem 15 observavimus, agno ad diem 14 immolando non sic necessario addicta erat, quin & aliis victimis accommodaretur, quas Judæi decurrentibus azimis diebus plurimas sane mactabant: locum ex Deuteron. palmarem adduximus: (*Deut.* 16, 2) *phase Domino Deo tuo*, *de ovibus*, *& de bobus*; versu vero sequ. ubi in vulgata nostra legitur: *non comedes in eo panem fermentatum*: *7 diebus comedes absque fermento*, *afflictionis panem* &c. juxta textum Hebraicum sic legendum: *Non comedes cum illo fermentum*, *7 diebus comedes cum illo infermentata*. Septem ergo diebus continuis Pascha immolabatur & comedebatur; quod cum non possit de agno ad vesperam diei decimæ quartæ immolando intelligi, consequens est vocem Paschatis victimis ceteris attributam, quæ tota azimorum solemnitate ex lege mactandæ erant: est & alterum ejusdem rei in libris Paralip. testimonium: *Porro*, inquit (2 *Paralip.* 35, v. 8). *Principes domus Domini dederunt Sacerdotibus ad faciendum phase pecora commixtim* 2600, *& boves* 300. Fiebat itaque & fieri dicebatur phase, non solum in mactatione agni, sed etiam in holocaustis aliisque pacificis victimis quæ per 7 dies ad azimorum augendam celebritatem in signum lætitiæ mactabantur: neque vero scripturæ tantum auctoritate vocis *phase* ad alia longe plura quam ad agnum Paschalem extensio comprobatur, sed & judicio legis Hebraicæ peritorum, atque inter ceteros *Josephi* ipsius, eo fide dignioris quod de genere Sacerdotali fuit, beneque callebat voces ad sacrum ministerium pertinentes: quæ cum ita sint, quid impedit quominus rejectis vanis conjecturis, & arbitrariis hypothesibus, id quod Joannes dicit; *Non introierunt prætorium*, *ut non contaminarentur*, *sed ut manducarent Pascha*, de victimis explicemus quas die decima quinta mactare solemne erat? hæc enim optima interpretandi lex est, ut si quid scriptura in uno loco obscurum habet, & ad intelligendum difficile, clarioribus enodetur.

Inst. 1. S. Evangelista diem veneris qua Christus cruci affixus est, vocat parasceve seu præparationem Paschæ: *Erat autem*, inquit, (*Joann.* 19, 14) *parasceve Paschæ*, *hora quasi sexta*: hinc sic eruunt argumentum: illi non celebraverant Pascha die jovis, quibus dies veneris proxime sequens fuit parasceve Paschæ; atqui Judæis dies veneris fuit parasceve Paschæ. Ergo &c.

R. Admitto auctoritatem: ad argumentum concessa maj. dist. min. Judæis dies veneris fuit parasceve Paschæ, *concurrens scilicet cum festo Paschali*, conc. fuit parasceve, *hoc est præparatio Paschatis immolandi*, nego min. & conseq.

E. R. Mera hæc vitilitigatio est, in præpostera vocis *parasceves* intellectione tota consisteus: *parasceve*, idem sonat, quod Latine, *præparatio*: sic autem apud Judæos dies veneris, sive feria sexta appellabatur, quia coquebantur hac die cibi ad sequens Sabbatum necessarii, quos lege vetitum erat ipso Sabbato præparari: dicimus itaque diem hunc a Joanne parasceve Paschæ appellari, non quia erat præparatio Paschatis faciendi: (nullibi enim in scriptura reperies, quod dies Paschati prævia, parasceve ejus, sive præparatio dicta fuerit:) sed quia erat feria 6 in Paschalem

lem hebdomadam incidens: posse namque solemnitatem ab ea hebdomadæ die, in quam inciderit, appellari, familiari hominum usu compertum est: sic diem Paschatis, Paschæ Dominicam appellamus; nec inepte loqueretur, qui nativitatem Domini in Sabbatum incurrentem, Sabbatum nativitatis Domini diceret: hancque non esse arbitrariam responsionem, præterquam quod ex prædictis certum est, alter Evangelista S. Marcus plus satis indicat, de hac ipsa die sic loquens: (*Marc.* 15, 42) *Erat parasceve, quod est ante Sabbatum*, ideo itaque parasceve dicitur a Joanne, non quod agni Paschalis immolationem, sed quod Sabbatum præcederet.

Inst. 2. Atqui ideo dies hæc parasceve dicta est, quod esset præparatio Paschatis ad vesperam faciendi. Ergo &c. prob. subs. illis dies veneris fuit præparatio Paschæ, qui primam azimorum diem sequente Sabbato celebrarunt; atqui hoc anno Judæi primam azimorum diem sequente Sabbato celebrarunt. Ergo &c.

Prob. min. ex eodem S. Joanne: *Judæi ergo*, ait, (*Joann.* 19, 31) *quoniam parasceve erat, ut non remanerent in cruce corpora Sabbato: erat enim magnus dies ille Sabbati: rogaverunt Pilatum ut frangerentur eorum crura*, (Christi scilicet, & latronis utriusque) *& tollerentur*. Hinc sic arguunt:

Sabbatum, diem veneris proxime secutum, magnum & solemne Judæis erat; atqui non alia causa magnum vocatur, quam quia in illud azimorum prima dies incidebat, ex legis prescripto *Sancta atque solemnis*: (*Exod.* 12, 16) ergo Judæi hoc anno primam azimorum diem ipso Sabbato celebrarunt; adeoque die præcedente veneris ad vesperam, non die jovis Pascha fecerunt.

℟. Nego subs. ad prob. concessa maj. nego min. primam enim azimorum diem mensis Judæi celebraverunt: atqui dies hæc non in Sabbatum, sed in diem veneris præcedentem inciderat, quæ nimirum vesperam proxime secuta fuerat, *in qua Pascha immolabant*, *in qua necesse era[illegible]ccidi Pascha*. Ergo &c.

Ad pro[illegible]mitto auctoritatem, & concessa maj. nego [illegible]in. ideo enim dies ille magnus vocatur, [illegible] quod cum prima azimorum die, sed quod [illegible]m hebdomada Paschali concurreret, adeoque majori pompa & solemnitate celebraretur: quid enim mirum si Sabbatum se solo Sanctum, propter alterius solemnitatis concursum magnum vocetur, cum sit duplici titulo celebre? porro septem azimorum dies continuos magna solemnitate peractos, præter quam quod ex ipsa eorum institutione liquet, Paralipomenon auctoritas certum facit: *Fecerunt*, inquit, (2 *Paralip.* 30, 21 *& seq.*) *filii Israel qui inventi sunt in Hierusalem, solemnitatem azimorum septem diebus in lætitia magna laudantes Dominum per singulos dies: levitæ quoque & sacerdotes per organa, quæ suo officio congruebant. . . . & comederunt septem diebus solemnitatis, immolantes victimas pacificorum, & laudantes Dominum Deum Patrum suorum.*

Instit. 3. In eodem Joannis Evangelio sic habetur: (*Joan.* 13, 1) *Ante diem festum Paschæ sciens Jesus quia venit hora eius, ut transeat ex hoc mundo ad Patrem: cum dilexisset suos, in finem dilexit eos, & cœna facta* &c. ubi cæremonia lotionis pedum a Christo celebrata describitur. Inde sic disputant:

Lotio pedum nequit dici a Christo facta ante diem festum Paschæ quem ipse agebat; ergo facta est ante diem festum a Judæis celebrandum; atque adeo una die Christus Judæos necessario antevertit.

Prob. ant. quod fit incepto festo, nequit dici fieri ante diem festum: sic inepte diceretur, ante diem festum Paschæ Roma proficisci, qui incœpto a duabus horis festo, abiret; atqui quando Christus pedes lavit discipulorum, postremam fecerat cœnam, diemque festum Paschatis, agni manducatione, quæ pars ejus præcipua erat, ex legis præscripto incœperat; ergo lotio pedum non potest dici facta ante diem festum Paschæ ab ipso celebrati: unde sequitur hæc Evangelii verba debere intelligi comparate ad Judæos, die veneris sequente Pascha facturos.

℟. Admitto auctoritatem: ad argumentum ex ea petitum:

1. Dato ant. n. conseq. & suppositum, ponitur enim velut certum ex Evangelio, Christum ante diem festum Paschæ discipulorum pedes lavisse, quod neque Joannes diserte affirmat, nec necessario ex ejus verbis eruitur: equidem ille testatur, *ante die festum Paschæ stientem Jesum, quia venit hora ejus, ut transeat ex hoc mundo ad Patrem, cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexisse eos*: quod vero ante diem festum Paschæ cœnam fecerit, & Apostolorum laverit pedes non dicit: quid vero impedit, quominus quæ versu primo præcedunt, ad eam diem pertineant, de qua ab aliis Evangelistis est dictum: *Prima die azimorum accesserunt discipuli ad Jesum dicentes: Ubi vis paremus tibi commedere Pascha?.... primo die azimorum quando Pascha immolabant ..... quando necesse erat occidi Pascha* &c. quæ vero in Joanne sequuntur: *& cœna facta.... cœpit lavare pedes discipulorum* &c. ad idem tempus alludant quod alii

me-

memorant: (*Matth.* 25, *v.* 20, *Marc.* 14, *v.* 17, *Luc.* 22, *v.* 14) *vespere autem facto*; *discumbebat cum* 12 *discipulis suis* &c. quo posito nulla argumenti vis erit ruetque penitus difficultas: si quis enim ita contenderit Joannis testimonium exponendum: non video qua possit ratione vel auctoritate revinci: sed esto id quod Joannes de lotione pedum enarrat, ad idem tempus referatur, de quo paulo ante dixerat: *ante diem festum Paschæ* &c nihil hinc contra nos inferri posse contendo. Unde

2. ℞. Nego ant. ut enim lotio pedum merito facta dicatur ante diem festum Paschæ a Christo celebrati, sufficit ut tota dies decima quarta communi loquendi consuetudine, tamquam pervigilium festi azimorum, & diei 15 haberetur; atqui more loquendi scripturarum tota dies decima quarta, ne eo quidem excepto tempore quo agnus comedebatur, tamquam pervigilium festi azimorum & diei 15 numerabatur: sic in Levitico: *Mense primo*, ait Moyses, (*Lev.* 23, 5) 14 *die mensis ad vesperum*, *phase Domini est*, & 15 *mensis hujus solemnitas azimorum Domini est*. Et in libro Numer. (*Num.* 28, 16) *mense autem primo*, 14 *die mensis*, *phase Domini erit*: & 14 *die solemnitas*. Quin & hanc loquendi rationem in ipsa primitiva Paschatis institutione usurpatam legimus ac veluti consecratam: *Servabitis eum* (agnum), inquit, (*Exod.* 12, 6 & *seq.*) *usque ad* 14 *diem mensis hujus: immolabitque eum universa multitudo filiorum Israel ad vesperam.... & edent carnes* (ejus) *nocte illa assas igni*, & *azimos panes.... primo mense*, 14 *die mensis ad vesperam comedetis azima*, (nimirum in cœna Paschali:) nec desunt alia testimonia, quæ legenti vetus testamentum sæpe occurrent. Ergo &c.

Ad probat. dist. maj. quod festo incœpto fit, nequit dici fieri ante diem festum, *si una & simplex sit hujus vocis* (*dies*) *significatio*, conc. *secus*, n. maj. dist. pariter min. quando Christus pedes lavit discipulorum jam diem festum *legalem* incœperat, conc. diem festum *usualem*, n. min. & conseq.

E. R. Certum est apud Judæos in usu fuisse triplex quadruplexve genus dierum, legalem, scilicet a vespera ad vesperam: naturalem, ab ortu solis ad ortum recurrentem: usualem, a media nocte ad mediam noctem; & denique artificialem, ab ortu solis ad occasum, ita dictum, quod eo tractu temporis soleant artifices suis vacare operibus: nec ab hac Hebræorum distinctione mos noster abhorret: nam præterquam quod dies naturales, & artificiales, & usuales habemus, habemus pariter Ecclesiasticos, a primis vesperis ad vesperas secundas productos: hoc posito manifestum est, harum vocum (*pridie*, *hodie*, *cras* &c.) prout varie diei constituetur initium, diversam esse significationem: adeoque evanescit petita ex Joannis testimonio difficultas: lotio enim pedum etsi non ante legalem, certe ante usualem diem festum, quem aliquibus horis præcessit, est a Christo facta.

Inst. 4. In eadem Evangelio: (*Joan.* 18, 38 & *seq.*) *Ego*, inquit Pilatus de Jesu loquens, *nullam invenio in eo causam: est autem consuetudo vobis, ut unum dimittam vobis in Pascha: vultis ergo dimittam vobis regem Judæorum?* &c. hinc sic arguunt: nomine Paschatis dies ipsa debet intelligi, qua mactabatur agnus Paschalis; atqui dicta hæc a Pilato sunt die veneris, quæ Paschati a Christo factum immediate secuta est; ergo nondum Pascha Judæi fecerant, adeoque illos Christus die una præverterat.

℞. Admitto auctoritatem: ad probat. nego maj. nomine enim Paschæ debet intelligi dies ipsa solemnitatis, sive prima azimorum: quo sensu dictum a S. Luca: (*cap.* 22, *v.* 4) *appropinquabat dies festus azimorum*, *qui dicitur Pascha*, & vero hoc Joannis testimonium nobis magis favere quam noceat, facile intelliget qui attenderit, hanc vincti unius in Paschalis sollemnitate liberationem concessam Judæis in memoriam hujus diei, quo ab Ægyptiaca servitute in libertatem fuerant divinitus vindicati; atqui scriptura diserte testatur Hebræos die 15 primi mensis, postquam pridie ad vesperam Pascha fecissent, in libertatem assertos, ut c. 12 Exodi, & aliis locis videre est; ergo quando Pilatus hanc synagogæ pro Christi liberatione gratiam obtulit, prima azimorum currebat dies: adeoque die præcedente Pascha Judæi celebraverant.

De figuris dictum satis: jam ut unde plus forte quam par erat divertimus, revertamur, sit:

QUÆSTIO SEXTA.

Quid Eucharistia contineat consecratione facta.

AD eam ventum est quæstionem, quæ præcipuum in præsenti disputatione locum habet: quæritur nimirum quid Eucharistia in facto esse, ut loquuntur, sive post elementorum consecrationem contineat?

Christum equidem quadantenus in Eucharistia esse præsentem, omnium qui Christiana professione censentur, confessio est: ita enim plana sunt verba Evangelii: *Hoc est corpus meum: hic est sanguis meus*: ut nemo nisi

qui scripturam ipsam negaverit, possit ire inficias: qua autem ratione sit præsens, revera, aut in figura, realiter an per fidem, transubstantiatione, consubstantiatione, aut impanatione? quæstio est, quam non ambiguitas textuum, non traditionis obscuritas, non fidei incertitudo, non Patrum silentium, sed Hæreticorum malitia & ignorantia excitavit.

Ab ipsis enim primis temporibus aperta & simplex Ecclesiæ Catholicæ, a Christo ipso accepta doctrina fuit, in almo S. Eucharistiæ Sacramento, post panis & vini consecrationem, Dominum nostrum Jesum Christum, verum Deum atque hominem, vere, realiter, ac substantialiter, sub specie illarum rerum sensibilium contineri: *Neque enim hæc inter se pugnant*, ajunt Trid. Patres, (*Sess.* 13, *c.* 1) *ut ipse Salvator noster semper ad dexteram Patris in cælis assideat, juxta modum existendi naturalem & ut multis nihilominus aliis in locis Sacramentaliter præsens sua substantia nobis adsit, ea existendi ratione quam etsi verbis exprimere vix possumus, possibilem tamen esse Deo, cogitatione per fidem illustrata assequi possumus, & constantissime credere debemus: ita enim maiores nostri omnes, quotquot in vera Christi Ecclesia fuerunt, qui de Sanctissimo hoc Sacramento disseruerunt, apertissime professi sunt, hoc tam admirabile Sacramentum in ultima cœna Redemptorem nostrum instituisse, cum post panis vinique benedictionem, se suum ipsius corpus illis præbere, ac suum sanguinem, disertis ac perspicuis verbis testatus est: quæ verba a S. Evangelistis commemorata, & a divo Paulo postea repetita, cum propriam illam & apertissimam significationem præ se ferant, secundum quam a Patribus intellecta sunt: indignissimum sane flagitium est, ea a quibusdam contentiosis & pravis hominibus ad fictitios & imaginarios tropos, quibus veritas carnis & sanguinis Christi negatur, contra universum Ecclesiæ sensum detorqueri: quæ tamquam columna & firmamentum veritatis, hæc ab impiis hominibus excogitata commenta, velut satanica detestata est, grato semper & memore animo præstantissimum hoc Christi beneficium agnoscens.*

Contra hanc adeo certam veritatem duplici potissimum errore pugnatur.

Primus eorum est, qui nihil in Eucharistia præter vacuum signum admittentes, negant realem Christi præsentiam: unde *Sacramentarii* vulgo dicuntur.

Secundus est illorum, qui cum realem præsentiam propugnent, substantiam tamen panis & vini commixtim cum carne & Sanguine Christi manere in Sacramento contendunt: iisque *impanatorum* aut *consubstantiatorum* inditum nomen.

Duplici hæresi confutandæ totidem impendemus sectiones: in 1 realem præsentiam, in 2 transubstantiationem vindicaturi. Unde sit

SECTIO PRIMA.

Defenditur contra Sacramentarios realis Christi præsentia.

Atque ut ne quid eorum quæ necessaria videri possint, in quæstione omnium gravissima prætermittamus, expendemus,

1. An præscriptione possit realis præsentia asseri?
2. Utrum ex Scriptura?
3. Quid de eadem re traditio doceat?
4. Habeat ne aliquid præsentiæ realis mysterium cum sana ratione pugnans?

Sit itaque

CAPUT PRIMUM.

Utrum præscriptione possit realis Christi præsentia demonstrari?

PRæscriptio, quod sæpe monuimus, prout a Theologis sumitur publica est, constans, perpetua, & numquam interrupta omnium Ecclesiarum ab Apostolicis temporibus in doctrinam aliquam conspiratio, qua novam quamlibet, emergentem in contrarium hæresim, necessario vinci oportet & concuti: consensio enim, perpetuitas, & universalitas, genuini veritatis sunt characteres, nisi velimus, (quod esset cogitatu nefarium) ab ipso Christo in Apostolos, & ab Apostolis in Ecclesias a se fundatas errorem manasse: *Quod apud multos unum invenitur*, ait sæpe laudatus Tertullianus, (*de præscript. cap.* 28) *non est erratum, sed traditum.*

Jam vero ut hoc argumentum perspicue proponamus, quæstionis status aperiendus: convenit inter omnes qui Christiano nomine gloriantur, Christum pridie quam pateretur, Corporis & Sanguinis sui Sacramentum instituisse, quando nimirum acceptum panem & vinum benedicendo dedit discipulis suis, & dixit: *Accipite & comedite: hoc est corpus meum: hic est calix sanguinis mei* &c.

Quæstio est, qua ratione debeant hæc ejus verba intelligi? *Catholici* pro sensu reali, *Sacramentarii* pro figurato & metaphorico dimicant: cumque non possit inter extremas illas sententias quedam media reperiri: consequens est, alterutros decipi, & in periculo omnium maximo æternæ damnationis versari. Hoc posito sit

§. PRI-

§. PRIMUS.

Realis Christi in Eucharistiæ Sacramento præsentia præscriptione invictissime demonstratur.

Nono sæculo mali ominis homo *Scotus Erigena* in Hybernia natus, primus omnium contra universalis Ecclesiæ sensum, cœpit in verbis Christi sensum figuratum excogitare: hocque fuit infaustæ Sacramentariorum sectæ primordium, nisi volumus a *Marcionitis*, *Valentinianis*, *Manichæis*, cæterisque furfuris ejusdem Hæreticis natales ejus repetere: illi enim cum verbum vere incarnatum negarent, & a Christo prætenderent phantasticum corpus assumptum, consequens erat, ut in Eucharistia nec verum ejus sanguinem nec veram carnem admitterent: *Scotus*, quoad vixit, nullum quem stultitiæ suæ hæredem scriberet discipulum nactus est; itaque in tenebris sacrilega opinio jacuit: aut a paucis certe clanculum propugnata est, donec undecimo sæculo, a *Berengario* natione Gallo, Patria Turonensi, & Ecclesiæ Andegavensis Archidiacono denuo excitata recruduit: ille, habitis in Italia, Gallia, diversisque Provinciis Episcoporum numerosis & Sanctis Conciliis sæpe damnatus & ad ejurandum errorem juridica auctoritate compulsus est: prostratam hæresim & per omnes occidentis partes abominatam sæculo 16 Sacramentarii suscitarunt, & omni qua potuerunt industria propagare enixi sunt: his ex historia breviter prænotatis, sic argumentor:

Quando Berengarius 11 sæculo in sensum metaphoricum flectere verba Christi aggressus est, tota ubique Orientis & Occidentis Ecclesia, quod modo profitemur realis præsentiæ dogma, tamquam thesaurum domesticum divina hæreditate acceptum servabat; in eumdem pariter sensum Latini & Græci sæculo 16 conveniebant, quo Calvinus aliique Sacramentarii Ecclesiam devastare moliebantur; atqui fides quam 11, & 16 sæculo Ecclesia tuebatur, omnium temporum fides est, ita ut impossibile sit, aliquam in hac parte contigisse mutationem; ergo realis præsentiæ dogma ad fidem Catholicam pertinet.

Probatio 1 Propositionis.

Utramque argumenti partem e re nostra est demonstrare.

Ad Berengarii ætatem quod pertinet,

1. Observatione dignissimum est, adversarios sæpissime licet provocatos, ne unum quidem proferre hactenus potuisse undecimi sæculi scriptorem, qui Berengario ad convellendam aut minuendam realis præsentiæ fidem præiverit.

2. Summo omnium Occidentis Ecclesiarum consensu, nemineque ex parte Orientis contradicente, sæpe habitis Romæ, Vercellis apud Turones, & in diversis aliis locis Episcoporum conventibus, Berengari doctrina proscripta est, & severissimis notis inusta.

3. Qui 11 sæculo contra illum scripserunt, una omnes voce testantur, unam omnium Ecclesiarum fuisse sententiam, Christum realiter in Eucharistia esse præsentem: porro quando de historico facto contenditur, pro vero & indubitato illud tenendum, quod consensu unanimi traditum a coætaneis scriptoribus reperitur: hos enim nemo dixerit, contra fidem publicam aut fallere voluisse, aut potuisse decipi: præsertim si ejusdem temporis nemo occurrat qui contradixerit, eosque ignorantiæ aut malæ fidei redarguerit.

Quod vero ad tempus Calvini spectat, nulla difficultas est: ea enim ætate Latinam Ecclesiam dogma realis præsentiæ tenuisse, si quis ambigeret, vel ipsis testibus Calvinistis dubium omne cessaret: nam illi præter cæteras accusationes, quibus Romanam, hoc est, Catholicam Ecclesiam onerabant, hoc ei crimen omnium atrocissimum opponebant, quod relicto veri Dei cultu panemque & vinum pro numine adorando, in insanam superstitionem & turpissimam idololatriam incidisset.

Eamdemque Græcorum omnium & Orientalium ea ætate fuisse fidem, certissimis argumentis contra pseudo-ministri *Claudii*, *Jurieu*, aliorumque protestantium criminationes, est a Catholicis scriptoribus demonstratum: publicata ab iis certa & minime dubia monumenta, orientalium confessionem tanto lumine attestantia, nihil ut in hac materia desiderari amplius possit: ostensum denique & in omnium oculis positum, in hanc fidem conspirare omnes Constantinopolitanos, Alexandrinos, Antiochenos, Hierosolymitanos, quibus universa Orientis Ecclesia continetur, nullumque in hac parte, Maronitas inter, Armenos, Syros, Jacobitas, Nestorianos, Eutychianos, Catholicos, Hæreticos, ac Schismaticos esse discrimen: hoc sane fuit, & est etiamnum Ecclesiæ in tanta malorum quibus vexata est, acerbitate solatium, quod medias inter Schismatum Hæresumque procellas, quæ orientem pene totum immerserunt, pleræque Catholicæ veritates, ipsaque nominatim præsentiæ realis doctrina, incolumes steterint; & a Græcis & cæteris Patriarchatuum Orientalium Christianis, fuerint hactenus

Z 2 cum

cum Romana Ecclesia, summa consensione defensæ.

Probatio alterius propositionis.

Aggredimur ad alteram ejusdem argumenti partem quæ sic erat; atqui fides quam Ecclesiæ 11 & 16 sæculo propugnabat, fuit fides omnium temporum: ita ut impossibile sit, aliquam in hac re contigisse mutationem: nam mutatio hæc vel statim & repentina omnium subversione contigisset: vel paulatim, labente tempore, in Ecclesiam irrepsisset: neutrum porro dici potest.

Non primum; quis enim in animum inducat, mortalium omnium tantam fuisse inconstantiam & mobilitatem: ut uno omnes momento deserta antiqua fide errorem hactenus inauditum susceperint? quis hoc sibi facile persuadeat, Ecclesiam universam cum certa quadam die Calviniana obdormisset, paucis post horis e somno evigilasse Catholicam: ita ut apud Episcopos, Pastores, Sacerdotes, doctos, indoctos, plebejos, nobiles, viros ac mulieres, prioris doctrinæ memoria, & nec vestigium quidem remanserit? sane si cum aliquo disputare contingeret, cui tam prodigiosum paradoxum tantulum arrideret: hujusmodi hominem non argumentis vincendum, sed castigandum verberibus vel medicandum Elleboro censeremus.

Sed nec alteram sana ratio patitur: scilicet hanc mutationem lento gradu, & progressu temporis contigisse: nam iis ferme gradibus error grassatur & proficit:

1. Industria alicujus doctrinæ fama spectabilis in publicum spargitur, nec sine metu ac pudore; novitatem enim omnem, comes individua verecundia sequitur, præsertim si de re divina agatur.

2. Statim atque lucem aspexit, multos hinc inde adversarios concitat novitatis impatientes, & ad expugnationem falsorum dogmatum pro officio semper paratos.

3. Confossus licet telis veritatis, contra quæ malitia hominum & deceptio nihil potest, audax tamen pertinaxque subsistit, omnique Technarum & cavillationum genere in subsidium advocato, triumphum canit, & quasi obtenta victoria gloriatur.

4. Paulatim ut cancer serpens insinuat sese in animos leniter, dolis & machinationes connectit, magnatum, virorumque principum, eorum passionibus inserviendo, favorem ambit, ut quod divina non potest, humana consequatur auctoritate, qui primum cum pudore prodiit: de fraudibus jam suis astutiisque non erubescit: immo de hoc solo erubesceret, si non ad cumulum impudentis præfidentiæ perveniret; adeo difficile homini est revocare gradum, & semel approbatas opiniones, quantumvis veritati contrarias cum candore rejicere!

5. Ut magna pars hominum faciles novitati aures accommodat, placere incipit multis, vel hoc ipso nomine quod novitatem & nescio quam plausibilitatem attentat; crescit in dies perfidia, viresque acquirit eundo: ac demum quasi impetu facto in plebem ipsam irruit, & plerosque ex omni genere inficit.

Hoc posito, quod Calvinistas non negaturos confidimus, sic prosequor argumentum:

Atqui dici a Sacramentariis non potest, quis omnium primus suo periculo contra antiquam, quam tantopere venditat, sensus figurati fidem, novam (ut eorum verbis utar) præsentiæ realis opinionem obtruserit: a quo primum fuerit novitium dogma impugnatum: quos patronos repererit, quibus artibus omnium pervaserit animos, quandonam denique exterminato Catholico dogmate, in orbis universi provinciis prævaluerit: itane vero putabimus, fuisse præteritorum temporum historicos negligentes, ut hujus tam execrandi Hæresiarchæ nec libros, nec fragmenta, nec patriam, nec statum, & nec nomen quidem memoriæ posteritatis commendare curaverint? ita ne extinctam hominum fidem, ut omnes sine exceptione in tam horrendam idololatriam, qualis esset Eucharistiæ cultus, nisi Christum realiter contineret, nemine repugnante consenserint? ita ne reconciliatos secum invicem Catholicos, Hæreticos, Schismaticos, Latinos, Græcos, Alexandrinos, Antiochenos, Constantinopolitanos &c. quos nemo nescit diversissimis distractos religionibus, æternisque dissidiis exacerbatos, ut propter unius auctoritatem, id quod ante negabant, quodque omnium creditu difficillimum est, ultro citroque crediderint, Christum scilicet in Eucharistia realiter esse præsentem? nullumque interea Prophetam aut legis Doctorem divinitus excitatum, qui orbi excæcato oculos aperiret, & laboranti Ecclesiæ opitularetur, ne contra Sp. Sancti oraculum, adversus illam portæ inferi prævalerent?

Persuadere hæc forte, tyrannico quod usurparunt magisterio poterunt Evangelii pseudoreformatores, miseræ plebi quam more pecudum ducunt quocumque volunt, & una secum in æternam perniciem trahunt: cordatis vero & ingenuis veritatis amatoribus numquam (sic in Deo confidimus) approbabunt: igitur a primo ad ultimum sequitur, præsentiam realem Christi in Eucharistiam, dogma esse ex præscriptione certissimum.

Eo-

Eoque debet hoc argumentum unicuique Catholico validius esse, quod nihil tale Hæretici in sui defensionem afferre possint: vis enim præscriptionis in antiquitate, universalitate, & consensione tota consistit: porro Sacramentarii nudius tertius nati, sibique ipsis suæ anctores originis, nec de antiquitate gloriari possunt, unde se nefario schismate præsciderunt, nec de universalitate, quippe qui contra omnes vexillum erexerint: unde iterum sequitur, quod suam cum cæteris jactare consensionem nulla ratione queant, atque adeo desertæ veritatis manifestissime convincantur: *Constat enim*, inquit apposite Tertullianus (*de præscrip. c.* 2) *omnem doctrinam quæ cum Ecclesiis Apostolicis, matricibus, & originalibus fidei conspiret, veritati deputandam, sine dubio tenentem quod Ecclesia ab Apostolis, Apostoli a Christo, Christus a Deo accepit: omnem vero doctrinam de mendacio præjudicandam, quæ sapit contra veritatem Ecclesiarum, & Apostolorum, & Christi, & Dei . . . . .* & alibi: (*cont. Marcion. l.* 4, *cap.* 4) *constat id esse verius, quod prius, id prius, quod & ab initio, id ab initio, quod ab Apostolis: pariter utique constabit, id esse ab Apostolis traditum, quod apud Ecclesias Apostolorum fuerit Sacrosanctum*: hinc est quod idem Tertullianus ad Ecclesias Apostolicas velut ad certissimum cognoscendæ veritatis criterium perpetuo provocet: *Age jam*, inquit, (*de præscript. cap.* 36) *qui voles curiositatem melius exercere in negotio salutis tuæ: percurre Ecclesias Apostolicas apud quas ipsæ authenticæ litteræ eorum recitantur, sonantes vocem & repræsentantes formam uniuscujusque: proxima est tibi Achaja? habes Corinthum: si non longe es a Macedonia, habes Philippos, habes Thessalonicenses: si potes in Asiam tendere, habes Ephesum: si autem Italiæ adjaces, habes Romam, unde nobis quoque auctoritas præsto est: ista quam fœlix Ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine profuderunt!* Istud autem experimentum qui quæso Calviniani facerent quorum in confusione ipsorum gloria est, in eo nimirum quod se ab omnibus Ecclesiis separaverint?

§. SECUNDUS.

Sacramentariorum cavilli & mendacia refutantur.

Quod etsi sit ad ora Protestantium obstruenda plene absoluteque sufficiens, ne videantur tamen causæ deploratæ indiserti esse patroni, nituntur tam apertam veritatem vanis cavillationibus obscurare.

Cur enim, inquiunt, quod in plerisque aliis contigit, accidisse circa mysterium Eucharistiæ repugnaret? atqui multa alia ad religionem spectantia, sensim sine sensu, furtimque progrediente contraria doctrina mutata sunt: sic, ut e minimis pauca exempla ponantur:

1. Sirmondo teste, & quibusdam aliis Romanæ communionis scriptoribus affirmantibus, ad 9 usque sæculum fermentato pane ad Eucharistiam consecrandam Latina Ecclesia usa est; atqui morem hunc 10 sæculo nemine reclamante, imo nec forte cogitante mutavit; atque ita deinceps usus azimorum casu inopino nullaque prævia deliberatione inductus invaluit, ut a sacrificio Latinorum fermentum immisericorditer exclusum fuerit, peneque sacrilegus haberetur qui præsumeret aliter quam in azimo sacrum facere.

2. Ea majorum fuit in abstinentiæ observatione religio, ut jejunium ad occasum usque solis magno pietatis exemplo protraherent: hæc vero consuetudo paucis ab hinc sæculis, paulatim decrescente fervore, ita evanuit, nullum ut antiqui rigoris vestigium maneat: ecquis vero legitur gliscenti novitati, pro vetustate certando, viriliter obstitisse?

3. Per 12 priora sæcula communio sub utraque specie, non pro Sacerdotibus tantum, sed & pro utriusque sexus Laicis viguit, nec illis tantum indulgenter concessa, sed & interdum ab Ecclesiæ Pastoribus graviter imperata: postmodum vero sic lex antiqua abolita est; ut decreto plane contrario Laicos sub una tantum specie debere communicare sancitum sit: hujus vero mutationis auctores, primosque propagatores frustra requiras.

4. Denique, (ut multa alia omittamus) prioribus sæculis fideles ab omni imaginum cultu, tamquam a ritu superstitioso summopere, consentaneeque legi Domini adhorrebant: paulatim vero irrepsit consuetudo contraria, probataque est, nec Pastoribus repugnantibus nec contradicentibus populis: tantaque contigit in hac parte doctrinæ diversitas, ut cum olim a majoribus diceretur: (*Conc. Eliberit. can.* 20) *Placuit picturas in Ecclesia esse non debere*: non ita pridem Concilii Trid. decreto sancitum sit, (*sess.* 24, *in decr. de sacris imaginibus*) *imagines Christi, Deiparæ virginis, & aliorum Sanctorum, in templis præsertim habendas & retinendas*. Potuit ergo pariter circa fidem Eucharistiæ eadem mutatio evenire.

℞. Hæc aliaque id genus ab heterodoxis frustra jactari, nullaque ratione vim argumenti a præscriptione petiti minuere: quæ enim afferuntur exempla mutationum, præterquam quod majori ex parte falsa sunt, ad præsentem de Eucharistia controversiam omnino nil faciunt. Nam

1. De

1. De earum rerum numero sunt, quæ spectant ad disciplinam : cum e contrario realis præsentiæ dogma ad fidem pertineat : illud porro discrimen est disciplinam inter & fidem : quod fides universalis & invariabilis sit, disciplina e contrario neque eadem ubique vigeat, nec sit expers mutationis : hinc disciplina non inde mala probatur, quod nova sit : fides e contra hoc ipso quod nova est, seipsam arguit falsitatis : disciplina nova non damnat antiquam : fides nova antiqui dogmatis proscriptio est ; disciplina cum a locorum, temporumque circumstantiis pendeat, mutationis sæpe legitimas habet causas, adeoque de sua novitate non erubescit : fides cum Christum auctorem habeat, præcones Apostolos, & pro schola Ecclesiam universam, nullisque locorum ac temporum limitibus coarctetur, omnem necessario refugit abhorretque novitatem : nihil itaque mirum, si disciplina aliquando nemine contradicente mutata sit : immo nec mirum adeo foret, si harum mutationum quando contigerint, certas historia Epochas non notasset : in iis enim quæ præcipua non putabantur, Ecclesiasticis scriptoribus licuit esse negligentes ; at vero fidem omnium gentium, in summo omnium capite consentientibus ubique terrarum populis, silente turba universa pastorum, mutari similiter potuisse, hujusque tam prodigiosæ subversionis nec minimam mentionem, & ne levissimum quidem in monumentis veteribus vestigium superesse : est illud porro tum impossibile, quia promissioni divinæ contrarium : tum prorsus incredibile, quia ab hominum more alienissimum.

2. Hoc maxime vitio laborat propositum a Sacramentariis argumentum, quod ex re notissima quam nemo negat, illud perperam inferant, quod non dubium modo, sed & falsissimum esse contendimus ; ideo enim multos in Ecclesia mutatos ritus fatemur, quia quo tempore, qua occasione, quibus auctoribus, quibus exordiis, quo progressu novi inducti fuerint, certo historia suggerit : unde si credi sibi vellent hæretici, quando fidem de mysterio Eucharistiæ pariter mutatam affirmant, deberent similibus testimoniis hanc assertionem adstruere : quod cum hactenus nec fecerint, nec potuerint, ex suis importunis clamoribus quid aliud nisi mendacii & imposturæ laudem reportant ?

3. Mutatio in fide Eucharistiæ si aliqua contigisset, universalis fuisset, orientem enim non secus ac occidentem contaminasset : quæ vero opponuntur mutationes, universales non sunt.

Quod enim ad panes azimos spectat, certum est Græcos & Orientales more contrario eodemque antiquissimo, etiamnum, probante Latina Ecclesia, in fermentato Eucharistiam facere, nec minus certum est, azimos in Latina Ecclesia, ab ævo quam Sirmondus putavit, antiquiore, Græcis pariter non improbantibus, obtinere : itaque exemplum illud præterquam quod est a præsenti controversia alienum, convincens præbet & ineluctabile contra Sacramentarios argumentum, quod sic propono : Græci Latinique quamquam in ritu panis offerendi diversum habeant morem, pariter tamen sentiunt, consecratione facta, sub elementorum speciebus vere & realiter Christum esse præsentem, pariter adorant, contradicentium Sacramentariorum impietatem pariter damnant, intentatam novitatis accusationem pariter rident, seseque conjunctis viribus, antiquitatis, consensionis, universalitatis inexpugnabili muro tuentur ; ergo summa hæc Græcorum cum Latinis, fidei, in rituum diversitate consensio, Calvinismi profligatio plenaque convictio est.

Alterum de jejunio exemplum ejusdem est sortis : constat enim in Orientis Ecclesiis etiam nostra ætate vigere rigorem antiquum : in Occidente vero, nullo canone, nullo Patrum decreto abrogatum : equidem hominum infirmitati a sæculo 14 indultum, ut cœna quæ ante hac ad vesperam usque differebatur, in prandium meridianum commutaretur, vespertinis vero horis brevis cœnula fieret : verum hæc, ut prædixi, mera indulgentia, non legis rescissio fuit : idem enim priscæ severitatis spiritus hodieque perseverat : quod multis ostendere exemplis facile foret, nisi esset alterius temporis illa disputatio : legat cui libuerit *Thomassini* de jejunio librum : *Natalem Alexandrum*, Historiæ Ecclesiasticæ sæculi 2 dissertatione 4, & alios nostræ & præcedentium ætatum scriptores.

Ad 3. de Communione sub utraque specie quæstione octava dicturi sumus : interim diluendæ objectioni sat erit advertere :

1 Communionem sub specie panis, & vini, generali lege, quæque nullam pateretur exceptionem, numquam fuisse præceptam : hoc enim quando affirmant Hæretici, more suo mentiuntur.

2. Universaliter in Latina Ecclesia abrogatam non esse, cum multi orientis populi Romanæ Ecclesiæ Communione conjuncti, in utraque specie scientibus probantibusque Latinis communicent.

3. Jure suo fecisse Ecclesiam quando usu calicis Laicos interdixit : quod erit alibi fusius demonstrandum.

Superest ad plenam argumenti refutationem, exemplum imaginum, quod nullius momenti est : negamus enim ullam in hac re, quantum ad

ad dogma contigisse mutationem; quod ut intelligas, nota, in imaginibus duo esse distinguenda, cultum, & rationem cultus: de cultu quidem tenuit semper Ecclesia, Religiosum esse & pium: tum quia refertur ad Sanctos, viva scilicet Dei templa, quæ venerari & colere, solus impius dicet esse peccatum: tum quia ad Deum totius sanctitatis fontem refertur; nec probabunt unquam hæretici, aliquid in hac parte ab Ecclesia immutatum.

Quantum vero ad rationem cultus, in eo positam ut Sanctorum imagines in templis depictæ compareant, & subjiciantur fidelium oculis: quia hic ritus ad disciplinam pertinet, mutationi obnoxius fuit, iis maxime temporibus quibus idololatria & persecutio grassabantur: periculum namque erat, ne imagines scandalo, aut prophanationi, aut superstitioni locum præberent: quid vero mutatio hæc cum dogmate præsentiæ realis commune habeat, non videmus.

Atque ita ad primum argumentum responsum est, quod ultro siluissemus, nisi esset animus vanas hæreticorum argutias propalare.

Inst. 1. in rebus etiam ad fidem pertinentibus, aut quæ pertinere putabantur, enormis mutatio, eaque insensibilis contigit: idemergo pariter circa Eucharistiæ Sacramentum accidere potuit: ita ut cum antehac, pura Christi florente doctrina ubique crederetur, panem & vinum meras corporis ejus & sanguinis figuras esse, postea dæmonis artibus, ac si Christum ipsum realiter contineret, cœperit adorari.

Prob. subs. variis exemplis.

1. Episcopatum quatenus a simplici presbyteratu distinguitur, divinitus esse institutum, articulis fidei in Ecclesia Romana annumeratur: *Si quis dixerit*, inquiunt Trid. Patres (*sess.* 23, *can.* 6) *in Ecclesia Catholica non esse Hierarchiam divina ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis, presbyteris, & ministris: anathema sit* . . . (*ib. can.* 7) *Si quis dixerit, Episcopos non esse presbyteris superiores . . . anathema sit*; atqui non ea fuit primorum temporum fides: in ipsis enim Evangelii primordiis unum idemque erat esse Episcopum ac presbyterum; deinceps vero eos qui modo dicuntur Episcopi supra simplices presbyteros, vel ambitio, vel vitandi schismatis, vel alia quævis ratio extulit; illudque quo primum tempore contigerit, quandoquidem obscurissima quæstio est, nemo poterit certo definire. Ergo &c.

2. Preces Ecclesiæ, ipsumque missæ sacrificium pro subsidio defunctorum offerri posse, res est hodie Catholicorum opinione certissima, contra quam sine hæreseos nota pugnari non potest: *Si quis dixerit*, ait Trid. Concilium (*sess.* 22, *can.* 3) *missæ sacrificium, tantum esse laudis & gratiarum actionis . . . . non autem propitiatorium . . . neque pro vivis & defunctis, pro peccatis, pœnis, satisfactionibus, aut aliis necessitatibus offerri debere; anathema sit*; atqui sententiam hanc, & dictum eam negantibus anathema prisca ætas non noverat: paulatim ergo in Ecclesiam & sensim sine sensu invecta est.

3. Nihil est magis Evangelicæ doctrinę contrarium quam ciborum facere delectum, eorumque aliquos interdicere: *Spiritus manifeste dicit*, inquiebat Apostolus, futuram aliquando superstitionem prævidens atque condemnans, (1 *Timot.* 4, 1 & *seq.*) *quia in novissimis temporibus discedent quidam a fide, attendentes spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum, in hypocrisi loquentium mendacium . . . . prohibentium nubere, abstinere a cibis quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, & iis qui cognoverunt veritatem; quia omnis creatura Dei bona est, & nihil rejiciendum quod cum gratiarum actione percipitur*; atqui diebus jejunii certis esse cibis abstinendum generali Ecclesię lege, contra Christi, & Apostolorum doctrinam sancitum est, tantumque superstitio prævaluit, ut quam S. Paulus doctrinam dæmoniorum appellat, pro veritate Catholici habeant, & quod dixit Christus, (*Matth.* 15, 11) *quod intrat in os, hominem non coinquinare*, hæresibus annumerent. Ergo &c.

4. Solum Deum esse colendum, unumque esse mediatorem Dei & hominum, Deum hominem Jesum Christum, doctrina est in Religione præcipua, quam si sustuleris, religionem ipsam funditus tollis; *Non habebis Deos alienos coram me*, inquit ipse in Exodo; (*c.* 20, *v.* 3) & alibi; (*Ps.* 80, *v.* 10) *non erit in te Deus recens, neque adorabis Deum alienum; ego enim sum Dominus Deus tuus*; Apostolus vero de Christo loquens; (*Rom.* 3, 25) *ipsum*, inquit, *proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem justitiæ suæ, propter remissionem præcedentium delictorum . . . . unus Deus, unus & mediator Dei & hominum homo Christus Jesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus*; (1 *Tim.* 2, 5) atqui longum tempus est, quod hęc doctrina tam sancta, tam consentanea pietati ignominiose ab Ecclesiæ finibus pulsa est: quo auctore aut suasore nescitur: hoc certo scitur, in ejus locum idololatriam introductam: tot enim pene Catholici idola colunt quot sibi apud Deum patronos intercessoresque conciliant Sanctorum Reliquias quasi nimirum aliquid divi æ virtutis haberent, pro numinibus veneran-

rantur: porro hæc species idololatriæ, non postrema est, spem salutis auxiliique ponere in alio præter Deum: *Maledictus enim homo*, ait per Jeremiam Sp. Sanctus, (*Jer. c. 17, v. 5*) *qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum; & a Domino recedit cor ejus*; quod itaque pariter antiquam de Eucharistia fidem nova præsentiæ realis doctrina corrupe-rit; dolendum hoc quidem, non tamen adeo mirum est.

℟. Nego subs. ad probat. dico Hæreticos his exemplis quæ tanto studio congerunt, non nobis sed sibimet plurimum nocere, suamque contra veritatem præsentiæ realis perfidiam impudentia incredibili cumulare. Quando enim affirmant doctrinam de Episcoporum supra Presbyteros eminentia, de sacrificio pro mortuis offerendo, de cibis in observando jejunio deligendis, de invocatione Sanctorum, & observantia reliquiarum, novam in Ecclesia esse, paulatimque dormitantibus Pastoribus, neminemque advertente introductam, narrant prodigium incredibile, sibique ipsis oculos eruunt, ne videant veritatem.

1. Episcopos esse jure divino simplicibus Prebyteris, dignitate & potestate superiores, veritas est divina & Apostolica traditione certissima. Constat enim ex indubitatis primorum temporum monumentis, in singulis Ecclesiis, Apostolica ipsa ætate, Episcopos ordinatos. Primum urbs Hierusalem habuit S. Jacobum, secundum Simonem filium Cleophæ, ab Apostolis institutos: habuit suos Antiochena, & Romana, & Alexandrina pariter habuit, quorum Catalogos S. Irenæus, Tertullianus, Eusebius, & alii Scriptores Ecclesiastici texuerunt. Quanto supra Presbyteros loco haberi Episcopus debeat, apertissime suis litteris prædicat S. Ignatius martyr, Apostolici ævi & animi Doctor. Sic in Ep. ad *Magnesianos*: *hortor vos*, inquit, *in Dei concordia omnia agere, Episcopo præsidente Dei loco, & Presbyteris loco Senatus Apostolici*. Quorum similia sæpe inculcat: eademque omnium omni ætate sententia fuit, quam quia sumus libro 8 contra *Blondelli*, aliorumque argutias vindicaturi, in præsenti fusius explicare inutile foret.

2. Pro fidelibus defunctis, nedumque plene expiatis legitime Eucharisticum sacrificium fieri, eamque veritatem in sacris litteris & traditionibus esse fundatam, libro sequ. de Sacrificio Eucharistico contra Neotericos ostensuri sumus: (*q. 7, c. 1, §. 3*) eo itaque studiosum Lectorem remittimus.

Ad 3 fateor, nihil magis cum veritate Evangelii pugnare, quam cibos aliquos, velut natura sua malos, *Montanistarum*, *Encratitarum*, *Manichæorumque* sententia interdicere. Illi enim putabant, vel non omnem Dei creaturam esse bonam, vel aliquam esse creaturam, non a Deo sed a diabolo conditam: hocque principio posito, in ciborum delectum nefandis superstitionibus indulgebant; sed nego esse contrarium Evangelio, a cibis aliquibus ad corpus affligendum ac macerandum in jejuniorum observantia abstinere. Imo contendo doctrinam hanc plene Evangelio consentire, quod ubique annuntiat mortificationem Jesu Christi a nobis etiam in corpore esse circumferendam. Nec alia mens Ecclesiæ fuit, quando legem jejuniorum, cum abstinentia a cibis delicatioribus voluit esse conjunctam. Jam quod ex Apostolo testimonium afferunt contra nos nil omnino facit: eorum enim hoc loco prædicit impietatem, qui contra Deum & creaturam ejus blasphemi futuri erant; causantes aliquam Dei creaturam non esse bonam. Unde eos merito hypocrisis, & doctrinæ dæmoniorum, & mendacii arguit. Nam si his verbis Apostolus eos voluit reprehendere, qui ciborum quorumdam in jejunio usum prohibituri prævidebantur, non jam aliquos, sed omnes a fide discessuros, debuit prænuntiare, quia non Romani tantum, sed & Græci, & Armeni, & Jacobitæ, & Nestoriani, & Copti, & Æthiopes & omnium deuique gentium Christiani, in hanc sententiam ab omnibus retro sæculis consenserunt. Unde necesse est Calvinianos, si congrue suo dogmati loqui velint, judicio horribili affirmare, Christianos omnes statim ab initio ad 16 usque sæculum, Apostatas, ministros diaboli, hypocritas, & mendacii assertores fuisse; quod consectarium quia non horrent, ideo bonorum omnium execrationem incurrunt.

Ad 4. concessa maj. nego min. & dico Sanctorum cultum, & reliquiarum venerationem, nihil supremo cultui soli Deo debito, & mediationi Christi habere contrarium: nec enim sanctis aut eorum reliquiis latriam & adorationem impendimus, nec aliam in eis præter quam a Deo acceperunt virtutem agnoscimus, nec facimus ullam Christi propitiationi injuriam, cum e contrario quidquid eorum intercessione petimus, meritis Jesu Christi impetrandum, nec aliter, confidamus. Unde orationes omnes quas sanctorum implorando auxilium ad Deum Ecclesia dirigit, hac clausula finit: *per Dominum nostrum Jesum Christum &c.* Quod argumentum convincens est, nos non in homine confidere, nec in carne ponere brachium nostrum, nec a Domino recedere, cum ex adverso in eo solo spem omnem nostram locemus, & in solo Dei adjutorio habitemus. Jam quod ajunt Sancto-

ctorum cultum, non a Christo, nec ab Apostolis institutum, sed in pejus ruente ætate susceptum, quia antiquis Lyturgiis, SS. Patrum testimoniis, Conciliorum definitionibus, omnium denique populorum consensui contradicit, refutatione non indiget: satisque nobis est in præsenti Sacramentarios impudentiæ postulare, & totius Ecclesiæ oraculo redarguere. Frustra itaque ad hæc exempla confugiunt, ut possibilitatem mutationis insensibilis circa fidem Eucharistiæ adstruant.

Inst. 2. Atqui certa ratione probari potest, quandonam & a quibus vulgari primum tum in Oriente tum in Occidente cœperit error realis præsentiæ. Ergo &c.

Prob. subs. De Ecclesia Orientali. Primis sæculis, inquiunt, communis sententia fuit, Christum non esse in Eucharistia nisi figurate. Hinc Patres illam appellant, signum, Sacramentum, imaginem, figuram Corporis Christi: eaque omnium animis fides hæsit, donec *Anastasius* Montis Sinai Monachus anno circiter 635 posuit contrarii dogmatis fundamenta: scripsit ille librum, cui titulus: *Fidei Dux;* in quo primus omnium dicere ausus est, Jesum Christum in Eucharistia realiter contineri. Arrisit vocis ac Doctrinæ novitas *Epiphanio* Diacono, & ab illo in 2 Nicæna Synodo divulgata: hæcque prima origo fuit sententiæ de reali præsentia quam modo propugnant.

De Occidentali vero, pari fiducia asserunt, Caroli Magni temporibus, 8 nimirum sæculo, *Anastasii*, aliorumque Græcorum errorem in Latinam Ecclesiam irrupisse, & a Patribus Francofordiensis Concilii per summam ignorantiam approbatum: quam si quis vanam esse conjecturam respondeat, non desunt ut quidem putant, alia ad hoc ipsum adstruendum monimenta. Sic vero statuunt:

Prioribus sæculi quæ Orientalium eadem Occidentalium fides fuit, Eucharistiam nihil aliud esse nisi Corporis Christi figuram: donec ineunte sæculo 9 *Paschasius Ratbertus* Corbejensis, in Gallia, Monasterii primum Monachus, deinde Abbas, doctrinam præsentiæ realis invexit, in libro cui titulum dedit, *de Corpore & Sanguine Domini*. Quamobrem a multis quidem reprehensus, sed ab aliis longe pluribus plausu magno & immodica, ut in similibus sæpe fit, laude est exceptus: donec exundante in Ecclesiam scelere & ignorantia, omnium pene animos error invasit, tamque altas radices egit, ut non multo post, 11, scilicet sæculo *Berengarius*, qui tentabat priscam fidem postliminio revocare, fuerit tamquam hæreticus & proditor veritatis ubique damnatus. Ergo probari certa ratione potest, quandonam & a quibus tum in Oriente tum in Occidente vulgaris error realis præsentiæ ceperit.

℟. nego subs. ad probat. dico, quot in hoc argumento verba, totidem pene mendacia contineri: sane si confidenter aliquid affirmare, idem ac probare esset, Sacramentariis foret victoria concedenda: ejus enim quam præferunt ad unum quodlibet, sine testimonio, sine probatione, sine judicio asseverandum impudentiæ, vix alibi exemplum reperias.

1. Falsissimum est, Græcos antiquis temporibus admisisse Sacramentariorum in Eucharistia sensum figuratum. Nam quod Eucharistiam dixerint esse signum, figuram, imaginem Christi, nihil hinc eruere adversarii poterunt, nisi simul ostendant Patres his vocibus realem præsentiam exclusisse: quod certe numquam obtinebunt. Hæc enim duo bene conveniunt, & ab omnibus Catholicis ultro admittuntur, quod Eucharistia secundum partem interiorem Corpus Christi vere realiterque contineat; & quod secundum partem externam, ejusdem corporis imago sit & figura. Verum de hac difficultate 3 cap. fusius, ubi Patrum sententias expendemus.

3. Nec minus falsum est quod ajunt, ab *Anastasio* antiquam Orientis de Eucharistia fidem primum esse corruptam: in libro namque laudato, c. 23, Eutychianos Gajanitas dictos redarguit, quorum error proprius erat, Corpus Christi ab ipso Hypostaticæ unionis exordio fuisse incorruptibile. Quod pravum dogma inito cum Gajanita quodam certamine ita refutat: *dic mihi*, inquit, *si Corpus Christi non secus ac divinitas ab ipso unionis exordio immortalitatem habet: communio Sacratissimi Corporis & Sanguinis Christi quam offers & participas, numquid vere est verum Corpus & Sanguis Christi Filii Dei, vel nudus panis qualis ostiatim venditur, vel vicem duntaxat & figuram gerit Corporis Christi, ut sacrificium hirci quod Judæi offerunt?*

Respondet Gajanita: *absit ut dicamus, sacram communionem esse tantum figuram Corporis Christi, aut nudum panem: sed ipsum Corpus & Sanguinem Christi Filii Dei Incarnati; & ex Sanctissima Deipara & semper Vergine Maria nati, vere accipimus.*

Responsionem laudat & approbat Orthodoxorum nomine Anastasius: *sic credimus*, inquit, *& confitemur, juxta dictum Christi ad Discipulos, in cœna mystica dantis illis vivificum panem*: accipite, hoc est Corpus meum: hic est Sanguis meus .... *cum igitur ipse Christus fateatur, vere esse Corpus suum & Sanguinem, quem nos fideles sumimus: agedum, affer nobis aliquid ex communione vestræ Ec-*

cle-

clesiæ . . . . & in vase cum omni honore & reverentia reponemus hoc sanctum Corpus Christi & Sanguinem: & si intra paucos dies non corrumpatur, aut immutetur, aut alteretur, planum fiet vos recte asserere Corpus Christi penitus ab ipso Incarnationis exordio corruptionis expers esse. Si vero corrumpatur aut immutetur, necessarium erit ut unum e duobus fateamini, aut id quod sumitis non esse verum Corpus Christi, sed solam figuram. . . . aut Corpus Christi ante resurrectionem corruptioni subjectum esse.

Hinc sic argumentamur:

Ille præsentiæ realis doctrinam, ut recens excogitatum commentum non profert, qui eam e contrario principii loco ponit, Catholicis & Eutychianis receptissimi, & ex illa utrimque confessa probare contendit, Corpus Christi ab ipso Incarnationis exordio incorruptibile non fuisse; atqui Anastasius præsentiæ realis mysterio nititur, velut principio Catholicis pariter & Eutychianis probato, ut inde necessario inferat contra Gajanitas, Corpus Christi ab exordio hypostaticæ unionis incorruptibile non fuisse. Ergo &c.

Deinde. Si novum hoc fuit, & natum in capite Anastasii insanum commentum, qui fieri potuit, ut ei tam facile assensum Eutychianus quicum colloquebatur præbuerit? ejus enim sententiam velut sectæ suæ propriam ultro citroque excepit: *absit*, inquit, *ut dicamus sacram communionem esse tantum figuram Corporis Christi, aut nudum panem; sed ipsum Corpus & Sanguinem Christi Filii Dei Incarnati . . . vere accipimus*; sed esto incogitantem Eutychianum verbis suis deluserit, qua tandem ratione potuit Monachus unus, simplex, nulliusque, ut ex libro ejus est manifestum, artificii aut eloquentiæ homo, Epiphanium Catholicum, & non Epiphanium tantum, sed & Concilium Nicænum 2, & Orientales universos tum Catholicos tum hæreticos tam brevi tempore ad sensum suum adducere: ut quid tandem potuit tantus omnium, in tot hominum millibus stupor esse, ut ne unus quidem repertus sit, qui ejus insaniam refutaret, ostenderetque Anastasium erroris esse magistrum, nedum titulum adimpleret quem arroganter usurpaverat? liber enim ejus, ut prædiximus, *Fidei Dux*, ὁδηγὸς inscribebatur.

Monitum.

Ne quis Anastasii verbis decipiatur, duo ibi sunt accurate notanda: 1. quod affirmat, Corpus Christi & Sanguinem vere in Eucharistia esse: alterum quod opinatur, non accidentia tantum, sed Corpus ipsum Christi quatenus in Eucharistia continetur, esse corruptioni obnoxium. Primum vere & ex Catholicæ Ecclesiæ mente dicit; alterum proprius ejus est error, quem Catholica veritas respuit. Quidquid enim corruptionis in Eucharistia accidit, ad solas externas species, non ad Corpus Christi pertingit.

3. Quantum ad Occidentalem Ecclesiam spectat, falsum est quod de Concilio Francofordiensi comminiscuntur. Monstro namque simillimum est dicere, errorem novum in Oriente confictum, in Italiam, Galliam, Hispaniam, Germaniam, Angliam, totumque Occidentem nemine reclamante persuadere potuisse, eo maxime tempore quo Græci jam & Latini mutuis discordiis odiisque discindebantur, & infastum quod non multo post erupit schisma, maturabatur. Deinde quis credat, Patres Francofordienses errorem Orientalium de præsentia reali hoc ipso tempore accepturos, quo contra Orientales magna animositate agebant, eosque fidei violatæ expostulabant? atqui Francofordiense Concilium contra Orientales habitum est, ubique palam accusati sunt Græci, quasi fidem veram, adorationem latreuticam imaginum approbando prodidissent. Ergo &c.

4. Tandem quod de Paschasio Ratberto fingunt, absurdissimum esse commentum, sequentia argumenta demonstrant.

1. Paschasius in libro de Corpore & Sanguine Domini sententiam de reali Christi præsentia affirmat totius Ecclesiæ esse doctrinam: *quamvis*, inquit, *ex hoc quidam de ignorantia errent, nemo tamen est adhuc in aperto, qui hoc ita esse contradicat, quod totus orbis credit & confitetur: videat ergo qui contra hoc venire voluerit, quid agat contra ipsum Dominum, & contra omnem Christi Ecclesiam: nefarium ergo scelus est, errare cum omnibus, & non credere quod veritas ipsa testatur, & ubique omnes universaliter verum esse fatentur.* Amentissimum porro hominum & impudentissimum esse oporteret, qui doctrinam aliquam omnium esse assereret, quam uno omnes ore detestarentur.

2. Quamdiu vixit Paschasius, nemo repertus est, qui mendacii eum & erroris accusaverit. Ergo in libro ejus vera Ecclesiæ mens & Doctrina agnoscebatur: vel enim hic liber in ipso in quo editus erat Corbejensi Monasterio latuit meliorem fortunam sperans, aut saltem ad paucorum manus pervenit; vel luci publicæ datus, statim avide a pluribus lectus est. Si primum: ergo corrumpere fidem aliorum non potuit: nam venenum neminem, nisi bibitur, inficit. Si secundum: damnari ergo cum strepitu & clamore omnium debuit, quippe qui Ecclesiæ universæ doctrinam falsam, & hactenus incognitam attribueret.

3. Quis

3. Quis inducat in animum, statim vita functo Paschasio, innumerabiles Episcopos, Sacerdotes, Clericos, Abbates, viros Principes, Provincias integras, totum denique Christianum populum, in hanc sententiam unanimiter consensisse, & brevissimo tempore a vero cultu ad idolatriam nemine resistente esse deductos?

4. Si contra glicentem errorem pugnatum est ab aliquo, qui fieri potuit, ut contentionum ea occasione excitatarum memoria nulla in Ecclesiasticis annalibus manserit? numquid enim ita incurii esse homines solent, ut res omnium maxime stupendas oblivione deleant, qui minimas posteritati sine necessitate transmittunt? quis non miretur Sacramentariorum insulsitatem, qui nimio suæ factionis studio excæcati, defendere se ipsos non possunt, nisi totum humanum genus, ipsamque humanitatem derideant, & extinguant?

5. Quis credat Orientales Ecclesias, jamtum hoc tempore Latinis infensas, natum in uno Galliæ angulo nudius tertius errorem, nemine instigante, nemine imperante, non dico contra Antistitum omnium ac Sacerdotum, sed etiam contra populorum anticipatam, omniumque cordibus infixam doctrinam, ultro suscepturas? quis tam subitaneæ tamque præcipitatæ conversionis exemplum, in historicis, ipsisque fabularum venditoribus Poetis legisse meminit?

6. Denique quis credat, tam admirabilem fuisse omnium patientiam, ut fide licet disjunctissimi, (aliis Christum in Eucharistia præsentem credentibus, negantibus aliis) sese tamen invicem sine turba, sine offensione, sine scandalo, in iisdem Provinciis, civitatibus, templis, sacrificiis, communionibus tolerarent; donec in unam tandem hæresim pacto fœdere convenirent? hoc enim in Sacramentariorum hypothesi contingere omnino oportuit.

Jam quod ultimo loco adversarii opponebant, scilicet sæculo 10 in Ecclesiam scelus & ignorantiam inundasse, indeque vires novam hæresim, & incrementa sumpsisse, improba & atrox exaggeratio est. Quamquam enim plumbea hæc ætas & ferrea ab aliquibus dicta fuerit tum propter scriptorum inopiam, tum propter morum corruptionem; non defuere tamen hoc ipso tempore lumina doctrinæ, & pietatis exempla. Habuit Romana Sedes insignes fide & scientia Pontifices maximos, quorum præclare gesta a coætaneis Scriptoribus cum laude, posteritati sunt consignata: habuerunt privatæ Ecclesiæ Episcopos & Pastores doctrinæ & fidei opinione florentes: vixerunt ea ætate homines Apostolici pectoris, qui in Hungariam, Bohemiam, Poloniam, aliasque Septemtrionis Provincias lumen Evangelii intulerunt. Habuit Occidens Monasticæ disciplinæ insignes reparatores: nec denique defuerunt in Germania, Anglia, Gallia, Hispania, & cæteris ditionibus Principes zelo fidei, quam sceptri splendore illustriores: Falso itaque Sacramentarii & calumniando affirmant, errorem sæculo decimo prævaluisse, quia nemo a quo reprimeretur repertus est: quasi nimirum Ecclesiam Christus hoc tempore deseruerit, cui perpetuam indefectibilitatem, visibilitatem, & de omni errore triumphum promisit!

CAPUT SECUNDUM.

Utrum ex Scriptura Realis Christi præsentia valeat demonstrari?

QUÆ ex sacris litteris afferri in hanc rem possunt testimonia, Eucharistiæ promissionem, institutionem, vel usum significant. De singulis sigillatim dicturi sumus. Sit igitur

ARTICULUS PRIMUS.

De verbis promissionis.

Joannis 6, v. 51 & seqq. *Ego sum panis vivus*, inquit Salvator, *qui de cœlo descendi. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum, & panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita: litigabant ergo Judæi ad invicem dicentes: quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum? dixit ergo eis Jesus: amen, amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis: qui manducat meam carnem, & bibit meum Sanguinem, habet vitam æternam, & ego resuscitabo eum in novissimo die: caro enim mea vere est cibus, & Sanguis meus vere est potus . . . hic est panis qui de Cœlo descendit: non sicut manducaverunt patres vestri manna, & mortui sunt. Qui manducat hunc panem, vivet in æternum . . . . . multi ergo audientes ex Discipulis ejus dixerunt: durus est hic sermo, & quis potest eum audire? . . . ex hoc multi Discipulorum ejus abierunt retro: & jam non cum illo ambulabant &c.*

Hæc verba de Eucharistia debere intelligi, Hæretici inficiantur; adeoque volunt, probari inde non posse, Christum in Eucharistia realiter contineri. Adversus illos sit

§. PRIMUS.

Ostenditur, hæc verba Joannis ad Eucharistiam pertinere, illisque realem Christi præsentiam adstrui.

Primam partem traditionis auctoritas adstruit: temerarium namque est in interpretatione Scripturarum, a communi judicio Patrum recedere; aut si receditur, (ut aliquid Hæreticis condonemus) debet ratio plausibilis hujus desertionis afferri. Atqui,

1. Verba Joannis de Eucharistia esse accipienda, communis est doctrina Patrum, quod nec ipsi Sacramentarii negant, cum aperta sint de hac re SS. Cypriani, Athanasii, Hilarii, Basilii, Epiphanii, Ambrosii, Hieron. Gregorii Nysseni, Chrysost. Innocentii, Aug. & aliorum sine numero testimonia.

2. Zuinglius, Calvinus, Kemnitius, ejusdemque gregis cæteri, qui contra communem Ecclesiæ & Patrum sententiam negant, hujus suæ discessionis probabilem causam non afferunt, nec quidquam aliud, si velint sincere loqui, obtendere possunt, nisi quia cum negent Christum realiter in Eucharistia esse præsentem, consequens est ut contendant, Joannis VI de hoc Sacramento mentionem non fieri, eoque se obstaculo liberent: quod idem est ac si quis in neganda evidenti conclusione male pertinax, principium ipsum unde certo eruitur pernegaret.

3. Assertio hæc ipsa perspicuitate verborum Christi innititur, quæ tanta est, ut major esse non possit: quæro enim ab adversariis, si Christus Sacramentum Eucharistiæ promittere voluisset (quod merito contendit Ecclesia) numquid verbis expressioribus & significantioribus uti potuisset?

4. Ut adversariis consulamus, & pro ipsis, quamquam perfidis, in hac parte pugnemus, in qua nobis consentiunt: fatentur Sacramentarii Eucharistiam in divinis symbolis habere locum, eamque una cum baptismo in Sacramentorum numero collocant: ut quid ergo negant Eucharistiam Joannis c. 6 esse promissam, cum fateantur Matthæi 26, Marci 14, Lucæ 22, & 1 ad Corinth. 11, sine dubio institutam? numquid enim Joannes cum cæteris, in mentione Corporis & Sanguinis Domini non consentit? numquid hæc multum ab invicem distare putari debent: *nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis? &c. . . . accipite & comedite, hoc est corpus meum; bibite ex hoc omnes, hic est enim Sanguis meus?* &c. numquid indecens Deo putant, quod tam inæstimabilis pretii beneficium non ante præstiterit, quam promiserit?

5. Eucharistiam Joannis 6 esse promissam, eventus ipse probavit. Quod ut certo & facile intelligamus, attendendum quid in hoc Joannis loco dixerit, & quid deinceps Christus instituendo Sacramentum sui corporis fecerit: *panis quem ego dabo*, ait in Joannis Evangelio, *caro mea est pro mundi vita . . . . nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus Sanguinem non habebitis vitam in vobis . . . . caro mea vere est cibus & Sanguis meus vere est potus*, &c. de institutione vero: *ego*, inquit Apostolus Paulus, (1 *Cor.* 11, 23 & *seq.*) *accepi a Domino, quod & tradidi vobis, quoniam Dominus Jesus in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens, fregit & dixit, accipite & manducate: hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur &c. hic calix, novum testamentum est in meo Sanguine &c.*

6. Denique, Christus eo loci de præcellenti quodam suo dono loquitur, non quod tribuat in præsenti, sed quod in posterum est daturus: *panis quem ego dabo*, inquit, *caro mea est pro mundi vita*: quod vero hoc tantum beneficium fuit, sequenti tempore exhibendum, si Eucharistia non fuit? nam incarnationem operatus jam fuerat, novum Evangelium prædicaverat, seminaverat fidem, spem, caritatem, Ecclesiæ jecerat fundamenta: ergo non possunt hæc verba nisi ad Eucharistiam pertinere, quæ non præsentis, cum instituta nondum esset, sed futuri temporis erat.

De secundæ vero partis veritate non dubitabit, qui verba Christi voluerit serio & mente libera meditari.

1. Enim inter panem quem dare aliquando promittit, & manna quo olim in Deserto Israelitæ nutriti sunt, tam latum discrimen facit, quantum vitam & mortem interjacet: *non sicut manducaverunt Patres vestri manna*, inquit, *& mortui sunt*; *qui manducat hunc panem vivet in æternum*; atqui si, ut volunt Sacramentarii, Eucharistia mera esset figura corporis & Sanguinis Christi, constare tale discrimen non posset: figura enim figuram tanta virtute & excellentia non præcedit; antiquitus manna in lege veteri fuit figura Corporis & Sanguinis Christi; ita ut qui in fide Messiæ venturi manna comedebant, carnem ejus & Sanguinem hac ipsa fide perciperent. Id quod diserte testatur Apostolus, inquiens: (1 *Cor.* 10, 1 & *seq.*) *nolo enim vos ignorare, quoniam Patres nostri omnes . . . eamdem escam spiritualem manducaverunt, & omnes eumdem potum spiritualem biberunt; bibebant autem de spiritali consequente eos petra;*

tra; petra autem erat Christus. Fatendum ergo, Joannis 6 non figuram, sed vere Corpus & Sanguinem Christi promissum.

2. Occasione verborum ejus gravis inter Judæos est contentio excitata, aliis quidem credentibus, aliis cum stomacho contradicentibus: *quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?* atqui talem controversiam non movisset figurata locutio, quæ usu communi hominum in familiaribus colloquiis quotidie adhibetur: hinc cum paulo ante Christus se panem vivum esse sæpe dixisset, turbati hac voce non fuerant, facile nimirum intelligentes, sub verbis ejus aliquam latere metaphoram. Ergo ex hac ipsa Judæorum querela & dubitatione probatur, quod Christus vere, & non in figura tantum, Corpus & Sanguinem suum se daturum promiserit.

3. Sed demus Judæos nimia præcipitatione judicii, Christi sententiam male intellexisse, quæque de figura Corporis & Sanguinis sui dixerat, in sensum contrarium temerario detorsisse; debuisset sane Salvator errorem corrigere, figuratæ locutionis sensum aperte ac simpliciter, ut solebat in cæteris suggerendo: alienum enim non putasset a suo officio pastor bonus, qui ovem errantem quæsiturus e cœlo descenderat, tantum discipulorum fugam meditantium numerum, verbo uno, quod facile poterat, retinere, dicendo nimirum se Carnem & Sanguinem suum figurate daturum, pari ratione qua eorum Patribus manna in Deserto divinitus fuerat procuratum; atqui illam Judæorum opinionem nedum correxit, verbisquam potuit gravissimis confirmavit. Juramentum enim interposuit dicens: *amen, amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis*. Ergo &c.

4. Est & alterum in eodem cap. observatione dignissimum: cum enim versu sexagesimo primo multi ex Discipulis Christi dixissent: *durus est hic sermo, & quis potest eum audire?* continuo reposuit: *hoc vos scandalizat? si ergo videritis filium hominis ascendentem ubi erat prius?* quasi diceret: hoc offensi estis quod affirmavi carnem meam vere esse cibum, & Sanguinem meum vere potum. Quid ergo dicturi estis, si videritis filium hominis ascendentem in cœlum ubi erat prius? numquid hoc viso prodigio scandalum male obortum cessabit? hinc sic prosequor argumentum:

Si Christus nihil quidquam præter figuratam carnis suæ manducationem promiserat, minime opus erat ut verba sua, stupendum ascensionis miraculum prædicendo, confirmaret. Frustra enim ad rei minime prodigiosæ fidem conciliandam prodigii vaticinatio afferretur. Ut ergo verba Christi cohæreant, & probatio, rei conveniat quæ probatur, dicendum non figurate tantum & spiritualiter, sed vere & proprie carnem suam se daturum promisisse; tamque certum esse, Corpus ejus & sanguinem sub speciebus elementorum sensibilium contineri, quam certum est, in cœlum vere & proprie ascendisse.

§. SECUNDUS.

Solvuntur objectiones.

Contra opponitur. His verbis non promittitur præsentia realis, quibus ne Eucharistia quidem promittitur; atqui hæc Christi sententia minime ad Eucharistiam pertinet, quod non Sacramentarii tantum contendunt, sed & ipsi Catholici antequam natus esset Calvinus, communiter propugnabant. Ergo &c.

R. concessa maj. nego min. ejusque probationem dist. Joannis c. 6 de Eucharistia minime fieri mentionem ante Calvinum Catholici propugnarunt, *omnes*, nego antecedens: *pauci* subdist. *& immerito*, conc. *merito*, nego ant. & conseq.

E. R. Nihil est quod de quorumdam e nostris subsidio Sacramentarii glorientur, quos in hujus capitis sexti intelligentia & explicatione deceptos ingenue confitemur. Non enim in paucorum, sed in omnium aut saltem pene omnium judicio dogmata Theologica ponimus: porro Christum eo loci vere Eucharistiam, Corpus scilicet suum & Sanguinem promisisse, fere omnium Patrum & gravissimorum Theologorum sententia est, adversus quam contraria aliquorum opinio nihil facit.

Deinde, pauci qui opponuntur, scilicet Cardinalis *Petrus de Alliaco*: (*in 4 sent. dist. 9, quæst. 5*) *Joannes de Ragusio*: (*in opusc. de commun. sub utraq. specie*) *Gabriel Biel*: (*Lect. 30, & 34, in Canonem Missæ*) & alii, quidam, in hanc opinionem adducti sunt, non quod negarent Christum in Eucharistia realiter esse præsentem; sed quia cum viderent *Joannem Wiclefum*, & *Joannem Hus* iis abuti Joannis testimoniis ad pertinaciter propugnandum Communionem sub utraque specie omnibus indiscriminatim præcepto divino esse necessariam, non aliter posse refutari autumarunt, quam negando Christum in hoc loco de Eucharistia esse locutum: quod ab iis eo factum imprudentius, quod dum arma Wiclefistis eripere adnitebantur, ipsi sibi necessarium ad veritatem defendendam præsidium abstulerint, & a communi majorum sensu recesserint.

Inst. 1. De sola fide in hoc Joannis capite: agi-

agitur; ergo merito negatur fieri de Eucharistia mentionem.

℟. Nego ant. cujus falsitas brevi ejusdem capitis analysi palam constabit.

1. Ibi narratur miraculosa panum multiplicatio, quibus Christus quinque hominum millia satiavit.

2. *Cum cognovisset Jesus*, ut habetur v. 15 *quia venturi essent populi ut eum*, in gratiam tanti beneficii, *raperent, & facerent eum regem, fugit iterum in monte ipse solus*.

3. A versu 16 ad 24 discipuli mare petunt: Jesus ad illos revertitur, nec cessat divinæ potestatis ostentare prodigia, super aquas deambulans.

4. V. 24 *cum vidisset turba quia Jesus non esset ibi* (in loco nimirum ubi manducaverant panem gratias agentes Domino) *ascenderunt in naviculas, & venerunt Capharnaum quærentes Jesum*.

5. V. 26 redeuntem populum ad fidem hortatur: *Amen amen dico vobis*, inquit, *quæritis me non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus, & saturati estis: operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam, quem filius hominis dabit vobis . . ., hoc est opus Dei, ut credatis in eum quem misit ille*.

6. V. 30. Judæi Christum interrogant. *Quod ergo tu facis signum, ut videamus, & credamus tibi? quid operaris? Patres nostri manducaverunt manna in deserto, sicut scriptum est, panem de cœlo dedit eis manducare*: Quasi dicerent: Moyses quando in deserto, 40 annorum spatio 600 hominum millia manna, pane scilicet e cœlo subministrato nutrivit, prodigium incomparabiliter excellentius operatus est illo quod tu 5 virorum millia quinque panibus & duobus piscibus satiando, proxime faciebas: nec tamen petiit Moyses, ut in se tamquam in Messiam crederetur: quod ergo tu signum facis, ut tibi magis credamus quam Moysi?

7. A v. 32 ad 50 quod de fidei necessitate prædixerat, inculcat & gravissimis confirmat sententiis: *Qui credit in me*, inquit, *non sitiet unquam . . . . . . hæc est voluntas Patris mei qui misit me, ut omnis qui videt filium, & credit in eum, habeat vitam æternam*, &c.

8. Tandem a v. 51. ad finem, ut ostendat se Moyse esse majorem: *Ego*, inquit, *sum panis vivus qui de cœlo descendi, si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum, & panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita . . . . . nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem non habebitis vitam in vobis . . . . non sicut manducaverunt Patres vestri manna, & mortui sunt; qui manducat hunc panem vivet in æternum*, &c. Hæc & alia quæ sequuntur, ad Sacramentum Eucharistiæ pertinere contra Hæreticos affirmamus, nec vanas eorum pertimescimus cavillationes, quibus apertam obscurare veritatem pertentant, cujus rei certissimum præbet argumentum convenientia verborum quæ hic leguntur, cum iis quæ Eucharistiam instituendo pronuntiavit: quæque ad Sacramentum Corporis & Sanguinis ejus significandum sic aperta sunt, ut verbis significantioribus illud promittere haudquaquam potuerit: deinde distinguit ibi Christus carnem manducandam a sanguine bibendo: hæc porro differentia tanta accuratione notata, habet quidem locum in Sacramento, in fide certe non habet, in qua idem est manducare & bibere: præterea, donum Patris fidem scilicet, ita a suo discriminat, ut Patris quidem beneficium præsens esse denuntiet: suum vero non actu largiatur, sed promittat in posterum: *Pater meus*, inquit, (v. 32) *dat vobis panem de cœlo verum*: (v. 52) *panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita*: quorsum vero temporum illa distinctio, si nihil in futurum præter fidem qua Christum spiritualiter manducamus promitteret? numquid enim fides in Christum non fuit omnium temporum? numquid in testamento veteri qui vere Hebræi erant, Christum spiritualiter non manducabant, dicente Apostolo: (1 *Cor.* 10, 1 & *seq.*) *Nolo vos ignorare, fratres, quoniam Patres nostri omnes . . . . . eamdem escam spiritalem manducaverunt, & omnes eumdem potum spiritalem biberunt*: (*bibebant autem de spiritali consequente eos Petra*: *Petra autem erat Christus*?)

Inst. 2. atqui totum hoc caput in sola per fidem manducatione versatur: Ergo &c. prob. subs. de manducatione hic agitur, quæ certo conferat vitam æternam: *Qui manducat meam carnem*, inquit, *& bibit meum sanguinem, habet vitam æternam . . . qui manducat hunc panem vivet in æternum*; atqui non omnis vitam æternam est habiturus, qui Eucharistiæ Sacramenti fit particeps; ergo de sola fide hic agitur.

℟. Nego subs. ad probationem:

1. Retorqueo argumentum: de ea manducatione loquitur Christus, quæ certo conferat vitam æternam; atqui non omnes vitam æternam sunt adepturi, qui Christum fide manducant, cum fides amitti possit, & revera aliquando perdatur: *Quidam enim*, inquit Apostolus (1 *Timoth.* 1) *bonam conscientiam repellentes, circa fidem naufragaverunt*: ergo nec loquitur quidem de manducatione per fidem;

dem; itaque hoc argumentum contra nos nihil facit, cum ipsos adversarios urgeat.

R. 2. Dist. maj. de ea manducatione loquitur Christus, quæ certo, (quantum in ipsa est) conferat vitam æternam, conc. etiam independenter a quacumque dispositione subjecti, nego maj. similiter dist. min. non omnis vitam æternam est habiturus, qui fit Eucharistiæ particeps, defectu suo conc. defectu virtutis in Eucharistia, nego min. & conseq.

E. R. Cum Sacramenta novæ legis effectus suos ex opere operato, hoc est virtute divinitus insita infallibiter consequantur: merito dictum a Christo est: *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum*; quia vero aliunde ut suos effectus obtineant, dependent a subjecti dispositionibus, ex verbis Christi minime sequitur, infallibiliter esse salvandum quisquis manducaverit carnem filii hominis, etiamsi dispositiones necessarias non attulerit: quomodo vere dicimus omnem hominem solis luce irradiari, nec tamen hinc sequitur illuminandum qui clauserit oculos ne videat lucem.

ARTICULUS SECUNDUS.

De verbis institutionis.

Verba institutionis Eucharistiæ sunt: (*Matt.* 26, 26, *Marc.* 14, 22, *Luc.* 22, 19, 1 *Cor.* 11, 24) *Accipite & comedite, hoc est corpus meum . . . . . . bibite ex hoc omnes: hic est enim Sanguis meus novi Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.*

In his Sacramentarii nihil præter figuram intelligunt: volunt scilicet panem & vinum discipulis a Christo data, & in perpetuum Ecclesiæ commendata, non quod vi verborum corpus ejus & sanguis sub speciebus utriusque contineantur, quod absurdum & penitus impossibile æstimant, sed ut sint signa corporis ejus pro nobis cruci affixi, & sanguinis pro nobis effusi: nec aliter a manna veteri & agno Paschali differre, quam quod illa Christi venturi antitypa fuerint, ista vero Christum significent qui jam venit, & redemptionis mysterium adimplevit.

In contrarium doctrina Catholicæ Ecclesiæ est, hæc verba habere sensum realem, verum, ac proprium: hoc est, ipsum Christi Corpus in utero Beatissimæ Virginis, operante Sp. Sancto formatum, verumque ejus Sanguinem in Sacramento Eucharistiæ, pronuntiatis a Sacerdote verbis Evangelicis contineri: eosque infidelitatis & nefandi sacrilegii reos esse, qui tam apertam Christi sententiam in alienos, improprios, & figuratos sensus sine verecundia transferunt. Quod ut manifestum fiat, sit

§. PRIMUS.

Ex verbi Christi Eucharistiam instituentis, realis præsentia demonstratur.

ARGUMENTUM PRIMUM.

Ex summa Christi veritate.

1. Enim Christus non suprema tantum veritas, sed & ipsa veracitas est: summa, inquam, veritas Christus est, cum habeat in se omnes Thesauros sapientiæ & scientiæ Dei; tantumque ab omni specie erroris abhorreat, quantum maxima lux est a tenebris aliena: est autem ipsa veracitas, quia prorsus est incapax mentiendi, nec in ejus naturam cadit inducere quemquam in errorem: hoc principio posito, sic prosequor argumentum:

Atqui si verba Christi Eucharistiam instituentis, non proprium sed figuratum sensum haberent, Christus (quod cogitatu horrendum est) summe verax dici non posset: verax enim ille non est, qui verbis ad illudendum compositis auditores circumvenit. Porro si verba Christi hunc sensum haberent: *hic panis significat Corpus meum*, sive, *est signum Corporis mei*: Christus oratione ad decipiendum composita, Apostolis, totique in futurum Ecclesiæ illusisset.

Quod quidem ad Apostolos spectat, ludit ille illuditque, qui de industria loquitur contra rem, vultque aliter quam sentit intelligi; atqui in hac hypothesi Christus dedita opera contra mentem locutus esset, longeque aliter (horreo dicere) audiri ab Apostolis voluisset quam sentiebat: dando enim meram Corporis & Sanguinis sui figuram, Sanguinem & Corpus suum præbere se verbis conceptissimis significasset.

Deinde. Auditores ille ludificat, qui signo arbitrario, recens instituto, nec cuiquam antehac cognito, nomen rei significatæ, absque ulla prævia admonitione attribuit; atqui ex Sacramentariorum sententia Christus rei significatæ, corporis scilicet & Sanguinis sui nomen dedisset pani & vino, signis nimirum arbitrariis, recens institutis, nominique eorum quos alloquebatur, hactenus cognitis, quod Sacramentarii inficiari non possunt, cum negent Joannis c. 6 fieri de Eucharistia mentionem. Ergo &c.

Quod vero ad Ecclesiam pertinet, sic argumentor: si quis tanta auctoritate vigeret, ut incogitantem minimeque volentem Ecclesiam,

siam, in idololatriam verbis suis pertraheret, fraudis pessimæ jure merito accusaretur; atqui si verum est, quod Sacramentarii dicunt, Christum verbis suis: *hoc est Corpus meum: hic est calix Sanguinis mei*: nihil aliud dicere voluisse, quam: *hic panis significat Corpus meum: hoc vinum signum est mei Sanguinis*; auctoritate sua Universam Ecclesiam in errorem, & in præcipitium idololatriæ pertraxisset. Nam ab ipsis Evangelii primordiis Eucharistiam universa Ecclesia adoravit; eoque se teneri officio, non aliunde collegit, nisi quia ab ipso Salvatore edocta est, eam in qua gratiæ actæ sunt alimoniam, Verbi Incarnati Jesu Christi, hominis Dei Carnem & Sanguinem esse, Christumque integrum continere. Cum ergo execrabilis sit illa contra Christum sponsum & Ecclesiam sponsam blasphemia, rejectis Sacramentariorum vanis putidisque commentis, simpliciter confitendum, Christum revera Eucharistiam in Corpore & Sanguine suo instituisse.

Præcluditur Sacramentariorum effugium.

Nec est quod reponant, facile Apostolos intelligere potuisse, in figura Christum esse locutum. Immo enim in contrarium dicimus, sensum figuratum, nec suspicando quidem, in eorum mentem incidere potuisse: eosque ex adjunctis loci, temporis, personarum, & verborum circumstantiis, compulsos penitus fuisse ad credendum, vero ac proprio sensu Christum esse locutum: illud, inquam, plene absoluteque convincit:

1. Circumstantia loci: ibi enim Eucharistiam instituit, ubi cum Discipulis antiquum Pascha adimplens, paulo ante dixerat: *desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum antequam patiar*: quibus verbis significaverat, sibi esse in votis, antequam cruci affigeretur, insigni quodam & inaudito hactenus beneficio humanum genus, figuris veteribus abrogatis, afficere: Jam sic arguo:

Atqui, si dicendo: *hoc est Corpus meum: hic est Sanguis meus*: nihil aliud nisi vacuum Corporis & Sanguinis suis signum dare se velle significasset, profecto nihil opus erat tanto apparatu verborum: desiderio desideravi &c. in hac enim hypothesi nihil dedisset melius aut magnificentius, quam quod Moyses in veteri lege Hebræis contulerat: ridiculum namque fuerit existimare, panem & vinum figuras esse agno & azimo excellentiores; neque hoc putare Apostoli poterant, quorum animos tam honorifica legis antiquæ opinio occupaverat. Ergo &c.

2. Circumstantia temporis: hoc enim tempore de Eucharistia legem sanxit, quo testamentum, ultimum scilicet supremæ suæ voluntatis instrumentum condebat: immo Eucharistia ipsa instar testamenti fuit, quod Christus ad Patrem reversurus, tamquam amoris sui pignus in perpetuum fidelibus signavit: hinc dictum ab illo; (*Luc.* 22, 20) *hic calix novum Testamentum est in Sanguine meo, qui pro vobis fundetur*: pari sensu quo Moyses sancito veteri fœdere, Sanguinem hostiarum respergens in populo dixerat: (*Exod.* 24, 8) *hic est Sanguis fœderis quod pepigit Deus vobiscum*. Jam argumeneum sic prosequor.

Atqui verba testamentorum plana, facilia, & aperta esse oportet, ne videlicet litibus occasionem præbeant, & sint fomites discordiarum: hinc tanta diligentia ab hominibus mediocriter prudentibus præcavetur, ne verbis æquivocis aut ambiguis testamenta describant; quia alioquin hæredibus inofficiosa magis quam fructuosa futura essent. Quod si prudentes hujus sæculi procurare non negligunt, quanto magis debuit fieri a Christo, qui est æterna sapientia Patris? quantopere minus potuit in tanti momenti negotio prætermitti? cum itaque simpliciter dixerit. Corpus suum & Sanguinem se præbere, & ne leviter quidem, quod facile poterat, innuerit se præter figuram nihil dare, non potuerunt Apostoli aliter intelligere verba ejus.

3. Circumstantia personarum. Persona quidem loquens Christus erat, verus Deus & verus Homo, divina in cœlo & in terra præditus potestate, cui tam promptum & ad manum erat, ex pane & vino facere Corpus & Sanguinem suum, quam ex nihilo cuncta componere. Auditores erant Apostoli; qui Christo indivulse toto ejus ministerii tempore hæserant; infinitæ virtutis ejus præclarissima opera sæpe viderant, in quos proinde cadere dubitatio nulla poterat, ne vere foret ab illo dictum: *hoc est Corpus meum: hic est Sanguis meus*: dubitarent scilicet! de verbis ejus, a quo sciebant universam ad nutum regi naturam, cujus imperio videbant mortuos excitatos, fugatos dæmones, cœcos, leprosos, paraliticos, omniumque generum morbos sanatos, panes multiplicatos, aquam in vinum mutatam? &c. Ergo &c.

4. Denique circumstantia verborum. Nam præterquam quod quæ Joannis VI præcesserant, quando promiserat Christus se carnem suam daturum ad manducandum, & Sanguinem ad bibendum, omnem dubitandi causam amoverant: hoc ipsum verba institutionis invicte confirmant. Non enim solummodo dixit: *hoc est corpus meum*: sed adjecit: *quod pro vobis tradetur*. Non tantum dixit: *hic est San-*

Sanguis meus; sed: *qui pro vobis, & pro multis effundetur*. Hinc sic urgeo:

Non magis putare Apostoli poterant, Christi Corpus & Sanguinem figurate tantum in Eucharistia contineri, quam intelligere Corpus ejus figurate tantum in ara Crucis mactandum, & Sanguinem figurate fundendum; atqui hoc posterius eorum subire mentem non poterat, quia impium & absurdum. Ergo nec prius, atque adeo quod dicunt Sacramentarii, Apostolos intelligere facile potuisse, Christum improprio & figurato sensu esse locutum, vanum effugium est, ab hoc hominum genere excogitatum, de quibus S. Aug. affirmat: (*lib. 3 de doctr. Christ. cap. 10*) *quod ubi eorum animos occupavit alicujus erroris opinio, quidquid aliter asseruerit Scriptura, figuratum arbitrantur*.

ARGUMENTUM SECUNDUM.

Ex consensu Evangelistarum.

Alterutrum petimus ex concordia Evangelistarum; Matthæus enim, Marcus, & Lucas locis sæpe memoratis affirmant simpliciter, Christum Eucharistiam instituendo dixisse: *hoc est Corpus meum: hic est Sanguis meus*: in figura & tropo esse locutum, nec leviter insinuant. Accedit sacris Scriptoribus S. Paulus idem confirmans, & ab ipso Christo se esse edoctum contestans: *ego*, inquit, (*1 Cor. 11, 23 & seq.*) *accepi a Domino, quod & tradidi vobis, quoniam Dominus Jesus in qua nocte tradebatur accepit panem, & gratias agens fregit & dixit: accipite & manducate, hoc est Corpus meum quod pro vobis tradetur; hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem postquam cœnavit dicens; hic calix novum Testamentum est in meo Sanguine; hoc facite quotiescumque bibetis in meam commemorationem*. Nunc prosequor argumentum:

Verba Scripturæ literaliter & proprie debent accipi, quando sensus litteralis nihil absurdum, nihil impossibile, aut Deo indignum præfert: maxime si in diversis locis eadem sententia repetatur, neque in contrarium possit textus aliquis ex sacris litteris opponi; atqui mysterium realis præsentiæ habere aliquid absonum aut repugnans solus ille dixerit, qui negaverit Deo possibile omne verbum, aut qui divinæ sapientiæ mirabilem œconomiam ignorando, Christum vel cum Gentilibus stultitiam, vel cum Judæis scandalum esse putaverit. Deinde, realem Christi præsentiam Matthæus, Marcus, Lucas, & Paulus verbis univocis planeque similibus attestantur; nec unus alterum explicat, quod necessario facturi erant, si aliqua in verbis deceptio aut æquivocatio timeretur. Nam ut bene S. Aug. advertit, (*lib. 2 de Doctr. Christ.*) *nihil est obscure dictum in Scripturis, quod spectet ad fidem & mores, quod non planissime dictum sit aliis locis*. Debent itaque eorum verba sensu litterali intelligi: atque adeo Calvinistæ, Sociniani, aliique Sacramentarii impietatis in Deum, & manifestæ contra verbum ejus contumaciæ convincuntur.

ARGUMENTUM TERTIUM.

Ex conspiratione totius Ecclesiæ.

Sed etiam si hoc concederemus, quod falsum esse omnibus modis contendimus, Scripturam aliquid obscuritatis habere, nec dubium omne, quod potest de reali aut figurata præsentia suboriri, posse per textum ejus simplicem excuti; nihil illa confessio Sacramentariorum causam juvaret: hoc enim unum sequeretur, recurrendum esse ad Tribunal Ecclesiæ, cui Deus clavem Scripturarum, & difficultatum emergentium explicationem commisit. Nam quemadmodum privato nemini licet proponere dogmata fidei; ita nec cuiquam datum est, ad arbitrium Scripturas interpretari; atqui Christum in Eucharistia realiter esse præsentem, ex verbis institutionis semper credidit, semper docuit universalis Ecclesia per Orientem & Occidentem effusa, neque unquam impune passa est dogma Sanctum labefactari, ut sequenti capite operosius ostendemus. Ergo &c.

§. SECUNDUS.

Sacramentariorum Cavilli eliduntur.

Objiciunt. Verba Christi possunt debentque metaphorice dicta intelligi. Ergo &c.

℞. Nego anteced. Debent enim verba Salvatoris sensu obvio, minimeque ad assequendum difficili usurpari; atqui sensus metaphoricus difficillimus est atque ita perplexus, ut admodum paucis se offerat, eoque ipso momento quo proponitur evanescat, nisi inculcetur documentis sæpius repetitis. Cujus rei argumenta certissima sunt:

1. Quod nemini Græcorum & Orientalium hactenus in mentem venerit.

2. Quod Latinis ad 9 usque sæculum, quo natus in Hybernia est *Schotus Erigena* fuerit inauditus. Ille enim primus omnium, ut prædiximus, figuræ clavim invenit, hancque insaniam nemini quod quidem sciamus, dum viveret persuasit

3. Quod in eo inquirendo multum diuque Sacramentarii, ut ipsi fatentur, laborarint; nec aliam ob causam quam ut Romanæ incommodarent Ecclesiæ.

4. Hoc ipsum *Bucerus*, & alii pseudo-reformatores exemplo suo probarunt. Cum enim propagandi erroris causa Germaniæ provincias peragrarent; statim atque ab una civitate pergebant in alteram, continuo populi recedentibus erroris magistris, ad sensum realem & proprium sponte redibant, cogente nimirum ipsa veritate, quæ non sinebat animos falsis licet principiis imbutos, diutius a recto tramite aberrare.

Neque abstrusus tantum ac difficilis est sensus metaphoricus Evangelii verbis affictus, sed etiam falsus. Tunc enim falsa metaphora est, cum res significata affirmatur de signo, quod ab auditoribus sumitur non tamquam signum, sed tamquam res absoluta; atqui juxta adversariorum doctrinam Christus sine prævia admonitione affirmasset rem significatam, suum scilicet Corpus, de re quam sciret ab Apostolis accipi pro re positiva & absoluta, minime vero pro signo: adeoque illis errandi auctor ac magister fuisset: hocque argumentum *Luthero* ipsi ita convincens visum est, ut Sacramentarios metaphoræ assertores, pro fanaticis & blasphemis habuerit: *ille ipse Diabojus*, (inquiebat in sermone de Sacramento Corporis & Sanguinis Christi Wittembergæ habito), (*anno* 1527) *de cujus virtutibus nobis Iam sermo fuit, nos hodie per fanaticos homines oppugnat blasphematione cœnæ Domini Nostri Jesu Christi, qui somniant in ea solum panem & vinum dari in signum aut symbolum Christianæ professionis: nec volunt credere ibi Corpus & sanguinem Christi esse, cum tamen expressa & clara sint verba: Comedite, hoc est Corpus meum: quæ quidem verba adhuc firmiter subsistunt, nec possunt ab iis labefactari . . . nos clare affirmamus, quod ut verba sonant, verum Corpus Christi & Sanguis adsit; cum ait: Accipite, comedite, hoc est Corpus meum. Si perperam credimus, & docemus, quid quæso facimus? Deum mendacii arguimus, & asseveramus quod illa verba non protulerit, sed contrarium dixerit. Quod si fit, nos reipsa probamus in Deum mendaces, in Spiritum Sanctum blasphemos, Christi proditores & parricidas, & mundi seductores esse.*

Inst. 1. Est illud in sacris litteris frequens, quod signo detur nomen rei significatæ.

Sic in Genesi Joseph Pharaonis somnium explicans: (*Gen.* 41, 26) *septem boves pulchræ*, inquit, *& septem spicæ plenæ, septem ubertatis anni sunt . . . . septem quoque boves tenues ac macilentæ . . . . & septem spicæ tenues . . . . septem anni venturæ sunt famis.*

Pariter Daniel, prodigiosæ statuæ visionem Regi Nabuchodonosor interpretans: *tu es*, inquit, (*Dan.* 2, 38) *caput aureum.*

Similiter Deus Prophetæ, quid per ossa arida significaretur aperiens: *filii hominis*, inquit, (*Ezec.* 37, 11) *ossa hæc universa, domus Israel est.*

Sic Christus ipse explanans zizaniorum parabolam: *qui seminat bonum semen*, ait, (*Matt.* 13, 37) *est filius hominis: ager autem est mundus: bonum vero semen sunt filii regni: zizania autem filii sunt nequam.*

Et denique Apostolus de petra loquens, unde aqua in deserto in hebræorum gratiam miraculose effluxit: *petra autem*, ait, (1 *Cor.* 10, 4) *erat Christus.*

Hinc sic eruunt argumentum:

Propositio: *hoc est corpus meum:* istis simillima est: *boves sunt anni: ossa sunt Domus Israel: caput aureum est Nabuchodonosor: petra est Christus, &c.* atqui hæ propositiones neque perplexum, neque falsum habent sensum, figuratum licet. Ergo idem de altera est dicendum.

℟. Admitto exempla, & ad argumentum inde petitum, nego maj. & paritatem. Quam parum autem ad præsentem quæstionem hæc faciant, sequens regula demonstrabit.

Regula.

Tum possunt signa, rerum significatarum nominibus appellari, quando certum est, non aliter nisi pro signis posse ab auditoribus accipi. Tunc e contrario nec debent nec possunt, quando non pro signis, sed pro rebus absolutis habentur: rem ut exemplo aperiamus: imago Cæsaris e. c. nisi pro alicujus hominis signo haberi nequit; si quis igitur insculptam nummo Cæsaris imaginem intuens, ita me interroget: *quis est hic?* nullum erit deceptionis periculum, si respondeam: *Cæsar est*: signo videlicet, rei significatæ nomen adaptans. E contra legatus Cæsaris, est quidem aliquatenus signum ejus, quia moraliter eum repræsentat, ejusque nomine agit: at ita tamen est signum, ut principaliter pro re absoluta sumatur. Unde si quis in legatum intendens oculos, quem legatum nesciret, eadem me interrogatione pulsaret: *quis est hic?* ego vero responderem: *Cæsar est*: mendax deceptrixque responsio foret, ob hanc solam causam quia rem significatam affirmarem de signo, quod ab auditore acciperetur, non tamquam signum, sed tamquam res absoluta.

Jam

Jam facile intelligitur, præsenti materiæ proposita exempla non convenire: his namque locis potuerunt signa, nominibus rerum significatarum innoxie appellari, quia non poterant nisi pro signis haberi. Sic enim Pharaonem non latebat, septem boves, septemque spicas per somnium visas, rerum aliquarum signa esse: tantumque quid in speciali sensus ac significationis haberent, anxius inquirebat. Statua pariter cujus aspectu Nabuchodonosor deterritus fuerat, nequibat nisi pro signo haberi. Idemque ad locum Ezechielis dicendum: Prophetis enim sub umbra figurarum pleraque, quod nemo nescit, revelabantur.

Ad exemplum quod attinet ex Evangelio Matthæi petitum, nullam habet difficultatem: constat enim ex ipso contextu, Christum hic parabolas eloqui: est vero parabola, quædam adumbratio veritatis, per quam unum cum altero comparatur. Unde ib. ajunt Apostoli (*v.* 36): *edissere nobis parabolam zizaniorum agri*.

Denique, de Corinthiis planum est, eos ad figuratum sensum ab initio capitis ab Apostolo præparatos: statim enim versu primo dixerat: *nolo vos ignorare, Fratres, quoniam Patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes mare transierunt, & omnes in Moyse baptizati sunt, in nube & in mari, & omnes eamdem escam spiritalem manducaverunt, & omnes eumdem potum spiritalem biberunt: bibebant autem de spiritali consequente eos petra*; itaque in his quæ immediate sequuntur: *petra autem erat Christus*: nec deceptio, nec æquivocatio esse poterat.

At vero dicente Christo: *hoc est corpus meum: hic est Sanguis meus*: nedum ratione ulla aut circumstantia moverentur Apostoli, ut verba ejus figurate dicta putarent; e contrario ad sensum litteralem & proprium necessario sunt deducti, tum ex promissione Christi, quæ verbis tam apertis præcesserat, tum ex omnipotentiæ ejus, per quam quidquid vult infallibiliter operatur, plenissima convictione; tum ex aliis circumstantiis quas comites Eucharistiæ institutio habuit, de quibus dictum est §. præcedente.

Inst. 2. Atqui Apostolis persuadere multa poterant, Christum figurate esse locutum. Ergo &c.

Prob. subs.

1. Inquiunt, intelligebant Apostoli, nisi eos plane stolidos dixerimus, panem inter & humanum Corpus tantam esse pugnantiam, ut unum in alterum mutari non posset.

2. Cum adverterent tamen utriusque aliquam convenientiam esse, in eo positam quod quomodo panis nutrit & vitam conservat, sic etiam vivificum est Corpus Christi: colligere facile poterant haud immerito a Christo panem Corpus suum dictum esse.

4. Hanc persuasionem augebant aliæ simile Christi sententiæ: *ego sum vitis, vos palmites: ego sum ostium: Pater meus agricola est* &c. Ergo &c.

℟. nego subs. ad argumenta adducta sigillatim respondeo.

Ad 1. quidem dist. Intelligebant Apostoli panem in humanum Corpus converti non posse, virtute naturali aut simplicis creaturæ imperio, conc. virtute supernaturali & Dei omnipotentis voluntate, nego. Apostoli Christum verum Deum, Dei vivi filium longe ante cognoverant, & confessi erant. Deinde Christum rerum admirabilium esse patratorem longo experimento compertum habebant; atque adeo quominus dicenti: *hoc est corpus meum*: continuo acquiescerent, nulla eos poterat ratio, nulla suspicio cohibere.

Ad 2. nego hanc, ita ut supponitur, illationem facilem fuisse Apostolis: ut enim res significata de signo valeat affirmari, minime sufficit ut utriusque aliqua, etiam remota convenientia cogitetur; alioquin enim quodlibet de quolibet posset, non præmonitis auditoribus asseri: cum inter res etiam natura disjunctissimas, quædam similitudo atque convenientia intelligatur. Sed insuper necessarium prorsus est, ut signum iis sit, cum quibus colloquimur, exploratum & cognitum: alioquin enim in humanis colloquiis conturbata omnia & confusa forent; atqui Apostoli panem figuram esse Corporis Christi, de hac re ante non moniti, nec divinare quidem poterant; e contra vero præcedentibus Christi sententiis fuerant ad sensus realis intelligentiam præparati. Ergo &c.

Ad 3. nego ex his, similibusque Christi locutionibus proclive Apostolis fuisse, ut intelligerent figurate ab illo dictum: *hoc est corpus meum: hic est sanguis meus*.

1. Enim in his propositionibus: *ego sum vitis: ego sum ostium: pater meus agricola est*: aperta metaphora est, in eo tota consistens, ut propter quandam convenientiam, unius rei nomen & proprietates alteri adscribantur. E contra in his propositionibus: *hoc est corpus meum: hic est sanguis meus*: non panis confertur cum corpore, nec vinum cum sanguine, sed expresse affirmatur, hoc ipsum quod Christus Apostolis exhibet, revera Corpus ejus & Sanguinem esse.

2. In his locis quæ opponuntur, se ipsum Christus sic explicat, nullam ut dubitationem relinquat: *ego sum vitis vera*, inquit, (*Jo.* 15, 1 *& seq.*) *& Pater meus agricola est*. Om-

Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum; & omnis qui fert fructum, purgabit eum, ut fructum plus afferat. . . . sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite: sic nec vos nisi in me manseritis &c. . . amen, amen dico vobis, (Jo. 10, 7 & 9) *quia ego sum ostium ovium... ego sum ostium: per me si quis introierit, salvabitur, & ingredietur, & egredietur, & Pascua inveniet*: ea porro metaphoræ sensum tam habent apertum, ut cæcum esse oporteat qui non viderit: nullum itaque Apostolis dubium superesse poterat, quin Christus hoc unum affirmaret, se aliquatenus viti & ostio esse similem, & Patrem suum cum agricola convenientiam quandam habere. Numquid vero idem poterant cogitare, quando Christum audiebant, simpliciter pronuntiantem: *hoc est corpus meum: hic est Sanguis meus?*

3. Denique hæc & similia exempla quæ a Sacramentariis congeruntur, longe esse a proposito aliena, ex ipso propositionum contextu est manifestum: ut enim ad rem facerent, deberent pronomine demonstrativo restringi; dicendo: *ego sum hoc ostium: ego sum hæc vitis: Pater meus est hic agricola*: vel, *hoc ostium est Christus: hæc vitis Christus: hic agricola est Pater meus*; atqui propositiones hujusmodi absurdissimas & a summa Christi sapientia alienas nemo negabit. Cum ergo dixerit, vereque dixerit: *hoc est Corpus meum: hic est Sanguis meus*: consequens est harum propositionum ab aliis immensum esse discrimen, neque hujusmodi sententiis præparari Apostolos potuisse ad verba Eucharistica figurato sensu accipienda.

Inst. 3. Intellexerunt Apostoli verum a Christo institui Sacramentum; atqui Sacramentum idem ac signum est. Ergo non nisi figurate potuerunt accipere verba ejus.

R. Dist. maj. Intellexerunt verum a Christo institui Sacramentum, quod realem simul importaret præsentiam, conc. quod signum vacuum esset, nego maj., & concessa ad eumdem sensum min., nego conseq.

E. R. Gravissima hæc Sacramentariorum hallucinatio est, existimantium non posse cum præsentia reali naturam Sacramenti consistere: hæc enim duo, Catholici nullo labore conciliant, duas quasi partes in Eucharistia distinguendo, intrinsecam unam, in Corpore, & Sanguine Christi, extrinsecam alteram, in speciebus panis & vini: utramque Discipuli, Christo magistro, intellexerunt. Cum enim eum audierunt dicentem: *hoc est Corpus meum: hic est Sanguis meus*: non potuerunt realis præsentiæ veritati non assentiri, maxime cum ante non moniti, de significatione metaphorica nec suspicionem haberent. Mox vero cum advertere rent, eamdem exterius panis & vini speciem remanere, parique modo ac antea sensus suos affici, eo, fide prælucente, conducti sunt, ut in externis symbolis verum Sacramentum agnoscerent, signum videlicet Corporis & Sanguinis Christi, sub speciebus panis & vini latentium. Non itaque, ut ariolantur Hæretici, sensum verborum Christi ex ante habita Sacramenti notione dijudicarunt; sed e contrario habita simplici horum verborum intelligentia: *hoc est Corpus meum &c.* ad Sacramenti notitiam pervenerunt, intelligendo nimirum Christi, qui omnia potest, virtutem non excedere, quod mutata panis & vini substantia, eædem utriusque apparentiæ remanerent.

Inst. 4. Atqui id unum intellexerunt Apostoli, panem in signum Corporis, & vinum in Sanguinis symbolum a Christo esse assumpta. Ergo &c. prob. sub. exemplo duplici.

1. In Genesi est, (*c.* 17, *v.* 10) ubi circumcisio quæ fuit legis veteris Sacramentum, pactum Dei cum hominibus appellatur, licet pacto nudum signum esse; *hoc est pactum meum*, inquit, *quod observabitis inter me & vos, & semen tuum post te. Circumcidetur vobis omne masculinum*.

2. In Exodo, (*c.* 12, *v.* 11) ubi agnus Paschalis appellatur phase: *comedetis*, inquit, *agnum festinanter: est enim phase, id est transitus Domini*: inde sic arguunt:

Tam potuerunt Apostoli intelligere, panem assumi in signum Corporis Christi, licet eum Christus diceret *Corpus suum*, quam olim Hebræi ipseque Abraham intellexerant, agnum in signum transitus Domini, & circumcisionem in signum fœderis esse assumpta, tametsi agnus, *Phase* dictus esset, & circumcisio fœdus; atqui hæc Abrahæ & Judæorum, nemine admonente, haud dubie cogitatio fuerat. Idem itaque de Apostolis sentiendum.

R. Nego subs. ad probationem admitto auctoritates, & nego maj.

Quantum quidem ad circumcisionem spectat, dico non aliter quam pro signo ab Abraham accipi potuisse: præmiserat enim Deus statim ab initio capitis: (*v.* 4, & 7) *ego sum, & pactum meum tecum: erisque pater multarum gentium . . . statuam pactum meum inter me & te . . . ut sim Deus tuus, & seminis tui post te*. Hinc in eodem cap. statim post verba in objectione adducta, circumcisio signum fœderis appellatur: *circumcidetis*, inquit, (*Gen.* 17, 11) *carnem præputii vestri, ut sit in signum fœderis inter me & vos*. Itaque illud exemplum Sacramentarios obruit, nedum adjuvet. Si enim Christus præter figuram Corporis

poris & Sanguinis sui nihil dare proposuisset, profecto non dixisset; *hoc est Corpus meum: hic est Sanguis meus*, sed, *iste panis est signum Corporis mei: hic calix est signum Sanguinis mei*; ne videlicet novam, quæ lucis est, legem promulgando, obscurius quam in veteri, quæ umbrarum fuerat, loqueretur.

Quod vero pertinet ad exemplum agni Paschalis, (in quo Zuinglius pueriliter triumphavit, de eo velut peremptorio in somnis se a quodam Spiritu (albus an niger esset, nesciens) admonitum jactitans:) non ideo *Phase* sive *transitus Domini* dictus est, quod hujus figura & imago esset; (quæ enim proportio agnum inter & transitum?) sed quia erat, ut ibidem habetur, (*Exod.* 12, 27) *victima transitus Domini*, scilicet ob imminentem Domini transitum immolanda; familiare namque Scripturæ est, ut ab iis rebus propter quas fieri debent, nomen sacrificia sortiantur. Sic hostia pro pace, *pacificum*; hostia pro peccato, *peccatum* appellabatur: quo sensu dixit Apostolus, *Christum pro nobis factum esse peccatum*: (2 *Cor.* 5, 21) idest pro nostris expiandis criminibus immolatum. Quapropter nulla est, adducta inter agnum Paschalem & Eucharistiam comparatio.

Quod si mordicus contendant, agnum ideo *Phase* sive transitum Domini dictum, quia ejus figura erat, non admodum repugnabimus. Nec enim inde sequetur, panem *Corpus Christi* pariter appellatum, quod ejus figuram gereret: ut enim constat ex regula superius constituta, tunc solum possunt signa rerum significatarum nominibus adornari, quando certum est, non nisi pro signis accipi ab auditoribus posse. Unde sequitur signa quando primum instituuntur, rerum quarum signa sunt nomen gestare non posse, hoc enim repugnat humani sermonis legibus: atqui Judæis jam constabat, agnum alicujus mysterii esse signum: de pane vero nihil hujusmodi suspicari Apostoli poterant, antehac non admoniti. Ergo &c.

Inst. 5. Atqui Christus antequam diceret: *hoc est corpus meum: hic est Sanguis meus*: figurati sensus Apostolos satis superque monuerat. Ergo &c.

Prob. subs. postquam Joannis VI dixisset: *amen, amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis*: continuo subjunxerat: (*v.* 64) *Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quidquam: verba quæ ego locutus sum vobis, Spiritus & vita sunt.* Hinc sic arguunt:

Ille Apostolos præparaverat, ut verba sua figurate acciperent, qui diserte dixerat, *spiritum esse qui vivificat, carnem non prodesse quidquam*; atqui ita Christus longe ante quam Eucharistiam institueret, Discipulos præmonuerat. Ergo &c.

℟. Nego subs. ad probat. admitto auctoritatem, & nego maj. Hujus loci variæ interpretationes sunt, a SS. Doctoribus approbatæ, cum præsentia reali minime pugnantes. Duas afferam quæ diluendæ objectioni sat erunt.

1. Est, carnem Christi iis non prodesse, qui non habent Spiritum ejus: nam ut Scriptura loquitur, (*Rom.* 8, 9) *si quis Spiritum Christi non habet, hic non est ejus*; atque adeo quisquis sine gratia, quam Christi Spiritum intelligimus, Eucharistiæ communicat, nullum ex carne ejus per Sacramentum suscepta fructum percipit; immo, *judicium sibi manducat & bibit*, inquit Apostolus, (1 *Cor.* 11, 29) *non dijudicans Corpus Domini*.

2. Est, quod verba Christi non debeant carnali, & Capharnaitico sensu, sed Sacramentali & spirituali intelligi; putabant enim Capharnaitæ Christum carnem suam sic manducandam promisisse, quomodo caro animalium dentibus atteritur, dilaniatur, & in stomachum digerenda immittitur: quam eorum crassiorem stultamque immaginationem corrigens Christus, *spiritus*, inquit, *est, qui vivificat, caro non prodest quidquam*.

Quamcumque porro harum explicationum sequamur, fateri non tenebimur, Apostolos de sensu figurato fuisse a Christo instructos.

Inst. 6. Atqui his verbis: *caro non prodest quidquam*, non carnalem solummodo Capharnaitarum, sed quemlibet alterum realis præsentiæ sensum excluserat. Ergo &c.

Prob. subs. Ex aliis verbis ejus, quando, *pauperes*, inquit, (*Matt.* 26, 11) *semper habetis vobiscum, me autem non semper habebitis*. Si enim, ajunt, verba Christi, *hoc est Corpus meum: hic est Sanguis meus:* in sensu vero & reali deberent intelligi, procul dubio Christum haberemus semper præsentem; atqui attestatur ipse, se post mortem non amplius in terris futurum. Ergo &c.

℟. Nego subs. ad probat. admitto auctoritatem, & dist. maj. Haberemus Christum semper præsentem, modo invisibili & Sacramentali, conc. modo naturali & visibili, n. maj. dist. pariter min. Testatur ipse se post mortem non amplius in terris futurum, modo visibili, & naturali, conc. modo invisibili & Sacramentali, n. min. & conseq.

E. R. Ut illa Christi sententia Apostolos ad sensum metaphoricum induxisset, debuerat Christus excludere quamlibet realem præsentiam. Porro visibilem tantum futuram negavit, hujus nimirum conditionis & status, in quo ab hominibus subsidium aliquod & juvamen.

vamen acciperet. De hac enim præsentia est locutus, cujus occasione pia mulier (*Ib. v.* 7) unguento pretioso caput ejus perfuderat. Porro officium istud nihil visibiliter & secundum naturalem statum præsenti præstare non potuisset. Iis itaque verbis non significatur Christum post passionis mysterium cum hominibus nulla ratione futurum; quomodo apud Lucam dicendo, (*c.* 24, *v.* 44) *hæc locutus sum vobis*, *cum adhuc essem vobiscum*; significare non voluit, se cum discipulis absolute non esse: (quomodo enim iis non aderat, quibuscum colloquebatur?) sed humano more, & mortalitatis conditione non esse.

Monitum.

Pari ratione solves aliud, quod peremptorium putant hæretici argumentum, obtendentes præsentiam Christi corporalem pugnare cum eo fidei articulo, quo profitemur eius in cœlum ascensionem, & sedere credimus ad dexteram Patris: *hæc enim*, ait supra laudatum Trid. Concilium, (*Sess.* 13, *cap.* 1) *inter se non pugnant*, *ut Salvator noster semper ad dexteram Patris in cœlo assideat*, *iuxta modum existendi naturalem*; *& ut nihilominus aliis in locis Sacramentaliter præsens sua substantia nobis adsit*, *ea existendi ratione*, *quam etsi verbis exprimere vix possumus*, *possibilem tamen esse Deo*, *cogitatione per fidem illustrata assequi possumus*, *& constantissime credere debemus*.

Inst. 7. Atqui Christum in Eucharistia nulla ratione esse præsentem, ex ejus verbis facile intelligere Apostoli poterant. Ergo &c. probat. subs. ex Evangelio, ubi postquam dixerat: (*Luc.* 22, 19, 1 *Cor.* 11, 24) *hoc est Corpus meum*, *quod pro vobis datur*: continuo subjunxit: *hoc facite in meam commemorationem*. Unde sic argumentum assumunt:

Memoria non habetur, nisi rerum absentium; *nemo enim*, ait S. Aug. (*Ena. in Ps.* 37) *recordatur*, *nisi quod in præsentia non est positum*. Quo sensu Aristoteles in libro de memoria & reminiscentia cap. 1, *præsentium*, inquit, *memoria non est*; atqui Sacramentum audiebant Apostoli a Christo in sui commemorationem institui. Ergo ex verbis ejus intelligere facile poterant, neque visibili neque invisibili modo in Eucharistia realiter esse præsentem.

℞. Nego subs. ad probat. admissa auctoritate,

1. Transeat maj. & dist. min. Audiebant Apostoli, a Christo institui Eucharistiam in sui commemorationem, quantum ad aliquid; passionem scilicet & mortem, quam erat postridie perpessurus, conc. quantum ad Corpus & Sanguinem suum, quasi revera a Sacramento abessent, n. min. & conseq.

E. R. Cavillum hunc elidet facile qui attenderit Eucharistiam simul esse signum rememorativum, demonstrativum, & prognosticum; rememorativum passionis quæ præteriit, demonstrativum gratiæ præsentis, quin & ipsiusmet Christi fontis omnium gratiarum, quem realiter continet, & fidei oculis objicit; prognosticum gloriæ futuræ, cujus est pignus: neque hæc latere Apostolos poterant, quibus Salvator una eademque sententia, & præsens in Eucharistia corpus suum, & imminentem passionis horam, & æternam gloriam virtute Eucharistiç comparandam annuntiabat. Idemque modo agnoscit Ecclesia, quando divini Sacramenti virtutem mirabilem prædicans, verbis Angelici Doctoris sic canit; *o sacrum convivium in quo Christus sumitur! recolitur memoria passionis ejus*: *mens impletur gratia*: *& futuræ gloriæ nobis pignus datur*. Hincque manifestum est, nobis S. Augustini sententiam non nocere. Nam de Aristotele quid senserit non curamus: cujus nimirum auctoritate contra realem præsentiam disputare, idem est ac si quis Democriti vel Epicuri judicio mysterium SS. Trinitatis impeteret.

2. Nego maj. nego, inquam, nisi rerum absentium non posse esse memoriam. Non enim præsentiæ opponitur recordatio, sed oblivioni: atque adeo ad ea omnia pertinet, quorum possumus oblivisci; atqui etiam rerum præsentium oblivio sæpe contingit, præsertim si non afficiant sensus nostros, & sola intellectione percipiantur. Sic enim Dei heu nimium! obliviscimur, qui præsentissimus nobis est, cum in illo vivamus, & moveamur, & simus. Obliviscimur Angelorum, quibus cura & custodia nostra commissa est: obliviscimur Dæmonis, qui perpetuo nobis insidiatur, & tamquam leo rugiens circuit quærens quem devoret; obliviscimur idearum quas animo intime conjunctas habemus: & nostri obliviscimur, quando res nostras variis impediti distractionibus non curamus. Cum itaque Eucharistia secundum externam speciem qua sensus afficit, non sit Corpus & Sanguis Christi, sed secundum partem internam, quæ fugit aciem corporalium oculorum: eorum memoriam reipsa quidem præsentium, latentium tamen possunt nobis sacra symbola refricare: atque adeo merito a Christo præceptum, ut Sacramentum Eucharistiæ in ejus memoriam fieret.

Inst. ultimo. Præcipuum Catholicæ sententiæ fundamentum est, quia verba Christi: *hoc est corpus meum &c.* non alium nisi litteralem sensum admittunt; atqui sensus litteralis in ipsis, ut schola loquitur, terminis contradictionem involvit. Ergo &c.

Prob. min. Pronomen (*hoc*) quod est pro-

po-

positionis subjectum, vel Christi Corpus determinate significaret; vel vagam aliquam confusamque substantiam; vel panem quem Christus gerebat præ manibus: vel denique accidentia panis; atqui horum nihil sine repugnantia & absurditate asseritur. Ergo &c.

Probant min. per partes.

1. Si pronomen (*hoc*) Corpus Christi significaret, propositio: *hoc est Corpus meum*: foret identica, hunc enim sensum haberet; *Corpus meum est Corpus meum*; atqui hujusmodi propositiones quippe absurdas, nugatorias, & a vero judicio alienas logica respuit; est enim judicium actus mentis, quo, non unum de se ipso, sed unum de altero affirmatur, aut negatur. Ergo &c.

2. De re singulari quam Christus tenebat præ manibus, Corpus suum esse asseruit. Ergo pronomen, vagam & indeterminatam substantiam significare non poterat.

3. Si pro pane acciperetur, sensus propositionis esset: *hic panis est Corpus meum*; atqui propositio hæc, præter quam quod hæretica foret, (hæresis enim est, dicere panem in propria natura manentem, verum esse & reale Christi Corpus:) sanæ Philosophiæ repugnaret: quando enim prædicatum subjecto adversum est, non posse unum affirmari de altero, communis & vera Philosophorum doctrina est; atqui humanum Corpus & panis duo pugnantia sunt, se se mutuo excludentia. Ergo &c.

4. Demum, de panis & vini accidentibus non posse intelligi, probatione assertio illa non eget: quis enim nisi mentis impos dixerit, humanum corpus idem esse ac accidentium complexionem?

Igitur a primo ad ultimum consequens est, sensum litteralem qui verbis Christi affingitur, manifestam contradictionem habere: quod erat demonstrandum.

℟. Nego 1, & 2 minorem, nego, inquam, in his omnibus sensibus qui Christi propositioni affingi possunt, contradictionem esse: fateor equidem pronomen (*hoc*) de accidentibus panis nec debere, nec posse intelligi: at non idem de cæteris ejus explicationibus Catholica Ecclesia sentit.

1. Enim si pronomen secundum significationem transeuntem accipiatur, sive pro eo, in quo enuntiatur, instanti, revera panem significat. Quemadmodum enim Christus in Cana Galileæ poterat hydriam aqua plenam indicando dicere: *hæc aqua est vinum*: eodemque momento aquam in vinum convertere; sic in præsenti pronomen (*hoc*) quando pronuntiatur, panem transeunter significat, qui verborum efficacia in Christi Corpus sine mora, statimque convertitur.

2. Si juxta permanentem significationem accipiatur, sive pro eo tempore, quo prædicati cum subjecto conjunctio fit: Corpus Christi sine dubitatione significat: sensus enim est: *hoc quod modo panis erat, jam est Corpus meum*.

3. Cum eo quo profertur instanti non eumdem habeat sensum, quem absoluta propositione est habiturum; ideo dici potest, vagam quamdam & confusam menti præbere imaginem, quæ rebus diversis aptari possit. Nam primo quidem panem, deinceps vero Corpus Christi, finita propositione significat. Quod facile concedet, qui ad differentiam sensus transeuntis & permanentis attenderit: cum igitur id quod Christus tenebat præ manibus, primo quidem panis, deinde fuerit Corpus ejus; nihil obstat quominus assentiamur, pronomen (*hoc*,) indeterminatam diversarum substantiarum notionem importasse: non quod revera, uno eodemque instanti multiplex ibi substantia fuerit, sed una in locum alterius continuo divina virtute successit.

Jam ad probationes annexas respondeo sigillatim.

Ad 1, nego maj. Non enim propositio propterea identica dici debet, quia prædicatum idem est realiter ac subjectum: hoc enim si verum foret, propositio omnis essentialis esset identica, adeoque absurda, quod nemo sapiens dixerit. Sit in exemplum ista propositio: *circulus est figura rotunda*: numquid idem non est, esse circulum, quod esse figuram rotundam? plane idem est, cum sit essentiale circulo figuræ rotunditatem habere, nec figuræ alteri conveniat præter circulum. Sed numquid propterea identica propositio dici debet, quæ circulum figuram esse rotundam affirmat? minime vero: licet enim prædicatum idem sit ac subjectum; prædicati tamen clarior significatio est quam subjecti: quia quod confuse vox *circuli* indicabat, quodque in quæstionem venire poterat, prædicati enuntiatio explicat: dicendum itaque propositionem identicam esse, cujus prædicatum & sensu & voce idem est ac subjectum: ut si dixerim: *homo est homo*: *Pater meus est Pater meus*; atqui hujusmodi non est propositio: *hoc est Corpus meum*. Ergo &c.

Ad 2, concesso ant. nego consequ. Quod enim Christus tenebat præ manibus, primo quidem panis fuit, deinde in Corpus ejus divina virtute mutatum est: nihil itaque mirum, si pronomen (*hoc*) utramque substantiam confuse, habita sensus transeuntis & permanentis ratione, significasse dicatur. Idem quip-

quippe Christo Eucharistiam instituente evenit, quod contingere alias sæpe poterat; si nimirum Deus, uxorem Lot in salis statuam convertendo, (*Gen.* 19, 26) dixisset: *hoc est statua salis*: aut si Moyses (*Exod.* 7) virgam in serpentem, & aquam virga percussam in sanguinem mutans, dixisset: *hoc est serpens: hoc est sanguis*: aut denique si Christus ex aqua vinum in nuptiis cana faciendo dixisset: *hoc vinum est*. Porro in his propositionibus subjectum *hoc* propter transitum ab uno statu in alterum confusam significationem habuisset: idem ergo in præsenti concedere Sacramentarii non refugerent, si Catholici & Philosophi esse vellent.

Ad 3, dist. maj. Si pronomen (*hoc*) pro pane *permanenter* acciperetur, sensus propositionis esset, *hic panis est Corpus meum*, conc. si *transeunter* tantum pro pane acciperetur, n. maj. Et data ad min. eadem distinctione, n. conseq. solutio patet ex dictis.

ARTICULUS TERTIUS.

De verbis Eucharistiæ usum significantibus.

Superest ut de usu Eucharistiæ sive communione dicamus, cujus excellentiam S. Paulus magnifice prædicat: *propter quod*, inquit, (1 *Cor.* 10, 14 *& seqq.*) *carissimi mihi fugite ab idolorum cultura; ut prudentibus loquor, vos ipsi judicate quod dico. Calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio Sanguinis Christi est, & panis quem frangimus, nonne participatio Corporis Domini est? quoniam unus panis, unum Corpus sumus omnes qui de uno pane participamus* . . . . nec multo post, (*ibid. c.* 11, 27 *& seqq.*) descripta verbis a Domino ipso acceptis Eucharisticæ institutionis historia, *itaque*, ait, *quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit Corporis & Sanguinis Domini. Probet autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat: qui enim manducat & bibit indigne, judicium sibi manducat & bibit, non dijudicans Corpus Domini.*

OSTENDITUR

His verbis realem Christi significari præsentiam.

Quibus quidem verbis vim Sacramentarii faciunt, ea in sensus figuratos torquendo.

1. Enim Sp. Sanctum qui spiritus veritatis est, de præcipuo Religionis mysterio obscure semper esse locutum, dici sine sacrilega temeritate non potest: quippe sic divinus ille Spiritus, qui docet nos omnia, *quoque inspirante locuti sunt Sancti Dei homines*, (2 *Pet.* 1, 21) eorum calamum rexit, ut sacra mysteria, vel pari ubique claritate exponerent, vel certe si quid alicubi obscurius dictum foret, in aliis locis enucleatius diceretur: ne videlicet Scriptura, quæ primus est veritatis thesaurus, quamque solam, traditione contempta, volunt Hæretici fontem esse omnium veritatum, errandi ansam & occasionem præberet.

Atqui nisi verba Pauli quibus usum Eucharistiæ explicat, in sensu proprio & reali forent accipienda, sequeretur Spir. Sanctum de divina Eucharistia semper obscure esse locutum: ambigua enim in hac hypothesi & involuta essent verba promissionis, verba institutionis, & verba denique usum Sacramenti significantia: atque adeo Sp. Sanctus in errorem Ecclesiam conjecisset; cum itaque plane respondeant secunda primis, & postrema secundis, nec minus Eucharistia in usu Corpus appelletur & Sanguis Christi, quam in promissione & institutione, farendum verba beati Apostoli in sensu obvio & prout sonant, debere de vero Corpore Christi & ejus Sanguine accipi.

2. S. Paulus de hac re, quasi de re indubitata omnibusque confessa sermonem habet: *calix benedictionis*, inquit, *cui benedicimus, nonne communicatio Sanguinis Christi est? & panis quem frangimus, nonne participatio Corporis Domini est?* quasi diceret: *non vobis novum aliquid, sed longe ante ab unoquoque vestrum præscitum annuntio: sic enim instituti, & a vestris pastoribus informati estis, ut Sanguinem Christi in calice, & participationem Corporis Domini in pane quem frangimus, certo & indubitanter esse credatis;* atqui si Apostolus a Christo edoctus Eucharistiam meram figuram putaret, accurarius loqui debuisset, ne suis verbis deciperentur Corinthii. Ergo &c.

3. Ut Corinthios ab idolorum cultu potentius avocet, dominicam illis mensam proponit: *fugite*, inquit, *ab idolorum cultura . . . . . calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio Sanguinis Domini est; & panis quem frangimus, nonne participatio Corporis Domini est?* quasi diceret: absit a vobis converti iterum ad vana gentilium simulacra, & carnes gentilibus immolatas, ritu superstitioso comedere, quibus datum est, Corporis & Sanguinis Domini in mensa ejus participes fieri. Ergo nisi velimus S. Paulum inepte

inepte esse locutum, fatendum verba ejus de vero Corpore & Sanguine Christi debere intelligi.

4. Inde probat fideles unum esse Corpus & unum panem, *quia*, inquit, *omnes de uno pane participamus;* atqui nisi vere in Eucharistia sumitur Corpus Christi, falsum erit Christianos omnes de uno pane participare; quin e contra erit dicendum, in unaquaque quæ in memoriam Domini agitabitur cœna panes diversos occurrere, pari ratione qua in lege vetere non unum omnes agnum, sed multiplices in singulis familiis manducabant, prout dictum a Moyse fuerat; (*Exod.* 12, 3) *tollat unusquisque agnum per familias & domos suas.* Ergo ut vera Apostoli doctrina probetur, ingenue confitendum, ideo unius ejusdemque panis omnes esse participes, quia uno omnes Christi, realiter in Eucharistia præsentis, Corpore, & Sanguine saginantur, *quantumque sumit unus, tantum sumunt mille*, ut canit Ecclesia, *nec sumptus consumitur.*

5. Hoc ipsum alia ejus verba invincibiliter adstruunt: *quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit Corporis & Sanguinis Domini. Probet autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat &c. nam*, inquit Concilii Trid. Catechismus, (*par.* 2. *tit. de Euch. n.* 26) *si, ut hæretici dictitant, nihil aliud in Sacramento venerandum esset, præter memoriam & signum passionis Christi: quid opus erat tam gravibus verbis fideles hortari, ut se ipsos probarent? gravi enim illa judicii voce declaravit Apostolus, nefarium aliquod scelus ab eo admitti, qui impure sumens Corpus Domini quod in Eucharistia latet, ab alio ciborum genere non distinguit.* Ergo &c.

6. Tandem, eo sensu debent Apostoli verba intelligi, quem semper Catholica Ecclesia per omnes mundi partes, perque omnes ætates, communi & irrevocabili sententia tenuit: quod nisi verum fateamur, cogimur dicere tum Deum esse mendacem, qui Ecclesiam universam, contra quam promiserat, destituerit; tum Christum deceptorem qui aliud dederit, quam dare se affirmabat; tum idololatras omnes ab initio fuisse, (si paucos demas) qui Christi nomen professi sunt: adeoque Apostolos, eorumque ad hanc usque diem successores, infinita Martyrum, Confessorum, Anachoretarum, Doctorum, Virginum, simpliciumque fidelium millia, quos ut sanctos colimus, non Christi, sed Diaboli in æternum consortes futuros, quippe qui horribili apostasia, supremum honorem soli Deo debitum, in panis & vini nuda elementa transtulerint: hunc enim semper & ubique fuisse Ecclesiæ sensum, tum ex dictis hactenus invicte constat, tum ex dicendis magis magisque demonstrandum confidimus.

Objectio.

Si prius tamen levi cuidam argumento occurrerimus, quod ex Apostoli verbis Sacramentarii eruunt: ut quid enim, inquiunt, Eucharistiam panem appellat, nec una tantum vice, sed sæpius repetit, si existimat non panem, sed Corpus Christi in Eucharistia esse?

℟. Prout in ipso tractatus limine præmonuimus, panem ideo Eucharistiam ab Apostolo appellari, tum quia panis, etiam consecratione facta, figuram gerit; tum quia Christus in Sacramento præsens, revera animæ spiritualis est panis. Deinde quem panem dicit, pariter & Christi Corpus appellat: *panis*, inquit, *quem frangimus, nonne participatio Corporis Domini est? . . . qui manducaverit panem hunc vel biberit calicem Domini indigne, reus erit Corporis & Sanguinis Domini*, &c. itaque quem panem dicit, eumdem Apostolus Christi Corpus intelligit. Adeoque vana hæc est Sacramentariorum argutia, de qua quia in posterum sermo redibit, sit

CAPUT TERTIUM.

Utrum possit traditione realis Christi præsentia demonstrari?

QUÆ hactenus ex præscriptione & scriptura attulimus, ad vindicandum contra Sacramentarios realis præsentiæ dogma sufficere poterant: certissimum enim veritatis argumentum est, antiqua & nunquam turbata possessio, maxime si habeat constans in divinis litteris fundamentum: ne autem videamur in quæstione præcipua nostro deesse officio, eamdem veritatem adstruemus auctoritate traditionis, quam Hæretici prout e re sua esse putarunt, vel impie despexerunt, vel omni sophismatum genere obscurare & contaminare aggressi sunt. Quapropter sit

§. PRIMUS.

Traditione realis Christi præsentia invictissime demonstratur.

Innumerabiles quas ab ipsis Ecclesiæ primordiis, perque omnes ætates traditio suggerit Sanctorum Patrum, & scriptorum Ecclesiasticorum sententias, temporum seriem & ratio-

rationem sequendo describere, magni molimi-nis opus esset, fortaque studiosæ juventuti parvæ utilitatis futuram: eas itaque ad certa principia revocabimus, unde totidem, perspicuitatis gratia, argumenta inferemus.

Quod in omni, quæcumque esse potest, controversia accidit, affirmantium videlicet & negantium diversa esse principia & diversam rationem loquendi, in præsenti quantum nullibi evidentius experimur: quantum enim Catholici, & Hæretici *in* quæstione de Christi præsentia discrepant, tantum ab invicem sententiis, effatis, axiomatibus, ab assertione aut inficiatione dogmatis consequentibus, differre necesse est.

Sic Christum quem in Eucharistia intime præsentem Catholici credunt, ibidem debita summo Deo reverentia proni adorant: cultum vero hunc impietatis & idololatriæ Sacramentarii arguunt.

Catholici simpliciter & sine ambiguo credendum affirmant, quod Christus in Eucharistia sit. Sacramentarii volunt, non Christianæ fidei, sed anilis credulitatis simplicitatem hanc esse.

Illi emergentia contra possibilitatem realis præsentiæ dubia compescunt consideratione miraculorum quæ sæpe Deus edidit, quando mundum creavit ex nihilo, quando aquam in vinum vertit, quando ministerio Moysi virgam in serpentem & in sanguinem limpidas fluminis undas mutavit: isti ut sensum figuratum & tropologicum adstruant, horum commemoratione prodigiorum non indigent: nec enim miraculosa res est, quod in pane Christi figura constituatur: nec inde summe potens probatur Deus, quia id valet facere, quod imbecilles homines quotidie faciunt, signa arbitraria ad nutum instituendo.

Catholici mysterium Eucharistiæ ineffabili incarnationis Sacramento adæquant. Sacramentariis adæquationem hanc facere scelus inexpiabile foret.

Catholici eamdem Christi carnem, quæ operante Spiritu Sancto *in* utero Virginis Mariæ concepta est, quæque hominum facta redemptione cœlis deinceps est vindicata, & sedet ad dexteram Patris, Sacramento Eucharistiæ contineri affirmant. Sacramentarii in cœlis substantiam ipsam corporis, in Eucharistia nudam ejus figuram ponunt.

Catholici Christum in participatione mysterii a nobis revera recipi, nobisque modo reali quidem, sed tamen inexplicabili commisceri, pro dogmate indubitato ac certissimo habent: quod si Sacramentarios audias, licet magnifice aliquando loqui affectent; Christo haud aliter quam per fidem in Sacramento conjungeris, nec vere corporis ejus fis particeps.

Sacramentariis denique nihil magis, immo nihil præter metaphoricum ac figuratum sensum arridet. Catholici ex adverso ad unum litteralem sensum intenti nihil magis respuunt quam figuram.

Si itaque convictum semel fuerit, eadem quæ hodie Catholici principia uno sensu recipiunt, SS. Doctoribus ab omni retro ætate rata constitutaque fuisse, fatendum erit, reali præsentiæ traditionem, non secus ac scripturæ testimonium suffragari: illud porro est, quod modo aggredimur, tenuique labore confidimus obtinendum. Sit itaque

PROBATIO PRIMA.

Ex comparatione Eucharistiæ cum mysterio incarnationis.

1. Patrum sententias non omnes quidem, sed selectiores proponimus, quibus Eucharistiam conferunt cum incarnatione: & idem utriusque judicium debere esse affirmant.

S. Ignatius Martyr, de Saturnianis & quibusdam alii Hæreticis: *Eucharistiam*, inquit, (*in Ep. ad Smirn.*) *& oblationes non admittunt, quod non confiteantur Eucharistiam esse carnem Salvatoris Domini nostri Jesu Christi, quæ pro peccatis nostris passa est. quam Pater sua benignitate suscitavit.*

S. Justinus Marty: (*in 2 Apol.*) *non ut communem panem, neque ut communem potum ipsa sumimus: sed quemadmodum per verbum Dei caro factus Jesus Christus Salvator noster, carnem & sanguinem salutis nostræ causa habuit: ad eumdem modum etiam eam in quæ per preces verbi ejus ab ipso profecti gratiæ sunt actæ alimoniam, unde sanguis & caro nostra per mutationem aluntur, incarnati illius Jesu carnem, & sanguinem esse edocti sumus.*

S. Hilarius Pictaviensis: (*lib. 8 de trin.*) *Vos* (Arianos) *nunc*, inquit, *qui inter Patrem & Filium voluntatis ingerunt unitatem interrogo, utrum ne per naturæ unitatem hodie Christus in nobis sit, an per concordiam voluntatis? si enim vere verbum caro factum est, & nos vere verbum carnem cibo Dominico sumimus, quomodo non naturaliter manere in nobis existimandus est, qui & naturam carnis nostræ tam inseparabilem sibi natus homo assumpsit?*

S. Ambrosius (*lib. de initiand. cap. 9*) de Eucharistia loquens: *Incarnationis exemplo*, inquit, *adstruamus mysterii veritatem: numquid naturæ usus præcessit: cum Dominus Jesus*

nus ex Maria nasceretur? Si ordinem quærimus, viro mixta fœmina generare consuevit: liquet ergo quod præter naturæ ordinem virgo generavit, & hoc quod conficimus corpus, ex Virgine est: quid hic quæris naturæ ordinem in Christi Corpore, cum præter naturam sit ipse Dominus Jesus partus ex Virgine? vera utique caro Christi, quæ crucifixa est, quæ sepulta est: vere ergo illius carnis Sacramentum est: &c.

S. Joannes Chrysost. (*homil.* 83 *in Matth.*) *Non illi* (Christo) *satis fuit hominem fieri, colaphis cædi, & crucifigi: verum & semetipsum nobis commiscet, & non fide tantum, verum & ipsa re suum efficit corpus.....* & alibi: (*homil.* 24 *in* 1 *Cor.*) *hoc corpus etiam jacens in præsepi reveriti sunt Magi & cum multo metu & tremore adorarunt: tu autem non in præsepi vides, sed in altari, non fœminam eum tenentem, sed Sacerdotem astantem.*

S. Aug. (*conf. lib.* 9, *c.* 3) de Monica matre sua: *Memoriam sui*, inquit, *ad altare tuum fieri desideravit, unde sciret dispensari victimam sanctam, qua deletum est chirographum quod erat contrarium nobis, qua triumphatus est hostis.*

Et alio in loco, (*conc.* 1 *in Ps.* 33) explicans illa l. 1 regum verba (c. 21, v. 13) quæ 70 Interpretes ita legunt: *Portabat se ipsum David manibus suis....... hoc vero fratres*, inquit, *quomodo fieri potuerit in homine quis intelligat? quis enim portatur in manibus suis? manibus aliorum potest portari homo, manibus suis nemo portatur: quomodo intelligatur in ipso David secundum litteram non invenimus, in Christo autem invenimus: ferebatur enim Christus in manibus suis, quando commendans ipsum corpus suum ait: hoc est corpus meum.*

S. Joannes Damasc. (*lib.* 4 *de fide c.* 14) *Quæsivit virgo: quomodo fiat mihi istud? respondit Gabriel Archangelus: Sp. Sanctus superveniet in te: tu quoque nunc quæris: quomodo panis nunc fiat corpus Christi, & vinum aqua mixtum fiat Sanguis Christi? tibi quoque respondeo, Sp. Sanctus supervenit, eaque efficit quæ orationis facultatem, & mentis intelligentiam excedunt...... quod si quæras, quo pacto id fiat? satis tibi sit audire, quod per Sp. Sanctum hoc fiat: quemadmodum ex S. Dei Matre per Sp. Sanctum Dominus sibi ipsi carnem condidit, nec quidquam aliud nobis perspectum & exploratum est, quam quod verbum Dei est verum, & efficax, atque omnipotens, ut ea efficiat, quæ nulla ratio humana queat indagare.*

Inde sic informatur argumentum:

Illi Christum in Eucharistia præsentem realiter credunt, qui affirmant sub sacris symbolis contineri eamdem carnem, quam, per verbum Dei caro factus Jesus, salutis nostræ causa assumpsit, quam magi jacentem in præsepio adorarunt, quæ delevit chirographum nobis contrarium, quæ pro peccatis nostris passa, colaphis cæsa, crucifixa, & denique Patris benignitate est a mortuis excitata: numquid enim ita Sacramentarii, si sinceri fuerint, loqui audebunt, nihil in Eucharistia præter figuram & signum vacuum admittentes? atqui præclara illa Patrum, sæpeque testata confessio. Ergo &c.

Deinde: SS. Doctoribus paria ista principia & ejusdem certitudinis sunt: 1 quod Patrem inter & Filium naturæ sit unitas, & non solius voluntatis: 2 quod verbum caro vere factum sit: 3 quod nos vere verbum carnem in cibo Dominico sumimus: 4 quod non per solam voluntatis concordiam, sed & per naturam maneat in nobis: porro connecti ista æquarique non possent, si ut Sacramentarii volunt, carnem in Eucharistia non nisi figurate sumeremus, nec alia nobis cum Christo nisi quam fides agglutinaret concordia foret: alioquin enim pariter esset dicendum cum impiis Arianis, Patrem & filium non natura, sed sola voluntatis unitate conjungi, & cum perfidis Manichæis, verbum non vere, sed phantastice carnem esse factum. Ergo &c.

Præterea: quod in regum historia, juxta 70 Interpretes legitur: (*lib.* 1, *c.* 21, *v.* 13) *Portabat seipsum David manibus suis*: (vulgata editio habet: *collabebatur inter manus eorum*:) contendit S. Aug. de nemine quam de Christo dictum posse intelligi: *Quomodo*, inquit, *intelligatur in ipso David secundum litteram non invenimus: quis enim portatur in manibus suis? in Christo autem invenimus: ferebatur enim Christus in manibus suis, quando commendans ipsum corpus suum ait: hoc est corpus meum, ferebatur enim illud corpus in manibus suis*; atqui si sentiret S. Doctor, Eucharistiam nihil quidquam nisi Christi figuram & imaginem esse, inepte prorsus & ridicule in solo Christo posse inveniri affirmaret, quod in mortali quolibet sine prodigio reperiret: quis enim homo est ita debilis, qui suam ipsius non valeat manibus gestare imaginem? cum ergo velit singulare hoc Christi esse exemplum, consequens est ut præsentiam realem admiserit, sine qua exemplis singularibus non constaret.

Denique: in hoc SS. Patres cum incarnatione Eucharistiam conferunt, quod utrumque mysterium orationis facultatem & mentis intelligentiam infinito superet intervallo, & omnipoten-

tentem Sp. Sancti virtutem utrumque requirat: *Quaesivit ergo*, ait S. Joannes Damasc., *quomodo fiet mihi istud? respondit* Gabriel, *Sp. Sanctus superveniet in te: tu quoque nunc quaeris quomodo panis fiat Corpus Christi, & vinum aqua mixtum fiat Sanguis Christi? tibi quoque respondeo: Sp. Sanctus supervenit, eaque efficit quae orationis facultatem & mentis intelligentiam excedunt*: nemo vero nisi desiperet ita loqueretur, qui putaret praeter signum corporis & Sanguinis Christi nihil in Eucharistia esse: numquid enim inde se omnipotentem Christus probaret, in pane & vino nudam sui significationem ponendo? aut numquid interventu virtutis altissimi indigeret, ad hoc agendum quod usu quotidiano homines pro arbitrio faciunt? Ergo &c.

PROBATIO SECUNDA.

Ex eo quod Patres simpliciter credendum dixerint, Christum in Eucharistia contineri.

Quod de Thoma Apostolo a S. Gregorio Pontifice Max. dictum est, (*hom. 26 in Ev.*) *Plus ejus nobis infidelitatem ad fidem, quam fidem discipulorum credentium profuisse*: tum in caeteris doctrinae Christi capitibus, tum speciatim in divinae Eucharistiae dogmate saepe Ecclesia comprobavit, egit namque miro modo superna clementia, ut paucis de reali praesentia, propter repugnans sensuum testimonium dubitantibus, plerique in fide, auctoritate Ecclesiae, & Patrum praedicatione solidarentur: ipsaque aliquorum dubitatio, ad confirmationem fidei contribueret: quod facile recognoscet quisquis attenderit ad modum quo Patres emergenti, aut quae emergere poterant de veritate Eucharistiae dubia aut praeverterunt aut excusserunt.

S. Cyrillus Hierosol. (*Catec. 4 mystag.*) *Cum igitur*, inquit, *Christus ipse sic affirmet, atque dicat de pane*, hoc est corpus meum: *quis deinceps audeat dubitare? & eodem quoque confirmante & dicente*: hic est sanguis meus: *quis dubitet, & dicat non esse illius sanguinem? aquam aliquando mutavit in vinum in cana Galileae, sola voluntate, & non erit dignus cui credamus quod vinum in sanguinem transmutaverit? .... ne ergo consideres Eucharistiam tanquam panem nudum & vinum.... hoc sciens & pro certissimo habens, panem hunc qui videtur a nobis, non esse panem, tametsi gustus panem esse sentiat, sed esse corpus Christi; & vinum quod a nobis conspicitur, tametsi sensui gustus vinum esse videatur, non tamen vinum, sed Sanguinem esse Christi.*

S. Joannes Chrysost. (*homil. 83 in Mat.*) verba institutionis Eucharistiae explicans: *Quomodo*, ait, *turbati non fuerunt Apostoli cum hoc audissent? quia multa jam & magna de hoc ante disseruerat Christus.... credamus itaque ubique Deo, nec repugnemus ei, etiam si sensui & cogitationi nostrae absurdissimum esse videatur quod dicit, & sensum, rationemque nostram superet sermo ipsius..... nam verba ejus fallere non possunt: sensus vero noster deceptu facillimus est..... quoniam ergo ille dixit: Hoc est corpus meum: nulla teneamur ambiguitate, sed credamus, & oculis intellectualibus id aspiciamus.... o quot modo dicunt, vellem formam ejus, & speciem ejus, vellem vestimenta ipsa, vellem calceamenta videre: ecce ipsum vides, ipsum tangis, ipsum comedis: vestimenta ejus videre desideras; ipse vero, se ipsum tibi tradit, non ut videas solum, verum etiam ut tangas, & in te habeas.*

Et alibi: (*hom. 60 ad pop. Antioch.*) *Ipsius sermo infallibilis est, sensus autem noster seduci facilis: ille numquam decipit: hic autem ut plurimum errat: quoniam igitur verbum dicit*: Hoc est corpus meum: *& pareamus & credamus, & oculis intellectualibus ipsum intueamur.*

S. Leo Pontifex Max. (*serm. 6 de jejun. 7 mensis*) *Dicente Domino*: nisi manducaveritis &c. *Si sacrae mensae communicare debetis, ut nihil prorsus de veritate corporis Christi & sanguinis ambigatis; hoc enim ore sumitur, quod fide creditur, & frustra ab illis* amen *respondetur, a quibus contra id quod accipitur disputatur.*

S. Gaudentius: (*tract. 2 in Exod.*) *Quod annuntiatum est credas, quia quod accipis corpus est panis illius caelestis, & sanguis est illius sacrae vitis: nam cum panem consecratum & vinum discipulis suis porrigeret sic ait*: Hoc est corpus meum: hic est sanguis meus: *credamus quaeso cui credidimus, nescit mendacium veritas.*

S. Ambrosius: (*de Sacr. lib. 4, cap. 4*) *Panis iste panis est ante verba Sacramentorum: ubi accesserit consecratio, de pane fit caro Christi.... quomodo potest qui panis est, esse Corpus Christi? consecratione: consecratio igitur quibus verbis est, & cujus sermonibus? Domini Jesu: nam reliqua omnia quae dicuntur, laudem Deo deferunt..... ubi venitur ut conficiatur venerabile Sacramentum, jam non suis sermonibus Sacerdos, sed utimur Christi sermonibus; ergo sermo Christi hoc conficit Sacramentum: quis sermo Christi? nempe is quo facta sunt omnia: jussit Dominus & factum est caelum: jussit Dominus, & facta est* ter-

terra: jussit Dominus, & facta sunt maria: jussit Dominus, & omnis creatura generata est: vides ergo quam operatorius sit sermo Christi: si ergo tanta vis est in sermone Domini Jesu, ut inciperent esse quæ non erant, quanto magis operatorius est, ut quæ erant, in aliud commutentur? cælum non erat, mare non erat, terra non erat: sed audi dicentem: ipse dixit, & facta sunt, ipse mandavit, & creata sunt; ergo tibi ut respondeam, non erat Corpus Christi ante consecrationem, sed post consecrationem dico tibi, quod jam Corpus est Christi.

Ib. (*c.* 5) *Antequam consecretur panis est, ubi autem verba Christi accesserint, Corpus est Christi: & ante verba Christi calix est, vini & aquæ plenus: ubi verba Christi operata fuerint, ibi sanguis efficitur qui plebem redemit; ergo videte quantis generibus potens est sermo Christi universa convertere? deinde Dominus Jesus testificatur nobis, quod corpus suum accipiamus ac sanguinem: numquid debemus de ejus fide ac testificatione dubitare? magnum quiddam & venerabile, quod manna Judæis pluit e cælo: sed intellige quid est amplius, manna e cælo, an Corpus Christi? Corpus Christi utique, qui auctor est cæli.*

Idem in altero libro: (*de initiand. cap.* 9) *Quomodo tu mihi asseris, quod Christi Corpus accipiam? Et hoc nobis adhuc superest, ut probemus, non hoc esse quod natura formavit, sed quod benedictio consecravit, majorem vim esse benedictionis quam naturæ, quia benedictionibus etiam natura ipsa mutatur: virgam tenebat Moyses; projecit eam, & facta est serpens: rursus apprehendit caudam serpentis, & in virgæ naturam revertit: vides igitur prophetica gratia bis mutatam esse naturam & serpentis & virgæ.... advertimus igitur majoris esse virtutis gratiam, quam naturam: quod si tantum valuit humana benedictio, ut naturam converteret; quid dicimus de ipsa consecratione divina, ubi verba ipsa Domini Salvatoris operantur? nam Sacramentum illud quod accipis, Christi sermone conficitur.*

Insigne quoddam in hanc rem, omnique dignum memoria in vita S. Gregorii Pontificis Max. legimus: *Matrona quædam*, ait Petrus Diaconus ejusdem scriptor, (*lib.* 2, *cap.* 4) *B. Gregorio per stationes publicas missarum solemnia celebranti solitas oblationes obtulerat: cui post mysteria traditurus* (Communionem) *cum diceret*: Corpus Domini nostri Jesu Christi conservet animam tuam: *Lasciva subrisit: ille continuo dexteram ab ejus ore convertens, partem illam Dominici corporis super altare deposuit: expletis vero missarum solemniis: matronam coram populo inquisivit, quamobrem corpus Dominicum sumptura ridere præsumpserit? at illa diu mussitans tandem prorupit: quia panem, inquiens, quem propriis manibus me fecisse cognoveram, tu corpus Dominicum perhibebas: tunc Gregorius pro incredulitate mulieris, cum tota plebe se in orationem prostravit: & post paululum surgens, particulam panis quam super altare posuerat, carnem factam reperit, quam coram cunctis incredulæ matronæ demonstrans, ad credulitatis gratiam tam illam revocare potuit, quam totum populum confirmare curavit: rursus itaque in orationem cum eisdem prostratus, carnis frustum in panis primordia reformavit*

Laudatis Patribus poteram facile plerosque alios addere, eorumque ejusdem sensus testimonia recitare: quia vero hoc parum propositæ brevitati congrueret, satis fuerit loca indicare quæ poterit studiosus lector consulere: præter cæteros sunt: *S. Hilarius* l. 8 de Trin. *S. Gregorius Nyssen.* in oratione catech. *Hesychius* l. 6 in Levit. *S. Eucherius* homil. 5 de Paschate, & in hom. supra Evangelia.

Inde vero efflorescunt ineluctabilia pro defensione Catholici dogmatis argumenta.

1. Est: si Patres putassent, non Christi Corpus & Sanguinem, sed nudum eius signum in Eucharistia esse; excitata occasione verborum Christi in mentibus fidelium dubia, dictis suis non modo non compescuissent, sed multo magis auxissent ac confirmassent: numquid enim si hæc mihi dubitatio incideret, corrigendam illam aut repellendam his verbis sperares: *Dicente Christo, hoc est corpus meum: eodemque confirmante: hic est sanguis meus: quis tu homo es qui audeas dubitare?* Numquid e contrario hoc me magis anxium incertumque faceres? atqui agendi hæc ratio non potest SS. Doctoribus sine contumelia & stultitiæ accusatione attribui: in hac enim hypothesi planum esset, Cyrillum, Chrysost., Ambrosium &c. non modo idoneos divini dogmatis interpretes, sed ne Philosophos quidem fuisse, & nec micam judicii habuisse. Ergo &c.

2. Est: si Patrum cum Sacramentariis doctrinæ consensio fuit, non aliter debuerunt iino nec potuerunt contrarias dubitationes diluere, quam ad figuræ & virtutis clavim confugiendo; ostendendo nimirum panem & vinum non esse, nisi figurate & in signo Corpus & sanguinem Christi: nec enim aliud Sacramentarii hactenus ad hujusmodi scrupulos sedandos remedium attulerunt; atqui nec unum potest ex Patribus testimonium allegari, qui contra hu-

jus-

jusmodi dubia figuræ & virtutis sensum opposuerint; imo iis ubique vocibus usi comperiuntur, quæ realis præsentiæ persuasionem augerent potius quam minuerent, ut ex allatis eorum testimoniis manifesto constat. Ergo &c.

3. Est: dubium sui probatione non solvitur, sed elucidatione, idest non debet ratio ipsa dubii, sed vanitas explicari; atque adeo si Patres non existimassent, Christum realiter in Eucharistia contineri, eorum intererat sedare animos de hac reambigentium, non præsentiam, sed modum præsentiæ adstruendo: porro ubicumque Patribus sese hujus quæstionis occasio obtulit, in hoc unum intenti reperiuntur, ut Eucharistiam probarent Corpus esse & Sanguinem Christi; hujus vero assertionis non alia argumenta proposuerunt, præter ea unde necessaria præsentia realis infertur. Ergo &c.

4. Dubium quo quis angitur, qua ratione Christus in Eucharistia sit? non potest hit verbis sedari: *Hoc est corpus meum: hic est sanguis meus*: cum in his ipsis vocibus, quatenus videntur invicem pugnare, fons & origo dubii sit; atqui SS. Patres ut dubium de Christi præsentia dissipent, nihil his verbis habent in ore frequentius: *Credamus ubique Deo*, inquit Chrysost. (*Homil. 83 in Matth.*) *Nec repugnemus ei.... quoniam ergo ille dixit*: Hoc est corpus meum: *nulla teneamur ambiguitate, sed credamus, & oculis intellectus id perspiciamus....* & S. Leo: (*serm. 6 de jejunio 7 mensis*) *Dicente Domino*: nisi manducaveritis &c. *Sic sacræ mensæ communicare debetis, ut nihil prorsus de veritate Corporis Christi & Sanguinis ambigatis....* & S. Ambrosius: (*lib. 4 de Sacram. c. 5*) *Dominus Jesus testificatur nobis, quod Corpus suum accipiamus & sanguinem: nunquid debemus de ejus fide ac testificatione dubitare?* Non ergo putaverunt efficacius posse hæc dubia cohiberi, quam realem Domini in Sacramento præsentiam verbis ipsis Domini adstruendo.

5. Est; si Patres pro figurata & mera signi præsentia dimicassent, nihil iis causæ erat cur tantopere contra sensuum testificationem inveherentur; si enim bene advertimus, in sacramentariorum sententia, cum panis & vinum in propria natura remaneant, sensuum testimonio nihil detrahitur, nec falsitatis argui possunt; cum menti, id quod revera est, panem scilicet & vinum etiam verbis Evangelicis recitatis, objiciant, nec quidquam in contrarium facit figurata ac spiritualis Corporis & Sanguinis Christi significatio, pani & vino post consecrationem adveniens: hæc enim elementorum naturam non mutat: quomodo arcui cœlesti nihil reale accrevit, aut detractum est, eo quod ad significandam Dei placationem a Deo fuerit assumptus: quo fit ut in Sacramentariorum doctrina, erga panem & vinum, sive ante, sive post consecrationem, sensuum æquale imperium sit; atqui nihil magis inculcant Sancti Doctores, quam quod ubi de Christi in Sacramento præsentia agitur, sensuum testimonium, quia mendax, audiri non debeat: *Ne consideres Eucharistiam*, ait S. Cyrillus (*catec. 4 mistag.*) *tamquam panem nudum & vinum nudum.... hoc sciens & pro certissimo habens, panem hunc qui videtur a nobis non esse panem: tametsi gustus panem esse sentiat, sed esse Corpus Christi, & vinum quod a nobis aspicitur, tametsi sensui gustus vinum esse videatur, non tamen vinum, sed sanguinem esse Christi....* Et S. Chrysost. (*Hom. 83 in Matth.*) *credamus ubique Deo, nec repugnemus ei, etiam si sensui & cogitationi nostræ absurdissimum esse videatur quod dicit, & sensum rationemque nostram superet sermo ipsius: nam verba ejus fallere non possunt, sensus vero noster deceptu facillimus est*. Eademque aliorum sententia est: quis porro de grege Sacramentariorum pronuntiare sic audeat: *Panis qui videtur a nobis, non est panis, licet gustus panem esse sentiat, sed est corpus Christi, & vinum quod a nobis conspicitur, tametsi sensui gustus vinum esse videatur, non tamen vinum, sed sanguis est Christi?* Cui unquam in mentem venit sensui nostro videri absurdissimum, quod panis & vinum, ad Christi Corpus & Sanguinem significandam, eorumque excitandam fidem fuerint ab ipso Christo assumpta? cum de hujusmodi signis, quæ sola intellectione percipiuntur; nulla sensuum testificatio sit: nullamque figuræ significatio elementis mutationem importet: quomodo agnus Paschalis in veteri lege, etiamsi Christum venturum præfiguraret, ejusdem tamen in seipso naturæ erat. Ergo &c.

6. Denique petitur ex miraculis quæ Patres ad excellentiam Eucharistiæ prædicandam, ejusque firmandam fidem, tanta emphasi ac magnificentia prædicant, non hoc profecto facturi, si nihil in Sacramento præter figuram agnoscerent: *Aquam aliquando mutavit in vinum in Cana Galilææ sola voluntate*, inquit sæpe memoratus Cyrillus, (*catec. 4*) *& non erit dignus cui credamus, quod vinum in sanguinem transmutaverit?*

Et S. Ambrosius: (*de Sacr. lib. 4, c. 4*) *Sermo Christi hoc conficit Sacramentum: qui sermo Christi? nempe is quo facta sunt omnia: jussit Dominus, & factum est cœlum: jussit Dominus & facta est terra: jussit*

sit Dominus & facta sunt omnia: jussit Dominus & omnis creatura generata est; vides ergo quam operatorius sit sermo Christi; si ergo tanta vis est in sermone Domini Jesu, ut inciperent esse quæ non erant: Quanto magis operatorius est, ut quæ erant in aliud commutentur &c. .... (*lib. de init. cap.* 9) *Virgam tenebat Moyses, projecit eam, & facta est serpens; rursus apprehendit caudam serpentis, & in virgæ naturam revertit: vides igitur prophetica gratia bis mutatam esse naturam & serpentis & virgæ.... quod si tantum valuit humana benedictio, ut naturam converteret, quid dicimus de ipsa consecratione divina, ubi verba ipsa Domini Salvatoris operantur?* Quis porro Patres risu & elleboro dignos non censeret, si stylo sic turgido loquerentur, ad demonstrandam sensus figurati in Eucharistia possibilitatem? quod idem foret, ac si quis inde probaret posse hominem appensa hedera vinum venale significare, quia potuit Moyses virgam in serpentem, rursumque serpentem in virgam mutare: & quia potuit Deus omnem creaturam formare ex nihilo: vah! miseram audacemque hæresim, cui credi non potest, quin simul credatur abomnibus retro sæculis humanum genus, ipsosque hominum sapientissimos in insaniam incidisse!

PROBATIO TERTIA.

Ex eo quod Patres simpliciter ac rotunde dicant, fideles Corpore & Sanguine Christi nutriri.

Eucharistiam pro alimento divino homini a Christo datam, constans & uniformis SS. Patrum doctrina est.

Quando ergo mixtus calix & fructus panis percipit verbum Dei, inquit S. Irenæus contra Valentinianos disputans, a quibus carnis resurrectio negabatur, (*lib.* 5, *cap.* 2) *fit Eucharistia Corporis & Sanguinis Christi, ex quibus augetur & consistit carnis nostræ substantia: quomodo carnem negant esse capacem donationis Dei, quæ est vita æterna, quæ Sanguine & Corpore Christi nutritur ut membrum ejus?* &c.

Tertullianus: (*lib. de resurr. carnis cap.* 8) *Caro Corpore & Sanguine Christi vescitur, ut & anima de Deo saginetur.*

S. Cyprianus: (*Ep.* 54) *Viventibus communicatio a nobis danda est, ut quos excitamus & hortamur ad prælium, non inermes & nudos relinquamus, sed protectione Corporis & Sanguinis Christi muniamus: & cum ad id fiat Eucharistia, ut possit accipientibus esse tutela, quos tutos esse contra adversarium volumus, munimento Dominicæ saturitatis armemus.*

Christus, ait idem, (*tract. de orat. Domin.*) *noster, qui ejus corpus contingimus, panis est: hunc autem panem dari nobis quotidie postulamus, ne qui in Christo sumus, & Eucharistiam quotidie ad cibum salutis accipimus, intercedente aliquo graviore delicto; dum abstenti & non communicantes a cælesti pane prohibemur, a Christi corpore separemur.*

S. Gregorius Nyssenus: (*orat. catech. cap.* 37) *Quomodo parum fermenti, ut dicit Apostolus, sibi assimilat totam conspersionem; ita corpus (Christi) a Deo morte affectum, cum fuerit intra nostrum, totum ad se transmutat & transfert: sed fieri non potest, ut sit aliquid aliter intra corpus, nisi per esum & potionem misceatur visceribus, cum autem solum illud corpus, quo Deum suscepit homo hanc gratiam acceperit: oportet considerare quomodo fieri potuerit, ut unum illud corpus, quod tam multis fidelium millibus in universo orbe terrarum semper distribuitur, totum per partem sit in unoquoque, & ipsum in se totum maneat.*

S. Ephrem Syrus: (*in lib. de non scrutanda Dei nat.*) *Esto fidelis atque innocens: participa immaculatum Corpus & Sanguinem Domini tui fide plenissima, certus quod agnum ipsum integre comedas: ignis immortalis sunt, mysteria Christi: cave ea temere scruteris, ne in ipsorum participatione comburaris. Abraham Patriarcha cælestibus Angelis terrenos cibos apposuit, illique eos comederunt: ingens sane miraculum est, cernere spiritus incorporeos in terra carnium cibos manducantes; sed hoc profecto omnem excedit admirationem, omnem mentem, omnemque sermonem quod nobis fecit unigenitus filius, Christus Salvator noster: ignem quippe & spiritum manducandum atque bibendum præstitit nobis carne vestitis, corpus videlicet suum ac sanguinem.*

S. Joannes Chrysost. (*hom.* 51 *in Matth.*) *Non vestis solum, sed corpus ipsius nobis propositum est, non ut tangamus solummodo, sed ut comedamus & saturemur: qui enim majus, idest, seipsum pro te posuit, quare dedignabitur suum tibi tradere corpus?* .... (*hom.* 83 *in Matt.*) *quot modo dicunt, vellem formam & speciem ejus, vellem vestimenta ipsa, vellem coloramenta videre? ipsum vides, ipsum tangis, ipsum comedis, vestimenta ejus desideras videre: ipse vero seipsum tibi tradit, non ut videas solum ipsum, verum etiam ut tangas, & in te habeas.... quis loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes*

nes laudes ejus? quis pastor oves proprio pascit cruore? Et quid dico, pastor? Multæ Matres post partum aliis nutricibus infantes dederunt: quod ipse facere non voluit, sed proprio corpore nos alit, sed & sibi conjungit, atque agglutinat.

Vide eumdem *Hom.* 45 *in Joan.*, 24 *in* 1 *ad Cor.* & 27, ubi præter cætera quæ ore vero aureo de Eucharistia prædicat, ut Christianum a peccando deterreat: *Hæc facis*, inquit, *Christi mensa exceptus, illo die quo dignus es habitus, qui ejus carnes lingua tangeres: quicumque sis ergo, ne hæc fiant, manum tuam expurga, & castiga linguam tuam & labia, quæ ingressi Christi fuere vestibula.*

S. Aug. (Ep. *al.* 118, *nunc* 54) *Placuit Sp. Sancto, ut in honorem tanti Sacramenti in os Christiani prius Dominicum corpus intraret, quam ceteri cibi.*

Idem contra adversarium legis & Prophet. (*lib.* 2, *cap.* 9) *Mediatorem Dei & hominum hominem Christum Jesum, carnem suam nobis manducandam, bibendumque sanguinem dantem fideli corde atque ore suscipimus; quamvis horribilius videatur humanam carnem manducare, quam perimere, & humanum sanguinem potare, quam fundere.*

Utque plura alia prætermittam: (*lib.* 20 *cont. Faust cap.* 18) *Hebræi in victimis pecorum quas Deo offerebant, multis & variis modis, sicut tanta re dignum erat, prophetiam celebrabant futuræ victimæ, quam in cruce Christus obtulit: unde jam Christiani peracti hujus sacrificii memoriam celebrant, sacrosancta oblatione & participatione Corporis & Sanguinis Domini.*

S. Cyrillus Alexandr. (*lib.* 4 *in Joan. cap.* 2) *Sæpe Salvator eumdem sermonem Judæis inculcans varie proponit, modo quidem ænigmate & obscuritate multa involutum, modo rejecta tunica nudum & apertum: ut nisi crediderint, condemnationem non effugiant, sed mali male pereant, in suam ipsi perniciem gladium stringentes: nihil igitur occultans demum Christus ait: ego sum panis vivus, qui de cœlo descendit, illud manna typus erat, inquit, & umbra, & imago: audite palam nunc & aperte: ego sum panis vivus: si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum; qui ex illo (manna) manducaverunt, mortui sunt, non erat enim vivificus: qui autem manducat hunc panem, idest me, sive meam carnem, vivet in æternum.*

Nec minus expresse S. Gregorius M. (*hom.* 14 *in Evang.*) *Bonus Pastor animam suam posuit, ut in Sacramento nostro corpus suum & Sanguinem verteret, & omnes quos redemerat, carnis suæ alimento satiaret* .... (*hom.* 22 *in Evang.*) *quid sit sanguis agni, non jam audiendo, sed bibendo didicistis: qui sanguis supra utrumque postem ponitur, quando non solum ore corporis, sed etiam ore cordis hauritur.*

His porro, aliisque sexcentis Patrum testimoniis Sacramentariorum hæresim obrui, plurima argumenta convincunt.

1. Est: verum esse Christiani hominis cibum & potum, SS. Doctores Eucharistiæ, velut singularem ejus proprietatem attribuunt, per quam ab alio quolibet Sacramento secernitur: de quo si quis ambigat, relegat eorum quas modo exscribebamus sententias, omnisque confestim dubitatio evanescet; atqui si Christum non aliter quam figurate in Eucharistia manducaremus, nec aliter quam in signo, ejus sanguine potaremur, nulla Patribus causa erat, illam tanto discrimine a ceteris Sacramentis ac symbolis distinguendi; in quo enim omnia ex æquo conveniunt, in hoc ipso differre, nonnisi stulte putari possunt; atqui nullum Sacramentum est novæ legis, quod spiritualem Corporis & Sanguinis Christi participationem non afferat: immo nec ullum fuit in veteri, quod eadem non fuerit prærogativa donatum: hinc illud Apostoli celebre dictum: (1 *Cor.* 10, 1 & *seq.*) *Patres nostri omnes .... eamdem escam spiritualem manducaverunt, & omnes eumdem potum spiritalem biberunt: (bibebant autem de spiritali consequente eos petra; petra autem erat Christus;)* ergo ex eo quod Patres simpliciter affirmaverint, fideles corpore & Sanguine Christi nutriri, sequitur realem ejusdem in Eucharistia præsentiam credidisse.

2. Est: quod Christus in Eucharistia fidelium alimentum esse voluerit, Patres velut insigne divinæ potestatis prodigium contemplantur atque suspiciunt: *Oportet considerare*, ait Gregorius Nyssenus, *quomodo fieri potuerit, ut unum illud corpus, quod tam multis fidelium millibus in universo orbe terrarum semper distribuitur, totum sit in unoquoque, & ipsum in se totum maneat* .... Et S. Ephrem: *Hoc profecto omnem excedit admirationem, omnem mentem omnemque sermonem, quod nobis fecit unigenitus Filius, Christus Salvator noster, ignem quippe & spiritum manducandum atque bibendum præstitit nobis carne vestitis, corpus videlicet suum & sanguinem* .... multoque cæteris in admiratione concitatior Chrysostomus: *Quis loquetur*, inquit, *potentias Domini, auditas faciet omnes laudes ejus? quis pastor oves proprio pascit cruore? & quid dico pastor? multæ matres post partum aliis nutricibus infantes dederunt: quod ipse facere non voluit: sed proprio corpore*

nos

nos alit, sed & sibi conjungit atque adglutinat. Hinc sic instauro argumentum:

Atqui si Eucharistia ad meram Corporis, & sanguinis Christi recordationem foret instituta, nec veram in se Christi carnem verumque cruorem haberet, pueriles hæ Patrum exclamationes essent, & ridicula admiratio: sensus enim esset: *Oportet considerare, quomodo fieri potuerit, ut panis qui tam multis fidelium millibus in universo orbe terrarum semper distribuitur, in propria manens semper substantia valeat Christi memoriam excitare;* item; *hoc profectò omnem excedit admirationem, omnem mentem, omnem sermonem, quod nobis fecit Christus Salvator noster*. Quid vero tantum præstituit? *Nobis nimirum carne vestitis, in pane & vino corporis sui & sanguinis figuram dedit*; item: *quis loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes ejus? quis Pastor oves proprio pascit cruore? & quid dico pastor? multæ matres partus suos aliis committunt nutricibus: Christus vero*: Quid porro Christus? *vult ut dum panem manducamus & vinum bibimus, ipsius recordemur, eique per fidem adhæreamus*: quis vero nisi stupidus, omnique sensu destitutus tam insulsum admiratorem non rideat?

Deinde admiratio nonnisi in rebus insolitis, communemque virtutem superantibus habet locum; atqui quod signa quædam sint, Christi fidem excitantia, nec novum nec insolitum est, cum figuris hujusmodi vetus testamentum plenum esset; sed nec humanam, ut sæpe diximus, facultatem excedit, signa hujusmodi arbitraria constituere: fatendum ergo Patres in Eucharistia realem & veram Christi præsentiam admisisse.

3. Patres possibilitatem & veritatem corporum resurrectionis ad gloriam, præter cætera, inde adstruunt, *quia caro corpore & Sanguine Christi nutritur*; atqui ratiocinium hoc in Catholicorum quidem sententia validissimum est: hunc enim habet sensum: *Quomodo Valentiniani carnem negant esse capacem vitæ æternæ, quæ nutritur corpore & Sanguine Christi ad immortalitatem evecti, ejusdemque sacrâ Communione fit membrum? membrum enim ejusdem debet esse sortis ac totum cui conjungitur*. At in Sacramentariorum doctrina nihil hac ratiocinatione frigidius, insulsius nihil: sensus enim est: „ caro „ pane communi ex farina & aqua compa„ cto nutritur, in quæ præter arbitrarium „ Christi figuram, quæ potest cuilibet pariter „ alimento affingi, nil reperitur: quomodo er„ go Valentiniani negare audent carnem vitæ „ æternæ esse capacem? “ quis Valentinianus in hujus argutiæ refutationem non triumpharet? Ergo &c.

4. Sancti Doctores peculiarem in Eucharistia virtutem agnoscunt, per quam qui excitantur ad prœlium, contra adversarios munimento Dominicæ saturitatis armantur, ut loquitur S. Cyprianus supra laudatus: (*Ep.* 54.) atqui doctrina hæc vera esse nequit nisi realis præsentia admittatur: nam juxta Sacramentarios hoc unum Eucharistia habet, quod fidem Christi, ejusque passionis ac mortis memoriam excitet; atqui hoc non ita proprium ejus est, quin & cæteris Sacramentis, & quibusvis operibus bonis, & ipsis etiam conveniat communibus epulis: quodque magis Eucharistiæ necessitatem evertit, homo ad fidem suam excitandam nullis absolute loquendo signis exterioribus indiget, sine quibus justus fide sua vivit; itaque hæc tam admirabilis Eucharistiæ efficacitas juxta Patrum doctrinam, non alio quam reali præsentiæ principio nititur.

5. Sancti Patres de manducatione & potatione Corporis & Sanguinis Christi loquuntur, tamquam de aliquo quod potest horrorem incutere: *Christum Jesum*, ait S. Aug. (*lib.* 2, *cap.* 9) contra adversar. legis & Prophet. *carnem suam nobis manducandam, bibendumque sanguinem dantem fideli corde atque ore suscipimus, quam horribilius videatur, humanam carnem manducare, quam perimere, & humanum sanguinem potare quam fundere*; atqui figurata manducatio terrorem non incutit. Ergo &c.

6. Si Patres putassent, fideles nonnisi improprie & fide sola Corpore ac Sanguine Christi nutriri, non dixissent corpus & Sanguinem ejus in nostris corporibus recipi; atqui nihil occurrit in eorum scriptis frequentius: *Caro nostra*, ait S. Irenæus, *corpore & Sanguine Christi nutritur, ut membrum ejus*: juxta Tertullianum: *caro corpore & sanguine Christi vescitur*: ex Gregorio Nysseno, *per esum & potionem corpus Christi nostris corporibus admiscetur*: ex Ephrem Syro: *nobis carne vestitis, ad manducandum atque bibendum corpus ejus & sanguis traduntur*: ex S. Joanne Chrysost. *Per linguam nostram & labia, ceu per vestibula, corpus Christi in nostrum ingreditur, ipsum tangimus, ipsum videmus, ipsum manducamus*; ex S. August. *Dominicum corpus intrat in os Christiani, non secus ac cæteri cibi*: Quorum similia ubique reperies. Ergo &c.

7. Denique: docent Patres, in Eucharistia figuras veteres adimpleri, nudamque & apertam veritatem rejecta umbrarum tunica revelari; (vide supra S. Cyrillum Alexand. & S. Gregorium) atqui nisi Eucharistia Christum reali-

realiter contineret, præter umbram & imaginem, nihil, quod Sacramentarii non diffitentur, haberet, immo esset veteribus figuris inferior. Ergo &c.

PROBATIO QUARTA.

Ex Eucharistiæ adoratione.

Fidem realis præsentiæ, cum Eucharistiæ adoratione indivulse esse conjunctam, ita ut qui Christum vere suo adesse Sacramento crediderit, supremum ei latriæ cultum non possit nisi impie denegare, ipsi Sacramentarii recognoscunt; itaque si semel constiterit, semper & ubique Eucharistiæ honores soli Deo debitos attributos; pari ratione constabit realis præsentiæ dogma esse traditione certissimum; atqui Eucharistiam semper in Ecclesia adoratam, Patrum antiquissimorum, omniumque orientis & occidentis liturgiarum testatio est. *Per scabellum terra intelligitur*, inquit S. Ambrosius (*lib. 3 de Spiritu cap. 12*) ad hæc Psalmi verba alludens: Exaltate Dominum Deum nostrum, & adorate scabellum pedum ejus, quoniam sanctum est: *Per terram autem caro Christi, quam hodie quoque in mysteriis adoramus, & quam Apostoli in Domino Jesu, ut supra diximus adorarunt*: Eamdemque interpretationem secutus S. Aug. (*enarrat. in Ps. 98, ad hæc verba: adorate scabellum &c.*) *Quæro*, ait, *quid sit scabellum pedum ejus, & dicit mihi scriptura*; terra scabellum pedum meorum. *Fluctuans converto me ad Christum, quia ipsum quæro hic, & invenio quomodo sine impietate adoretur terra, sine impietate adoretur scabellum pedum ejus: suscepit enim de terra terram, quia caro de terra est, & de carne Mariæ carnem accepit; & in ipsa carne hic ambulavit, & ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit: nemo autem illam carnem manducat, nisi prius adoraverit: inventum est, quemadmodum adoretur tale scabellum pedum Domini, & non solum non peccemus adorando, sed peccemus non adorando*. Igitur Ambrosii, & Aug. temporibus Eucharistiam ubique adorabat Ecclesia, neque illud minus expresse S. Cyrillus Hierosolym. Theodoretus, & plerique alii attestantur, quorum testimoniis si qui se victum obstinate negaverit, obruetur auctoritate lyturgiarum, quibus tam evidens est adorationem præscribi, quam meridie diem esse.

Affero in exemplum verba divinæ Missæ S. Joannis Chrys. (*Vide rituale Græcorum apud Goar.*) ubi, quod ad præsens facit, sic habetur: *Sacerdos orat secreto; attende Domine Jesu Christe, Deus noster, de sancto habitaculo tuo, & de throno gloriæ regni tui, & veni ad sanctificandum nos; qui in excelsis cum Patre simul resides, & hic una nobiscum invisibiliter versaris, & dignare potenti manu tua nobis impertiri immaculatum corpus tuum, & pretiosum sanguinem, & per nos toti populo. Debinc adorat Sacerdos, & Diaconus in quo est loco, ter secreto dicentes*: Deus propitius esto mihi peccatori: *Et populus similiter cunctus cum devotione adorat; cum autem viderit Diaconus Sacerdotem manus extendentem, & sanctum panem tangentem, ut faciat sanctam elevationem exclamat*: Attendamus: *& Sacerdos*: Sancta Sanctis: *Chorus*: unus Sanctus, unus Dominus Jesus Christus in gloria Dei Patris, Amen.

. . . Deinde *Sacerdos dicit*: Diacone accede: *Et accedens Diaconus reverentiam exhibet, & petit veniam: at Sacerdos tenens sanctum panem porrigit Diacono, & exosculans Diaconus porrigentem sibi manum, accipit sanctum panem dicens*: Impertire mihi Domine pretiosum & sanctum Corpus Domini, & Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi: *Sacerdos autem dicit*: Impertior tibi pretiosum, & sanctum & illibatum Corpus Domini & Dei, & Salvatoris nostri Jesu Christi, in remissionem peccatorum & vitam æternam: *Et secedit* (*Diaconus*) *retro sanctam mensam inclinans caput, & orat eo modo quo Sacerdos*.

Similiter autem Sacerdos accipit sanctum panem, inclinans caput ante sanctam mensam, & precatur hoc pacto. Credo Domine & confiteor, quod tu es Christus Filius Dei viventis, qui venisti in mundum ad salvandos peccatores, quorum primus ego sum . . . ut latro tibi confiteor: memento mei Domine in regno tuo. Domine non sum dignus, ut sub sordidum tectum animæ meæ ingrediaris: sed quemadmodum dignatus es in spelunca & præsepio brutorum recumbere, & in domo Simonis leprosi, etiam similem mei meretricem ad te accedentem suscepisti: ipse quoque dignare in præsepe animæ meæ rationis expertis, & in coinquinatum meum corpus mortuum, & leprosum ingredi, & sicut non abhorruisti os sordidum meretricis, illibatos pedes tuos osculantis: ita Domine Deus meus, ne a me etiam peccatore abhorrueris; sed tamquam bonus & clemens, dignare me participem effici sanctissimi tui corporis & sanguinis &c. . . . . & hoc pacto sumunt sanctum panem, similiter & sanctum calicem.

Et sumit quidem prius Sacerdos . . . . & post sumptionem . . . tenens sanctum calicem, vocat Diaconum dicens: Diacone accede: *Et Diaconus accedit, & adorat semel dicens*: Ecce venio ad immortalem regem: *Et*, credo Domine:

mine, & confiteor, *ex integro*, *& dicit Sacerdos*: communicas serve Dei Diacone N. pretioso & Sancto Corpori & Sanguini Domini & Salvatoris nostri Jesu Christi &c. . . . . *tunc* . . . *Diaconus adorans semel*, *sumit sanctum calicem cum veneratione*, *& procedit ad ostium*; *& attollens sanctum calicem*, *ostendit ipsum populo dicens*: Cum timore Dei, & fide accedite. *Chorus*: amen: amen: amen: benedictus qui venit in nomine Domini. *Et Sacerdos benedicit populum alta voce dicens*; Salva Deus populum tuum, & benedic hæreditati tuæ: *Et chorus*: in multos annos Domine. *Et Diaconus Sacerdosque ad sanctam mensam revertuntur*, *& tertio thus adolet Sacerdos dicens intra se*: Exaltare super cœlos Deus, & super omnem terram gloria tua: *Acceptum deinde sanctum discum super caput Diaconi imponit*, *& Diaconus suscipiens eum cum veneratione*, *respiciens extra versus januam*, *nihil locutus*, *ad propositionis mensam procedit*, *& ipsum deponit*; *at Sacerdos adorans*, *& sanctum calicem accipiens*, *ad januam versus populum respicit*, *dicens*: Perpetuo, nunc, & semper, & in sæcula sæculorum &c.

In quibus nisi Sacramentarii toties imperatam ac repetitam Eucharistiæ adorationem agnoscunt, deploratæ cœcitatis esse oportet: ejusdem porro normæ ac formæ sunt, omnes quotquot in diversis orientis partibus liturgiæ obtinent: ita Alexandrinorum, Coptitarum, Syrorum, Nestorianorom, Æthyopum, Armenorum, Moscovitarum, & aliorum denique omnium in his diversissimis regionibus libri rituales, sine discrimine ullo præscribunt: unde certo eruitur concordiam hanc non hæresum aut schismatum fœtum esse, sed ab Apostolica traditione descendere.

De Romana porro Latinaque Ecclesia necesse non habeo dicere: hanc enim ab antiquo Christum in Eucharistia præsentem adorasse, & etiamnum adorare, ipsi Sacramentariorum antesignani confessi sunt; unumque illis ad ejus elevandam auctoritatem perfugium fuit, idololatriæ accusatio: *Quum doceant*, inquiebat Erasmus (*in Ep. ad Fratr. inferioris Germaniæ*) *summam impietatem & idololatriam esse adorare Eucharistiam*, *quod factum est ante ætatem Augustini ac Cypriani*, *et ut est credendum*, *ab ipsis traditum Apostolis*, *nonne damnant totam Ecclesiam? confugiant ipsi ad illam nulli cognitam Ecclesiam*, *sub cujus titulo cuique licet quod lubet*.

PROBATIO QUINTA.

Ex dissensione Sacramentariorum a Patribus.

Ubi principia discrepant, doctrinæ, ut prædiximus, convenientia esse non potest, quia doctrina omnis principiis, ceu fundamentis innititur; quantum Sacramentarii a Patribus differant, etsi hactenus sæpe dictum, juvat summatim & præcipua capita percurrendo, in prospectum adducere: quo magis magisque pateat, realem præsentiam, quam præfracte Sacramentarii negant, a Patribus propugnatam.

1. Sancti Doctores, c. 6 Joannis Eucharistiam a Christo promissam contendunt: & Sancti Evangelistæ verbis ita Sacramentum Corporis & Sanguinis Christi significatum affirmant, ut alia ratione litteraliter nequeant explicari; ita censuerunt; S. *Irenæus* l. 4, c. 34, *Origenes* hom. 16 in Numeros, *Cyprianus* tract. de oratione Domin. *Hilarius* l. 9 de Trinit. *Cyrillus Hieros.* catech. 4 mystag. *Ambrosius* l. de iis qui mysteriis initiantur, c. 8, & lib. 6 de Sacramentis c. 1, *Aug.* in tract. super Joan. *Concilium Alexand.* in Ep. contra Nestorium, *Cyrillus Alexand.* in Joann. *Theodoretus* hist. l. 4, *S. Leo* serm. 6 de jejunio 7 mensis; *Cassiodorus* in Ps. 107, & quamplures alii.

Sacramentarii traditionem hanc quippe errori suo e diametro contrariam conculcarunt, ostendentes in hoc cap. Joannis solam fidem commendari, de Eucharistia vero nec minimam fieri mentionem.

2. SS. Doctores in verbis Evangelistarum & Sancti Pauli quibus Eucharistiæ institutio & usus significatur, nullam difficultatem reperiunt, eaque planissima, ut revera sunt, esse fatentur; at rem iis verbis significatam, velut creditu difficillimam, omneque vincentem miraculum attoniti suspiciunt atque demirantur: *Quomodo turbati non fuerunt Apostoli*, ait S. Joannes Chrysost. (*hom. 83 in Matth.*) *cum hoc audissent*) Christum videlicet dicentem: *Hoc est corpus meum*; *hic est sanguis meus*.

Sacramentariis e contrario res verbis significata ne nodus quidem est, nedum Gordianus putetur; quod enim Christus in pane & vino nudum sui Corporis, & Sanguinis signum posuerit, nihil mirabile habet: tantum itaque in ipsa verborum significatione laborant, quam ut ostendant communi Ecclesiæ sensui esse contrariam, in omne latus se vertunt, mirisque semetipsos torquendo modis, hoc tandem assequuntur, ut leges omnes grammaticæ, dialecticæ, ipsiusque communis sensus notiones convincantur miserabiliter conturbasse.

3. Patres Eucharistiam Corpus & Sanguinem Christi simpliciter, nullaque adhibita cautione appellant: Eucharistiæ participem fieri idem illis est, ac Corpus & Sanguinem Christi recipere: Eucharistiam non corporis, sed mentis & fidei oculis inspiciendam ubique inculcant; nedum aliquem arguant, quod dixerit in Eucharistia Corpus Christi & Sanguinem contineri, si, ex adverso, mutire aliquis in contrarium ausus fuerit, acriter reprehendunt, & emergentia dubia supremæ Dei potestatis oppositione dispellunt.

Sacramentarii longe diversam ineundo viam, nihil quidquam in Eucharistia præter panem & vinum agnoscunt, eoque tantum a cibo potuque communi differre volunt, quod signum sit ad excitandam Christi memoriam institutum; unde nedum diffidant sensibus, eorum testimonio penitus adhærent, qua de causa Sacramentarii dicti sunt; ex quo iterum sequitur, ut ad fidem Eucharistiæ (verius dixerim ad suam perfidiam adstruendam) divinæ omnipotentiæ prædicatione non egeant.

4. Sancti Patres Eucharistiæ dignitatem, ut nimirum lingua menti respondeat, verbis quam possunt magnificentissimis prædicant; *Sancta Sanctorum* Dionysius Alexand. (*Ep. Canon. can.* 2); *Sanctum Domini*, Cyprianus (*tract. de lapsis*); *Sanctum Sanctorum* Hesychius (*lib.* 2, *in Levit.*); *Sanctum* antonomastice S. Prosper (*dimid. temp. c.* 6); *Sanguinem immortalem*, Julius Firmicus (*de error. proph. relig. cap.* 22, *Sanguinem viventem*, S. Joannes Chrysost. (*hom.* 5 *in Matth.*); *alimentum incorruptibile*, Origenes (*hom.* 2 *de divers.*); *Panem Angelorum*, *panem qui de cœlo descendit*, S. Hieron. (*Ep. ad Hedib.*); *Agnum immaculatum*, *victimam sanctam*, S. Aug. (*confes. l.* 9, *c.* 13, *Epist. olim.* 86); *vitam*, *Sacramentum æternum* plerique dixere, nemo denique antiquorum repertus est, qui tantum Sacramentum propriis laudibus non ornarit.

Quis porro ita loqui Sacramentarius audeat, nisi qui abnegato Deo, voluerit homines verbis ad fraudem compositis fallere?

5. Panem & vinum in corpus & Sanguinem Christi divina omnipotentia, operante invisibiliter Sp. Sancto converti Patres affirmant: *Non hoc est quod natura formavit*, ait S. Ambrosius, (*de initiand. c.* 9) *sed quod benedictio consecravit* . . . (*Ibid.*) *liquet quod præter naturæ ordinem Virgo generavit*, *& hoc quod conficimus corpus, ex Virgine est*, indeque est, quod vocibus ab Apostolica traditione acceptis Oriens Occidensque precatur, ut panis & vini dona proposita, in Corpus & Sanguinem Christi mutentur: *Domine*, *qui Sanctissimum Spiritum Apostolis hora tertia misisti*, ait divina Missa S. Joannis Chrysost. (*Vide Goar.*) *hunc*, *o bone ne auferas a nobis* . . . *& fac quidem panem hunc*, *pretiosum Corpus Christi tui* . . . *quod autem est in hoc calice*, *pretiosum Sanguinem Christi tui* . . . . *immutans Sp. Sancto tuo*: parique sensu Missa Romana, *quam oblationem tu*, *Deus*, *in omnibus quæsumus benedictam*, *adscriptam*, *ratam*, *rationabilemque facere digneris*, *ut nobis Corpus & Sanguis fiat dilectissimi filii tui Domini nostri Jesu Christi*.

Ab hac vero fide quantum Sacramentarii distant, qui nihil mutationis in pane & vino etiam post verba Evangelica recitata agnoscunt, nec Deum ad hoc miraculum perpetrandum implorandum putant, nec temperare sibi ab abrogandis liturgiis potuerunt!

6. Qui panem & vinum in corpus & sanguinem Christi miraculo supra hominum atque Angelorum intelligentiam stupendo credebant, consequens fuit ut pari fide tenerent, Christum nobis in altari præsentem propeci, vere nobiscum & corporaliter versari, a nobis tangi, recipi, manducari, nobisque instar alimenti distribui: *Sileat omnis caro humana*, inquit divina missa S. Basilii (*Vide Goar.*) *& stet cum metu & tremore*, *& nihil terrenum in se cogitet*. *Rex enim Regnantium*, *& Dominus Dominantium progreditur*, *ut mactetur & detur in cibum fidelibus*. Plena ubique sunt similibus testimoniis scripta Patrum: ita *S. Cyprianus* in tract. de oratione Domin. *S. Basilius* de bapt. l. 2, *S. Joannes Chrysost.* de Sacerdotio l. 3, & in suis passim hom. *S. Cyrillus Alexand.* contra Nestorium l. 4, c. 5, *Optatus Milevit.* lib. 6 contra Donatistas, *S. Aug.* enarr. in Ps. 33, & plerisque aliis locis & denique alii passim SS. Doctores.

Longe aliter Sacramentarii sentiunt, Christum sola fide & Spiritu recipi, nec alibi nisi in cœlo præsentem corporaliter contendentes.

7. SS. Patres Christi corpus vere, etiam a malis, licet ad suam ipsorum perniciem recipi uniformiter affirmant: ita *S. Cyprianus* in lib. de lapsis: *S. Basilius* lib. 2 de baptismo c. 3, *S. Joannes Chrysost.* in hom. de proditione Judæ, hom. 83 in Matth. & hom. 3 in Ep. ad Ephesios, *Theodoretus* in c. 11, 1 Ep. ad Cor. *S. Leo* serm. 4 de Quadragesima, *S. Aug.* Serm. 11 de verbis Domini, l. 1 contra Crescon. c. 25, l. 5 de bapt. contra Donatistas c. 8, & alii plerique omnes: indeque inferunt, Corpus & Sanguinem Christi a malis male accipientibus atroci injuria affici.

Non ita porro Sacramentarii sentiunt, quorum opinio est, non Christo ipsi, sed signo & Imagini Christi, ab indigne communicantibus injuriam fieri.

8 SS.

8. SS. Patres pro insigni divinæ potestatis miraculo habent, quod integrum Christi corpus & indivisum accipiatur ab omnibus qui fiunt Sacramenti participes: *Oportet considerare*, ait S. Gregor. Nyssenus, (*orat. catech. c.* 37.) *Quomodo fieri potuerit, ut unum illud corpus, quod tam multis fidelium millibus in universo orbe terrarum semper distribuitur, totum per partem sit in unoquoque, & ipsum in se totum maneat:* affirmant insuper, unum in Ecclesia esse panem, unum calicem, unum sacrificium, unum altare, quia unum ubique corpus, & unus Christi sanguis offertur.

Longe ab hac opinione Sacramentarii distant: numquid enim prodigiosa res est, quod panis in plures divisus partes, merum Christi signum sit: cum possit hujusmodi significatio in infinitum, non a Deo tantum, sed hominis solius nutu multiplicari sine miraculo?

9. SS. Patres præter cætera novæ legis Sacerdotibus attributa divinitus privilegia, hoc potissimum demirantur, quod producendi Christi Corporis habeant potestatem: *Absit a me*, ait S. Hieronymus (*Ep. ad Heliod.*) *ut de iis quidquam sinistrum loquar, qui Apostolico gradui succedentes, Christi corpus sacro ore conficiunt*.

Ostendant si possunt suam cum Patribus consensionem Sacramentarii, qui nec ullam in verbis Evangelicis efficaciam, nec ullam in Sacerdotibus conficiendi corporis & Sanguinis Christi potestatem agnoscunt, ipsumque Sacerdotium ausu sacrilego extirparunt.

10. Tandem Patres Christum in Eucharistiam ab Angelis & hominibus adorandum & revera adorari affirmant: de cultu latriæ ab hominibus exhibendo jam dictum: de Angelis vero: *Sileat omnis caro humana*, inquit S. Basilius in divina missa, (*Vide Goar.*) *& stet cum metu & tremore, & nihil terrenum in se cogitet: Rex enim Regnantium, & Dominus Dominantium progreditur ut mactetur, & detur in cibum fidelibus: eum autem præcedunt chori Angelorum, cum omni principatu & potestate: qui multos habent oculos cherubim, & qui sex alas seraphim, oculos tegentes, & hymnum proclamantes*.

Cultum porro hunc Sacramentarii velut idololatricum detestantur.

Igitur a primo ad ultimum evidens est, realem præsentiam quam Sacramentarii negant, divinæ & Apostolicæ traditionis esse doctrinam.

§. SECUNDUS.

Sacramentariorum oppositiones refutantur.

Quamquam quid opus erat, tantam ex traditione copiam argumentorum advehere? Patres namque sibi esse manifesto contrarios Sacramentariorum proceres in ipso suæ rebellionis initio ingenue agnoverunt: scitu dignum, quantum secum ipso Œcolampadius pugnaverit, antequam ad abnegandam fidem realis præsentiæ pervenerit: *Quoties*, inquit Lavaterus (*hist. Sacram. de cœna Domin.*) *seriem verborum institutionis cœnæ Dominicæ apud Evangelistas legebat, aliam in cortice medullam subesse, in animum incidebat: quod tamen levi certamine refutans, cogitabat ut plerique alii: num tu aliis vis sapientior esse? credendum est, quod alii credunt .... tunc solus abjectus es a facie Domini, ut illic repugnes ubi fere nemo? ... sæpe antiquorum Doctorum lectione infirmitatem suam vincere conabatur: sed principio non occurrebat, quo juvaretur: crebro erat obvium, Corpus Domini & Sanguis Domini ..... pendens itaque ab aliorum judicio parum recte sentiebat: tandem semota hominum auctoritate, veritas ei fulgidior affulsit*.

Itaque non aliter Œcolampadius, quam *semota hominum auctoritate*, id est rejecta traditione, mutari in Sacramentarium potuit: eademque Zuinglii, Josephi Scaligeri, Socini & Socinianorum persuasio fuit, SS. Patres pro realis præsentiæ Doctrina stetisse: *Miror*, inquit Scaliger, (*Scaligerana p.* 78) *qui fieri potuerit, ut Patres omnes crediderint, panem in verum Christi Corpus converti ....* Socinus vero; (*in Ep. ad Radecium*) *legantur modo*, inquit, *Pontificiorum scripta adversus Lutheranos & Calvinianos, & satis intelligetur, si præter sacras litteras illorum (Patrum) auctoritate sit standum, vobis omnibus causa cadendum esse*.

Quod si omnium candor idem ingenuitasque fuisset, in vindicandis Patribus opera superflue poneretur: quia vero eosdem sibi conciliare omni deinceps cavillandi artificio pseudo ministri conati sunt, non debuit certe a nobis hæc controversia negligi. Itaque

Objiciunt: Eucharistiam, signum, figuram, typum Christi Corporis dicere, idem est ac realem præsentiam negare; atqui Patres Eucharistiam affirmant esse signum & figuram Corporis Christi. Ergo &c.

℟. dist. maj. Eucharistiam typum Christi dicere, *secundum omnes suas partes*, idem est ac realem negare præsentiam, conc. *secun-*

cundum partem exteriorem, nego maj. dist. pariter min. Patres Eucharistiam affirmant esse signum Corporis Christi, *secundum partem externam & sensibus obviam*, conc. *secundum se totam*, n. min. & conseq.

E. R. Eucharistia, ut est sæpe dictum, duplici parte, interna & externa coalescit: internam Patres Corpus & Sanguinem Christi esse sine tergiversatione affirmant: de exteriori dicunt, quod typus sit & figura Christi latentis: figura, inquam, plena, hoc ipsum cujus typus est, realiter continens: quod & nos ipsi cum Catholica Ecclesia affirmamus: nec enim typi, symboli, signi, figuræ, Sacramenti, voces quasi nobis contrarias fugimus, imo quotidie canimus: *tantum ergo Sacramentum veneremur cernui*; item: *sub diversis speciebus, signis tantum & non rebus latent res eximiæ*, nec propterea credimus realis præsentiæ fidem vel tantillum lædi, quia Eucharistiam non pro vacuo nudo, sed pro pleno signo habemus. Eaque Generalis esto ad omnia quæ ex Patribus congerunt heterodoxi responsio, eo verior ac certior, quod vix unum ex illis testimonium opponi possit, cui proximo non hæreat ex iisdem textibus, hæresis Sacramentariæ jugulatrix responsio.

Afferam unum aut alterum exemplum, aliorum investigationem diligentiæ Lectoris relinquens. Eucharistiam S. Cyrillus Hierosol. *antitypum* Corporis & Sanguinis Christi appellat: (*catech.* 5) in hac voce *antitypi*, hæresis quasi prostrata Romanæ Ecclesiæ fide triumphat: est enim *antitypus* idem quod signum, symbolum, figura: quam autem temerario sibi victoriam arroget, protinus agnoscet qui Cyrilli catecheses legerit: ibidem enim verbis adeo perspicuis dogma Catholicum explicat, nihil ut desiderari amplius possit: *Cum igitur*, inquit, (*catec.* 4) *Christus ipse sic affirmet atque dicat de pane: hoc est corpus meum: quis deinceps audeat dubitare? ac eodem quoque confirmante ac dicente: hic est sanguis meus: quis, inquam, dubitet ac dicat non esse illius sanguinem? aquam aliquando mutavit in vinum, quod est sanguini propinquum, in cana Galilææ sola voluntate; & non erit dignus cui credamus, quod vinum in sanguinem trasmutaverit? quare cum omni certitudine Corpus & Sanguinem Christi sumamus: nam sub specie panis* (ecce antitypum) *datur tibi corpus, et sub vini* (ecce iterum antitypum) *datur sanguis: ut sumpto Corpore et Sanguine Christi, efficiaris comparticeps corporis ejus & Sanguinis: sic Christophori erimus, hoc est Christum ferentes, cum ejus corpus & sanguinem in membra nostra receperimus*, &c.

Pariter S. Ambrosius Eucharistiam Corporis Christi Sacramentum, hoc est Sacrum signum vocat: *veræ illius carnis Sacramentum est*, inquit: (*lib. de initiandis cap.* 9) unde gloriandi, nobisque insultandi occasionem hæretici capiunt: quam autem immerito faciant, ostendit ipse in eodem loco S. Doctor: *Quomodo tu mihi asseris*, inquit, *quod Christi corpus accipiam? & hoc nobis adhuc superest, ut probemus, non esse quod natura formavit, sed quod benedictio consecravit: majorem vim esse benedictionis quam naturæ, quia benedictionibus natura ipsa mutatur: virgam tenebat Moyses, projecit eam, & facta est serpens: rursus apprehendit caudam serpentis, & in virgæ naturam revertit, . . . quod si tantum valuit humana benedictio, ut naturam converteret: quid dicimus de ipsa consecratione divina, ubi verba ipsa Domini Salvatoris operantur? . . . . . incarnationis exemplo adstruamus mysterii veritatem: numquid naturæ usus præcessit, cum Dominus Jesus ex Maria nasceretur? Si ordinem quærimus, viro mixta fœmina generare consuevit: liquet ergo quod præter naturæ ordinem virgo generavit, & hoc quod conficimus Corpus ex virgine est: quid hic quæris naturæ ordinem in Christi Corpore, cum præter naturam sit ipse Dominus Jesus partus ex Virgine? vera utique caro Christi quæ crucifixa est, quæ sepulta est: vere ergo illius carnis Sacramentum est.*

Inst. 1. Atqui Patres Eucharistiam merum Christi signum esse volunt, etiam quantum ad partem internam. Ergo &c. Prob. subseq. ex Tertulliano: *Professus itaque Christus*, inquit ille, (*lib.* 4 *contra Marcion. cap.* 40) *se concupiscentia concupiisse edere Pascha . . . acceptum panem & distributum discipulis, corpus suum illum fecit, hoc est corpus meum dicendo, idest figura corporis mei*. Hinc sic disputant:

Ille Eucharistiam pro signo Christi vacuo absolute habet, qui ipsissima Christi verba: *hoc est corpus meum*, de figura explicat; atqui ita Tertullianus. Ergo &c.

R. Nego subs. ad probat. accepta auctoritate & concessa maj. nego min. volunt Sacramentarii Tertulliani hunc esse sensum: *in hoc pane figuram pono corporis mei:* nos contra contendimus in hac ejus phrasi vocum transpositionem esse, ita ut hæc propositionis pars, *figura corporis mei*, non prædicatum afficiat, sed subjectum, hoc modo: *hoc, idest, panis, qui olim figura erat corporis mei, nunc est corpus meum*: quod ut planum fiat, duo statuimus.

1. Posse hoc modo explicari Tertullianum: 2 revera sic debere intelligi.

Ac

Ac 1 quidem inde certo conficitur, quod hujusmodi transpositiones sint huic scriptori familiares: sic in lib. contra Praxeam, c. 29, *Christus*, inquit, *mortuus est*, *idest unctus*, ubi manifestum est, vocem, *unctus*, non ad prædicatum, *mortuus*, sed ad subjectum, *Christus*, necessario pertinere: hunceque propositionis esse sensum: *Christus*, *idest unctus*, *mortuus est*. Pariter in hoc ipso contra Marcionem libro, (*lib.* 4, *cap.* 11) citans hæc Ps. 77 verba: apetiam in parabolis os meum: *Aperiam*, inquit, *in parabolam os meum*, *idest*, *similitudinem*: ubi vox, *similitudinem*, certissime non prædicato convenit, sed subjecto: quod qui non capit, stolidus est, neque putandum translatas hujusmodi locutiones, sic Tertulliani proprias esse ut cæteris Patribus peregrinæ fuerint: pari namque modo S. Joannes Chrysost. *Super hanc petram*, inquit (*Homil.* 55 *in Matth.*) *ædificabo Ecclesiam meam*, *idest fidem & confessionem*: ubi fidem & confessionem de petra dici, non de Ecclesia, clarum est, & S. Clemens Alexandrin. *Hic est*, inquit, *sanguis meus*, *sanguis vitis*: *τῦτο μὲ ἐςι τὸ αἷμα, αἷμα τῆς ἀμπέλυ*: quam propositionem Albertinus ipse de Sacramentariorum grege scriptor inter suos haud ignobilis, ita reddendam contendit: *Hoc*, *idest*, *sanguis vitis*, *est sanguis meus*.

Alterum, quod nimirum ita Tertullianus exponi debeat, sic ostendo: scopus ejus in toto contra Marcionem opete est, demonstrare Christum legis veteris adversarium non fuisse: ad hoc vero probandum eo potissimum utitur argumento, quod Christus figuras omnes quæ in veteri lege præcesserant adimplevit, profecto non impleturus si foret legis Mosaicæ inimicus: jam vero in hoc ipso capite quod opponitur, expresse affirmat, panem in antiqua lege Christi fuisse figuram: *Professus itaque*, inquit, *se concupiscentia concupiisse edere Pascha . . . . . acceptum panem et distributum discipulis*, *corpus suum illum fecit*, *hoc est corpus meum dicendo*, *idest figura corporis mei*: *figura autem non fuisset*, *nisi veritatis esset corpus*: *cæterum vacua res*, *quod est phantasma*, *figuram capere non posset*: *aut si propterea panem corpus sibi finxit*, *quia corporis carebat veritate*; *ergo panem debuit tradere pro nobis*: *faciebat ad veritatem Marcionis ut panis crucifigeretur*: *cur autem panem corpus suum appellat*, *et non magis peponem*, *quem Marcion cordis loco habuit*, *non intelligens veterem fuisse istam figuram Corporis Christi*, *dicentis per Jeremiam*: *adversum me cogitaverunt cogitatum dicentes*: *venite*, *mittamus lignum in panem ejus*, *scilicet crucem in corpus ejus*; *itaque illuminator antiquitatum*, *quod tunc voluerit significasse panem*, *satis declaravit*, *corpus suum vocans panem*, &c. itaque vocem (*figura*) non de corpore ipso Christi, sed de pane hic esse dictam, Tertullianus ipse sic aperte declarat, ut nostra interpretatione non egeat.

Inst. 2. Atqui Tertullianus intellexit, Eucharistiam nihil aliud esse quam figuram Corporis Christi. Ergo &c. prob. subs. ex aliis ejusdem contra Marcionem verbis, ubi ut demonstret, Christum non fuisse conditionis mundi inimicum: „ Sed ille quidem usque „ nunc, *inquit*, (*lib.* 1 *contra Marcion c.* 14) „ non reprobavit panem, quo ipsum corpus „ suum repræsentat, etiam in Sacramentis „ propriis indigens mendicitatibus creatoris." Inde sic cavillantur:

Ille intellexit Eucharistiam nihil aliud esse quam figuram Corporis Christi, qui dixit corpus ejus in pane repræsentari; atqui ita Tertullianus. Ergo &c.

℟. Nego subs. ad probat. admitto auctoritatem, & dist. maj. ille &c. qui dixit Corpus Christi in pane repræsentari, hoc est, absens significari, conc. hoc est *præsens*, *loco panis*, constitui, n. maj. dist. pariter minor. docet Tertullianus in pane corpus Christi repræsentari, hoc est, *sub speciebus panis præsens adesse*, conc. *absens significari*, n. min. & conseq.

E. ℟. Purus putus hic Sacramentariorum cavillus est: verbum enim (repræsentare) communi probatissimorum scriptorum usu, idem plerumque significat ac rem præsentem exhibere: pari ratione qua Græcis *παριςαναι*, idem est ac præsentem sistere: sic in eo quod ait Cicero (*Epist. famil. lib* 5, *Epist.* 16) „ Non esse expectandam temporis medicinam, „ quam repræsentare ratione possumus": quid aliud quam præsentem medicinam, & non nudam ejus absentis significationem intelligere possumus? item in altero. Plinii: (*in orat. Trajano dicta c.* 25) „ An medioeris „ animi est, his potius repræsentare pecu„ niam, quibus magis negari potest?" quid aliud vox, *repræsentare*, quam donare pecuniam significat, & in præsenti, ut Catanæus, Lipsius, & alii explicant? eodemque sensu vox illa est a SS. Patribus aliquando usurpata: quale est istud S. Ambrosii: (*in Psal.* 118) „ Multi ingrediuntur palatia, & non statim „ regem istum terræ vident: sed frequenter „ observant, ut aliquando videri mereantur: „ nec præsumunt videndi copiam, sed jussi „ repræsentantur:" quin & ejusdem rei exemplum in Tertulliano ipso occurrit: „ Si ad „ Dei voluntatem, inquit, & ad nostram suspensionem pertinet regni Dominici repræ-

„ sen-

„ sentatio, quomodo quidam protractum quem-„ dam in sæculo postulant? “ (*Tert. lib. de orat*) quidni ergo in præsenti, eodem sensu vox *repræsentandi* accipitur? maxime cum aliunde sit certum, Tertullianum realem Christi præsentiam propugnasse? nam in lib. de resurr. carnis c. 8, *Caro*, inquit, *Corpore & Sanguine Christi vescitur, ut anima de Deo saginetur*. Et in lib. de idolol. c. 7, contra quosdam qui fabricandis idolis operam dabant, & postea ad Eucharistiam contaminatis manibus accedebant, sic invehitur: „ Tota die „ ad hanc partem zelus fidei perorabit, in-„ gemens Christianum ab idolis in Ecclesiam „ venire . . . attollere ad Deum Patrem ma-„ nus matres idolorum . . . . eas manus ad-„ movere corpori Domini, quæ dæmoniis cor-„ pora conferunt . . . . . proh scelus! semel „ Judæi Christo manus intulerunt, isti quo-„ tidie corpus ejus lacessunt, o manus præ-„ cidendæ “!

Monitum.

Eadem ad similem ex S. Hieronymo petitam objectionem responsio est: ille commentario in Matth. advertit, Christum impleto Typico Paschate, ad verum Paschatis Sacramentum transisse: „ ut quomodo, *inquit*, in „ præfiguratione ejus Melchisedech Sacerdos „ Dei summi panem & vinum offerens fece-„ rat, ipse quoque veritatem sui corporis & „ Sanguinis repræsentaret: “ nam quod hac voce præsentia corporis & Sanguinis Christi significetur, inde patet quod ibidem affirmet, Christum veritatem attulisse, cujus præfiguratio in Melchisedech oblatione præcesserat.

Inst. 3. ex S. Aug. Eucharistia ita est Sacramentum Corporis Christi, ut nulla ratione illud includat. Ergo &c.

Prob. ant. & duo opponunt S. Doctoris testimonia.

1. Ex enarratione in Ps. 3, ubi, *Christus*, inquit, *Judam adhibuit ad convivium, in quo Corporis et Sanguinis sui figuram discipulis commendavit et tradidit*.

2. Ex lib. contra Adimantum Manichæum c. 12, ubi, *Non dubitavit*, inquit, *Dominus dicere, hoc est corpus meum, cum signum daret corporis sui*. Inde sic arguunt:

Figura, non veritas sed umbra est veritatis: signum non est res ipsa significata, non enim potest sui ipsius aliquid signum esse; atqui ex S. Aug. Christus discipulis dedit signum & figuram corporis sui. Ergo &c.

℟. Nego ant. & dico Sacramentarios frustra tanti Doctoris patrocinio gloriari, quem totum sibi Catholica Ecclesia vendicat: sic de Monica Matre sua loquens: *Memoriam sui*, inquit, (*lib. 9 conf. c. 13*) *ad altare tuum fieri desideravit, cui nullius diei prætermissione servierat, unde sciret dispensari victimam sanctam, qua deletum est chirographum quod erat contrarium nobis:* numquid enim vero per figuram corporis, & non per corpus ipsum deletum est peccati chirographum?

Et in lib. contra Faustum: *Habet*, inquit, (*lib. 12, cap. 10*) *magnam vocem Christi Sanguis in terra, cum eo accepto, ab omnibus gentibus respondetur, Amen: hæc est clara vox sanguinis, quam sanguis ipse exprimit ex ore fidelium eodem sanguine redemptorum . . . . .* (*ib. l. 20, c. 18*) *Hebræi in victimis pecorum quas Deo offerebant, multis & variis modis, sicut tanta re dignum erat, Prophetiam celebrabant futuræ victimæ, quam in cruce Christus obtulit: unde jam Christiani, peracti hujus sacrificii memoriam celebrant sacrosancta oblatione et participatione Corporis et Sanguinis Domini*.

Longum esset omnia memorare, quibus fidem Ecclesiæ Sanct. Doctor egregie exprimit, & valida contra Sacramentarios arma ministrat.

Venio nunc ad argumentum: & admissis auctoritatibus dist. maj. figura non est veritas, sed adumbratio veritatis, signum pariter non est res ipsa significata: *Potest tamen figura cum veritate, et signum cum re significata conjungi*, con. *et non possunt simul illa consistere*, n. maj. dist. pariter min. ex S. Aug. Christus discipulis dedit figuram corporis sui, *cum veritate conjunctam*, conc. *a veritate separatam*, n. min. & conseq.

E. R. Licet figura qua talis, veritas ipsa non sit, potest tamen veritati esse conjuncta: sic columba & linguæ igneæ in baptismo Christi, & in die Pentecostes, figura quidem fuerunt Sp. Sancti, at eum tamen præsentem significantes; itaque signorum sunt duo genera distinguenda: alia ad defectum præsentiæ, alia ad defectum apparentiæ supplendum instituuntur: primi generis erant in lege veteri agnus Paschalis, manna, panes propositionis, & omnia sacrificia Hebræorum; secundi fuit columba in baptismo Christi, humana species ab Angelis aliquando sumpta &c. signa primi generis res significatas excludunt; secundi, non item: dicimus porro ad hoc secundum genus symbola Eucharistica pertinere, nec alio sensu Eucharistiam a S. Aug. Corporis & Sanguinis Christi figuram esse vocatam, quod ut jure suo inficiarentur hæretici, deberent ostendere:

1. Nusquam aliter Eucharistiam a Sancto Doctore quam pro figura corporis Christi acceptam: quod sane frustra tentarent, cum ex ejus testimoniis hactenus allegatis, aliisque pe-

ne

ne innumeris certum sit, pro vero & naturali Christi corpore habitam.

2. A Catholicis Eucharistiam, signum Corporis Christi nulla ratione vocari posse, quod nemo admittet, nisi qui doctrinam Ecclesiæ penitus ignoraverit.

3. In his saltem locis quæ opponuntur, S. Aug. signi & figuræ nomine realem præsentiam exclusisse: quod quam falsum sit, ex scopo S. Doctoris in libro contra *Adimantum* evinco: contendebat ille veteris testamenti Deum, novi conditori fuisse contrarium: quod ut probaret, hoc, præter cætera, argumento nitebatur: veteris testamenti Deus, inquiebat, esum sanguinis prohibuerat, eo quod anima carnis in sanguine esset: quo edicto supponebatur posse animæ aliquod detrimentum afferri; atqui e contrario Christus in Evangelio declaravit, occidi quidem ab homine posse corpus, at animæ noceri non posse; ergo secum ipsis pugnant Deus veteris testamenti & novi.

Argumentum duobus modis resolvit S. Doctor. 1 advertit, in Deuteronomio agi de anima belluarum; Christum vero in Evangelio loqui de anima hominis; adeoque pugnantes veteris & novi testamenti non esse sententias. 2 Respondet sanguinem in scriptura animam vocari, non quia anima est, sed quia est ejus signum: cumque exempla quæreret, quibus constaret signa aliquando nomine rerum significatarum esse vocata, duo quæ ejus memoriæ occurrerunt, Eucharistiæ scilicet, & petræ deserti adhibuit: *Non dubitavit*, inquit, *Dominus dicere: hoc est corpus meum: cum signum daret corporis sui . . . sic est sanguis anima, quomodo petra erat Christus*: hinc sic prosequor argumentum: quando S. Aug. sanguinem dicit esse animæ signum, signum animæ conjunctum dubio procul intelligit; ergo pariter, quando Eucharistia signum dicit esse Corporis Christi, nulla causa est, cur non de signo conjuncto locutus intelligatur, præsertim cum realem præsentiam alibi verbis adeo perspicuis, & tam sæpe repetitis adstruxerit.

Inst. 4. Hac loquendi formula: *Non dubitavit Dominus dicere, hoc est corpus meum, cum signum daret corporis sui*: S. Augustinus manifesto insinuat, Christum præter figuram Apostolis nihil dedisse: alioquin enim ineptissime esset locutus, quia exceptio hujusmodi & observatio in sermone proprio locum non habet: nam quæso quis sapiens dixerit: *Non dubitavit Petrus dicere, hoc est aurum*: si aurum vere dederit? *non dubitavit dicere: hoc est aqua*: si aquam vere exhibuit. Ergo &c.

℞. Nego 1, & 2 propositionem: tertiamque dist. observatio hæc in proprio sermone locum non habet, quando res de qua loquimur, præsens est etiam secundum externam speciem, conc. *secus* n. ant. & conseq.

E. R. Inepte quidem loqueretur qui diceret: *Non dubitavit Petrus affirmare, hoc est aurum*, quando vere aurum dabat: quia metallum hoc non natura tantum, sed & externa specie præsens erat, nec ullum sui poterat dubium injicere: idemque de exemplis similibus affirmandum: sed quando contingit, rem natura quidem esse præsentem, non tamen qualis est in se apparere, nihil habent absurdi hujusmodi locutiones, numquid enim reprehendendum putares, qui ita esset locutus: *Non dubitavit Petrus dicere, hoc est aurum: cum arcam auro refertam præberet?* numquid pariter ineptus esset hic sermo: *Non dubitavit dicere: ego sum Angelus Raphael: qui Tobiæ juniori itineris ducem ac comitem se adjunxerat?* itemque alter: *Non dubitavit Joannes dicere, quando venit super Jesum columba, vidisse Sp. sanctum super illum descendentem?* licet enim vere Angelus Raphael esset qui Tobiam fuerat comitatus: vereque Sp. Sanctus in Jesum descendisset: nihil tamen exterius præter formam hominis, & columbæ speciem apparuerat, cum itaque Eucharistia secundum externam speciem non sit Corpus Christi, potuit pari jure dicere S. Aug. *Non dubitavit Dominus dicere, hoc est corpus meum, cum figuram daret corporis sui*.

Inst. 5. Atqui ex S. Aug. Eucharistia ita figura est, ut penitus excludat realem Christi præsentiam. Ergo &c.

Prob. subs. *quodammodo ferebatur* (Christus) *in manibus suis*, ait S. Doctor explicans id quod septuaginta interpres legunt l. 1 Reg. c. 21 (*conc. 2 in Ps. 33*) *Quia cum commendaret ipsum corpus et sanguinem suum, accepit in manus suas, quod norunt fideles, et ipse se portabat quodammodo cum diceret: hoc est corpus meum*: inde sic disputant:

Si Christus instituendo Eucharistiam, vere ac realiter, & non figurate tantum, corpus suum & sanguinem ex pane & vino fecisset: vere utique & realiter, & non *quodammodo* tantum seipsum portasset manibus suis; atqui hoc non admittit S. Aug. sed: *Quodammodo*, inquit, *ipse se portabat, quodammodo ferebatur in manibus suis*; ergo eo judice Eucharistia sic figura est, ut realem penitus excludat præsentiam.

℞. Nego subs. ad probat. admitto auctoritatem, & dist. maj. si Christus &c. non quodammodo tantum, *realem præsentiam excludente*, seipsum portasset, conc. *realem apparentiam excludente*, n. maj. dist. pariter min.

ex S. Aug. Christus quodammodo seipsum portabat, nimirum *realem apparentiam excludente*, conc. *realem præsentiam* n. min. & conseq.

E. R. hoc unum significare voluit S. D. Christum modo quodam mirabili, omnemque sensum & humanam intelligentiam superante, seipsum portasse, quando corpus suum ex pane, & sanguinem ex vino factum Apostolis in ultima cœna distribuit: non esset porro modus ille mirabilis, nisi seipsum vere & realiter manibus propriis Salvator portasset: nec aliam esse Augustini sententiam verba ejus ex concione præcedente supra cit. in tanta luce demonstrant, ut mirum sit de hac re hæreticos cavillari: *Hoc*, inquit, (*Conc. 1 in Ps. 33*) *quomodo fieri potuerit in homine quis intelligat? quis enim portatur in manibus suis? manibus aliorum potest portari homo, manibus suis nemo portatur: quomodo intelligatur in ipso David, secundum litteram non invenimus, in Christo autem invenimus: ferebatur enim in manibus suis, quando commendans ipsum corpus suum, ait: hoc est corpus meum*: quando itaque concione sequente dicit, *quodammodo Christum seipsum postasse*, non negat realem præsentiam, sed sensibilem quæ scilicet oculis ipsis obvia foret.

Inst. 6. Et alia ejus verba ex lib. 3 de doctrina Christ. opponunt, ubi postquam varias regulas attulit, quibus observatis, sermonis proprii scripturæ, ab improprio & figurato criterium esse queat, sic prosequitur: (*lib. 3 de Doct. Christ. c. 16*) *Si præceptiva locutio est, aut flagitium vetans, aut beneficium jubens, non est figurata: si autem flagitium videtur jubere, aut beneficium vetare, figurata est: sic ea scripturæ sententia: nisi manducaveritis carnem filii hominis, & sanguinem biberitis, non habebitis vitam in vobis, flagitium videtur jubere: figura est ergo præcipiens passioni Domini communicandum*. Hinc sic informant argumentum:

Ex S. Aug. figurata est illa Christi locutio, quia videtur jubere facinus; atqui non aliter hoc videtur, nisi quia præcipit Christi Corpus manducari; debet ergo sensu figurato, realem præsentiam penitus excludente intelligi.

R. Accipio auctoritatem, & dist. maj. figurata est illa locutio, quia videtur jubere facinus, si Capharnaitarum sensu intelligatur, (*Vide Joan. c. 6*) conc. secus, nego majorem; similiter dist. min. ideo videtur præcipere facinus, quia jubet Christi Corpus manducari, si sensu Capharnaitarum accipiatur, conc. si sensu Catholico, n. min. & conseq.

E. R. Hinc Christi sententiam eo sensu figuratam contendit S. Doctor, secundum quem prima fronte videtur jubere flagitium, atqui putari illud non potest, nisi in sensu Capharnaitarum, ergo eo tantum respectu figuratam Christi esse sententiam, S. Aug. contendit: nam quod revera crediderit Christi Corpus vere in Eucharistia manducari, certum est ex libro contra adversarium legis & Prophetarum, ubi postquam probavit verba scripturæ debere simpliciter accipi; etiamsi durius aliquid præ se ferre videantur, exemplum Eucharistiæ affert: *Sicut*, inquit, (*cap. 9*) *mediatorem Dei & hominum hominem Jesum Christum, carnem suam nobis manducandam, bibendumque sanguinem dantem, fideli corde atque ore suscipimus: quamvis horribilius videatur humanam carnem manducare, quam perimere, & humanum sanguinem potare quam fundere*: quibus verbis nihil expressius dici poterat ad dogma Catholicum explicandum.

Inst. 7. ex concessis qui negat Christum corporaliter manducari, nihil in Eucharistia præter figuram agnoscit; atqui negat S. August. Christum corporaliter manducari: sic enim Christum ad Apostolos loquentem inducit, (*Enarr. in Ps. 98*) *Non hoc corpus quod videtis manducaturi estis, & bibituri illum sanguinem, quem fusuri sunt qui me crucifigent: Sacramentum aliquod vobis commendavi: spiritualiter intellectum vivificabit vos: etsi necesse est illud visibiliter celebrare, oportet tamen invisibiliter intelligi*. Ergo &c.

R. Dist. maj.: ex concessis qui negat *absolute* Christum corporaliter manducari, nihil in Eucharistia præter figuram agnoscit, conc. qui negat corporaliter manducari, *eo modo quo manducamus alios cibos*, n. maj. similiter dist. min. negat S. Aug. Christum corporaliter manducari, *quomodo alios cibos comedimus*, conc. negat *absolute*, n. min. & conseq.

E. R. Christum vere & corporaliter manducari, duobus modis accipi potest: 1 physice, ita ut putetur non secus ac cæteri cibi, dentibus atteri, dividi, trajici in stomachum, calore naturali digeri, & in substantiam aliti commutari: 2 Sacramentaliter, ita ut verum quidem sit Corpus Christi quod sumitur, sed sub extraneis panis vinique speciebus ineffabili modo contentum: 1 sensu verba Christi Capharnaitæ intellexerunt, eaque fuit ipsis occasio litigii & offensionis: *Quomodo*, inquiebant, *potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum? .... durus est hic sermo, & quis potest eum audire?* (*Jo. 6, 53, & 61*) 2 vero sensus Ecclesiæ Catholicæ est, cui S. Augustini & aliorum qui obiici poterant Patrum verba non opponuntur, cum e contrario tam sæpe affirment, fideles Corpore & Sanguine Christi nutriri.

Inst.

Inst. ultimo: si Christus realiter esset in Eucharistia præsens, a malis perinde atque a bonis manducaretur: atqui ex Patribus impii Corpus Christi non manducant, licet Sacramentum ore percipiant, & dentibus premant: *ut quid paras dentes & ventrem?* inquit S. Aug. (*Tract. 25 in Joan.*) *crede & manducasti*.

℟. Dist. maj. a malis perinde atque a bonis manducaretur, *quantum ad rem*, conc. quantum ad effectum, nego, dist. pariter min. ex Patribus impii Corpus Christi non manducant, quantum ad effectum, utiliter scilicet ad salutem, conc.: *non manducant omnino*, n. min. & conseq.

E. R. Non aliud sibi volunt S. Aug. & alii, quam impios spiritualem gratiæ & sanctitatis effectum ex Eucharistiæ participatione non consequi, licet ore Corporis Christum & accipiant & manducent: impios enim carnem Christi vere comedere, vereque sanguinem bibere diserte Aug. affirmat, tum serm. 11 de verbis Dom. tum l. 1 contra Crescon. c. 25, tum l. 5 de baptis. contra Donatistas c. 8, ubi, *Sicut Judas*, inquit, *cui buccellam tradidit Dominus, non malum accipiendo, sed male accipiendo locum in se diabolo præbuit, sic indigne quisque sumens Dominicum Sacramentum, non efficit ut quia malus est, malum sit; aut quia ad salutem non accipit, nihil acceperit: corpus enim Domini, & Sanguis Domini nihilominus erat illis, quibus dicebat Apostolus, qui manducat & bibit indigne, judicium sibi manducat & bibit*.

Monitum.

Qui plura de hoc argumento desiderat, legat Cardinalis Bellarmini, Cardinalis Perronii, & aliorum qui labore summo patique gloria fidem contra Sacramentarios vindicarunt, numquam satis commendanda volumina; in primis vero de perpetuitate fidei eximium opus: nos enim etsi multa dixisse videri possumus, pauca tamen in eorum comparatione quæ tractare haud difficile erat, attulimus: hoc tamen monemus, facile ex difficultatum quas proposuimus explicatione, omnes pene cæteras resolvendas quas Hæretici ex discerptis hinc inde ac dilaceratis Patrum testimoniis, fide pessima, & omni quo poterant cavillandi artificio, texuerunt.

CAPUT QUARTUM.

Utrum mysterium realis præsentiæ habeat aliquid rationi contrarium?

Nota, hæc duo plurimum discrepare, quod nimirum dicatur aliquid esse supra rationem, & quod contra rationem esse affirmetur: supra rationem est, quod demonstrari argumento naturali non potest, propterea quod vim aciemque ingenii superet, quamquam divinam potentiam non excedat: hujusmodi sunt, mysterium SS. Trinitatis, & alia Religionis arcana, quibus non ideo acquiescimus, quia principiis naturalibus adstruuntur, (quod impossibile est,) sed quia sunt divinitus revelata: contra rationem est, quod cum illa pugnat, nec potest cum notionibus ejus consistere, adeoque nec ipsi Deo possibile judicatur: quomodo montem esse sine valle, bis bina non esse quatuor &c. hæc & similia non ideo Deo impossibilia esse dicuntur, quia virtus divina finita est, (quod esset impium cogitatu,) sed quia ad solum ens, non ad nihilum entis pertingit: porro mons sine valle, non esset mons, sed nihilum montis: triangulum sine tribus angulis, non triangulum, sed nihil foret.

Jam ut ad propositum revertamur, realem Christi in Eucharistia præsentiam supra rationem esse, nemo fidelis inficiatur: desineret enim esse mysterium, & in objecto fidei contineri, si rationis haberet experimentum: an vero similiter contra rationem sit, lis est Catholicæ Ecclesiæ a Sacramentariis intentata, quam ut discutiamus, sit.

§. PRIMUS.

Ostenditur realem præsentiam nihil habere rationi contrarium.

Ideo namque pugnare diceretur cum ratione, quia multis videretur absurditatibus implicata; atqui nihili hæc ratio est: nam si hoc ipso debet aliquid rejici, quia videtur absonum & Deo inconveniens: non Eucharistiam modo, sed & mundi creationem, & SS. Trinitatem, & Deum hominem factum, pari jure inficiari poterimus: quia creatio videtur naturali, omniumque Philosophorum ore pervulgato principio repugnare: *ex nihilo nihil fit*; & Trinitatis mysterium cum isto axiomate non cohæret; *quæ sunt eadem inter se*; & denique incarnatio Judæis scandalum, gentibusque stultitia est; nam quæso, numquid hoc ratio facile admittet, Deum concludi Virginis utero, nasci, bimestrem ac trimestrem esse, rerum omnium egentem esse, pati, crucifigi, mori? &c. jam sic instauro contra Sacramentarios argumentum:

Atqui in his mysteriis admittendis nobiscum illi consentiunt, neque moventur vanis quas ratio in contrarium suggerit ratiunculis: persuasum namque hoc habent, quod a S. Aug. præclare dictum facile admittit, quisquis sensum aliquem religionis retinuit: *In ipsum Christum*

stum non crederemus, si fides Christiana cachinnum metueret paganorum; secum ergo ipsis pugnant, hinc quidem in Trinitatis & incarnationis mysterio divinam majestatem, potentiam, misericordiam agnoscendo: illinc realem præsentiam vano hoc prætextu negando, quod rationi contraria videatur.

Deinde: indignum prorsus est, & a vera ratione alienum, divinam sapientiam humano judicio dimetiri, nec aliquid possibile admittere, nisi quod intelligendo assequi possis; ipsa enim ratio clamat, multa Deo esse possibilia, quæ rationem hominis infinito superant intervallo: *In divino mysterio si ratio quæritur*, ait S. Aug. Ep. ad Volusianum, *non erit mirabile, si exemplum poscitur, non erit singulare; demus Deum aliquid posse, quod nos fateamur investigare non posse. In talibus rebus tota ratio facti est potentia facientis*; cui consentiens S. Gregorius M. (*Hom. 26 in Evang.*) *sciendum nobis est*, inquit, *quod divina operatio si ratione comprehenditur, non est admirabilis, nec fides habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum*. Hinc si prosequor argumentum:

Atqui Sacramentarii realis præsentiæ dogma quæsitis hinc inde ex prophana philosophia subtilitatibus impugnantes, contra Deum ipsum certare convincuntur, ejusque potentiam humano judicio coercere, eorum similes qui dixerunt: (*Ps. 77, 19*) *numquid poterit Deus parare mensam in deserto* . . . &: (*Jo. 6, 53*) *quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?* nefarie ergo & contra rationem agunt.

Præterea. Quando constat divinitus aliquid fieri, quantumvis incredibile videatur, hoc ipso certum est nihil habere rationi contrarium. Deus enim suprema ratio est; atque adversum rationem non habet, alioquin secum ipso pugnaturus; atqui Christum realiter in Eucharistia esse, veritas est ex Scriptura, ut prædiximus, & traditione certissima. Ergo contraria ratione vinci non potest.

Denique. Non est contra rationem, quod ratio ipsa fide adjuta suadet esse possibile, solvendo omnia quæ opponuntur argumenta; atqui sic se habet res in re præsenti, ut ex responsis modo afferendis constabit. Ergo &c.

§. SECUNDUS.

Satisfit objectionibus.

Objiciunt. Non tenemur hoc credere, unde absurda multa Deo indigna sequuntur; atqui ex dogmate realis præsentiæ absona multa sequuntur. In hac enim hypothesi Christi Corpus in terram aliquando caderet, putresceret, aresceret, combureretur, roderetur a muribus, dentibus attereretur, in stomachum trajiceretur, in secessum emitteretur &c. Porro hæc & similia numinis majestate esse indigna diffiteri non possumus. Ergo &c.

℟. 1. Concessa maj. n. min. nego, inquam, hæc & alia quæ a Sacramentariis opponuntur, proprie dici posse de Corpore Christi; cum Eucharistiæ non conveniant, nisi propter sensibiles species facta consecratione manentes. Quod enim de Corpore & Sanguine Christi affirmari ista non possint, inde patet quod in Eucharistia, si proprie loquimur, motum localem non habent, cum careant locali extensione, impenetrabilitate, & aliis affectionibus quæ ad motum necessario requiruntur; atqui in tantum physico corpori convenit cadere, putrescere, arescere &c. in quantum a loco in locum moveri potest. Quemadmodum itaque cadente homine non dicimus animam ejus in terram collidi, eo quod corporis proprietates non habeat: ita nec de Christi Corpore, speciebus cadentibus possumus affirmare, quod in terram decidat, quia divino & ineffabili modo in Eucharistia continetur.

℟. 2. nego hæc quæ objiciuntur, de speciebus intellecta absurdum aliquid & Deo indignum habere. Deum enim nihil proprie dedecet, nisi peccatum, licet alia hominum opinio sit, nec aliquid ex loco in quo est, potest accipere vel honoris, vel ignominiæ, qui sibi ipsi gloria est, & summa majestas. Dicant enim qui vanis his ratiunculis veritati tenebras offundere moliuntur; num ideo negandum putent, Deum immensitate sua ubique esse præsentem, ne videlicet, quod indignum supremo ente imaginatio suggerit, in cloacis & impuris locis versetur? num ex eo quod Christus in præsepi natus, & vilium animalium exceptus hospitio fuerit, cruci deinde affixus, & inter latrones cum iniquis reputatus: inde aliquid in ejus divinitatem ignominiæ redundarit? hac profecto insana philosophia Calvinistæ, cum veritatem tot tantisque testimoniis communitam labefactare non possint; hoc unum probant, quam vere sit ab Apostolo dictum; (*1 Cor. 1, 20*) *stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi*.

Inst. 1. Saltem admitti illud non debet, quod rationi repugnat cum enim non minus sit a Deo lumen naturæ, quam fidei, non potest unum alteri esse contrarium; atqui ex dogmate realis præsentiæ sequitur aliquid rationi repugnans. Unum enim idemque corpus simul esse in pluribus locis, ratio impossibile judicat: atqui si Christi Corpus realiter in Euchari-

charistia contineretur, simul esset in pluribus locis. Ergo &c.

℟. Concessa maj. n. min. ad probat. dist. maj. unum idemque corpus simul esse in pluribus locis, *circumscriptive*, ratio impossibile judicat, transeat: (hoc enim Scotistæ negant:) *Sacramentaliter*, subdist. impossibile ratio judicat, *creatæ cuivis virtuti*, conc. *divinæ omnipotentiæ*, n. & concessa in hunc sensum min. n. conseq.

E. R. Fateor, nec ab Angelo, nec ab homine, nec denique creata ulla virtute fieri posse, ut unum idemque Corpus in multis simul locis consistat. Sed dico impium esse negare a Deo posse hoc fieri. Quod argumento a simili petito demonstro. Non minus cum ratione naturali pugnans videtur, duo corpora simul esse in eodem loco, quam unum corpus in diversis simul locis consistere; atqui divina virtute aliquando factum est, ut duo corpora eundem simul locum implerent, quando nimirum clauso sepulcro, ut ex c. 28 Matthæi colligitur, surrexit Christus, & quando post resurrectionem *foribus clausis ubi erant Discipuli congregati, stetit in medio eorum*: (*Jo.* 20, 10) ad quæ miracula attendens S. Aug. *Dominus noster*, inquit (*Serm.* 102 *de divers.*), *quod radius oculi nostri non potest, corpus etiam per claustra, id est per ostia clausa trajecit: & qua nos videre non possumus, ille potuit & intrare*. Ergo pariter unum idemque corpus in pluribus simul locis esse Sacramentaliter, aut in uno circumscriptive & in aliis Sacramentaliter, divinam non superat potestatem.

Inst. 2. Atqui nec divinitus potest fieri, ut unum Corpus quovis modo sit in pluribus locis. Ergo &c. prob. subs. unum idemque corpus in diversis temporibus simul esse, nec Deus præstare potest. Ergo a pari nec faciet, ut in diversis simul locis reperiatur.

℟. Nego subs. ad probat. concesso ant. n. conseq. & paritatem. Disparitas est, quia tempora diversa simul esse non possunt, cum ratio temporis in successiva duratione consistat: unde necessario sequitur unum corpus in diversis temporibus, uno eodemque momento esse non posse. At locorum ratio non eadem est, quæ licet disjuncta spatio, mensura tamen temporis conjunguntur.

Inst. 3. In hac hypothesi posse unum idemque corpus motus habere contrarios, & qualitatibus pugnantibus affici. Seorsum enim hic, deorsum illic, in uno loco dextrorsum, sinistrorsum in altero moveretur; in uno calidum, frigidum in altero, sanum hic, illic ægrotum reperiretur: atqui hæc quia absona & contradictoria sana ratio respuit. Ergo &c.

℟. Dist. maj. Si unum idemque corpus simul esset in pluribus locis *circumscriptive*, posset motus habere contrarios, & diversas qualitates, conc. si *Sacramentaliter* tantum, n. maj. Et data ad sensum distinctionis min. n. conseq.

E. R. Certum est ex prædictis, Christi Corpus in Eucharistia motum localem per se non habere, propterea quod extensione careat & impenetrabilitate, aliisque physici Corporis affectionibus. Unde consequens est, neque diversos motus posse experiri, neque contrarias qualitates, nisi ratione Sacramentalium specierum. Hæc autem & similia ideo Sacramentariis absurda videntur, quia temerario ex sensu suo divinam potentiam æstimant, nec fateri volunt id quod vera ratio dictat, longe plura Deum posse, quam valeat assequi mens humana.

Inst. 4. Non ratio tantum, sed fides ipsa persuadet, Christi Corpus in Eucharistia realiter esse non posse. Ergo &c.

Prob. subs. Tum ex fidei symbolo quo profitemur, Christum secundum humanam naturam ascendisse in cælum, ibique sedere ad dexteram Patris: tum verbis Angeli ad mulieres sic loquentis: (*Matth.* 28, 6) *non est hic, surrexit enim sicut dixit*; tum verbis S. Aug. (*tract.* 30 *in Jo.*) *donec sæculum finiatur, sursum est Dominus: sed etiam hic est veritas Dominus: Corpus enim Domini in quo resurrexit, uno tantum loco esse potest, veritas ejus ubique diffusa est*. Quorum similia sæpe alibi repetit: inde sic argumentantur.

Corpus Christi in uno tantum loco esse potest. Ergo in Eucharistia nequit esse realiter præsens:

℟. Nego ant. ad probat. admitto auctoritates, & dist. ant. Corpus Christi in uno tantum loco esse potest, *naturali modo & circumscriptive*, conc. *Sacramentaliter & modo supernaturali*, n. ant. & conseq. Hæretici Scripturas perpetuo obtendunt, quas non propter Dei auctoritatem, sed pro arbitrio suo sequuntur, sæpeque adulterant & detorquent. Credunt Sp. Sancto dicenti, Christum sedere ad dexteram Patris, & non credunt Christo de se ipso affirmanti; *hoc est Corpus meum: hic est Sanguis meus*: credunt Angelo dicenti: *non est hic, surrexit enim sicut dixit*: Christo vero fidem denegant, veritatem realis presentiæ per ascensionis veritatem adstruenti (S. *Jo.* 6, *v.* 62 & *seq.*). Ecclesia e contrario, quia fidem Dei habet, integram habet, facileque textus specie repugnantes, Dei omnipotentis, & summe veracis auctoritate conciliat.

Inst.

Inst. 5. Atqui repugnat hic modus existendi Sacramentaliter in loco. Ergo &c.

Prob. sub. Si Christi corpus esset in Eucharistia, vel haberet sibi propriam quantitatem, vel non: atqui neutrum sine absurditate dici potest. Si enim primum affirmaveris: consequens est, majus contineri a minore: majus enim est Corpus Christi specie qualibet Eucharistia; atqui rerum naturæ repugnat, quod majus a minore contineatur. Ergo &c.

Quod si alterum dixeris, multo magis sanam rationem offendes. Nam, quod est absurdissimum, fateri teneberis; simul esse Corpus, & non esse. Erit enim Corpus, ut supponitur, neque tamen erit, quia repugnat corpus sine quantitate subsistere: *spatia locorum tolle corporibus*, inquit S. Aug. (*Ep. ad Dardanum*, *al.* 57) *nusquam erunt & quia nusquam erunt*, *nec erunt*

℟. Nego sub. ad prob. concessa maj. n. min. & dico habere Christum in Eucharistia quantitatem, sive extensionem partium in ordine ad se, ut loquitur schola, licet respectu ad locum non habeat: id est totum Christi corpus vere, realiter, & substantialiter sub unaquaque specie, & sub singulis cujusque speciei partibus, separatione facta contineri, ut est a Trid. Patribus (*Sess.* 13, *Can.* 3) sub anathemate definitum. Indeque sequitur facilis ad argumenta in contrarium facta responsio.

Ad 1 dist. maj. consequens erit majus contineri a minore Sacramentaliter, conc. localiter & commensurative, nego maj. similiter dist. min. Impossibile est, ut majus a minore contineatur, localiter, conc. Sacramentaliter, n. min. & conseq.

Ad 2 nego maj. & ad probat. dist. ant. Repugnat corpus subsistere sine quantitate vel intrinseca, vel extrinseca, conc.: sine quantitate externa, subdist.: repugnat naturaliter, conc.: divinæ virtuti repugnat, n. ant. eoque sensu debet S. Aug. sententia explicari: non enim hic S. Doctor quid divinitus fieri possit, sed quid secundum consuetum naturæ ordinem fiat expendit. Unde merito ait; corpora quælibet propriis locorum spatiis contineri, & sublatis locorum limitibus nusquam esse. Quod & nos ipsi contendimus, cum Ecclesia Catholica sentiendo, Corporalem Christi in Eucharistia præsentiam, non naturæ effectibus, sed prodigiosis divinæ omnipotentiæ miraculis accensendam.

Hæc vero secundum communem Philosophorum scholasticorum doctrinam intelligi volumus, contendentium extensionem actualem a corpore physico posse absolute separari, & ad ejus naturam sufficere exigentiam extensionis: contraria *Cartesii*, veterumque & novorum Philosophorum sententia est, opinantium Corporis physici naturam, sic in extensione actuali consistere, ut ne divinitus quidem possit aliquid esse Corpus, & non habere in longum, latum, & profundum extensam substantiam. Hanc autem sententiam facile, ut quidem putant, cum Eucharistiæ fide conciliant supponendo, unum idemque physice corpus modo arctiori, modo majori spatio contineri. Sic enim e. c. in ovi germine pullus est integer, & integra in semine planta, licet nondum evolutas & ad competentem extensionem productas habeant partes. Quidni vero, inquiunt, concedemus, id quod Deus in natura quotidie facit, in mysterio Eucharistiæ, ejusdem miraculo fieri, ut nimirum integrum ibi Corpus sit Christi, in brevius quidem, & sensus nostros fugiens, arctatum spatium; sed vere tamen extensum? opinio hæc utrum sit alteri præferenda, aliorum esto judicium; nostrum namque non est lites Philosophorum componere; tantum monemus, præterquam quod rationi congruentior esse videtur, nihil habere fidei contrarium: nullibi enim nec in Scriptura nec in traditione legimus, Corpus Christi localem in Eucharistia extensionem absolute non habere. Quin & quod aliquam habeat, aut saltem habere defendi possit, Canon Concilii Trid. insinuat, his verbis conceptus: (*Sess.* 13, *Can.* 3) *si quis negaverit*, *in venerabili Sacramento Eucharistiæ sub unaquaque specie*, *& singulis cujusque speciei partibus*, *separatione facta*, *totum Christum contineri*: *anathema sit*: itaque fidei non est, *ante separationem factam*, totum Christum sub qualibet hostiæ particula contineri: atque adeo salva fide defendi potest, quod habeat corpus ejus actualem extensionem. Quam si ante separationem habeat, quidni & post separationem habebit, cum possit in minus minusque in infinitum, spatium coarctari?

Inst. 6. Dici nequit Christum in Eucharistia corporaliter contineri, quin simul asseratur panis & vini accidentia existere sine subjecto; atqui manifesta hæc contradictio est. Ergo.

℟. 1. Concessa maj. n. min. Nam accidentia sine subjecto manere, saltem divinitus posse, & esse formas materiales a subjecto separabiles, tota Peripateticorum scola defendit. Quia tamen multis gravissimisque Philosophis parum arridet illa sententia, & creditur cum ratione pugnare:

℟. 2. Dist. maj. Dici nequit Christum in Eucharistia realiter contineri, quin simul dicantur accidentia panis & vini existere sine sub-

subjecto: idest *objective & secundum apparentiam* species utriusque manere, conc. remanere *vere & physice*, quasi sint formæ materiales, revera ab omni subjecto avulsæ, n. maj. similiter dist. min. contradictionem involvit, manere sine subjecto accidentia, quæ sint *formæ absolutæ & materiales*, conc. *quæ meræ apparentiæ sint*, n. min. & consequ.

E. R. De accidentibus physicis, quæ eorum natura sit? Philosophorum quæstio est, ad eorum tribunal summo jure devoluta: volunt alii, esse formas absolutas & materiales, realiter a subjecto & entitative, uti loquuntur, distinctas; contendunt alii, hujusmodi formas, quæ neque materia sint, nec contextæ ex materia, chymeras esse: hancque suam doctrinam argumentis haud contemnendis confirmant; unde inferunt formas omnes corporum (sola anima rationali excepta,) nihil aliud esse, nisi certam materiæ modificationem, quæ non sit entitas a materia diversa: hoc posito dicimus affirmari quidem non posse, Christi corpus realiter in Eucharistia contineri, quin simul dicantur remanere species sive apparentiæ sensibiles panis & vini, quæ nimirum eodem modo sensus afficiant, ac ante consecrationem afficiebant: sed negamus necessario dici debere, quod residuæ sint, quantitatis, coloris, odoris, saporis, absolute & materiales, ut loquuntur, entitatulæ; Christum enim in Eucharistia realiter contineri, dogma Catholicum est, divinitus revelatum, & in religione præcipuum: accidentia vero materiales esse entitates, a subjecto realiter distinctas, Arabum Aristotelis interpretum opinio, nec fidei, nec rationis lumine roborata, immo penitus rationi (judicio multorum) contraria; itaque non putamus unum sequi ex altero: multoque minus credimus, veritatem Eucharistiæ, nisi absolute accidentia admittantur, defendi non posse, quod videmus incaute ab aliquibus affirmari, quasi nimirum divina veritas, arbitrariis egeret ad sui defensionem, hominum opinationibus.

Inst. 7. atqui dici nequit Christum in Eucharistia realiter esse, quin simul accidentia absoluta, sine subjecto manentia propugnentur. Ergo &c.

Prob. subs. ex Concilio Constant. (*Sess.* 8) ubi damnata est ista Joannis Wiclefi propositio: *Accidentia panis non manent sine subjecto in altaris Sacramento*. Ergo &c.

℟. Nego subs. ad probat. dist. ant. & mentem Concilii explico: damnata hæc propositio est, quatenus hæresim exprimebat, conc. ita ut definire Patres voluerint, & pro dogmate certo statuere, accidentia esse entitates a materia diversas & separabiles a subjecto, nego ant. & conseq.

E. R. panem in Christi corpus converti Wiclefus contra Ecclesiæ fidem negabat: unde consequens erat, ut pariter inficiaretur accidentia sine subjecto in Eucharistia remanere: in hoc ergo hæreticus erat, non quod more Philosophorum accidentia sine subjecto esse non posse contenderet, de quo nequidem cogitabat: sed quod vellet post consecrationem, elementum panis, accidentium, ut ante fuerat, esse subjectum, nullamque fieri transubstantiationem: hoc itaque sensu debet synodus Constantiensis intelligi: cujus responsionis testem habemus Cardinalem Petrum de Alliaco Episcopum Cameracensem, qui Concilio magna cum laude interfuit: affirmat enim (*commentar. in 4 sent. q.* 6, *art.* 3) hoc decreto Patres, nihil aliud nisi Wiclefi errorem proscribere voluisse: & merito quidem, quæstiones enim mere Philosophicas, quæ in utramque partem sine dispendio fidei agitantur, Ecclesia gravioribus negotiis occupata non discutit, sed Philosophorum dissidiis concertationibusque permittit.

Inst. 8. at, inquies, Ecclesia non potuit istam propositionem proscribere: *Accidentia panis non manent sine subjecto in Sacramento altaris*: quin contrariam approbarit: *Accidentia manent sine subjecto in Sacramento altaris*. Ergo &c.

℟. Dist. ant. quin contrariam approbarit, quantum ad id quod præcipue exprimit, scilicet, subjectum accidentium panem & vinum, post consecrationem non esse, conc. quantum ad id quod adjacenter de accidentibus enuntiat, nego ant. is unus fuit, ut prælximus, Patrum Constantientium scopus, contra Wiclefi perfidiam definire, panem in Christi corpus converti, adeoque consecratione facta, accidentium subjectum non esse: quod vero ad ipsa accidentia attinet, quæ aliquatenus insinuantur sine subjecto manere, incidens hæc propositio est, ad fidem minime pertinens. Theologorum enim consensio est, in Conciliorum definitionibus distinguendas esse propositiones principales ab incidentibus, & a rationibus quæ in probationem afferri possunt: sæpe namque contingit incidentem propositionem mere esse probabilem, immo falsam, licet principalis ad fidem pertineat: cujus rei præter cætera quæ communiter afferuntur exempla, convincens in Concilio 7 Generali habemus, in hac, inquam, synodo, Patrum unus (Joannes Thessalonicensis) inde probavit licitum esse Angelos pingere: *Quia*, inquiebat, *corporales sunt*: cui a Patribus acclamatum;

tum: *Etiam Domine*: hæc antistitum approbatio non cadit, nisi in Angelorum imagines, quæ & pingi possunt, & licite retineri: minime vero in adjacentem Joannis Propositionem: *Quia corporales sunt*, cum constet Angelos omnis esse expertes materiæ: *Quod ex professo, & instituto synodi Joannes Thessalonicensis allegabat*, inquit Binius, (*Vide tom. 7 Conciliorum Labbei p. 654*) *Angelos & animas pingi posse, judicio Ecclesiæ probatum est: rationem autem quam ille intulit, synodus non curavit, utpote quod de retinendo usu imaginum duntaxat in ea ageretur*.

Inst. 9. in Concilio Trid. (*Sess.* 13, *can.* 2) definitum est, in Sacrosancto Eucharistiæ Sacramento fieri conversionem totius substantiæ panis in corpus, & totius substantiæ vini in Sanguinem Christi, manentibus dumtaxat speciebus panis & vini; atqui species nihil aliud nisi physica accidentia sunt, sive entitates separabiles a subjecto. Ergo &c.

R. Concessa maj., nego min. species enim nomine suo solam significat apparentiam, nec necessario, ut multi existimant, de accidente physico ad sensum peripateticorum accipi debet: dico itaque hoc canone definiri, 1 totam panis vinique substantiam converti in Corpus & Sanguinem Christi: 2 solas præcedentium elementorum species remanere; an vero absolutæ & materiales sint entitates, an solæ apparentiæ panis & vini, sensus nostros pari ac antehac modo afficientes? hoc quoniam mere Philosophicum, & ad dogma transubstantiationis minime pertinens, Trid. Patres non attigerunt.

Inst. ultimo: si accidentia Eucharistica meras apparentias esse dicamus, consequens est ut fateamur a Deo homines decipi, cum ea sensibus exhibeat, quæ vere non sunt: absurdum conseq. ergo & ant.

℟. 1. Retorqueo argumentum: si panis & vinum in Eucharistia, facta consecratione, non manent, fatendum a Deo homines decipi: panis enim & vinum revera comparent; atqui consequens est falsum; ergo & ant. cum itaque hoc argumento Peripatetici, quos obiter perstringimus minime moveantur, neque admittant aut panem in Eucharistia remanere; aut sensus a Deo decipi: idem de accidentibus est dicendum.

℟. 2. Nego maj. Deus enim panis & vini apparentias conservando, easdem in nostris sensibus impressiones excitat, quas excitarent panis & vinum si manerent; atqui ne umbra quidem deceptionis hic est: absit igitur ut signum veritatis, divino miraculo nostræ imbecillitati ad fidem juvandam accommodatum, fallaciam esse dicamus: quomodo non dicimus Magdalenam a Christo deceptam, quando sub specie hortulani quam realiter non habebat, visibilem ei se præbuit: quomodo pariter non dicimus, Israelitas a Deo delusos, quando eis in deserto pluit manna, *Panem scilicet de cælo paratum, omne delectamentum in se habentem, & omnis saporis suavitatem*, ut in scriptura legitur: (*Sap.* 16, 20) divinus enim hic cibus, in quem quisque propendebat saporem attemperabatur, eademque manente natura, gustus diversos pro voto manducantium excitabat, non quod omnem in se saporem haberet, sed quia volente Deo saporis cuiuslibet impressione sensum comedentium titillabat; qua in re præcellens Eucharistiæ figura fuit, & in antecessum demonstravit, panis & vini species atque apparentias in Sacramento Christi sine ulla deceptione mansuras. Verum de his plusquam satis. Sequitur

SECTIO SECUNDA.

Contra impanatores & consubstantiatores transubstantiatio vindicatur.

Constat quæ primo loco erat proposita veritas, de reali Chrsiti in Eucharistiæ Sacramento præsentia; superest ut modum præsentiæ explicemus: triplici enim vero ratione potest intelligi, quod Christus vere in Eucharistia sit; impanatione, consubstantiatione, & transubstantiatione.

Impanatio si daretur, esset unio hypostatica verbi divini cum substantia panis, pari modo quo humanam sibi naturam in mysterio incarnationis conjunxit; adeoque verborum Christi: *Hoc est Corpus meus:* in hac hypothesi sensus esset: *hic panis per unionem hypostaticam est corpus meum*. Etquemadmodum propter incarnationem dicitur, quod verbum caro factum est, ita dici deberet, quod in Eucharistia verbum fieret panis & vinum: errorem hunc a nonnullis, Berengarii forte discipulis, 13 sæculo propugnatum notavit *Algerus Laodiensis* ejusdem sæculi scriptor, in prologo lib. *de Sacramento Corporis & Sanguinis Domini*.

Consubstantiatio pariter, si admitti posset, foret conjunctio substantiæ panis cum substantia carnis Christi, & substantiæ vini cum substantia sanguinis, ita ut vere quidem Christi Corpus & Sanguinem Eucharistia contineret: sed simul panem & vinum, uti antehac fuerant, includeret: unde verborum Christi: *Hoc est corpus meum*: *hic est sanguis meus*, sensus esset: *est quidem hic corpus*

pus meum & sanguis meus: sed non totum hoc corpus est meum, & sanguis, cum simul immutata maneant elementa panis & vini: hæresim hanc Lutherus 16 sæculo amplexus est & propugnavit: cum enim diu frustra sudasset ad realem præsentiam expugnandam, nec arte ulla potuisset perspicuitatem verborum Christi eludere: hoc unum tandem reliquum habuit, ut transubstantiationem negaret, & diceret facta consecratione panem superesse: adeoque Christi Corpus in pane, cum pane, sub pane in Eucharistia esse.

Transubstantiatio denique est conversio totius substantiæ panis & vini in substantiam Corporis & Sanguinis Christi: unde tria necessario importat: 1 præsentiam Christi substantialem in Eucharistia: 2 mutationem panis & vini in corpus ejus & sanguinem: 3 totius panis & vini conversionem, nec minima symbolorum remanente particula. Jam sit

§. PRIMUS.

Ostenditur Jesum Christum in Eucharistia sola transubstantiatione esse præsentem.

Præsentiam realem uti & transubstantiationem Trid. synodus totidem canonibus contra hæreticos asseruit propugnavitque: primam quidem his verbis: (*Sess.* 13, *can.* 1) *Si quis negaverit, in Sanctissimæ Eucharistiæ Sacramento contineri vere, realiter, & substantialiter corpus & sanguinem una cum anima & divinitate Domini nostri Jesu Christi, ac proinde totum Christum: sed dixerit tantummodo esse in eo ut in signo, vel figura, ac virtute: anathema sit* . . . . alteram autem: (*ib. can.* 2) *Si quis dixerit, in Sacrosancto Eucharistiæ Sacramento remanere substantiam panis & vini: una cum corpore & Sanguine Domini nostri Jesu Christi: negaveritque mirabilem illam & singularem conversionem totius substantiæ panis in corpus, totius substantiæ vini in sanguinem, manentibus dumtaxat speciebus panis & vini, quam quidem conversionem Catholica Ecclesia aptissime transubstantiationem appellat: anathema sit.*

PROBATIO PRIMA.

Ex præscriptione.

Recurrit argumentum præscriptionis, quod sectione præcedente contra Sacramentarios agendo attulimus: quando enim sæculo duodecimo cœperunt aliqui effutire Christum in Eucharistia sola impanatione esse præsentem: & sæculo decimosexto Lutherus consubstantiationis commentum invexit: tota per orbem universum Ecclesia transubstantiationem velut dogma Catholicum, ipsius Christi ore traditum, & ab Apostolis promulgatum, summa consensione tenebat, ut ex Græcorum ac Latinorum liturgiis, & utrorumque testimoniis certo constat; atqui dogma hoc recens in Ecclesia esse, & contra doctrinam veterem introductum, adversarii nec probabiliter quidem ostendere hactenus potuerunt; ergo hoc ipso erroris convincuntur, quod doctrinam novam obtruserint: uti ex adverso probatur Catholicos veritatem defendere, quia pro antiquo dogmate pugnant: ut enim sæpius ex Tertulliano & S. Aug. observavimus, *quod semper & ubique retentum est, non est erratum, sed traditum*.

PROBATIO SECUNDA.

Ex Scripturis.

Lucæ 22, v. 19 & seq. *Accepto Jesus pane gratias egit, & fregit, & dedit eis, dicens: hoc est corpus meum, quod pro vobis datur... similiter & calicem dicens: hic est calix novum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur*. Hinc sic argumentor:

Hæc verba, Lutheranis impanatoribusque fatentibus, realem habent sensum, nec possunt ad metaphoricam præsentiam detorqueri: *Vellem*, inquiebat Lutherus, (*in Ep. ad Argentinenses*) *quod posset mihi aliquis persuadere, nihil esse in Eucharistia præter panem & vinum: magno ille beneficio me devinciret: jam sæpe gravibus curis in hac materia desudavi: verum ego me captum video, nulla elabendi via relicta est: textus Evangelii nimis est apertus*. Atqui non minus est pro transubstantiatione, quam pro præsentia reali apertus.

Ac 1. quod verba Christi impanationem evertant, sic probo: secundum impanatores sententia Christi hunc sensum habet: *Hic panis unione hypostatica fit corpus meum, sicut mea facta est per incarnationem humana caro*; atqui sensus ille tum impiissimus est, tum verbis Christi manifesto contrarius: non enim solum dixit: *hoc est corpus meum*; sed addidit: *quod pro vobis tradetur*: nec solum dixit: *hic est sanguis meus*; sed subjunxit: *qui pro vobis fundetur*: vel ergo dicendum, solum panem fuisse pro nobis cruci affixum, solumque vinum pro nostra salute effusum: quæ impietas omnium maxima foret: vel fatendum his Christi verbis impanatorum insaniam invictissime refutari.

2. Quod spectat ad consubstantiatores: si vera

vera Lutheri doctrina sit, verborum Christi hunc sensum esse oportet: *Corpus meum simul cum pane, & sanguis meus simul cum vino hic est*; atqui hæc non tam interpretatio textus, quam eversio est.

Totum enim id quod gerebat præ manibus, Christus Corpus suum esse & sanguinem contestatus est: *Hoc est*, inquit, *corpus meum: hic est sanguis meus*; Christo igitur contradicit Lutherus, quando res in Sacramento contentas sic dividit, ut partim corpus & Sanguinem Christi, partim ei panem & vinum inesse contendat.

Deinde: si Christus consubstantiationem significare verbis suis voluisset, non usus esset demonstrativo pronomine: *Hoc est corpus meum: hic est Sanguis meus*; sed adverbium loco pronominis usurpasset: *hic est corpus meum*, dicendo, *hic est Sanguis meus*: quomodo si quis hominem in arca forte latentem indicare vellet, nisi inepte loquendo non diceret: *hoc est homo*; sed: *hic est homo*; atqui Christus non adverbio, sed pronomine demonstrativo utendo dixit: *hoc est corpus meum*: hic est sanguis meus, ita enim in Græco habetur: *τῦτό ἐςι ἆμα μυ* &, *τῦτό ἐςι τὸ σῶμα μυ*. Ergo &c.

Præterea: juxta Lutheri doctrinam hunc sensum habet oratio Christi: *Hic panis est meum corpus*: *hoc vinum est meus sanguis*; atqui ineptisma est, secumque ipsa pugnans illa significatio, pars enim de comparte enuntiari non potest, quamquam in eodem simul subjecto aut loco consistant: quis enim sapienter dixerit de fenestra quod Janua sit, vel de anima quod sit corpus, licet eamdem domum janua & fenestra, & eumdem hominem anima & corpus, ut partes componant? ergo in Lutheri hypothesi, Christus dicere non debuerat: *Hoc est corpus meum*: *hic est Sanguis meus*; sed, *hic simul cum pane est corpus meum*: *& in hoc calice sanguis meus cum vino miscetur*: quod cum non fecerit, perspicuum ex scriptura est, sola transubstantiatione in Eucharistia esse præsentem.

PROBATIO TERTIA.

Ex traditione.

Quibus Patrum testimoniis realem Christi præsentiam contra Sacramentarios superius vindicavimus, (*sect.* 1, *c.* 3, *pag.* 113 *& seq.*) iisdem contra impanatores & consubstantiatores veritas transubstantiationis adstruitur: huc redeunt SS. Ignatii, Justini, Cyrilli Hierosol. Ambrosii, Chrysost. & aliorum fuse descriptæ sententiæ, unde plurima eruet studiosus Theologus pro conversione totius panis, & totius vini in Christi Sanguinem argumenta.

1. Enim si Patres cum impanatoribus crederent, Christum in Eucharistia ideo esse præsentem, quia panem adoptat in corpus suum, & sibimet hypostatice conjungit, non dicerent sensibus non esse credendum, quin e contra ad eorum testimonium provocarent, cum revera etiam consecratione peracta, præter panem & vinum nihil appareat; atqui contendunt SS. Doctores sensibus in hoc tanto mysterio non esse fidem præstandam, & solo mentis divinitus illustratæ oculo Eucharistiam aspiciendam. Ergo &c.

2. In hac hypothesi non dicerent Eucharistiam, carnem esse & sanguinem Christi; atqui unanimi calculo attestantur, in Eucharistia idem esse corpus quod de Beatissima Virgine natum & cruci affixum est, eumdemque sanguinem qui est pro nobis effusus. Ergo &c.

3. Multo minus peterent ut symbola panis & vini sacro altari imposita, in corpus & Sanguinem Christi converterentur: non enim petit Ecclesia aliquid, quod quia nefas est credere, pariter nefas est postulare; atqui Ecclesia ubique diffusa petit in liturgiis suis, ut ex pane fiat pretiosum Corpus, & ex vino Sanguis Christi. Ergo &c.

4. Si Patres Christum sola v llent, ut Lutherani, consubstantiatione in Eucharistia esse præsentem, non dicerent panem & vinum converti in corpus & Sanguinem Christi, neque ad hoc probandum recurrerent ad miracula tum a Moyse, tum a Propheris, tum a Christo Jesu patrata, in hac enim sententia nulla panis & vini mutatio fit, sed Christus sola voluntate Eucharistiæ præsens adest; atqui affirmant Patres, panem & vinum in Corpus & Sanguinem Christi converti, & mirabilem hanc mutationem exemplo miraculorum confirmant, quæ a Christo & Moyse facta leguntur. Ergo &c.

5. Qui similiter affirmant, panem & vinum in Eucharistia, post consecrationem non esse, etiamsi panis & vinum esse videatur, profecto Lutheri consubstantiationem non norunt; atqui hæc Patrum perpetua confessio fuit. Ergo &c.

PROBATIO QUARTA.

Ex adversariorum confessione.

Quamquam enim inimicorum testimonio veritas ad sui protectionem non indiget, validissimum tamen ejus præjudicium est, quando ii ipsi a quibus impugnatur, se a majorum sen-

sententia recessisse candide recognoscunt: cum in rebus ad fidem ac Religionem spectantibus, doctrinæ confessa novitas, erroris convictio sit: atqui consubstantiationis & impanationis doctrinam novam esse, SS. Patribus, & utriusque Græcæ ac Latinæ Ecclesiæ persuasioni contrariam, ii ipsi a quibus inventa est, recognoverunt: eaque de causa contra antiquos doctores, quos proditæ fidei accusabant, tanto impetu ac furore invecti sunt, ostendentes in Christianis dogmatibus, neque Ignatium, nec Cyrillum, neque Aug. nec quemvis denique hominem, sed solum Christum loquentem in Evangelio audiendum, quasi nimirum palam pro se faceret divinorum librorum textus, quem in sensus nefarios, pro suo quisque pruritu, nulloque interpretandi fine facto miserabiliter detorquebant. Ergo &c.

PROBATIO QUINTA.

Ex auctoritate Conciliorum.

Sæpe est a Sacris Conciliis, prout tulit occasio, hæc veritas definita: *Una est fidelium universalis Ecclesia*, ait Concilium Lateran. IV, anno 1215, sub Innoc. III celebratum: (*c. Firmiter.*) *Extra quam nullus omnino salvatur: in quam idem ipse Sacerdos, est sacrificium Jesus Christus: cujus corpus & Sanguis in Sacramento altaris sub speciebus panis & vini veraciter continentur, transubstantiatis pane in corpus, & vino in sanguinem, potestate divina.*

In Constantiensi, (*anno* 1414) ut prædiximus, damnatus est Joannis Wicleffi articulus, quo volebat accidentia panis & vini non manere in Eucharistia sine subjecto.

In Florentino statutum pariter, *totum Christum contineri sub specie panis, & totum sub specie vini: sub qualibet quoque parte hostiæ consecratæ, & vini consecrati, separatione facta totum esse Christum.*

In Trid. *Quoniam autem Christus*, inquiunt Patres (*Sess.* 13, *cap.* 4.) *Corpus suum, id quod sub specie panis offerebat, vere esse dixit: ideo persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, idque nunc denuo S. hæc synodus declarat, per consecrationem panis & vini conversionem fieri totius substantiæ panis in substantiam Corporis Christi Domini nostri, & totius substantiæ vini, in substantiam sanguinis ejus: quæ conversio convenienter & proprie a Sancta Catholica Ecclesia transubstantiatio est appellata.* Vide ib. can. 2.

PROBATIO SEXTA.

Ex eo quod transubstantiatio nihil habeat rationi contrarium.

Ultimum inde petimus argumentum, quod mysterium transubstantiationis licet supra rationem, quia omnipotentiæ divinæ miraculum, contra illam tamen non sit: ubi enim nulla repugnantia est, nihil esse fatendum est cui non possit ratio acquiescere; atqui transubstantiatio nullam repugnantiam, nullam contradictionem involvit, hoc ipso quod credimus Deum esse omnipotentem: *Novum & impossibile non debet videri*, ait Eucherius Lugdunensis (*hom.* 5. *de Pasch.*) *Quod in Christi substantiam terrena & mortalia commutentur: quando benedicendæ verbis cœlestibus creaturæ sacris altaribus imponuntur, antequam invocatione summi numinis consecrentur, substantia est illis panis & vini: post verba autem Christi corpus, & Sanguis est Christi: quid mirum autem, si ea quæ verbo creare potuit, possit creata convertere? imo jam minoris videtur esse miraculi, si id quod ex nihilo agnoscitur condidisse, jam conditum in melius valeat commutare: require quid ei possit esse difficile, cui facile fuit, visibilia & invisibilia voluntatis imperio suscitare?* Ergo &c.

§. SECUNDUS.

Impanatorum & consubstantiatorum argutiæ refelluntur.

Opponunt: monente Apostolo vocum prophanas novitates vitare debet, qui voluerit vere esse Catholicus; atqui transubstantiationis vox nova est, ante Lateranense IV Concilium inaudita; ergo vitare illam oportet, adeoque dogma ipsum per illam significatum.

℟. 1. Retorqueo argumentum: ostendant enim illi, si placet superis, Evangelii sectatores, ubinam in scriptura *impanationis* aut *consubstantiationis* vocem repererint: quod si, ut certum est, neminem ante paucos annos quem sequerentur, harum vocum auctorem repererint, aut fateantur nova nomina introduci posse, aut semetipsos hac sua argutatione condemnent.

℟. 2. Concedo maj. ad sensum Apostoli intellectam; & n. min. nego, inquam, transubstantiationis vocem ex mente Apostoli novam esse. O *Timothee*, inquiebat ille, (1 *Tim.* 6, 20) *depositum custodi, devitans prophanas vocum novitates, & oppositiones falsi nominis*

nis scientiæ; atqui nedum prophanum aliquid habeat nomen transubstantiationis, antiquum dogma enuntiat, scilicet totius panis & vini in corpus & Sanguinem Christi conversionem, quam Christus ipse in cœna ultima mirabiliter operatus est, dicendo: *Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus*: quam Apostoli, eorumque in hanc usque diem successores, quando Eucharistia in memoriam Domini celebratur, fieri attestantur. Ergo &c. *Inane est*, inquiebat in causa simili S. Hilarius, (*in lib. de synod.*) *Calumniam verbi pertimescere, ubi res ipsa cujus verbum est, non habeat difficultatem: displicet quibusdam, in synodo Nicæna ὁμοούσιον esse susceptum? hoc si cui displicet, necesse est placeat quod ab Arianis est negatum*: parique ratione nos dicimus: displicere nemini potest vox transubstantiationis, nisi cui impanatorum aut consubstantiatorum doctrina nova placuerit.

℞. 3. Data maj. n. min. transubstantiationis enim nomine conversio totius panis & totius vini in Corpus & Sanguinem Christi significatur; itaque si constiterit hujus nominis definitionem antiquitus admissam, creditam, vox ipsa nova dicenda non erit; atqui certo certius est conversionem totius panis & vini in Corpus & Sanguinem Christi a SS. Patribus creditam atque propugnatam: *Sic virtute benedictionis, panis & vini in Corpus & Sanguinem Christi transelementatam esse naturam* S. Gregor. Nissenus testatur: (*orat. catech. c.* 37) & S. Justinus: *Alimentum panis & vini, carnem & Sanguinem Christi sic fieri, quemadmodum per verbum Dei caro factus Jesus, carnem & sanguinem salutis nostræ causa habuit*. (*S. Just. in* 2 *Apol.*) Et S. Cyrillus Hierosol. *ita vinum in Sanguinem Christi trasmutari, quemodo Christus in cana Galileæ sola voluntate aquam mutavit in vinum*. (*catech.* 4 *mystag.*) Et S. Ambrosius, *pane ante verba Sacramentorum panem esse, ubi accesserit consecratio, de pane fieri carnem Christi*: (*lib.* 4 *de Sacram. cap.* 4) Quorum similia in SS. Doctoribus ubique occurrunt; ergo nec nova dicenda illa vox est, cui testimonium primæva antiquitas præbet, nec inutilis, cum ad expressius novorum Hæreticorum errorem notandum sit introducta.

Inst. 1. Atqui Patres doctrinam transubstantiationis voce significatam, propugnando consubstantiationis dogma repudiarunt: illi enim consubstantiationem admittunt, qui Eucharistiam, etiam facta consecratione, panem & vinum appellant; atqui Patres Eucharistiam, etiam facta consecratione, dicunt esse panem & vinum. Ergo &c.

℞. Nego subs. & ad probat. n. maj. non enim ideo Eucharistiam panem & vinum appellant, quod existiment manere panis & vini substantiam: sed, vel quia Eucharistia etiam consecrata, panis & vini speciem sensibus exhibere non desinit: vel quia ex præjacentibus pane & vino confecta est: *Hoc sciendum est, & pro certissimo habendum*, inquit S. Cyrillus supra laudatus, (*catech.* 4 *myst.*) *Panem hunc qui videtur a nobis, non esse panem, tametsi gustus panem esse sentiat: sed esse Corpus Christi, & vinum quod a nobis conspicitur, tametsi sensui gustus vinum esse videatur, non tamen vinum esse, sed Sanguinem Christi*: eodemque sensu S. Justinus (*in* 2 *apolog.*) *Non ut communem panem, neque ut communem potum ista sumimus: sed quemadmodum per verbum Dei caro factus Jesus &c.*

Inst. 2. Atqui SS. Patres Eucharistiam, consecratione facta, panem & vinum proprie appellant. Ergo &c.

Prob. subs. ex Gelasio Pontifice Max. (*ad fin. sæc.* 5) in libro, *de duabus in Christo naturis*, sic loquente: *certe Sacramenta quæ sumimus Corporis & Sanguinis Christi, divina res sunt, propter quod & per eadem divinæ efficimur consortes naturæ: & tamen esse non desinit substantia vel natura panis & vini*. Censebat ergo Gelasius substantiam panis & vini in Eucharistia remanere; atque adeo panem & vinum, etiam consecratione facta, posse proprie appellari.

℞. Nego subs. ad probat.

1. Nego suppositum: nego, inquam, librum illum a Gelasio Sum. Pontifice scriptum: nam opus Gelasii de duabus in Christo naturis, grande volumen erat, ut testatur Gennadius & Honorius Augustodunensis, divisum in quinque libros ut refert Anastasius Bibliothec. in ejus vita; atqui opus unde objectio petitur, exiguum est, & paucas vix pagellas implet: nec aliunde probari potest, utriusque & magni & parvi Gelasium esse auctorem.

Deinde: Scriptor ille inter multos quorum describit sententias, laudat Eusebium Cæsariensem: porro aliunde certum est, Eusebii opera a Gelasio, apocrypha, hoc est sublestæ fidei declarata.

Præterea: Idem scriptor postquam professus est, se veterum Patrum de duabus Christi naturis sententias allaturum, Græcos tantum adducit in medium, de Latinis nec verbum facit: quis porro crediderit Romanum Pontificem, Latinorum decreta sententiasque prætermissurum?

Insuper: Opus illud pseudo-ministrorum Basileensium cura editum est, a quibus corruptum fuisse non levis est suscipio: cum Pascha-

schasii Ratberti Catholicum opus eodem tempore adulteraverint: nullius ergo momenti argumentum est ab hoc libello petitum.

℟. 2. Quisquis hujus operis scriptor fuerit, qua de re nondum finita criticorum lis est: (*v. Nat. Alexand. in hist. sæc.* 5) dist. ant. dicit ille non desinere in Eucharistia substantiam panis & vini, *improprie & latiori sensu nomen substantiæ usurpando*, conc. strictiori & propria significatione hanc vocem accipiendo, n. ant. & conseq.

E. R. Duobus potest modis nomen substantiæ accipi: 1 stricte & more Philosophorum, quatenus significans ens per se subsistens: 2 latiori, minusque proprio sensu, quatenus ad id omne extenditur, quod opponitur nihilo: porro hoc secundo sensu debere verba Gelasii accipi, vel inde certo conficitur, quia alioquin pugnantia loqueretur, & sibimet contradiceret: nam ibidem asserit, dona in altari proposita, in divinam substantiam immutari: hæc vero mutatio quomodo fieret, nisi panis & vini substantia esse in Sacramento desinerent? ut enim Philosophia docet, omnis transitus versatur inter terminos duos, quorum ab uno dum receditur, ad alterum fit accessus.

Inst. 3. Atqui Patres contendunt, in Eucharistia proprie remanere panis & vini substantiam. Ergo &c. probant subs. ex S. Joanne Chrysost. in Ep. ad Cæsarium Monachum sic loquente: *Antequam panis sanctificetur, panem nominamus: divina autem illum sanctificante gratia liberatus est quidem ab appellatione panis, dignus autem habitus est Dominici Corporis appellatione, etiamsi natura panis in illo permanserit*: hinc sic inferunt:

Ex S. Chrysostomo natura panis permanet in Eucharistia consecrata. Ergo &c.

R. Nego subs. ad probat. admitto auctoritatem, & dist. ant. ex S. Chrysost. manet in Eucharistia consecrata natura panis, & naturæ nomen intelligit de congerie proprietatum ac qualitatum naturalium panis, conc. *naturæ* nomen in rigore Philosophico, pro panis, ut loquuntur, quidditate sive essentia accipit, n. ant. & conseq.

E. R. Voces *substantiæ & naturæ* de earum numero sunt, quæ latissimam habent significationem: aliquando enim *natura* idem est quod essentia, sine qua res nec esse nec concipi potest: quomodo dicimus animam hominis *natura* esse spiritualem, circulum *natura* esse rotundum &c. sæpe vero *natura* idem est ac qualitas rei & indoles: aliquando demum complexionem omnium proprietatum vel naturalium qualitatum significat, per quam res una ab altera qualibet distinguitur: sic aquam dicimus *natura* frigidam, &c. parique sensu in scriptura dictum (*Sap.* 19, 19) de aqua, *quod extinguentis suæ naturæ obliviscebatur*: & de bonis simplicibusque, *quod ex natura*, hoc est indole, *sua alios æstiment* (*Est.* 16, 6): & a Tertulliano in lib. de anima c. 32 *aliud est substantia, aliud natura substantiæ: substantia est, lapis, ferrum: duritia lapidis & ferri, natura substantiæ*: quin & Latinis ipsis, optimæ notæ scriptoribus familiaris hæc locutio est: nec diffitentur Lutherani: *Naturam expellas furca*, ait Horatius, *tamen usque recurret*: & Cicero, *si aliquem nacti sumus, cum cujus natura, moribus & vita congruamus*, quidni pariter potuit S. Joannes Chrysost. loco cit. *naturam* panis intelligere, non internam ejus essentiam & quidditatem, sed complexionem omnium ejus proprietatum ac sensibilium qualitatum, quas facta consecratione manere non diffitemur? præsertim cum aliunde certum sit a S. Doctore transubstantiationem præclarissime propugnatam.

Est & altera multorum, nec contemnenda responsio, de veritate hujus Ep. utrum revera a S. Joanne Chrysost. scripta fuerit, dubitantium, qua de re vide Natalem Alexand. in historia Eccles. sæculi XI, & XII, dissert. 12.

Inst. 4. Atqui *naturæ* nomen proprie & rigoroso sensu accipit S. D. sive quisquis alius hanc Epistolam scripsit. Ergo &c.

Prob. subs. ex eo quod ibi ait, *panem Dominici Corporis appellatione honorari*, unde sic argumentum inferunt: nihil honoratur, quando id quod revera est appellatur, quis enim dixerit, homini honorem deferri, quando homo nominatur? atqui ex S. Chrysost. aut alio quolibet, *panis honoratur nomine Dominici corporis*, ergo Corpus Christi revera non est.

℟. Nego subs. ad probat. admitto auctoritatem, & dist. maj. nihil honoratur, quando dicitur esse id quod revera est, *statu suo & nativa conditione*, transeat, quando dicitur esse id quod est, *favore divino, & beneficio indebito*, n. maj. & concessa min. n. conseq.

E. R. Equidem non magnum rei honorem facis, quando hoc ei attribuis quod sibi naturaliter arrogat, sic, ut in proposito exemplo sistamus, quando hominem dicis esse animal rationale, cum in hoc ejus natura consistat, nihil de illo magnificum, absolute loquendo prædicas, quando vero quæstio est de attributo, præter naturam & ex mera Dei liberalitate concesso, licet revera res sit id quod dicitur esse, negare quis audeat magnum ei honorem deferri? id quod in præsenti est apertissimum; quamquam enim panis Eucharisticus, per consecrationem vere sit in Corpus Christi mutatus; quia tamen non natura sua, hoc

hoc exigebat, sed stupendo Dei miraculo obtinet, consequens est multum honorari, dum dicitur Corpus Christi.

Monitum.

Pari modo respondendum ad aliqua *Theodoreti*, & quorumdam aliorum testimonia, quæ cum iisdem pene verbis concepta sint, nova explicatione non egent: sic in dial. 1 contra Eutychianos, *Christus*, inquit, *visibilia symbola Corporis & Sanguinis appellatione honoravit, non naturam mutans, sed naturæ gratiam addens*, & Dialogo secundo, cum Eutychianus collocutor, ut probaret Christi Corpus post ascensionem, in divinam substantiam esse mutatum, exemplum Eucharistiæ attulisset, sic ratiocinans, *Sicut ergo symbola Dominici Corporis & Sanguinis, alia sunt ante Sacerdotis invocationem, post invocationem vero mutantur, & alia fiunt, ita Dominicum Corpus post ascensionem in divinam substantia mutatum est* . . . Respondet in personam Orthodoxi Theodoretus, *retibus quæ ipse texuisti, captus es, neque enim symbola mystica post sanctificationem recedunt a sua natura, manent enim in priore substantia, & figura, & forma, & videri tangique possunt, sicut & prius*.

Nam præter quam quod ad hæc ejus verba eadem responsio bene convenit, quibus *Gelasii*, & S. Joannis Chrysost. tesimonia exposita sunt, (cum Græcæ voces φύσις & οὐσία, non secus ac Latinæ *natura*, *substantia*, *essentia*, non naturam tantum rigore metaphysico intellectam, sed & accidentium ac proprietatum naturalium complexionem significent,) contendimus insuper. iis ipsis verbis transubstantiationem clarissime significari, nedum habeant aliquid contrarium.

1. Namque statim post verba ex dial. 2 adducta subjicit, *Intelliguntur autem* (symbola mystica) *ea esse quæ facta sunt, & creduntur, & adorantur, ut quæ illa sint quæ creduntur*: adorantur itaque Theodoreto judice, post consecrationem symbola mystica, nec alia de causa adorantur, nisi quia Corpus & Sanguis Christi facta esse creduntur: sentit ergo panem & vinum in Corpus & Sanguinem Christi esse mutata; atque adeo quod ibidem dicit, manere in propria substantia, & figura, forma, aliarumque proprietatum complexione accipi debet, secundum quam, ut loquitur ipse, *videri tangique possunt sicut & prius*.

2. Eutychianorum & Catholicorum communem fuisse sententiam, panem & vinum in Christi Corpus & Sanguinem trasmutari, vel ipsum Eutychiani argumentum probat: postquam enim ei orthodoxus confessus est, symbola post consecrationem appellari Corpus & Sanguinem Christi, vereque utrumque in Eucharistia recipi: syllogismum ita Eutychianus concludit: *Sicut ergo*, inquit, *symbola Dominici Corporis & Sanguinis alia sunt ante Sacerdotis invocationem, post invocationem vero mutantur, & alia fiunt: ita Dominicum corpus post ascensionem in divinam substantiam mutatum est*. Inde ego sic colligo: volebant Eutychiani (saltem in aliquo suæ hæresis statu) Corpus Christi statim post ascensionem a divina essentia penitus absorptum, & in eam substantialiter immutatum: cum itaque conversionem hanc Eucharistiæ exemplo adstruere niterentur, consequens erat ut vellent panem & vinum vere ac substantialiter in Corpus Christi mutari: alioquin enim præsens de quo agitur argumentum, insulsissimum esset, nec umbram rationis haberet: ejus enim hic esset sensus: *Nomine tenus ac virtute mystica panis & vini symbola, cum eadem substantialiter maneant, per invocationem mutantur; ergo a pari Corpus Christi post ascensionem, non nomine tenus, sed secundum naturam a divinitate absortum, & substantialiter immutatum est*: quo quid absurdius dici posset?.

Sed esto obscure, ut in aliis multis solet, eo loci Theodoretus locutus sit, & fidem transubstantiationis, non sat congruenter explicuerit: quid inde contra Catholicam veritatem extundi potest? numquid enim in uno Theodoreto dogmatum divinorum certitudinem ponimus? numquid traditio ab uno homine pendet, quæ ex adverso omnium aut pene omnium aperta tesificatione firmatur? cum itaque panem & vinum mirabiliter in Corpus, & Sanguinem Christi converti, post scripturam, Patres pene omnes, & ii ipsi qui Theodoreti ætate vixerunt, aperte & sine ambiguitate confirment: cum hæc liturgiarum omnium, totiusque Ecclesiæ confessio sit; ratio & æquitas postulant, ut ad aliorum mentem Theodoretus, & si quis sit alius, revocetur; nec magis ejus obscuritas fidei transubstantiationis, quam Tertulliani & quorumdam aliorum obscuræ sententiæ fidei Trinitatis & consubstantialitatis, verbis, præjudicare putanda est.

Inst. 3. Sæpe contingit ex Eucharistiæ putrescentibus speciebus nasci vermes, si nimirum diutius quam par fuerat, in sacra pixide asservetur; porro vermes aut alia quævis animalcula, formari nisi ex præexistente materia nequeunt; atqui ex Corpore & Sanguine gigni non possunt, quod esset sacrilegum affirmare: reliquum ergo est ut dicamus ex materia panis & vini generari; atque adeo utrius-

utriusque in Corpus & Sanguinem Christi transubstantiatio non fit.

℟. Admitto experimentum; concedo pariter sine materia, vermium generationem non fieri, eamque Corpus & sanguinem Christi non esse, quippe quæ incorruptibilia esse fide certa teneam: sed nego conseq., nego, inquam, vermes ex materia panis, & vini formari, quippe quæ in Eucharistia post consecrationem non sit: quænam ergo, inquis, illa materia est? facile ad quæsitum respondeo, vel esse materiam, prout accidentium remanentium conditio exigit, immediate a Deo creatam, quæque prioritate naturæ vermium formationem præcedat: vel esse materiam Eucharistiæ extraneam, quæ panis & vini remanentes poros pervadit & implet, quæque contrarias secum advehat, humiditatis, siccitatis, aliasque id genus qualitates, post certam temporis moram, ut corporis elementaribus contingit, & necessario corrumpitur.

Inst. 6. Eucharistia, etiam consecratione facta panem sensibus exhibet; ergo ibi revera est panis.

R. Nego conseq. non enim sensuum, sed fidei testimonio nitimur, ad dicendum vi verborum panem in Christi Corpus, & vinum in Sanguinem esse conversum: non hic judices sensus audimus, sed solum Christum, cui dicenti: *Hoc est corpus meum*: *hic est sanguis meus*, non credere, sacrilega temeritas est.

Inst. ultimo probando conseq. non potest sensuum testimonium esse falsum, quando nimirum adsunt necessariæ conditiones, medii non impediti, organi bene affecti, & objecti in debita distantia positi; cum itaque in præsenti omnes occurrant, fatendum in Eucharistia esse panem.

R. Dist. ant. non potest iis conditionibus testimonium sensuum esse falsum, *in rebus ad naturam pertinentibus*, transeat: *quando constat Deum agere præter consuetas naturæ leges*, n. ant. & conseq.

E. R. De sensibus, utrum eorum testimonium certum & infallibile sit, in rebus ad naturam spectantibus, quando adsunt prædictæ conditiones, Philosophi viderint, quorum est hujusmodi quæstiones dirimere: nos certe in præsenti, principil loco habemus, sensus minime esse consulendos, ubi constat Deum præter naturæ ordinem, & absoluta potentia agere: *Verba enim ejus*: ait sæpe laudatus Chrysostomus, *fallere non possunt: sensus vero noster deceptu facillimus est: quoniam ergo ille dixit:* Hoc est corpus meum: *nulla teneamur ambiguitate, sed credamus, & oculis intellectualibus id aspiciamus*.

Proponitur quæstio.

Quæritur utrum in Eucharistia Corpus, & Sanguis Christi etiam extra usum contineantur?

℟. Affirmative contra Lutheranos aliosque sectarios, qui volunt Christi Corpus non esse in Eucharistia, nisi quando actu percipitur: ut enim supra probatum est, vi verborum, in Corpus & Sanguinem Christi, panis & vini elementa transubstantiantur; ergo tamdiu Christus est in Eucharistia præsens; quamdiu manent species ipsæ; indeque est, quod eo, præter cætera, discrimine Eucharistiam a reliquis Sacramentis Theologi distinguunt, quod alia in solo usu, seu in sola formę ad materiam, & utriusque ad subjectum applicatione consistant: Eucharistia vero esse permanens habeat.

Deinde hoc ipsum Eucharistiæ institutione adstruitur: prius enim dixit Christus: *Hoc est corpus meum*: *hic est sanguis meus*, quam utriusque participes Apostoli fierent: ergo falso Lutherani, & contra Christi auctoritatem effutiunt, in usu solo consistere.

Præterea, ejusdem rei certissimum argumentum præbet antiquissima doctrina Patrum & consuetudo Ecclesiæ. Certum est enim

1. Eucharistiam ad absentes a Diaconis, aliisque ministris fuisse delatam.

2. Tempore persecutionis a fidelibus in proprias domos gestatam, necessario tempore consumendam.

3. In loco sacro reconditam, ut ad ægrotos morti proximos deferretur; ne videlicet necessario viatico fraudarentur.

4. Ad Episcopos Catholicos in signum concordiæ a suis Coepiscopis plerumque missam.

5. Reservatam per multos dies in orientali Ecclesia ad Missam præsanctificatorum, de qua libro sequenti dicturi sumus.

6. Non in usu tantum, sed etiam extra suum a fidelibus adoratam.

Harum vero consuetudinum, etsi aliquæ, disciplina mutata, abrogatæ fuerint, vigent tamen etiamnum nonnullæ: quin & novæ, quo major augustissimo Sacramento reverentia conciliaretur, occasione hæresum introductæ sunt: nam & ad ægrotos Eucharistia ante consecrata defertur, & in loco sacro reconditur, & proponitur fidelibus adoranda, & per vicos plateasque, ad augendam pietatem arca novi Testamenti cum pompa gestatur: iis vero sacris ritibus repugnare, & velut superstitiosos traducere, Lutheranorum aliorumque Hæreticorum blasphemia est, quam Trid. synodus anathemate ferit.

Si

Si quis dixerit, inquiunt Patres, (*Sess.* 13, *can.* 4) *peracta consecratione, in admirabili Eucharistiæ Sacramento non esse Corpus & Sanguinem Domini nostri Jesu Christi, sed tantum in usu, dum sumitur, non autem ante vel post, & in hostiis seu particulis consecratis, quæ post Communionem reservantur, vel supersunt, non remanere verum Corpus Domini, anathema sit.*

Si quis dixerit, (*ib. can.* 6) *in Sancto Eucharistiæ Sacramento Christum Unigenitum Dei Filium, non esse cultu latriæ, etiam externo adorandum; atque adeo nec festiva peculiari celebritate venerandum, neque in processionibus, secundum laudabilem & universalem Ecclesiæ Sanctæ ritum & consuetudinem, solemniter circumgestandum, vel non publice, ut adoretur, populo proponendum, & ejus adoratores esse idololatras: anathema sit.*

Si quis dixerit, (*ib. can.* 7) *non licere, sacram Eucharistiam in sacrario reservari, sed statim post consecrationem adstantibus necessario distribuendam: aut non licere, ut illa ad infirmos honorifice deferatur: anathema sit.*

Vide ib. in decreto de Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, cap. 5, & 6.

QUÆSTIO SEPTIMA.

De Eucharistiæ percipiendæ subjecto.

QUoniam nullas affert quæstio ista difficultates, quæ longa controversia egeant, dubia occurrentia totidem responsis breviter explicabimus.

Q. 1. Percipiendæ Eucharistiæ quodnam sit subjectum idoneum?

℞. Generatim esse omnem baptizatum: non quod debeat necessario quisquis est baptizatus, ejus fieri particeps: (indignos enim arceri jus divinum & Ecclesiasticum præcipit:) sed quia nemo nisi aquis salutaribus expiatus ad sacram mensam admitti potest, cum baptismus sit janua Sacramentorum.

Q. 2. Utrum possit ministrari infantibus?

℞. Affirmative: Infantes enim baptizati sunt de familia Christi: nihil ergo impedit quominus ad sacrum convivium admittantur, in quo Christus seipsum dat suis.

Deinde: quisquis habet vestem nuptialem, idest innocentiam, Eucharistiæ percipiendæ est capax; atqui pueri per baptismum veste nuptiali induti sunt, habentque innocentiam cum gratia sanctificante conjunctam, quam mala contraria voluntate perdere nondum potuerunt: unde præscripto Apostoli non comprehenduntur: (1 *Cor.* 11, 28) *probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat.* Ergo &c.

Præterea: hujus rei in veteri disciplina certissimum testimonium est: constat enim, tum in Oriente tum in Occidente, una cum baptismo Confirmationem & Eucharistiam ipsis etiam infantibus ministratas: de Græcis quidem & Orientalibus, quæ etiamnum vigent Euchologia, difficultatem nullam relinquunt: nec dubium est, quin Latinorum eadem consuetudo fuerit: admonet S. Gregorius M. in Sacramentario, *Posse infantes ante sacram communionem lactari si necesse fuerit...*) Ordo Romanus Gregorio M. aliquanto recentior præscribit *parvulos, postquam baptizati fuerint, non esse lactandos sine summa necessitate, antequam communicent Sacramento Corporis Christi:* de Communione parvulorum frequens in S. Aug. testimonium est, itemque in aliis tum recentioribus tum antiquioribus. *Præsente ac teste me ipso*, ait S. Cyprianus 3 sæculi scriptor (*in lib. de lapsis*) *Accipite quid evenerit: parentes forte fugientes dum trepidi minus sibi consulunt, sub nutricis alimento parvulam filiam reliquerunt: relictam nutrix detulit ad magistratus: illi ei apud idolum quo populus confluebat, quod carnem nondum posset edere per ætatem, panem mero mixtum; quod tamen & ipsum de immolatione supererat, tradiderunt: recepit filiam postmodum mater: sed facinus puella commissum tam loqui & indicare non potuit, quam nec intelligere prius potuit, nec arcere: ignoratione igitur abreptum est, ut sacrificantibus nobis eam secum mater inferret: sed enim puella mixta cum sanctis, precis nostræ & orationis impatiens, nunc ploratu concuti, nunc mentis æstu cœpit fluctuabunda jactari, & velut tortore cogente, quibus poterat indiciis conscientiam facti in simplicibus adhuc annis rudis anima fatebatur: ubi vero solemnibus adimpletis calicem Diaconus offerre præsentibus cœpit, & accipientibus cæteris locus ejus advenit, faciem suam parvula instinctu divinæ majestatis avertere, os labiis obturantibus premere, calicem recusare: perstitit tamen Diaconus, & reluctanti licet, de Sacramento calicis infudit: tunc sequitur singultus & vomitus: in corpore atque ore violato Eucharistia permanere non potuit: sanctificatus in Domini Sanguine potus, de pollutis visceribus erupit: tanta est potestas Domini, tanta majestas: secreta tenebrarum sub ejus luce detecta sunt, Sacerdotem Dei nec occulta crimina fefellerunt: hoc circa infantem, quæ ad eloquendum alienum circa se crimen nondum habuit ætatem.*

Q. 3.

Q. 3. Utrum eadem hodie disciplina obtineat?

℟. 1. In Græca & Orientali Ecclesia etiamnum ubique servari, ut constat ex omnibus Græcorum, Syrorum, Melchitarum, Nestorianorum aut Jacobitarum, & omnium sive Hæreticorum, sive Schismaticorum, sive Catholicorum hodiernis Euchologiis.

℟. 2. In Latina Ecclesia a quingentis pauloque amplius annis abrogatam: nam quod ante 13 sæculum ubique per occidentem consuetudo illa viguerit, præter adducta ex S. Cypriano, & Gregorio M., & Romano ordine testimonia invicte demonstrant plerique alii Sacramentarii libri, quorum auctoritas suis temporibus magna fuit: hujus meminit rituale *Gelasii* dictum, annorum plus quam nongentorum canitie venerandum: „ Postea, *inquit*, agenda „ est missa, & communicat (infans)…. & „ dabis ei Sacramenta Corporis & Sanguinis „ Christi dicens; Corpus Domini nostri Jesu „ Christi sit tibi in vitam æternam…. *item- „ que in alio antiquissimo* : post hoc ingre- „ diuntur ad missas, & communicant omnes; „ illud autem providebis, ut postquam bapti- „ zati fuerint, nullum cibum accipiant, nec „ ablactentur antea quam communicent Sacra- „ menta Corporis Christi . . . . *& in altero*: „ Si Episcopus adest, statim confirmare eum „ (per) Chrisma oportet, postea communica- „ re; & si Episcopus præsens non fuerit, an- „ tequam post baptismum ablactetur, aut ali- „ quid accipiat, Corpus & Sanguinem Domi- „ ni communicetur . . . . " & in aliis longe pluribus quæ diligentissime collegit doctissimus *Martenius* ex Congregatione S. Mauri Monachus Benedictinus (*de antiquis Ecclesiæ ritibus tom.* 1) : nec prætermittenda Hugonis a S. Victore auctoritas: scripsit ille sæculo 12 porro l. 1 de Sacramentis c. 20 „ Pueris, „ *inquit*, recens natis idem Sacramentum in „ specie sanguinis est ministrandum digito „ Sacerdotis, quia tales naturaliter sugere „ possunt.

Objectio.

Quid ergo, inquies, Latinis plerisque tum Theologis, tum Missionariis causæ fuit, Græcos propter datam infantibus Communionem redarguendi, eosque violatæ fidei postulandi, quasi nimirum Eucharistiam vellent ad salutem pari gradu ac baptismum necessariam esse?

℟. Accusationem hanc ex disciplinæ veteris ignorantia esse profectam: quid enim aliud est, Græcos hodiernos, propter retentum communionis infantium usum, de fide violata redarguere, quam Ecclesiam universam damnare, quæ disciplinam hanc per plura sæcula ubique servavit? nec satis adverterunt incauti & acriores æquo censores, Communionem infantium divini de reali præsentia & transubstantiatione dogmatis, contra Lutheranos, & Calvinistas argumentum invincibile esse : illi enim vel absolute negant Christum in Eucharistia contineri, vel sola suscipientium fide volunt Corpus Christi præsens esse ac recipi : unde consequens est ut dicant ab infantibus fidei incapacibus Christi Corpus non recipi ; atqui Græcis & Orientalibus persuasum est, eademque antiquitus totius Ecclesiæ professio fuit; infantes quantumvis actu non credentes, Corpus & Sanguinem Christi in Communione revera recipere; ergo credidit olim, idemque etiamnum credit Ecclesia, non per solam fidem, sed transubstantiatione elementorum quæ verbis Evangelicis fit, Christum realiter in Eucharistia contineri.

Q. 4. Utrum amentibus Sacra Communio dari possit?

℟. Verbis S. Thomæ: „ Dicendum, *inquit* „ (3 *p. q.* 80, *art.* 9, *in c.*), quod aliqui di- „ cuntur non habere usum rationis dupliciter; „ uno modo quia habent debilem usum ratio- „ nis, sicut dicitur non videns qui male videt „ & quia tales possunt aliquam devotionem „ hujus Sacramenti concipere, non est eis de- „ negandum; alio modo dicuntur aliqui tota- „ liter non habere usum rationis: aut igitur „ numquam habuerunt, sed sic a nativitate „ permanserunt; & talibus non est hoc Sacra- „ mentum exhibendum, quia in eis nullo mo- „ do præcessit hujus Sacramenti devotio: aut „ non semper caruerunt usu rationis; & tunc „ si prius quando erant compotes suæ men- „ tis, apparuit in eis devotio hujus Sacramen- „ ti, debet eis in articulo mortis exhiberi, „ nisi forte timeatur periculum vomitus, vel „ expulsionis. "

Ita S. D. quod autem de amentibus, de energumenis dictum puta. (1)

Q. 5.

(1) *Quod energumenos attinet, homines scilicet ab immundis spiritibus obsessos, censent plures denegatum illis olim fuisse Eucharistiam, præterquam in exitu vitæ : eos tamen posterioris ævi disciplinam, quæ nunc etiam obtinet, a sacra mensa nequaquam exclusisse, dummodo rationis usu fruerentur. Et certe si antiquas liturgias consulamus, in his legere est energumenos nedum a divinorum mysteriorum participatione, sed & aspectu, immo & a precantium consortio fuisse ammovendos.* Si quis Dæmonem habeat, *inquit Canon.* 78 *inter Apostolicos*, nec fiat Clericus, sed neque cum fidelibus precetur. *Et Auctor* Constit. Apostolic. lib. 8 c. 7 *testatur*,

Q. 5. Utrum reis morte damnatis dari debeat?

℟. Servandam unicuique suæ Ecclesiæ disciplinam: In Hispania enim, Gallia, Sabaudia, in pœnam sceleris & scandali, cui non ex animo satisfacere præsumuntur, a Communione arcentur: in Italia vero, Germania, aliisque forte Provinciis, ad Corporis, & Sanguinis Christi participationem ex indulgentia admittuntur; cum hac tamen cautione, ut ne eadem die qua morte plectendi sunt, propter Sacramenti reverentiam, ad sacram mensam accedant.

Q. 6. Utrum peccatoribus seu facti evidentia, seu judicis sententia notoriis concedi possit?

℟. Negative: juris enim naturalis est ac divini, ut indigni ab Eucharistia arceantur, dicente Christo: (*Matt.* 7, 6) *Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis Margaritas vestras ante porcos:* Et (*ib.* 15, 26) *non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus*, atqui publici peccatores donec conversionem pœnitentia conveniente probaverint, non secus ac canes habentur, de quibus in Apocalypsi dicitur (*Apoc.* 22, 15): *Foris canes* &c. licet enim forte perpetrata crimina ex animo detestentur, mutati tamen non judicantur, donec scandalum reparaverint, seque vere probaverint pœnitentes. Ergo &c.

Q. 7. Utrum occultis peccatoribus sit concedenda?

℟. Affirmative: sic enim Christus exemplo suo præscripsit, qui proditorem Apostolum hoc ipso tempore quo nefandissimum crimen meditabatur, ad sui Corporis & Sanguinis Communionem admisit: accedit antiqua Ecclesiæ disciplina, ad cujus normam S. Aug. (*hom.* 50, *inter* 50) *Nos*, inquit, *a Communione prohibere quemquam non possumus, nisi aut sponte confessum, aut in aliquo sive sæculari, sive ecclesiastico judicio nominatum atque convictum: quis enim sibi utrumque audeat assumere, ut cuiquam ipse sit accusator & judex?* Præterea *cum quilibet Christianus*, inquit S. Thomas, (3 *p. q.* 80, *art.* 6, *in c.*) *ex hoc ipso quod est baptizatus, sit admissus ad Dominicam mensam, non potest ei jus suum tolli, nisi pro aliqua causa manifesta .... potest tamen Sacerdos*, ait ibidem, *occulte monere peccatorem occultum, vel etiam in publico generaliter omnes monere, ne ad mensam Domini accedant, antequam de peccatis pœniteant, & Ecclesiæ reconcilientur.*

QUÆSTIO OCTAVA.

De Eucharistiæ necessitate.

DUO hic explicanda occurrunt: 1 est, utrum & quomodo Eucharistia sit omnibus necessaria? 2 utrum omnes teneantur sub utraque specie communicare? Unde sit

CAPUT PRIMUM,

Utrum & quomodo Eucharistia omnibus necessaria sit?

1. REvocandum in memoriam quod alibi sæpe dictum, necessarium aliud esse necessitate medii, aliud necessitate præcepti.

2. Præceptum aliud divinum, aliud Ecclesiasticum est.

3. No-

tur, adveniente oblationis tempore Diaconos alta voce clamare consuevisse: omnes Catechumeni: omnes obsessi discedite. *Item non licuisse energumeni nomen ad altare in oblatione recitare constat ex Illiberitani Concilii Can.* 29. *Eorumdem a sinaxibus expulsionem testatam faciunt Auctor* lib. de Ecclesias. Hierarc. cap. 3, *& Joan. Chrysost.* Homil. 3, & 4 de incomprehensibili Dei natura. *Hæc tamen omnia maluit S. Thomas* art. 3, qu. 80, *de energumenis nondum baptizatis interpretari, aut de illis, qui ob aliquod insigne crimen a Dæmone torqueri dignoscerentur, ut habet in* 4, dist. 6, quæst. 1, art. 14. *Fortassis ea lata fuerunt pro illis qui a Dæmone subinde agebantur in furorem, ac timendum erat, ne suis motibus, aut clamoribus sacrificii celebrationem turbarent.*

Quidquid sit, illud saltem compertum est, quinto Ecclesiæ Sæculo in usu fuisse energumenis, qui actu a Dæmone non exagitarentur, communionem porrigere. Nam in Concilio I Arausicano extat Canon, in quo dicitur: Energumeni jam baptizati, si de purgatione sua curant, & se sollicitudini clericorum tradunt, monitisque obtemperant, omnimodis communicent. Sacramenti ipsius virtute vel muniendi ab incursu Dæmonii, quo infestantur, vel purgandi, quorum jam ostenditur vita purgatior. *In Collationibus quoque Cassiani cum retulisset Germanus coll.* 7, *Energumenos quibusdam in locis a Communione Dominica perpetuo abstinere; Serenus ita respondit*: communionem iis sacrosanctam a senioribus nostris nunquam memini interdictam: quin immo, si possibile esset, etiam quotidie eis impertiri debere censebant. *Quod & pluribus aliis momentis comprobatur.*

3. Notandum Eucharistiam spectari posse comparate vel ad adultos rationis usum habentes, vel ad infantes ac cæteros qui ratione ac judicio non fruuntur. His positis, sit

§. PRIMUS.

Eucharistiæ necessitas explicatur.

Dico 1 Eucharistiam esse fidelibus adultis præcepto divino necessariam.

Ad eos enim dictum est: (*Joan.* 6, 54) *Amen, amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*: quæ verba sine dubio præceptum divinum enuntiant.

Deinde: Hoc ipsum documenta Apostoli persuadent, verba Christi: *Hoc facite in meam commemorationem*: ad omnes fideles sensu aliquo extendentis: *Quotiescumque ergo*, inquit, (1 *Cor.* 11, 26 & *seq.*) *manducabitis panem hunc & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat*; *itaque quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit Corporis & Sanguinis Domini*: *probet autem seipsum homo* &c.

Præterea. Eamdem veritatem actus Apostolici adstruunt, (*c.* 2, 42) ubi narratur, *quod erant omnes perseverantes in doctrina Apostolorum*; & *communicatione fractionis*, & *orationibus*: quid enim aliud hæc fractio panis erat, quam Communio Eucharistiæ, in cujus ideo perceptione fideles perseverabant, quia divinitus a Christo imperatam intellexerant?

Denique: Præclarissimum ejusdem rei in liturgiis antiquis est argumentum: constat enim nusquam sacrificium antiquitus sine multorum participatione oblatum, & Eucharistiam iis qui præsentes aderant, a Diaconis distributam, quin & ad ipsos absentes perlatam, ut S. Justinus testatur (*in* 2 *Apol.*): indeque est, quod etiam in liturgiis hodiernis preces ad Communionem spectantes plurali numero, & adstantium omnium nomine fiant.

Hincque colligendum:

1. Adultos periculose ægrotantes ad percipiendam Eucharistiam præcepto divino teneri: instituta enim est in salutis viaticum, ut ejus virtute roborati mortalitatem hanc miseram perenni immortalitate commutemus; atqui nullum occurrit tempus, quo magis egeamus hoc adjumento, quam ubi cum imminente morte confligamus: hinc in Nicæno 1 Concilio statutum: (*can.* 16) *ut si quis egreditur e corpore, ultimo & necessario viatico non privetur.*

2. Obligari pariter divino præcepto adultos ad Eucharistiam sæpius in vita percipiendam: nam ideo instituta est, ut foret animæ cibus: *Caro mea*, ait summus legislator, (*Jo.* 6, 56 & *seqq.*) *vere est cibus*, & *sanguis meus vere est potus*: *qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem, in me manet & ego in eo*; atqui absurdum prorsus est dicere, solo mortis imminente periculo alimentum spirituale esse quærendum: quomodo stultus merito haberetur, qui non ante de nutriendo corpore cogitaret, quam ultimos exhalaret spiritus, & fugientem afflaret animam.

Dico 2. Eucharistiam, etiam præcepto Ecclesiastico, adultis esse necessariam: extat de hac re decretum antiquum Fabiano Pontifici Maximo attributum, quo unicuique fideli injungitur, ut ter in anno, in Paschate nimirum, Pentecoste, & Natali Eucharistiæ fiat particeps: accedit Lateran. Concilii IV auctoritas, decernentis, omnes utriusque sexus fideles teneri ad Eucharistiam singulis annis saltem in Paschate percipiendam, quem canonem sacra Trid. synodus renovans: (*Sess.* 13, *can.* 9) *si quis dixerit*, inquit, *omnes & singulos Christi fideles, cum ad annos discretionis pervenerint, non teneri singulis annis, saltem in Paschate, ad communicandum juxta præcepta S. Matris Ecclesiæ, anathema sit.*

Dico 3. actualem Eucharistiæ sumptionem nemini esse necessitate medii necessariam.

Alias enim sine actuali Eucharistiæ sumptione, nemini posset salus æterna obtingere; atqui hoc consequens fidei contrarium est, qua credimus:

1. Per baptismum, ab originali actualibusque peccatis hominem plene liberari.

2. Plenam pariter consequi pœnarum remissionem, quæ peccatis in vita futura debentur: *Ita ut*, inquit S. Aug. (*de pec. mer.* & *rem. lib.* 2, *cap.* 28) *si post baptismum continuo consequatur ex hac vita migratio, nihil sit omnino quod obnoxium hominem teneat, solutis omnibus quæ tenebant.*

3. Primum baptismi effectum esse, gratiæ sanctificantis, & vitæ spiritualis infusionem.

4. Illorum animas, qui post baptismum susceptum, nullam omnino peccati maculam incurrerunt, in cœlum mox recipi, intueri clare ipsum Deum trinum & unum sicuti est: ita ut nihil prorsus eos ab ingressu cœli remoretur. Ergo &c.

Hinc Concilium Trid. docet (*sess.* 21, *c.* 4) parvulos usu rationis carentes nulla obligari necessitate ad Sacramentalem Eucharistiæ Communionem: *Si quidem*, inquit, *per baptismi lavacrum regenerati, & Christo incorporati, adeptam filiorum Dei gratiam in illa ætate amittere non possunt.*

Accedit, ad ejusdem veritatis confirmationem

nem ipsa Eucharistiæ natura: instituta namque est, ut esset animæ cibus spiritualis: sicut ergo corporalis cibus non est necessarius, ut vivere homo incipiat, cum e contrario vitam necessario præsupponat: ita Eucharistiam debet spiritualis vita præcedere: indeque est quod Sacramentum vivorum nominatur, unde sequitur quod non sit absolute necessaria ad salutem.

Dico 4. Rem, sive effectum Sacramenti, qui est conjunctio cum Christo, & aggregatio corpori ejus mystico, adeoque votum ipsum saltem implicitum Eucharistiæ, omnibus esse necessarium necessitate medii ad salutem.

Assertionem explico verbis S. Thomæ: *Dicendum*, inquit, (3 *p. q.* 73, *art.* 3, *in corp.*) *quod in hoc Sacramento duo est considerare, scilicet ipsum Sacramentum, & rem Sacramenti: res hujus Sacramenti est, unitas corporis mystici, sine qua non potest esse salus: nulli enim patet aditus salutis extra Ecclesiam . . . res autem alicujus Sacramenti haberi potest ante ejus perceptionem, ex ipso voto Sacramenti percipiendi . . . . sicut & ante baptismum ex voto baptismi, est autem differentia . . . quia per baptismum ordinatur homo ad Eucharistiam; & ideo ex hoc ipso quod pueri baptizantur, ordinantur per Ecclesiam ad Eucharistiam: & sic sicut ex fide Ecclesiæ credunt, sic ex intentione Ecclesiæ desiderant Eucharistiam, & per consequens recipiunt rem ipsius; sed ad baptismum non ordinantur per aliud præcedens Sacramentum: & ideo ante susceptionem baptismi non habent pueri aliquo modo baptismum in voto, sed soli adulti: unde rem Sacramenti baptismi non possunt recipere sine perceptione Sacramenti; & ideo hoc Sacramentum non hoc modo est de necessitate salutis, sicut baptismus.*

§. SECUNDUS.

Resolvuntur objectiones.

Objiciunt contra 3 præsertim assertionem: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem*, ait Christus, (*Joan.* 9, 54) *non habebitis vitam in vobis*. Unde facilis argumenti assumptio est:

Necessarium necessitate medii est, sine quo finis haberi nequit; atqui juxta hanc Christi sententiam, sine perceptione Eucharistiæ, vita æterna haberi nequit. Ergo &c.

℞. Admitto auctoritatem. Ad argumentum 1. Concessa maj. n. min. hæc enim verba si de actuali perceptione sumantur, præceptum quidem significant omnibus adultis impositum, non vero, quæ ad omnes omnino pertingat, medii necessitatem: cum dogma fidei sit, parvulos, ipsosque adultos in casu necessitatis sine Eucharistia morientes, nisi obicem peccati ponant, vitam æternam infallibiliter consequi.

2. Dist. eamdem min. vita æterna haberi non potest, sine perceptione Eucharistiæ *actuali*, nego: sine perceptione *in voto* subdist. in voto *implicito*, conc. *explicito*, iterum subdist. *quando agitur de adultis*, conc. *si de infantibus*, n. min. & conseq.

E. ℞. 1. Negamus, sine actuali Eucharistiæ sumptione non posse vitam æternam haberi: ut constat ex modo dictis.

2. Fatemur, neminem posse sine Eucharistia voto suscepta salvari, nemo enim ad regnum cœlorum admittitur, nisi sit Christo conjunctus, & mystico ejus corpori adunatus; atqui conjunctio hæc proprius est Eucharistiæ effectus: *unus panis, unum corpus sumus*, ait Apostolus (1 *Cor.* 10, 17) *omnes qui de uno pane participamus*: unde alibi observavimus, aquæ cum vino in calice mixtione populi fidelis cum Christo adunationem significari.

3. Dicimus, votum illud debere esse vel explicitum in adultis, vel implicitum in parvulis: ut enim loquitur S. Thomas supra laudatus, *pueri ex hoc ipso quod baptizantur, ordinantur per Ecclesiam ad Eucharistiam: & sicut ex fide Ecclesiæ credunt, sic ex intentione Ecclesiæ desiderant Eucharistiam, & per consequens recipiunt rem ipsius.*

Inst. 1. Atqui etiam ab infantibus sine actuali Eucharistiæ perceptione vita æterna haberi nequit. Ergo &c. prob. subs. eodem modo debent intelligi verba Christi: *nisi manducaveritis* &c. ac alia, (*Joann.* 3, 5) *Nisi quis renatus fuerit ex aqua* &c. atqui his verbis, *nisi quis renatus* &c. significatur infantes sine actuali baptismi susceptione salvari non posse; ergo idem de Eucharistia, cum par utrumque sententia sit, est dicendum.

℞. Nego subs. ad probat. n. maj. & paritatem.

1. Enim ex ipso contextu manifesum est, hæc verba, *Nisi manducaveritis* &c. dirigi ad solos adultos, alia e contra, *nisi quis renatus* &c. latius ad omnes omnino homines, ipsosque etiam infantes voti incapaces extendi.

2. Summum baptismi ab Eucharistia discrimen in eo est, quod baptismus novæ vitæ sit Sacramentum, primam gratiam afferens, quam qui non habet, cum nova creatura non sit, consequens est non posse salvari: quo fit, ut una omnibus tam adultis quam parvulis, lex baptismi posita sit: Eucharistia vero vitam non tribuit, sed per modum spiritualis alimenti conservat, unde actualis ejus susceptio, vel

in

in re, vel in voto explicito, iis tantum est absolute necessaria qui mori spiritualiter, peccatum committendo, possunt; atqui infantes cum usum judicii & libertatis non habeant, in hac rei bonæ privatione, maximum hoc bonum habent, quod re bona male uti non valeant; ergo nec mors illis spiritualis timenda: adeoque sufficit illis, ut loquitur S. Thomas, *quod per Ecclesiam, ipso baptizandi actu ad Eucharistiam ordinentur*.

3. In hujusmodi controversiis dirimendis, judex audiri Ecclesia debet, cui Christus scripturarum interpretationem commisit; atqui Ecclesia edocta divinitus, ita semper intellexit verba Christi: *Nisi quis renatus fuerit* &c. ut pro certo tenuerit, neminem, ne unius quidem diei infantem, sine baptismo actu suscepto, posse absolute salvari, longe vero aliter de cæteris judicavit: *Nisi manducaveritis* &c. alioquin enim quomodo inspirante Deo, cuilibet etiam Laico, etiam Gentili baptismi administrationem urgente necessitate permisit, sic Eucharistiæ consecrationem & administrationem omnibus sine differentia, instante periculo indulsisset, quod factum nullibi legimus. Ergo &c.

Inst. 2. Atqui tam late patet hæc Christi sententia: *Nisi manducaveritis* &c. quam altera, *nisi quis renatus fuerit* &c. Ergo &c.

Prob. subs. auctoritate S. Aug. *Dominum audiamus*, inquit, (*de pecc. & rem. lib. 1, cap. 23*) *non suspicationes conjecturasque mortalium: Dominum audiamus, inquam, dicentem de Sacramento sanctæ mensæ suæ, quo nemo rite nisi baptizatus accedit: nisi manducaveritis carnem meam, & biberitis sanguinem meum, non habebitis vitam in vobis: quid ultra quærimus? quid ad hoc responderi potest? . . . an vero quisquam dicere audebit, quod ad parvulos hæc sententia non pertineat? . . . & ubi est quod eodem loco de hac ipsa re ait: caro quam ego dedero, caro mea est pro sæculi vita? . . . ac per hoc etiam pro parvulorum vita caro data est, quæ data est pro sæculi vita: &, si non manducaverint carnem filii hominis, nec ipsi habebunt vitam*.

Ita S. Aug. cui consentiens *Innocentius I* Pontifex Max. *illud vero*, (*in Ep. ad Patres Synodi Milevitanæ*) *quod eos* (Pelagianos) *vestra fraternitas asserit prædicare parvulos æternæ vitæ præmiis, etiam sine baptismatis gratia, posse donari, perfatuum est; nisi enim manducaverint carnem filii hominis, & biberint sanguinem ejus, non habebunt vitam in semetipsis: qui autem hanc eis sine regeneratione defendunt, videntur mihi ipsum baptismum velle cessare, cum prædicant eos habere, quod in eos creditur nonnisi baptismate conferendum*.

Concinit *Gelasius* Pontifex Max. *ut providentia Dei*, inquit, (*in Ep. ad Episcopos Picenæ Provinciæ*) *omnes Pelagianorum nequitias amputaret, non solum dictum est*: qui non fuerit renatus ex aqua & Sp. Sancto, non intrabit in regnum cœlorum: *Sed etiam pariter dictum est*: qui non manducaverit carnem filii hominis, & biberit ejus sanguinem, non habebit vitam in semetipso, &c.

Inde sic arguunt:

Illi censent tam late patere hæc verba Christi: *Nisi manducaveritis* &c. ac alia: *nisi quis renatus* &c. qui affirmant infantes vitam æternam non habituros, nisi manducaverint carnem filii hominis; atqui ita docent SS. Aug. Innocentius, & Gelasius. Ergo &c.

Nota.

Prius quam ad argumentum respondeam, observandum quæ causa, quæve occasio Augustino & laudatis Pontificibus fuerit, Pelagianos hoc testimonio Joannis urgendi: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis* &c. volebant hi Hæretici, parvulis quos sine originali peccato nasci contendebant, baptismum non esse absolute necessarium ad salutem. Cumque objecto sibi Christi oraculo premerentur, *nisi quis renatus fuerit* &c. vana nescio qua subtilitate cæperunt confiteri, arcendos quidem parvulos a Regno Dei propter defectum baptismi: sed habituros tamen extra Dei regnum, vitam quandam beatam atque æternam: quare ut hoc eis effugium præcluderet S. Doctor, illud Joannis opposuit: (*Joann. 6, 54*) *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*. Inde inferens parvulos sine baptismo decedentes, cum carnem Christi non manducaverint, nec sanguinem biberint, vitam beatam quam eis Pelagiani promittebant, non habituros, adeoque in æternum damnandos; quod argumentum convincentissimum erat, quia unde vitam æternam parvulis promitterent, nihil Pelagianis reliquum erat.

Hoc posito respondeo ad argumentum dupliciter.

1. Concessa maj. dist. min. docent laudati Patres, infantes nisi manducaverint carnem filii hominis, vitam æternam non habituros, & hoc ideo dicunt, quia simul cum baptismo hoc tempore, etiam infantibus Eucharistia tradebatur, conc. ideo dicunt, quia censent infantes suscepto baptismate, si actuali Eucharistiæ participatione caruerint, excludendos a vita æterna, n. min. & conseq.

E. R. Nihil erit in hac objectione difficultatis, si ad antiquam attenderimus disciplinam, quæ nbi-

ubique gentium ad 10 usque sæculum constantissime viguit, uno scilicet eodemque tempore, non adultis tantum, sed ipsis etiam parvulis baptismum & Eucharistiam ministrandi: ita ut communio Corporis & Sanguinis Christi, ipsaque confirmatio ad complementum baptismi pertinere putarentur: quo fiebat, ut qui, (dempto necessitatis improvisæque mortis articulo) Eucharistiam non percepissent, nec baptismum accepisse convincerentur: nihil itaque mirum quod S. Aug. ad hanc Ecclesiæ consuetudinem attendens, contra Pelagianos ostendat, parvulos sine baptismo morientes, nec *Regni Dei*, quia lavacro Sancto non sunt expiati, *nec vitam æternam* habituros, quia cum baptizati non fuerint, percipere utique Sacramentum non potuerunt, de quo dictum est a Christo: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.*

Quod enim aliunde S. Doctor crediderit, actualem Eucharistiæ perceptionem, nec ad Regnum Dei nec ad vitam æternam obtinendam, absolute esse necessariam, multa evincunt. Sic enim l. 1 *de origine animæ* c. 9, & l. 3, c. 9, *Vincentio Victori*, ad probandum pueros posse sine baptismo salvari, exemplum boni latronis adducenti, qui sine baptismo salvatus est: Respondet, forte baptizatum fuisse latronem, antequam in carcerem traderetur; vel ut plerique putabant, in ipsa cruce baptizatum aqua salutari quæ e latere Christi exsiliit: certum porro est, latronem, Eucharistiam percipere actu non potuisse, quæ fuerat a Christo pridie suæ mortis instituta; Ergo Aug. judice sine actuali Eucharistiæ sumptione, peccatorum remissio & vita æterna obtinetur.

Deinde: Perpetua S. Aug. doctrina est, *fidem conversionemque cordis*, quæ caritatis effectus est, ad salutem sufficere, si a recipiendo baptismo improvisa necessitate aliquis excludatur: & puer semel baptizatus, etsi fidem & caritatem actualem non habeat, habitualem tamen longeque perfectiorem utramque habet, per Sacramentum regenerationis infusam; ergo vere sine actuali Ecclesiæ susceptione salvabitur.

Quid vero longe quæsitis testimoniis opus est, cum in hoc ipso qui opponitur loco, mentem de hac re suam, ipse sui interpres aperiat? *Veruntamen*, inquit, (*lib. 1 de pec. mer. & rem. c. 20*) *si percepto baptismate infans de hac vita emigraverit, soluto reatu cui originaliter erat obnoxius, perficietur in illo lumine veritatis, quod incommutabiliter manens in æternum, justificatos præsentia creatoris illuminat: peccata enim sola separant inter homines & Deum, quæ solvuntur Christi gratia, per quem mediatorem reconciliamur, cum justificat impium.*

2. Dist. maj. illi censent non minus late patere hæc verba Christi: *Nisi manducaveritis* &c. quam alia: *nisi quis renatus* &c. qui affirmant infantes salutem non habituros, nisi manducaverint carnem filii hominis, *Sacramentaliter*, conc. *spiritualiter*, *in ipso baptismo*, n. maj. pariter dist. min. ita Patres sentiunt, *de manducatione spirituali*, *quæ fit in baptismo*, conc. *de Sacramentali*, n. min. & conseq.

E. ℟. Tum censendi homines sunt, Christum manducare, quando ei velut viva membra corporis uniuntur atque compaginantur: *Hoc est ergo manducare illam carnem*, inquit S. Aug. (*tract. 26 in Joan.*) *& illum bibere potum, in Christo manere, & illum manentem in se habere*; atqui singulare hoc privilegium Sacramento baptismatis obtinent: per illud enim, & Christi Corpori mystico inseruntur, & fiunt membra ejus, & ad percipiendum Sacramentum Eucharistiæ jus acquirunt: *Nihil agitur aliud cum parvuli baptizantur*, ait idem S. Doctor, (*de pec. mer. & rem. lib. 3, cap. 4*) *nisi ut incorporentur Ecclesiæ, idest Christi corpori membrisque socientur.*

Eamque, nec aliam S. Aug. fuisse mentem, præter cæteros *S. Fulgentius* fidelissimus ejus discipulus attestatur, in respons. ad quæstiones *Ferrandi* Diaconi, qui postquam ex sacris litteris, & ex ipso Aug. ostendit, per baptismum fieri hominem Corporis Christi participem, etiamsi Eucharistiæ Sacramentum actu non sumat: *Arbitror*, inquit, *sancte frater, disputationem nostram præclari Doctoris Augustini sermone firmatam, nec quicquam esse aliquatenus ambigendum, tunc unumquemque fidelium Corporis sanguinisque Dominici participem fieri, quando in baptismate membrum Corporis Christi efficitur: nec alienari ab eo panis calicisque consortio, etiamsi antequam panem illum comedat, & calicem bibat, de hoc sæculo in unitate Corporis Christi constitutus abscedat.*

Inst. 3. Non alia Patribus causa fuisse videtur, Eucharistiam parvulis administrandi, quam quia putabant, sine actuali ejus susceptione neminem salvari posse. Ergo &c.

℟. Nego anteced. & dico, qui ita sentiunt, a Concilio Trid. damnari: *Docet S. Synodus*, inquiunt Patres, (*sess. 21, c. 4*) *parvulos usu rationis carentes, nulla obligari necessitate ad Sacramentalem Eucharistiæ Communionem: si quidem per baptismi lavacrum regenerati & Christo incorporati, adeptam jam filiorum gratiam in illa ætate amittere non pos-*

possunt, neque ideo tamen damnanda est antiquitas, si eum morem in quibusdam locis aliquando servavit: ut enim Sanctissimi illi Patres sui facti probabilem causam pro illius temporis ratione habuerunt, ita certe eos nulla salutis necessitate id fecisse, sine controversia credendum est.

Inst. 4. Probando ant. idem debet esse judicium de Latinis, quando Sacramentum Eucharistiæ infantibus ministrabant, ac de Græcis qui eumdem hodie morem observant: atqui Græcorum persuasio est, neminem sine actuali Eucharistiæ participatione salvari; ergo de Latinis idem sentiendum.

℟. Concessa maj. n. min. & dico accusationem hanc tum veritati contrariam, tum Græcis summe esse injuriosam: quamquam enim ritum antiquum hactenus magna religione servaverint, statim post baptismum, cum confirmatione Eucharistiam neophytis, etiam infantibus, ministrandi, nusquam tamen existimarunt neminem posse sine actuali Eucharistiæ perceptione salvari, cujus rei argumentum certissimum est, quod catechumenos sive parvulos sive adultos in mortis discrimine positos, sine Eucharistiæ administratione semper baptizaverint, nec unquam præscripserint pro iis statim post aquæ ablutionem liturgiam faciendam, quæ recens baptizatorum ex eorum ritibus, Communionem debet præcedere; nec propterea tamen de eorum salute unquam dubitaverint: quod si Græci quidam scriptores Eucharistiæ necessitatem exaggerasse leguntur, eamque necessitati baptismatis aliquatenus adæquasse, vel iisdem interpretationibus eorum sententiæ sunt emolliendæ, quas S. Augustinum & alios explicando attulimus: vel si ita crude locuti sunt, ut non possint ad sensum Catholicum revocari, tunc sane deseri debent, quia veræ suorum antecessorum doctrinæ desertores ipsi fuerunt: stat enim immobilis; & in divinis dogmatibus defendendis sæpe necessaria regula, non ex privati cujuslibet opinione, de sensu Ecclesiæ debere esse judicium: sed e contra privatum quemlibet esse ex mente Ecclesiæ judicandum.

CAPUT SECUNDUM.

Utrum communio sub utraque specie sit omnibus necessaria?

PRimis Ecclesiæ temporibus, imo 12 & amplius sæculorum decursu communionis fidelium sub utraque specie morem ubique communiter viguisse, omnes consentiunt: sed quæstio est, inter Catholicos & Hæreticos controversa, utrum cuilibet indiscriminatim sit ex præcepto divino necessaria?

Querelam hanc magno strepitu exeunte 15 sæculo excitarunt, *Petrus Dresdensis* Pragæ in Bohemia Ludimagister, *Jacobus Misnensis* celebris in eadem urbe concionator, Et *Joannes Huss*, qui toti Bohemiæ persuaserunt, Communionem sub utraque specie omnibus a Deo præceptam, & idcirco omnibus ad salutem sine discrimine necessariam: hac vero de causa in Concilio Constant. damnati sunt (*ann.* 1415).

Lutherus hac de re, ut in cæteris varius, nec sibi constans: Ecclesiam tamen usum calicis subtrahere Laicis non potuisse pervicaciter propugnavit: idemque Calvinus, & post illos Lutherani omnes ac Calvinistæ contendunt. Adversum quos sit

§. PRIMUS.

Ostenditur Communionem sub utraque specie Laicis nec a Christo præceptam, nec ad salutem necessariam.

PROBATIO PRIMA.

Ex antiqua Ecclesiæ disciplina.

Si existimasset Ecclesia Communionem sub utraque specie omnibus indiscriminatim a Christo præceptam, & ad salutem esse necessariam, nemini unquam liberum reliquisset, ab alterutra specie abstinere; atqui a primis ipsis temporibus Laicis integrum fuisse, sub una vel sub utraque specie Eucharistiam sumere innumera exempla demonstrant.

1. Ex Sozomeno affero, (*hist. lib.* 8, *c.* 5) de viro quodam quem Macedoniana infectum hæresi S. Joannes Chrysost. ad fidem convertit: ille uxorem suam utique Macedonianam hortatus est, suum ut sequeretur exemplum, adjecta interminatione, nisi divinis secum communicaret mysteriis, nec in vitæ consortium ac contubernium admittendam: promissit mulier, nec tamen promissis stetit: cum enim mysteriorum dies advenisset, dissimulatione uti decrevit; & in locum Eucharistiæ consecratæ panem usualem e domo delatum comedere in sacra synaxi proposuit: porro nisi liberum unicuique fuisset, sub una tantum specie communicare, frustra fuisset huic mulieri fraus ejus: nam loco panis Eucharistici, qui ad manum porrigebatur, poterat illa quidem facile substituere panem communem: quantum vero ad calicem, qui ministerio Diaconi communicantium ori admovebatur, fraudi nullus pate-

patebat aditus; cum ergo potuerit & maritum & Ecclesiam decipere, argumento est, unius tantum speciei Communionem adsimulasse; adeoque liberum hac ætate fuisse fidelibus participatione calicis abstinere.

2. Suggerit S. Leo Magnus S. Pontifex (*serm. 4 de quadrag.*) Manichæos ab Ecclesia pelli jubens, qui cum a vino velut fœtu diaboli abhorrerent, ad Communionem tamen una cum Catholicis irrepebant, & Corpus Christi sub sola specie panis sumebant, quæ fictio locum sane non habuisset, nisi fuisset omnibus licitum, sub una specie panis communicare.

3. Peto ex Communione fidelium extra sacrificium: ut enim alibi diximus, quando persecutio vel imminebat, vel sæviebat, Eucharistia dabatur ad manus fidelium, in proprias ædes, quin & in itineribus deferenda, & pro necessitate sumenda: sic vero ab unoquoque delatus thesaurus longo sæpe temporis spatio, & per annum integrum servabatur: hujus consuetudinis testes sunt, *Tertullianus* l. de oratione c. 14, & l. 2 ad uxorem c. 5, *S. Cyprianus* in l. de lapsis, S. Ambrosius in orat. de obitu Satyri, c. 43, *Author* prati spiritualis, c. 49, & alii longe plures; atqui Eucharistiam sub una panis specie in his casibus, fidelibus esse commissam, præter quam quod ipsa ratio persuadet, (vinum namque cujus qualitates & accidentia, ita volente Deo Eucharistia retinet, corrumpitur facile & acescit) antiqui scriptores testantur; *Non sciet maritus*, ait Tertullianus, (*lib. 2 ad uxor. c. 5*) *quid secreto ante omnem cibum gustes? & si sciverit panem, non illum esse credet qui dicitur.*

4. Certum est, Communionem ab omni retro ætate ad infirmos fuisse perlatam: regulam hanc Concilium Nicænum 1, anno 325 celebratum, antiquam esse testatur: *Antiquæ legis regula*, inquit, (*can. 13*) *servabitur etiam nunc: ita ut si forte quis recedat ex corpore, necessario viatico non defraudetur*: extant de hac innumeri occidentalis & orientalis Ecclesiæ canones, quos in re notissima ordine recensere tædiosum ac inutile fuerit; atqui in his casibus sub una tantum specie Sacramentum ab infirmis participandum deferebatur: sic enim de *Serapione* narrat Eusebius, (*hist. Eccl. l. 6, c. 44*) *quod ad illum Sacerdos panis consecrati particulam ministerio pueri miserit, simulque puero injunxerit, ut panem sanctum prius aqua madefaceret, quam ori ægrotantis Serapionis admoveret*: de S. Ambrosio pariter certum est, referente S. Paulino in ejus vita, quod morti proximus Eucharistiam sub una specie sumpserit: nec longiore opus probatione est, quando hoc ipsum hæretici confitentur: *Sic enim qui sic faciunt*, ait Calvinus, (idest qui viaticum ad ægrotos sub una specie mittunt) (*lib. 4 inst. cap. 17 §. 39*) *habent veteris Ecclesiæ exemplum: fateor: verum in re tanta, & in qua non sine magno periculo erratur, nihil tutius est quam ipsam veritatem sequi*: quis non stupeat perditi hominis insolentiam, Ecclesiam totam non hodiernam modo, sed & antiquam erroris insimulantem?

5. Est in infantibus, quos statim post baptismum Sacramento Eucharistiæ ubique in Oriente & in Occidente antiquitus refectos, uti supra ostendimus, certissimum est; atqui nec minus est certum sub una vini specie illis divinum alimentum communiter ministratum: cujus rei præter memorabilem historiam superius ex S. Cypriano relatam, fidem faciunt ritualia Græcorum ac Latinorum, quorum communis præscriptio est, *pueros qui nondum noverunt comedere vel bibere, communicandos esse cum digito intincto in sanguine Domini, & posito in ore ipsorum, Sacerdote ita dicente: corpus cum Sanguine Domini nostri Jesu Christi custodiat te in vitam æternam.* Ergo &c.

6. Petimus ex missa præsanctificatorum, de qua dicturi sumus libro sequente, quam Latini die Sancto Parasceves, Græci vero per totam Quadragesimam solis Sabbathis & Dominicis, & die festo Annunciationis exceptis, ritu antiquissimo celebrant; atqui in his missis sub sola panis ante sanctificati specie communio fit. Ergo &c.

7. Denique erit Abstemiorum, eorum scilicet, qui natura vinum abhorrent, quos plerosque esse semperque fuisse notissimum est; atqui talibus Ecclesia numquam Communionem sub una panis specie denegavit: quin nec ipsi denegant Lutherani & Calvinistæ; qua in re secum ipsis pugnare convincuntur: quam enim Catholicæ Ecclesiæ vera mysteria celebranti denegant potestatem, sibimet ipsis in Eucharistiæ non tam celebratione, quam sacrilega prophanatione temerario arrogant. Ergo &c.

PROBATIO SECUNDA.

Ex Scripturis.

Deinde: ille non præcipit communionem sub utraque specie, qui unam sumentibus eumdem promittit effectum, ac communicantibus sub utraque; atqui nihil minus promisit Christus unam tantum speciem, quam utramque accipienti: *Si quis manducaverit ex hoc pane*, inquit, (*Joan. 6, 52 & seqq.*) *vivet in æter-*

æternum: &, *panis quem ego dabo caro mea est pro mundi vita*: Et, *qui manducat hunc panem, vivet in æternum*: Præterea, apud S. Lucam sic habetur de discipulis Emmaus: (*Luc.* 24, 30) *Factum est, dum recumberet* (Jesus) *cum eis accepit panem*, & *benedixit ac fregit*, & *porrigebat illis*: & *aperti sunt oculi eorum*: & *cognoverunt eum*, & *ipse evanuit ex oculis eorum*: Quem locum S. Aug. expendens: *oculi eorum tenebantur, ne eum agnoscerent*, inquit, (*de cons. Ev. lib.* 3, *c.* 25) *non incongruenter accipimus hoc impedimentum in oculis eorum a satana factum fuisse, ne agnosceretur Jesus, sed tamen a Christo facta est permissio usque ad Sacramentum panis, ut unitate corporis ejus participata, removeri intelligatur impedimentum inimici, ut Christus possit agnosci*. Itaque discipuli Emmaus unitati corporis Christi, accepto ex ejus manibus pane sanctificato participarunt, liberatique sunt ab impedimento quo eorum oculos, ne cognosceretur ab eis Jesus, satanas obstrinxerat: qui sunt sacræ Communionis effectus; atqui gratiam hanc solius panis perceptione accepisse, tum S. Aug. affirmat, tum scriptura non obscure significat asserens, continuo Christum ab oculis eorum evanuisse. Ergo &c.

Nec prætermittendum quod de primis fidelibus actus Apost. narrant: (*Act.* 2, 42) *Quod erant perseverantes in doctrina Apostolorum*, & *communicatione fractionis panis*, & *orationibus*: quem locum de communione Eucharistica debere intelligi Calvinus ipse fatetur, cum itaque nulla mentio calicis fiat, merito infertur, Apostolos Eucharistiam primis Christianis sub sola specie panis aliquando administrasse: & vero cum plerique eorum voto Nazaræorum obstricti essent, eoque nomine a vino summa religione abstinerent: haud improbabile est, ideo S. Lucam solius meminisse fractionis panis, quia a vini sumenda specie multi abstinebant.

PROBATIO TERTIA.

Ex Theologica ratione.

Præterea: Præceptum Domini est, fidelibus adultis impositum, & necessarium ad salutem, Sacramento Corporis & Sanguinis ejus esse participandum; atqui a communicantibus sub una specie præceptum illud impletur: in unica enim specie, 1 verum Sacramentum est, Christum præsentem significans, passionem ejus & mortem repræsentans, veram pariter alimoniam ac refectionem spiritualem præbens, & denique unionem fidelium tum secum invicem, tum etiam cum capite Christo compaginans: *Unus enim panis, unum corpus multi sumus*, inquit Apostolus, (1 *Cor.* 10, 17) *omnes qui de uno pane participamus*. 2 Nisi fidem negaverimus, fitendum sub unaqualibet specie totum Christum, totumque ejus Corpus ac Sanguinem contineri: *Semper hæc fides in Ecclesia Dei fuit*, ajunt Trid. Patres, (*Sess.* 13, *cap.* 3) *statim post consecrationem, verum Domini nostri corpus, verumque ejus sanguinem sub panis & vini specie, una cum ipsius anima & divinitate existere: sed corpus quidem sub specie panis, & sanguinem sub specie vini, ex vi verborum: ipsum autem corpus sub specie vini, & sanguinem sub specie panis, animamque sub utraque, vi naturalis illius connexionis & concomitantiæ, qua partes Christi Domini, qui jam ex mortuis resurrexit, non amplius moriturus, inter se copulantur; divinitatem porro propter admirabilem illam ejus cum corpore & anima hypostaticam unionem: quapropter verissimum est, tantumdem sub alterutra specie, atque sub utraque contineri: totus enim & integer Christus sub panis specie, & sub quavis ipsius parte: totus item sub vini specie, & sub ejus partibus existit*. Ergo &c.

§. SECUNDUS.

Diluuntur objectiones.

Contra opponunt Hæretici verba Christi: (*Joan.* 6, 54) *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*, ergo divinum mandatum est, sub utraque specie esse communicandum.

℟. 1. Calvinianos aliosque sectarios, cum negent eo loci de Eucharistia Christum esse locutum, hoc testimonio uti in præsenti non posse.

℟. 2. Nego conseq. particula enim (&) sensum hic copulativum non habet, sed disjunctivum: quasi dictum a Christo foret: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, aut biberitis ejus sanguinem &c. . . . . . . neque ex sermone illo apud Joannem c.* 6, inquiunt Patres Trid. (*Sess.* 13, *cap.* 1) *recte colligitur, utriusque speciei communionem a Domino præceptam esse. . . . nam qui dixit*: Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis: *Dixit quoque*: si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum: *Et qui dixit*: qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam: *dixit etiam*: panis quem ego dabo, caro mea est pro mun-

di vita: *Et denique qui dixit*: qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo: *dixit nihilominus*, qui manducat hunc panem vivet in æternum.

R. 3. Nego idem conseq. hinc enim equidem sequitur, rem ipsam esse præceptam, scilicet Communionem Corporis & Sanguinis Christi: non autem modum rei, nimirum Communionem sub specie panis, & sub specie vini: nihil habet responsio illa difficultatis, si modo ad fidem attendas qua credimus totum Christum sub utraque divisim specie contineri: unde sequitur, eum qui sub una tantum specie communicat, implere mandatum Christi, & integrum recipere Sacramentum, integritate rei significatæ, etsi non integritate significationis; quæ speciei utriusque sumptione perficitur.

Inst. 1. atqui particula (&) debet sensu copulativo intelligi. Ergo &c. Prob. subs. Christus tum calicis, quam panis consecrati usum præcepit: *Accipite*, inquit, (*Matth.* 26, 28 *& seqq.*) *& comedite: hoc est corpus meum... bibite ex hoc omnes: hic est enim sanguis meus.* Ergo &c.

℟. Nego subs. ad probat. dist. ant. Christus utriusque usum præcipit, *Apostolis & eorum in Sacerdotio successoribus*, conc. *omnibus indiscriminatim*, n. verba enim hæc ad solos Apostolos esse directa, tum ex ipso contextu evidens est, tum ex S. Marco colligitur, qui capite decimo quarto præceptum Christi in hac ipsa cœna impletum narrat: *Accepto*, inquit, (*v.* 23) *calice dedit eis*, *& biberunt ex illo omnes*: Deinde quando Christus vult præceptum aliquod sine differentia ad omnes pertinere, determinatur vel ab ipsis verbis & circumstantiis adjacentibus præcepti universalitas, ut cum Marci 13 dixisset: *Vigilate & orate*, illico subjunxit: *quod vobis dico*, *omnibus dico*: vel certe ex traditionis interpretatione; atqui præceptum de quo agitur, omnes universim obligare, nec scriptura insinuat, nec traditio docet: imo contrarium ex utraque eruitur. Ergo &c.

Inst. 2. ex verbis Apostoli, generaliter ad omnes dicentis, (1 *Cor.* 11, 28) *Probet autem seipsum homo*, *& sic de pane illo edat*, *& de calice bibat*. Ergo &c.

℟. Nego conseq. hoc enim unum Apostolus suggerit, debere quemlibet adultum se ipsum probare, antequam ad Eucharistiæ Communionem accedat: minime vero præcipere Communionem sub utraque specie, velut ad divinum institutum necessario pertinentem, verba ejus immediate præcedentia, satis, nisi fallor, insinuant: *Quicumque*, inquit, (*ibid. v.* 27) *manducaverit panem hunc*, *vel biberit calicem Domini indigne*, *reus erit corporis & Sanguinis Domini*: non dicit, *& biberit*; sed, *vel biberit*: significans nimirum posse unum sine altero fieri: uno verbo, rem quidem, sed non rei modum Apostolus imperat: quemadmodum enim Christus dicendo: *Euntes*, *docete omnes gentes*, *baptizantes eos in nomine Patris* &c. rem quidem, scilicet ablutionem præcepit, modum autem ipsum quo ablutio fieret, aspersione, infusione, aut immersione, fatentibus ipsis adversariis in individuo non præscripsit: ita communio est quidem imperata divinitus, sed non modus ejus: cum sive sub una, sive sub utraque specie fiat, integritate rei contentæ, plena absolutaque sit: *Si quis negaverit*, ait Concilium Trid. (*Sess.* 13, *can.* 3) *in venerabili Sacramento Eucharistiæ sub unaquaque specie*: *& sub singulis cujusque speciei partibus*, *separatione facta*, *totum Christum contineri*: *anathema sit*.

Inst. 3. Eucharistia sumenda est in memoriam Dominicæ passionis: ait enim Apostolus: (1 *Cor.* 11, 26) *Quotiescumque manducabitis panem hunc*, *& calicem bibetis*, *mortem Domini annuntiabitis donec veniat*; atqui sine utriusque speciei sumptione, memoria Dominicæ passionis ac mortis esse non potest; cum aliter quam per utramque speciem separatio Corporis ejus a Sanguine non repræsentetur.

℟. 3. nego min. hoc ipso enim quod una species sumitur sine altera, significatur corpus fuisse a Sanguine separatum: cum corpus sub specie panis, & sanguis sub specie vini, ex vi verborum existat.

℟. 2. dist. min. sine utriusque speciei sumptione, Passionis Dominicæ memoria *perfectissima* esse non potest, qualis in sacrificio esse debet, conc. memoria *ad Sacramentum sufficiens*, nego min. & conseq.

E. R. Eucharistia sacrificium simul est & Sacramentum: equidem quatenus sacrificium perfecte debet Christi Passionis & mortis memoriam continere, quod sine utriusque speciei sumptione ex divino instituto non fit: sed ad Sacramentum una species sufficit: cum revera, ut prædiximus, significet Christi Corpus a Sanguine separatum: *Perfectio hujus Sacramenti*, inquit S. Thomas, (3 *p. q.* 80, *art.* 12, *ad* 2) *ex usu fidelium non dependet*, *sed ex consecratione materiæ*; *& ideo nihil derogatur perfectioni ejus*, *si populus sumat corpus sine sanguine*, *dummodo consecrans sumat utrumque*.

Inst. 4. Eucharistia instituta est ad instar convivii; atqui sine cibo & potu convivium verum esse nequit. Ergo &c.

℟. 1. Hoc argumentum si cujus ponderis sit ipsos

ipsos adversarios premere: permittunt enim illi abstemiis, ut a vino in Eucharistiæ suæ perceptione abstineant: eosdemque hoc non obstante contendunt, participes fieri Corporis & Sanguinis Christi.

℟. 2. dist. min. sine cibo & potu convivium *corporale* esse non potest, conc. *Spirituale*, & *Sacramentale*, subdist. non potest verum esse convivium, *quantum ad rei modum externum*, conc. *quantum ad rem ipsam*, n. min. & conseq. E. R. quemadmodum corporale convivium, cibum & potum necessario requirit: ita Christus in convivio suo voluit observari: *Accipite*, inquit, & *manducate*, *hoc est corpus meum: accipite & bibite*, *hic est sanguis meus*: cum itaque fidei sit totum Christum sub unaquaque specie contineri, consequens est, in qualibet divisim verum esse convivium, quantum ad rem, etsi integrum ex modo externo non videatur.

Inst. 5. Manichæi olim ab Ecclesia damnati sunt, eo quod sub specie panis Eucharistiæ communicantes, participatione divini calicis abstinerent: putabat ergo Ecclesia his temporibus utriusque speciei Communionem absolute esse necessariam.

℟. Concesso ant. n. conseq. non enim ideo præcise Manichæi a Patribus reprehensi, & ab Ecclesia damnati, quod sub una specie communicarent; sed quia, ut sæpe diximus, a consecratione & Communione calicis, tamquam a re mala & diabolica abstinendum, sacrilego errore dicebant: juvat *Leonis M. Pontificis Maximi*, & Gelasii item Sum. Pontificis quæ ab aliquibus opponuntur verba referre: *Cum* (Manichæi) inquit ille (*Serm.* 4 *de quadrag.*) *ad tegendam infidelitatem suam, nostris audeant interesse mysteriis: ita in Sacramentorum Communione se temperant, ut interdum tutius lateant: ore indigno Corpus Christi accipiunt, sanguinem autem redemptionis nostræ haurire omnino declinant: quod ideo vestram volumus scire sanctitatem, ut vobis hujuscemodi homines & his manifestentur indiciis, & quorum deprehensa fuerit sacrilega simulatio, notati & prohibiti, a sanctorum societate, Sacerdotali auctoritate pellantur....* iste vero (*apud Gratiam. de consecr. dist.* 2, *c. Comperimus*) *Comperimus*, ait, *quod quidam sumpta tantummodo corporis sacri portione, a calice sacri cruoris abstineant, qui procul dubio quoniam nescio qua superstitione docentur obstringi, aut integra Sacramenta percipiant, aut integris arceantur; quia divisio unius ejusdemque mysterii sine grandi sacrilegio non potest provenire.* Quæ verba quisquis attente perpensitaverit, facile animadvertet, non ideo damnari a Sum. Pontificibus Manichæos, quod crederent sine participatione calicis, veram Eucharistiæ esse posse Communionem, sed quia prava doctrina imbuti vinum auctori diabolo adscribebant: hincque merito, pro hujus temporis conditione, omnibus & singulis præscriptum intelliget, ut sub utraque, quantum quidem fieri posset, specie communicarent, quo nimirum facilius Manichæi dignosci possent, nam quod eo ipso tempore, quo Romæ suos seminabant errores, multi etiam apprime Catholici unam panis speciem sumerent, testis est S. Hieronymus Epist. 22 *ad Eustochium*, ubi quarumdam Catholicarum virginum meminit, quæ Romæ præ nativo vini horrore a vini specie abstinebant, ibidemque contra quasdam maledicas mulieres acriter invehitur, qui sacras has Virgines velut Manichæismo infectas traducebant.

Itaque ex his Sum. Pontificum decretis hoc unum quod non negamus erui potest, Communionem sub alterutra aut sub utraque specie, ad disciplinam pertinere, quæ mutatis locorum temporumque conditionibus, mutationi, sive dispendio fidei, obnoxia est.

§. TERTIUS.

Demonstratur jure suo fecisse Ecclesiam quando simplicibus fidelibus usum calicis interdixit.

Saltem, inquiunt hæretici, metas Christianæ moderationis Romana Ecclesia prætergressa est, quando calicem Laicis divina auctoritate concessum, crudelitate haud sane materna subtraxit: hæcque Hæreticorum capitalis objectio est, cui refutandæ præsentem §. destinamus.

Ac 1 referemus decretum in Constant. Concilio latum his verbis: (*Sess.* 13) *Cum in nonnullis mundi partibus quidam temerarie asserere præsumant, populum Christianum debere Sacramentum Eucharistiæ, sub utraque panis & vini specie suscipere; & non solum sub specie panis, sed etiam sub specie vini populum Laicum passim communicent, & post cœnam, vel alias non jejunos communicandos esse pertinaciter asserant contra laudabilem Ecclesiæ consuetudinem rationabiliter approbatam: hinc est quod hoc generale concilium declarat, decernit, & definit contra hunc errorem, quod licet Christus post cœnam instituerit, & suis discipulis administraverit sub utraque specie panis & vini, hoc venerabile Sacramentum: tamen hoc non obstante sacrorum canonum authoritas, & approbata consuetudo Ecclesiæ servavit & servat quod hu-*

jusmodi Sacramentum nec conficiatur post cœnam, nec sumatur a non jejunis, nisi in casu infirmitatis, aut alterius necessitatis a jure, vel Ecclesia admisso vel concesso: & similiter, quod licet in primitiva Ecclesia hujusmodi Sacramentum reciperetur a fidelibus sub utraque specie: tamen hæc consuetudo ad evitandum aliqua pericula & scandala est rationabiliter introducta, quod a conficientibus, sub utraque specie, & a Laicis tantummodo sub specie panis suspiciatur: cum firmissime credendum sit, & nullatenus dubitandum, integrum Christi Corpus & Sanguinem tam sub specie panis, quam sub specie vini veraciter contineri: quapropter dicere quod hanc consuetudinem & legem observare sit sacrilegum aut illicitum, censeri debet erroneum: & pertinaciter asserentes oppositum præmissorum, tamquam hæretici arcendi sunt, & graviter puniendi per diœcesanos locorum, aut inquisitores hæreticæ pravitatis: item præcipimus sub pœna excommunicationis, quod presbyter communicet populum sub utraque specie panis & vini.

Ejusdem sensus est decretum Concilii Basileensis paucis post annis habiti; (*ab an.* 1431, *ad an.* 1438) sessione 30, & alterum synodi Œcumenici Trid. sessione 21, c. 2, his verbis conceptum: *Præterea declarat* (S. synodus) *hanc potestatem perpetuo in Ecclesia fuisse, ut in Sacramentorum dispensatione, salva illorum substantia, ea statueret, vel mutaret, quæ suscipientium utilitati, seu ipsorum Sacramentorum venerationi, pro rerum temporum ac locorum varietate magis expedire judicaret.... quare agnoscens S. Mater Ecclesia hanc suam in administratione Sacramentorum auctoritatem, licet ab initio Christianæ Religionis non infrequens utriusque speciei usus fuisset: tamen progressu temporis latissime jam mutata illa consuetudine, gravibus & justis causis adducta, hanc consuetudinem sub altera specie communicandi approbavit, & pro lege habendam decrevit: quam reprobare, & sine ipsius Ecclesiæ auctoritate pro libito mutare non licet.*

Jam sic argumentor: Ecclesiam in iis quæ ad essentiam Sacramentorum non pertinent, habere plenam mutandorum rituum potestatem, præsertim quando causa gravis & urgens est, antiqua est doctrina & praxis, ab ipsis Apostolicis accepta temporibus: *hac enim potestate S. Paulum usum esse*, inquit Concilium Trid. (*Sess.* 21, *c.* 2) *satis constat cum in multis aliis, tum in hoc ipso Sacramento, cum ordinatis nonnullis circa ejus usum, cætera, inquit*, (1 *Cor.* 11, 34) cum venero disponam; atqui communio sub utraque specie ad usum hujus Sacramenti essentialiter non pertinet, cum quælibet separatim Jesum Christum omnium gratiarum fontem realiter contineat: *Si quis negaverit*, ait Trid. Synodus, (*Sess.* 21, *can.* 3) *totum & integrum Christum, omnium gratiarum fontem & auctorem, sub una panis specie sumi, quia, ut quidam falso asserunt, non secundum ipsius Christi institutionem, sub utraque specie sumatur: anathema sit*. Ergo crudelitatis immerito Ecclesia accusatur, quod usu calicis fideles Laicos ministrosque inferiores interdixerit.

Causæ autem mutandæ consuetudinis hæ fuerant.

1. Periculum irreverentiæ erga SS. Sacramentum, quod in Communione calicis vitari vix poterat, in tanto namque fidelium numero qui ad sacram mensam accedunt, longe foret facillimum, ut calix uniuscujusque labiis quantalibet dexteritate admotus, aliquantisper efflueret, atque ita prophanationi sanguis nostræ redemptionis exponeretur: cui incommodo Græci & Orientales ut occurrerent, jam a multis sæculis usum calicis, simplicibus fidelibus & ministris inferioribus subtraxerunt.

2. Fuit infirmorum communio: ad illos enim omni diei & noctis hora, necessitate compellente deferendum est salutis viaticum; atqui non tam facile servari potest aut deferri Sacramentum sub specie vini, quam sub specie panis, propter effusionis, ut prædiximus, & corruptionis periculum.

3. Fuit, multitudo abstemiorum, eorum scilicet qui vini odorem & saporem pati non possunt.

4. Fuit vini in multis Provinciis raritas ac penuria.

5. Hæresis eorum qui negabant sub utraque specie totum Christum esse, sed corpus tantum sub specie panis, & sanguinem tantum sub vini apparentiis contineri affirmabant.

6. Denum, ipsa desuetudo fidelium fuit, qui circiter desinente 12 sæculo & 13 ineunte, communiter a specie vini cœperunt, nemine imperante, & instinctu proprio abstinere: quamobrem ab Ecclesia non tam abrogata sub utraque specie communicandi consuetudo, quam contraria approbata, ut ex decreto Concilii Trid. paulo ante cit. est manifestum.

Quæ cum ita sint, quis tulerit Calvinistas & Lutheranos de inducta mutatione querentes, eamque Ecclesiæ universali potestatem denegantes, quam ipsi temerario & sine auctoritate sibimet ausi sunt arrogare? nam si, ut videri volebant, antiquitatis amore flagrabant, ut quid omnia a majoribus sapientissime

me constituta demoliri aggressi sunt? cur, ut in præsenti sistamus materia, septenarium Sacramentorum numerum, scripturæ & traditionis auctoritate firmatum de medio sustulerunt? ut quid veteres liturgias omnium ætatum ac gentium reverentia consecratas abrogarunt, novas ac diversissimas cœnæ, ut vocant, suæ formulas, tantum sibimet, quantum veritati contrarias inducendo? ut quid denegarunt communionem infirmis, quam semper & ubique concessam, si quid sinceritatis habent, inficiari non possunt? ut quid demum, ne singula persequar, realem præsentiam, transubstantiationem, cultum latriæ, sacræ Eucharistiæ exhibendum, contra tam evidentes scripturæ & traditionis sententias conculcare præsumpserunt? quæ isthæc tam effrænis protervia est, omnia sibi ad evertendam religionem permittere, & in iis Ecclesiam accusare, quæ mutatis moribus, & nova occurrente locorum aut temporum exigentia, ea mutat, quæ aut corrigi sine fidei discrimine possunt?

§. QUARTUS.

Proponuntur & resolvuntur aliquæ quæstiones.

Q. 1. Qua ratione debeant intelligi quædam Patrum testimonia, quibus significari videtur, Eucharistiæ sub utraque specie sumptionem omnibus sine discrimine esse necessariam?

℟. Heterodoxis has veterum sententias nequaquam favere: observandum enim quo tempore Patres scripserint, quis eorum fuerit scopus, quæ scribendi occasio.

Eo nimirum tempore loquebantur, quo communis sub utraque specie ubique consuetudo vigebat: non est itaque mirandi locus, si duarum Eucharistiæ specierum tam frequens in eorum libris mentio fiat.

Deinde: Aliquando contra Manichæos, aliosque similes hæreticos agebant, qui cum Corpus Domini sumerent, a calice superstitiose abstinebant, putantes vel Christum Sanguine caruisse, vel vinum esse fel Principis tenebrarum, & diaboli creaturam: quo procul dubio respiciebat supra laudatus *Gelasius*, quando dixit grande esse sacrilegium, si quis mysteria dividat, alteram nimirum Eucharistiæ speciem admittendo, alteram respuendo.

Præterea: Pleraque eorum testimonia explicari facile possunt, de necessitate communicandi Corporis & Sanguinis Christi, quantum ad rem, non quantum ad modum sumptionis, prout cap. præced. observavimus.

Hæque regulæ generales cuique attendenti sat erunt ad ea omnia explicanda, quæ ea Patribus importune Lutherani & Calvinistæ decerpunt: nam quod sub una tantum specie communio fuerit a majoribus approbata, nisi clare demonstrant exempla superius magno numero adducta, nihil deinceps ab Hæreticorum argutiis tutum erit.

Q. 2. Utrum possit Ecclesia his temporibus calicis usum concedere Laicis?

℟. Affirmanter: Ecclesia enim, ut est sæpe dictum, plenissimam in his habet potestatem quæ ad essentiam Sacramentorum non pertinent, & pleraque potest pro temporum & locorum exigentia, vel admittere vel mutare: quemadmodum itaque calicis usum omnibus primo concessit, deinde prudenter subtraxit, ita non est dubium, quin possit, si conveniens visum fuerit, restituere.

Hoc ipsum probant acta Conciliorum Constant., Basileensis, & Trid. in quibus potestatem hanc Ecclesiæ divinitus esse concessam Patres sine controversia agnoverunt: hinc in Concilio Trid. sess. 21 ad finem decretum est, integrum hoc negotium ad Sum. Pontificem esse referendum: *Prout*, inquiunt Patres, *præsenti decreto refert, qui pro sua singulari prudentia id efficiat, quod utile Reipublicæ Christianæ, & salutare petentibus usum calicis fore judicaverit*.

Hinc etiam Basileense Concilium dispensato decreverat cum *Bohemis* & *Moravis*, ab Hussitarum hæresi ad unitatem redeuntibus, ut illarum gentium Sacerdotes Communionem sub utraque specie suis subditis ministrarent, si reverenter peterent: ea conditione adjecta, ut plebi publica prædicatione significarent, sub specie panis non carnem Christi tantum, & sub specie vini non solum sanguinem, sed divisim sub qualibet totum & integrum Christum contineri.

Hinc pariter *Pius IV* Pontifex Max. (*ann.* 1564) rogante Ferdinando Imperatore, aliquibus Germaniæ Episcopis facultatem dedit, Communionem sub utraque specie quibusdam in locis, & certis conditionibus permittendi: quod privilegium paulo post revocandum censuit *S. Pius V* propter abusus qui hac occasione irrepserant, & præcepit ut decretum de Communione sub una specie ab omnibus inviolabiliter servaretur.

Quibusdam tamen etiamnum Communio sub utraque specie, Ecclesiæ indulgentia singulari conceditur: ut Galliarum Regibus, die qua inaugurantur: Diacono & subdiacono Ecclesiæ Monachorum S. Dionysii prope Parisios, & ministris altaris in Monasterio Cluniacensis, diebus Dominicis & in festis solemnibus, &c.

Q. 3. Utrum hæreticis Communionem sub utraque specie permittere expediat.

℟. Ne-

R. Negative multis de causis.

1. Enim ad usum calicis postulandum nulla causa legitima, nec vera pietate moventur, sed pertinacia falsæ opinionis qua credunt, usum utriusque speciei esse divinitus imperatum, nec tantum accipere qui sub una, quantum qui sub utraque communicat: horum ergo votis annuere, quid aliud esset quam errori patrocinari?

2. Ex hac concessione facile sequeretur aliorum Hæreticorum in suis erroribus obfirmatio, & rudium simpliciumque Catholicorum offensio, dum gloriarentur hæretici sibi tandem cessisse Ecclesiam, sibique de reportata victoria blandiretur.

3. Tolleretur consuetudinis uniformitas, quam in Eucharistiæ usu servari convenientissimum est.

Q. 4. Quæ sit hodierna de hac re Græcorum & orientalium disciplina?

R. Eos hactenus morem antiquum Communionis sub utraque specie retinere: discrimen tamen Laicorum a Clericis, ritu pariter vetustissimo magnum facere.

Quantum enim spectat ad Clericos, præcipuus Sacerdos vel Pontifex celebrans, Diacono aliisque concelebrantibus Sacerdotibus, panem Eucharisticum in manus præbet, quem singuli præviis precibus recitatis, ori cum magna cautela ac reverentia admovent; deinde sacro calici communicaturi, ordine ad medium altaris procedunt, ubi Sacerdote celebrante, vel Pontifice, calicem paululum inclinatum tenente, ter singuli sanguinem sugunt, & ad haustus singulos unam SS. Trinitatis personam appellant: ita ut 1 Patrem, 2 Filium, 3 Sp. Sanctum invocent, dicendo: *In nomine Patris* &c.

Quod vero ad Laicos, facta ministrorum altaris Communione, Diaconus sacra deferens, exit sanctuario, & calicem in quo panis consecratus sanguine intinctus est, primum populo manifeste ostentat: deinde unicuique, ordine suo, particulam Corporis Christi, ejusdem sanguine perfusam, & parvo cochleari exceptam e calice, distribuit & admovet ad os singulorum: qua de re consuli potest Goarius in Rituali Græcorum (*in notis super missam S. Jo. Chrys.*).

Q. 5. Paschalis communio quid sit?

R. Eam esse quæ quotannis fieri debet, recurrente solemnitate resurrectionis Christi, qui fuit verum Pascha nostrum, quando virtute propria resurgendo, acquisitum populum non sicut Moyses a temporali Ægyptiorum captivitate, sed a servitute diaboli liberavit, & introduxit, non quomodo Moyses in terram promissam, sed in incorruptam & æternam hæreditatem.

Q. 6. Quæ causa Ecclesiæ fuerit, præcipiendi fidelibus, ut saltem communicarent in Paschate?

R. Causam fuisse, fervoris & fidei imminutionem: primis enim temporibus, fideles omnes cor unum & animam unam habentes, perseverabant quotidie, ut acta Apostolorum testantur, in communicatione fractionis panis; nec ullus divinis mysteriis aderat, quin iisdem participaret, quem morem diu perdurasse ex sacris Ecclesiæ annalibus notissimum est.

Deinceps vero multorum caritate refrigescente, cæpit Eucharistiæ usus esse rarior: eoque tandem perventum est, ut qui antehac tanquam famelici, ad cœlestem cibum quotidie accurrebant, in posterum velut ægri debuerint ad medicamentum non tantum invitari, sed cogi & pœnarum interminatione compelli.

Hinc in synodo Agathensi (*Sæc.* 6) can. 18 decretum est, ut sæculares qui in Natali Domini, Paschate, & Pentecoste, non communicarent, Christiani non crederentur, nec inter Catholicos haberentur: quæ sententia sequentium Conciliorum canonibus sæpe legitur confirmata:

Hinc ineunte sæculo 13 in Concilio Lateran. constitutam sic legimus: *Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua peccata saltem semel in anno fideliter confiteatur proprio Sacerdoti, & injunctam sibi pœnitentiam propriis viribus studeat adimplere, suscipiens reverenter ad minus in Pascha Eucharistiæ Sacramentum, nisi forte de proprii Sacerdotis consilio hujusmodi perceptione duxerit abstinendum; alioquin & vivens ab ingressu Ecclesiæ arceatur, & moriens Christiana careat sepultura.*

Quem canonem præ oculis habens sacrum Concilium Trid. *Si quis negaverit*, inquit (*sess.* 13, *can.* 9) *omnes & singulos Christi fideles utriusque sexus, cum ad annos discretionis pervenerint, teneri singulis annis, saltem in Paschate, ad communicandum, juxta præceptum S. Matris Ecclesiæ: anathema sit.*

Q. Ultimo utrum Ecclesiastico annuæ communionis præcepto satisfiat per sacrilegam Domini manducationem?

R. Negative: impium namque est dicere, (quod aliqui non erubuerunt) mandato Ecclesiæ per sacrilegium satisfieri, ab iis nimirum qui cum conscientia peccati mortalis voluntario ad sacram mensam accedunt.

Præceptum enim Ecclesiæ nihil aliud est quam Divini ipsius mandati determinatio, generaliter omnibus præscribentis: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis & biberitis ejus*

sanguinem, non habebitis vitam in vobis; atqui Christus Communionem imperans, præcepit &] sanctitatem, & cordis munditiem, sine qua vera corporis ejus & sanguinis, hoc est, utilis ad salutem participatio esse non potest: *Probet autem se ipsum homo*, inquit Apostolus, *& sic de pane illo edat, & de calice bibat: qui enim manducat & bibit indigne, judicium sibi manducat, & bibit, non dijudicans Corpus Domini*. Eadem itaque voluntas Ecclesiæ est; atque adeo ejus præcepto non potest Communione sacrilega satisfieri.

Hinc Innocentius XI Pontifex Max. die jovis 2 Martii, ann. 1670, inter varias quas gravi censura confixit Casuistarum recentiorum propositiones, istam num. 55 damnavit: *Præcepto communionis annuæ satisfit, per sacrilegam Domini manducationem*. Idemque postea præsules Gallicani egerunt, in comitiis general. an. 1700, decernentes *Doctrinam hanc temerariam esse, scandalosam, erroneam, impietati, & sacrilegio faventem, & præceptis Ecclesiæ illudentem*.

Merito hoc quidem: nam si in rebus mere civilibus non censetur filius mandato Patris obsequi, quando hoc pro tempore quo obtemperans vult videri, Patrem deridet & contumeliis afficit: si de vita naturali tuenda præceptum ab ipsa natura positum, ille non putatur implere, qui non cibo utitur, sed veneno: quanto minus credi debet, mandato Ecclesiæ satisfacere, qui meditato sacrilegio nefandoque scelere Christum iterum, quantum in ipso est, crucifigit, & alimoniam immortalitatis in judicium ac condemnationem convertit?

Objectio.

At, inquiunt, non habet Ecclesia potestatem imperandi actus internos: hæc enim solummodo præcipit, ad quæ judicium ejus extenditur: porro non potest de internis actibus judicare; ergo neque præcipere; adeoque nihil facit Ecclesiæ mandato contrarium, qui polluta conscientia ad sacram mensam volens & sciens accedit: hoc pene uno argumento nitebantur boni illi, quos Sum. Pontifex castigavit, morum magistri.

℟. 1. Nego maj. imperat enim Ecclesia ut Deum amemus, ut in illum speremus, & credamus, ut dies festos observemus, &c. quis enim nisi insensate putaverit, a sponsa non eadem præcipi, quæ sponsus Christus voluit observari? atqui hi actus, & plerique alii sunt, interni: imo summa Religionis in actibus internis consistit.

Ad probat. concessa maj. n. min. nego, inquam, de internis actibus non judicare Ecclesiam: forum enim duplex habet, internum unum, alterum externum: in isto de rebus ad externam disciplinam spectantibus: in illo, etiam de internis judicat per suos ministros per quos clavium potestatem a Deo acceptam exercet.

℟. 2. Majoris perspicuitatis gratia dist. 1 propositionem: Ecclesia non habet potestatem imperandi actus internos, *directe*, transeat: (hoc enim jam ostendimus esse falsum:) *indirecte*, quatenus scilicet intime cum exterioribus juncti sunt, nego.

E. ℟. Esto possit qualitercumque excusari propositio qua dicitur, Ecclesiam actus internos *directe* non posse præcipere, eo nimirum sensu, quo non potest de illis in foro exteriore judicium ferre, certe tamen impium est negare Ecclesiæ indirectam saltem eorumdem præcipiendorum potestatem, quando cum externis necessario connectuntur: nisi velimus Ecclesiam non posse vetare hypocrisim; atqui actus communicandi exterior vere & Religiose non fit, nisi quatenus internum fidei, & caritatis, veræque pietatis actum conjunctum habet: *Pascha nostrum immolatus est Christus*, inquit Apostolus, *itaque epulemur in azimis sinceritatis & veritatis*.

Quamobrem qui Eucharistiam cum conscientia & affectu peccati mortalis recepit in Paschate, tenetur quam primum tam enorme flagitium pœnitentia expiare, ut possit deinceps, prout & quando Sacerdoti visum fuerit, Paschalis communionis infractum præceptum religiose & cum vera pietate implere.

Sequitur

QUÆSTIO NONA.

De Effectibus Eucharistiæ.

Quær. 1. Qui sint Eucharistiæ effectus.

℟. Cum S. Thoma (3 *p. q.* 79) generatim tres recenseri, peccatorum remissionem, gratiam, & gloriam.

Q. 2. Utrum Eucharistia ex se, ex fine nimirum ad quem instituta est, peccatorum mortalium remissionem operetur?

℟. Negative. Nam

1. Eucharistia institutione sua cibus animæ est. *Caro mea*, ait Christus, *vere est cibus, & sanguis meus vere est potus*; atqui cibi natura & virtus est, non ut conferat vitam, sed ut præhabitam foveat & conservet.

2. Eucharistia ex fine primario est Sacramentum Christi cum anima conjunctionis; atqui conjunctio hæc de se peccati mortalis remissionem non confert, immo necessario præsupponit animam ab omni mortali labe purgatam:

gatam: quæ enim conventio Christi cum belial esse potest? Ergo &c.

3. Qui cum peccati mortalis conscientia ad Christi mensam accedit, atrocissimi sceleris reus fit, seseque magis ac magis contaminat, nedum peccatorum præcedentium veniam consequatur.

4. Denique certa & constans doctrina Ecclesiæ est, Eucharistiam esse Sacramentum vivorum; atqui si ex se, fineque primario ad mortalia peccata delenda ordinaretur, non vivorum, sed mortuorum Sacramentum dici deberet. Ergo &c.

¶ Hinc jure meritoque Concilium Trid. Sess. 13, Can. 5, excommunicationis fulmina pertulit contrarium opinantes, ac docentes, inquiens: *Si quis dixerit vel præcipuum fructum Sacramenti Eucharistiæ esse remissionem peccatorum; vel ex ea non alios effectus provenire, anathema sit.* ¶

Q. 3. Utrum saltem per accidens mortalia peccata aliquando remittat?

℟. S. Thomas affirmative: *Potest tamen hoc Sacramentum*, inquit, (3 *p. q.* 79, *art.* 3, *in c.*) *operari remissionem peccati dupliciter, uno modo, non perceptum actu, sed voto, sicut cum quis prius justificatur a peccato*: (per baptismum videlicet & pœnitentiam: nam ut qu. præced. c. 1 ex Angelico præceptore probatum est, prima gratia nemini datur nisi qui Eucharistiam voto percipit, quod in ipsis infantibus aliquatenus locum habet:) *Alio modo, etiam perceptum ab eo qui est in peccato mortali, cujus conscientiam & affectum non habet: forte enim primo non sufficienter contritus, sed devote ac reverenter accedens, consequetur per hoc Sacramentum gratiam caritatis quæ contritionem perficiet, & remissionem peccati.* Ita S. Thomas.

Quæritur 4. Utrum ad fidem sententia illa pertineat?

R. Opinionem esse, non fidem: alii enim, nec pauci numero Theologi contra affirmant, Eucharistiam sic esse Sacramentum vivorum, ut primam gratiam neque ex fine primario, nec per accidens producere unquam possit; adeoque quando contingit aliquem in Eucharistiæ perceptione a peccato mortali liberari, cujus conscientiam & affectum non habet, hoc fieri dicunt virtute Sacramenti pœnitentiæ voto suscepti, & contritionis per quam peccata omnia a se perpetrata sincere deflet ac detestatur.

Q. 5. Si Eucharistia peccata mortalia per se non remittat, qua ratione constare poterit formæ consecrandi calicis veritas: *Hic est calix Sanguinis mei, novi & æterni testamenti . . . . qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum*? Deinde harum Ecclesiæ orationum quis erit sensus: *Hæc nos communio Domine purget a crimine . . . . purificent nos quæsumus Domine Sacramenta quæ sumpsimus . . . . præsta ut hoc tuum Sacramentum . . . . sit ablutio scelerum . . . sit vivorum atque mortuorum remissio omnium delictorum? &c.*

R. Verba consecrandi calicis, & orationes Ecclesiæ, ad Eucharistiam, non ut Sacramentum, sed ut sacrificium pertinere: in hoc porro unum differt ab altero, quod Sacramentum non debeat dari nisi justis ad alimoniam spiritualem, sacrificium vero etiam pro impiis & peccatoribus offeratur; qua de re lib. seq. plenior futurus est sermo.

Q. 6. Utrum Eucharistia per se venialia peccata remittat?

℟. Affirmative? *Iste quotidianus panis*, inquit S. Ambrosius (*l.* 5 *de Sacr. c.* 4) *sumitur in remedium quotidianæ infirmitatis*; atqui peccata venialia, quotidiana infirmitas sunt, quam omnes quantumlibet justi experiuntur. Ergo &c.

Deinde: Eucharistia animæ est alimentum, quemadmodum itaque naturale nutrimentum corpori necessarium est, ad reparandum quod virium ejus ac vigoris deperiit: ita quidquid de bono spirituali inardescente cupiditate anima perdit, quando venialiter peccat, virtute Eucharistiæ resarcitur, veniales culpas caritatis fervore delentis.

Præterea. Eucharistia dat homini jus ad auxilia specialia quæ ei necessaria sunt, ut sese in divino amore exerceat; atqui Dei amore peccata venialia absterguntur: contraria enim contrariis excludi necesse est. Ergo &c.

Q. 7. Utrum Eucharistia pœnam debitam peccatis aboleat?

℟. Non directe, sed indirecte remittere, quod sic explicat S. Thomas: (3 *p. q.* 79, *art.* 5, *in c.*) *Si consideretur Eucharistia, ut est Sacramentum, habet effectum dupliciter: uno modo directe ex vi Sacramenti, alio modo quasi ex quadam concomitantia . . . . ex vi quidem Sacramenti directe habet illum effectum ad quem est institutum: non est autem institutum ad satisfaciendum, sed ad spiritualiter nutriendum per unionem ad Christum & ad membra ejus: sed quia hæc unio fit per caritatem, ex cujus fervore aliquis consequitur remissionem, non solum culpæ, sed etiam pœnæ, inde est, quod ex consequenti per quandam concomitantiam ad principalem effectum homo consequitur remissionem pœnæ, non quidem totius, sed secundum modum suæ devotionis & fervoris.*

Q. 8. Utrum Eucharistia præservet a peccatis futuris.

℟. Af-

℞. Affirmative: *Christus*, inquit Concilium Trid. (*Sess.* 13, *c.* 2) *Sumi voluit hoc Sacramentum, tamquam spiritualem animarum cibum, quo alantur & confortentur viventes vita illius, qui dixit*: qui manducat me, & ipse vivet propter me: *& tamquam antidotum, quo liberemur a culpis quotidianis, & a peccatis mortalibus praeservemur*: nititur porro hæc Patrum responsio testimonio Salvatoris: *Ego sum panis vitæ*, inquit, (*Joan.* 6, 48, *& seqq.*) *Patres vestri manducaverunt manna in deserto, & mortui sunt: hic est panis de cœlo descendens, ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur . . . si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum.*

Non enim possunt hæc Christi verba de vita corporali intelligi, cum Eucharistia neminem reddat in hoc sæculo immortalem: debent ergo accipi de vita spirituali, atque adeo necessario significant, contra hanc mortem tutelam quæ animæ per peccatum lethale infertur: itaque Eucharistia quantum de se est, affert præsentissimum contra futura peccata munimen.

Q. 9. Qua ratione hoc fiat, ut Eucharistia a futuris peccatis præservet.

℞. Verbis S. Thomæ: *Dicendum*, inquit (3 *p. q.* 79, *art.* 6, *in c.*) *quod peccatum est quædam spiritualis mors animæ: unde hoc modo præservatur aliquis a peccato futuro, quo præservatur corpus a morte futura; quod quidem fit dupliciter: uno modo in quantum natura hominis interius roboratur, contra interiora corruptiva; & sic præservatur a morte per cibum & medicinam: alio modo, per hoc quod munitur contra exteriores impugnationes: & sic præservatur per arma, quibus munitur corpus; utroque autem modo hoc Sacramentum præservat a peccato: nam 1 quidem per hoc quod Christo conjungit per gratiam, roborat spiritualem vitam hominis, tamquam spiritualis cibus, & spiritualis medicina . . . alio modo in quantum est signum quoddam Passionis Christi per quam victi sunt dæmones, repellit omnem dæmonum impugnationem, unde Chrysostomus hom.* 45 *in Joan.* ab illa mensa, *inquit*, tamquam Leones ignem spirantes surgamus, diabolo terribiles effecti . . . . mysticus hic sanguis dæmones procul pellit, Angelos & Angelorum Dominum ad nos allicit: dæmones enim cum Dominicum sanguinem in nobis vident, in fugam vertuntur, Angeli autem concurrunt.

Objectio.

At, inquiet aliquis, quotidiano experimento, heu nimium! certum est, eos qui facti sunt Eucharistiæ divinæ participes, gravissima interdum peccata patrare: falso ergo dicitur, Eucharistiam esse certum contra futura peccata præsidium.

℞. Cum S. Thoma nego conseq. hinc enim probatur quidem, hominem quia defectibilem, posse etiam Eucharistia percepta peccare: sed non probatur, nullam esse ejus ad animam contra peccatum muniendam virtutem: *Dicendum*, inquit Præceptor Angelicus, (*ib. ad* 1) *quod effectus hujus Sacramenti recipitur in homine, secundum hominis conditionem, sicut contingit de qualibet causa activa, quod ejus effectus recipitur in materia secundum modum materiæ: homo autem in statu viæ est hujus conditionis, quod liberum arbitrium ejus potest flecti in bonum & malum: unde licet hoc Sacramentum, quantum est de se, habeat virtutem præservativam a peccato: non tamen aufert homini possibilitatem peccandi.*

Quæritur 10. Utrum Eucharistia gratiam producat.

℞. Affirmanter. Nam

1. Christum invisibiliter continet, qui olim cum hominibus est familiariter conversatus; atqui Christus visibilis sui ministerii tempore gratiam ubique divina beneficentia effundebat: quidni ergo invisibiliter in Sacramento existens, de plenitudine sua, suis gratificaretur cultoribus?

2. Eucharistia passionem Christi, in cujus memoriam celebratur, perfectissime repræsentat: eum enim qui pro nobis mortem pertulit, realiter continet: atqui Christi Passio, inexhaustus fons gratiarum humano generi fuit: idem ergo de Eucharistia est dicendum.

3. In hunc finem est divinitus ordinata, ut foret spiritualis animæ cibus: *Caro mea*, inquit, *vere est cibus, & sanguis meus vere est potus*; atqui non aliter animæ esse cibus intelligitur, nisi quia gratiam confert, quæ vitæ principium est. Ergo &c.

4. Eucharistia fideles mutua caritate devincit, & in unum veluti corpus agglutinat: *Unus panis, unum corpus sumus omnes*, ait Apostolus, *qui de uno pane participamus*; atqui caritas sine gratia esse non potest, quæ vel caritas ipsa est, vel ab illa saltem inseparabilis.

Hinc Christus in Evangelio: *Panis quem ego dabo*, inquit, *caro mea est pro mundi vita*; & rursum: *qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo*; & iterum: *qui manducat me, ipse vivet propter me*: porro vitam habere in Christo, immanentem Christum habere, & in ipso manere, nisi gratia est, nusquam esse intelligitur; ergo certo tenendum, gratiam esse Eucharistiæ effectum: eoque magis, quod Christum ipsum, omnium auctorem gra-

tiarum contineat: *Qui vult vitam*, ait S. Augustinus, (*tract. 26 in Joan.*) *habet ubi vivat, habet unde vivat: accedat ad Eucharistiam, credat, incorporetur, vivificetur.*

Q. 11. quæ gratia illa sit, quam dicimus Eucharistiæ propriam?

R. Esse gratiam spiritualis augmenti, quæ nimirum animam nutriendo, Dei caritatem, imminuta cupiditate, fovet, auget, & roborat: quapropter, ut prædiximus, primam gratiam non producit, quia cibus non mortuis datur, sed vivis.

Q. ultimo: utrum æterna gloria Eucharistiæ effectibus sit annumeranda?

R. Affirmative: scriptum est enim: (*Joan. 6, 55*) *qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam: & ego resuscitabo eum in novissimo die.*

Deinde: Christus in Eucharistia realiter præsens per suam passionem, cujus ipsa Eucharistia signum est, aperit nobis aditum ad vitam æternam: *Novi enim testamenti mediator factus est*, inquit Apostolus, (*Hebr. 9, 15*) *ut morte intercedente repromissionem accipiant, qui vocati sunt æternæ hæreditatis*: cœlestis itaque gloria Eucharistiæ tamquam proprius effectus adscribi debet: *Cum cibo & potu id appetant homines*, inquit S. Aug. (*tract. 26 in Joan.*) *ut non esuriant, neque sitiant: hoc veraciter non præstat nisi iste cibus & potus, qui eos a quibus sumitur, immortales & incorruptibiles facit.* Hinc Eucharistia viaticum appellatur, quatenus scilicet virtutem homini præbet, peracto miseræ hujus mortalitatis itinere, ad gloriam perveniendi.

Hos omnes effectus Ecclesia exprimit hymno sacro ab Angelico Doctore concinnato: *o sacrum convivium, in quo Christus sumitur! recolitur memoria passionis ejus: mens impletur gratia, & futuræ gloriæ nobis pignus datur.* Sequitur

QUÆSTIO DECIMA.

De dispositionibus ad Eucharistiam afferendis.

Superest, ut de dispositionibus breviter dicamus ad tantum mysterium afferendis, ne videlicet immortalitatis alimentum homo in venenum vertat, judiciumque sibi manducet & bibat non dijudicans Corpus Domini.

Hæ vero ordine duplici continentur: nam aliæ ad corpus, aliæ ad animam pertinent, de quibus sigillatim dicemus.

Q. 1. quæ corporis dispositiones sint necessariæ?

R. Generatim tres recenseri, jejunium, puritatem, & vultum totumque corpus ad modestiam & honestatem compositum.

Q. 2. Quale debeat esse jejunium?

R. Jejunium naturale, in eo consistens, quod fidelis qua die communicaturus est, nihil ante omnino sumat cibi aut potus, etiam instar medicinæ.

Qu. 3. Utrum divinæ institutionis lex illa sit?

R. Negative: nam certum est, 1 Christum cœna facta Eucharistiam instituisse, & continuo discipulis non jejunis distribuisse: 2 nullum de hac re præceptum Apostolis significasse.

Q. 4. Quorsum ergo Ecclesia voluit, ut nonnisi a jejunis Eucharistia sumeretur?

R. Cum S. Thoma, (*3 part. qu. 80, art. 8*) hujus decreti tres potissimum causas fuisse.

Prima petitur ex reverentia debita Sacramento, ut scilicet Corpus Domini in os hominis intret, nondum cibo & potu infectum, & virgine adhuc saliva, ut loquitur alicubi Tertullianus, in stomachum trajiciatur.

Secunda, ex periculo vomitus.

Tertia mystica est, ut nimirum intelligamus, nihil homini antiquius esse debere quam ut in Christo & ejus caritate fundetur, illudque primo recipiat, quo nefas est prius aliquid desiderare cum dicit: *Panem nostrum quotidianum da nobis*: & illud denique impleat quod est a Christo præceptum: (*Matth. 6, 33*) *Quærite primum Regnum Dei, & justitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis.*

Q. 5. Utrum antiqua lex illa sit?

R. Apostolicis ipsis temporibus conditam: ita namque testantur

Tertullianus l. 2 ad uxorem c. 5: *non sciet maritus, quid secreto ante omnem cibum gustes?*

S. Cyprianus ita loquens: (*Ep. 63 ad Cæcil.*) *Non mane, sed post cœnam mixtum calicem obtulit Dominus: numquid ergo Dominicum post cœnam celebrare debemus? . . . Christum offerre oportebat circa vesperam diei, ut hora ipsa sacrificii ostenderet occasum & vesperam mundi: nos autem resurrectionem Domini mane celebramus.*

Et omnium præclarissime S. Aug. *Liquido*, inquit, (*Ep. ad Januar. al. 113, nunc 54*) *apparet, quando primum acceperunt discipuli Corpus & Sanguinem Domini, non eos accepisse jejunos: numquid tamen propterea calumniandum est universæ Ecclesiæ, quod a jejunis semper accipitur? ex hoc enim placuit Sp. Sancto, ut in honorem tanti Sacramenti, in os Christiani prius Dominicum corpus intraret, quam cæteri cibi: nam ideo per uni-*

ver-

versum orbem mos ille servatur: neque enim quia post cibos dedit Dominus, propterea pransi aut cœnati fratres ad illud Sacramentum accipiendum convenire debent. . . . . namque Salvator quo vehementius commendaret mysterii illius altitudinem, ultimum hoc voluit altius infigere cordibus & memoriæ discipulorum, a quibus ad passionem digressurus erat: & ideo non præcepit quo deinceps ordine sumeretur, ut Apostolis per quos Ecclesias dispositurus erat, servaret hunc locum. . . . unde intelligi datur, ab ipso Apostolo ordinatum esse, quod nulla morum diversitate variatur.

Q. 6. Utrum lex illa primis sæculis fuerit ab omnibus inviolabiliter observata.

℞. Negative: 1. namque certum est, olim Ecclesiam tolerasse, ut anniversario die cœnæ Domini, sive feria 5 majoris hebdomadæ Eucharistia post cibum & potum a majoribus sumeretur: ita testatur S. Aug. in Ep. modo laudata ad Januarium: ejusdem rei fidem facit Concilium Carthagin. 3, Can 29.

2. Certum videtur, morem hunc non in aliquibus tantum Latinæ Ecclesiæ partibus, sed & in Oriente invaluisse, ut feria 5 majoris hebdomadæ post communes epulas Eucharistia sumeretur: hoc enim non obscure innuit Trullana synodus can. 29: *Apostolicas ac paternas traditiones sequentes, statuimus non oportere in quadragesimæ postrema hebdomadæ 5 feria jejunium solvere.*

3. Constat S. Cypriani temporibus, fideles quosdam in Africa, non matutinis tantum horis ante omnem cibum, sed & vespere post cœnam sacra mysteria celebrasse: quem morem reprehendit S. Doctor in Ep. ad Cæcilium. (*Ep.* 63).

4. Narrant Socrates, Sozomenus, & Nicephorus, in Ægypto quondam & Thebaide fideles ad vesperam cujuslibet Sabbati, facta cœna sacris communicasse mysteriis.

Ergo &c. notandum tamen morem contrarium neque generalem fuisse, nec ab Ecclesia solemni decreto probatum; imo multis in Africa, Hispania, & Gallia canonibus cautum ne Eucharistia sumeretur a non jejunis.

Q. 7. Utrum lex jejunii nullam patiatur exceptionem?

℞. Negative; aliqui enim casus occurrunt, in quibus potest a non jejunis Eucharistia sumi.

Primus est, quando urgente necessitate sacro viatico infirmi reficiuntur.

2. Est, quando contingit Sacerdotem facta consecratione, gravi morbo ante communionem corripi: tunc enim ab alio Sacerdote, etiam non jejuno, debet sacrificium perfici, si nemo reperiatur jejunus: nam præceptum de integritate sacrificii divinum est; atque adeo præponderat legi Ecclesiasticæ de jejunio ante Communionem servando.

3. Quando aquam loco vini infusam fuisse in calicem, Sacerdos in actu ipso communicandi advertit: tunc enim tenetur vinum infundere, consecrare, ac sumere, etiamsi aquam antea biberit.

4. Est, quando Sacerdos Communione facta & abluto calice, observat aliquas hostiæ particulas in altari superesse.

5. In Græca & Orientali Ecclesia sæpe occurrit, ubi infantes statim post baptismum Eucharistia sacra reficiuntur: nimium namque esset durum & periculosum, infantibus ante actum baptismi lac vagitu gemituque petentibus denegare.

Itaque lex jejunii, non secus ac positivæ aliæ leges, suas patitur & admittit exceptiones: hinc in Constant. Concilio sic decretum: (*Sess.* 13) *Concilium sacrum generale Costant. in Spiritu S. legitime congregatum declarat, ac definit, quod licet Christus post cœnam instituerit, & discipulis administraverit hoc venerabile Sacramentum: tamen hoc non obstante sacrorum canonum auctoritas & Ecclesiæ approbata consuetudo servavit & servat, quod hujusmodi Sacramentum nec post cœnam conficitur, nec sumatur a non jejunis nisi in casu infirmitatis, aut alterius necessitatis, a jure vel Ecclesia concesso vel admisso.*

Q. 8. Utrum carnis puritas sit ad sacram Communionem necessario præmittenda?

℞. Affirmative: æquum enim non est, ut Christus agnus sine macula, qui carnem Virginem habet, & ex Matre Virgine natus, cum carne peccato infecta commisceatur; itaque puritas omnino est præmittenda tam sancto mysterio.

Deinde: Non minus debent esse puri ab omni labe carnali, qui veritati ipsi communicant, quam qui in lege judaica Sacramentis figurativis participabant: imo eo debet esse puritas major, quo magis veritas figuris veteribus antecellit: atqui olim qui ad agni Paschalis & panum propositionis manducationem admittebantur, omnes debebant carnalis impuritatis immunes esse: hinc *Achimelech* Sacerdos panes propositionis Davidi & sociis manducandos dare noluit, priusquam de eorum continentia certior esset factus: *Nunc ergo*, ait scriptura, (1 *Reg.* 21, *v.* 3 & *seqq.*) *inquit David ad Achimelech, si quid habes ad manum, vel quinque panes, da mihi aut quidquid inveneris: & respondens Sacerdos ad David, ait illi: non habeo Laicos panes ad manum, sed tantum panem sanctum: si mundi sunt pueri maxime a mulieribus? & respondit.*

pondit David Sacerdoti, & dixit ei: equidem si de mulieribus agitur, continuimus nos ab heri & nudius tertius. . . . dedit ergo ei Sacerdos sanctificatum panem: neque enim erat ibi panis, nisi tantum panes propositionis &c.

Accedit, SS. Patrum auctoritas, inter quos, inquit S. Aug. *qui audiunt me dicentem*, (*Serm. 46 de verbis Domini*) *quicumque non servastis castitatem, nolite accedere ad illum panem, contristantur, & ego nollem hoc dicere: sed quid facio? timeo hominem ut taceam veritatem?*

Et S. Hieronymus explicans Apostoli verba: *Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi*: quæ leguntur 1 ad Cor. c. 7, v. 5: *Quid est majus*, inquit, (Ep. 50) *orare, an Corpus Christi accipere? utique accipere Corpus Christi: si per usum matrimonii quod minus est impeditur, malo magis quod majus est: legimus in scripturis panes propositionis ex lege non potuisse comedere David & socios ejus, nisi se triduo mundos a mulieribus respondissent: non utique ab illegitimis, quod damnabatur a lege, sed ab uxoribus quibus licite jungebantur. . . . nobis curæ est, non quod unusquisque possit aut velit, sed quid scriptura præcipiat dicere.*

Q. 9. Quæ carnis impuritas a Communione excludat?

℟. Cum distinctione: vel enim immunditiès contracta voluntate est, per peccatum mortale contra Dei legem perpetratum: vel præter consensum contigit, vel ex sola dæmonis illusione, & carnis infirmitate, vel denique ab actu conjugali processit.

Si primum: citra dubium est, hujusmodi aliquandiu ab Eucharistiæ participatione arcendos, ut nimirum probent scipsos, operibus pœnitentiæ vacent, & caveant ne judicium sibi manducent & bibant, si nimium festinanter accedere ad sanctam mensam præsumpserint: quanto autem debeant tempore abstinere, prudentis confessarii judicio, canonum, quoad fieri potest, rigorem sequentis relinquitur.

Si secundum: si carnis videlicet immunditia propter consensum contigerit, dicimus, non ex necessitate quidem, sed ex decentia aliquantulum temporis a Communione esse hujusmodi amovendum: *Si immunditiès*, inquit S. Thomas, (3 *p. q.* 80, *art.* 7, *in c.*) *sit sine peccato, vel cum peccato veniali, non ex necessitate impedit sumptionem hujus Sacramenti, ita scilicet quod homo sumendo sit reus Corporis, & Sanguinis Domini: ex quadam tamen congruentia impedit quantum ad duo, quorum unum semper accidit, scilicet quædam fœditas corporalis. . . . . . aliud autem est evagatio mentis, quæ hinc sequitur . . . . hebetudo autem mentis*, ait alibi (*in dist.* 9, *q.* 1, *art.* 4, *ad* 2) *& immunditia corporalis, ex quadam decentia honestatis a perceptione Eucharistiæ impedit . . . . nisi necessitas urgeat.*

Si 3. Idest, si in solam dæmonis illusionem aut carnis infirmitatem, refundi immunditia debeat, dicimus tuto posse ad sacram Communionem accedi: cum sine ullo, vel levi quidem peccato contigerit: ita S. Thomas: *Quandoque*, inquit, (*p.* 3, *q.* 80, *art.* 7) *provenit impuritas ex sola nequitia dæmonum, volentium impedire hominem a sumptione hujus Sacramenti: unde legitur in collationibus Patrum, quod cum quidam frater pateretur impuritatem semper in festis in quibus erat communicandum, seniores comperiendo quod nulla causa ab ipso præcesserat, decreverunt quod propter hoc a Communione non cessaret: & ita cessavit illusio dæmonum . . . . similiter etiam & causa (corruptio) corporalis quandoque est sine peccato, puta cum est ex infirmitate naturæ.*

Si denique 4, si nimirum carnis immunditiès ex officio conjugali processerit, dicimus cum S. Gregorio M. (*in resp. ad Augustinum Anglorum Apostolum*) eum qui non libidine voluptatis, sed sola liberorum procreandorum causa, matrimonii actum exercet, suo relinquendum esse judicio, ita ut, si velit, abstineat, & tamen si velit ad Eucharistiæ participationem accedat: *Cum vero*, ait ibidem, *non amor procreandæ sobolis, sed voluptas dominatur, habent conjuges etiam de sua commixtione quod defleant*; atque adeo æquum est, ut aliquantulum ex decentia a sacra Communione recedant: hinc olim communis erat Ecclesiæ disciplina, quæ etiamnum a multis laudabiliter observatur, ut aliquibus ante sacram Communionem diebus, conjuges matrimonii officio abstinerent, propter reverentiam Sacramenti.

Monitum.

Ad resolvendas plerasque quæ occurrunt in hac materia quæstiones, consulat studiosus Theologus S. Thomam, & alios probatos Authores: nostrum enim est, has difficultates scrutari profundius, ne dum nimium progredimur in docendo, pias multorum aures, & corda innocentia incautius offendamus.

Q. 10. In quo consistat vultus, corporisque modestia, quam diximus ad Sacram Communionem afferendam?

℟. In hoc sitam esse, ut externo habitu fidelis significet, se tremendum ipsis Angelis mysterium revereri; atque adeo curandum ne vagentur oculi, ne quid in incessu ac vestitu incom-

incompositum videatur; sed & vestitus, & incessus, & oculorum, & faciei, & denique totius corporis habitus eos deceat quibus dictum est: *Glorificate & portate Deum in corpore vestro.*

Q. 11. Quæ animæ dispositiones necessariæ sint?

℟. Multas requiri, nimirum præteritorum peccatorum, præsertim mortalium veram detestationem, compunctionem cordis, fidem vivam, spem, & caritatem; atque uno verbo sanctitatem, de qua dictum a Deo est: *Estote sancti, quia ego sanctus sum:* hinc in antiquis liturgiis ante Communionem a Diacono denunciabatur: *Sancta Sanctis*, prout etiamnum in toto Oriente observatur; itaque qui voluerit digne ad tremendum Sacramentum accedere, sedulo seipsum interroget, utrum amorem Dei habeat omnibus affectibus dominantem? utrum vere desideret in hoc amore proficere? utrum diligat proximum sicut seipsum? utrum in viis Domini ambulet, & quotidie proficiendo, mandata ejus rebus omnibus anteponat? hæcque non meri putanda sunt consilii esse, sed in necessariis dispositionibus numeranda: hoc autem de se quisquis facile judicium ex operibus feret: ait enim Christus in Evangelio: *ex fructibus eorum cognoscetis eos.*

Neque vero putandum, hanc sanctitatis conscientiam cum eo Evangelii præcepto pugnare, quo teneamur de nobis ipsis demisse sentire: hæc enim duo nullam inter se habere pugnantiam, præclare S. Aug. ostendit commentario in Ps. 85, ubi illa verba interpretans: custodi animam meam, quoniam sanctus sum: *Dicat*, inquit, *unusquisque fidelium: Sanctus sum: non est ista superbia elati, sed confessio non ingrati: si enim dixeris te sanctum esse ex te, superbus es: rursus cum sis fidelis in Christo & membrum Christi, si te non dixeris esse sanctum, ingratus es; habere te agnosce, & ex te nihil habere agnosce, nec superbus sis, nec ingratus; dic Deo tuo, sanctus sum, quia sanctificasti me, quia accepi, non quia habui; quia tu dedisti, non quia ego merui; si enim Christiani omnes & fideles baptizati in Christo, ipsum induerunt, si membra sunt facti corporis ejus, & dicunt se sanctos non esse, capiti ipsi faciunt injuriam, cujus membra sancta sunt.*

Canones Tridentini de Eucharistia.

Sessionis decimæ tertiæ

Canon I. Si quis negaverit in SS. Eucharistiæ Sacramento contineri vere, realiter, & substantialiter Corpus & Sanguinem una cum anima & divinitate Domini nostri Jesu Christi, ac proinde totum Christum, sed dixerit tantummodo esse in eo, ut in signo, vel figura, aut virtute, anathema sit.

Canon II. Si quis dixerit, in Sacrosancto Eucharistiæ Sacramento remanere substantiam panis & vini, una cum Corpore & Sanguine Domini nostri Jesu Christi, negaveritque mirabilem illam & singularem conversionem, totius substantiæ panis in corpus, & totius substantiæ vini in sanguinem, manentibus dumtaxat speciebus panis & vini; quam quidem conversionem Catholica Ecclesia aptissime transubstantiationem appellat: anathema sit.

Canon III. Si quis negaverit in venerabili Sacramento Eucharistiæ, sub unaquaque specie, & sub singulis cujusque speciei partibus, separatione facta, totum Christum contineri; anathema sit.

Canon IV. Si quis dixerit, peracta consecratione, in admirabili Eucharistiæ Sacramento, non esse Corpus & Sanguinem Domini nostri Jesu Christi, sed tantum in usu dum sumitur, non autem ante vel post, & in hostiis seu particulis consecratis, quæ post Communionem reservantur, vel supersunt, non remanere verum Corpus Domini; anathema sit.

Canon V. Si quis dixerit, vel præcipuum fructum Sacramenti Eucharistiæ esse remissionem peccatorum: vel ex ea non alios effectu provenire; anathema sit.

Canon. VI. Si quis dixerit, in Sancto Eucharistiæ Sacramento Christum unigenitum Dei Filium non esse cultu latriæ, etiam externo adorandum; atque adeo nec festiva peculiari celebritate venerandum, neque in processionibus secundum laudabilem & universalem Ecclesiæ sanctæ ritum & consuetudinem, solemniter circumgestandum, vel non publice, ut adoretur, populo proponendum, & ejus adoratores esse idololatras; anathema sit.

Canon VII. Si quis dixerit non licere sacram Eucharistiam in sacrario reservari, sed statim post consecrationem adstantibus necessario distribuendam, aut non licere, ut illa ad infirmos honorifice deferatur; anathema sit.

Canon VIII. Si quis dixerit, Christum in Eucharistia exhibitum, spiritualiter tantum manducari, & non etiam Sacramentaliter ac realiter; anathema sit.

Canon IX. Si quis negaverit, omnes & singulos Christi fideles utriusque sexus, cum ad discretionis annos pervenerint, teneri singulis annis, saltem in Paschate, ad communicandum, juxta præceptum S. Matris Ecclesiæ; anathema sit.

Canon X. Si quis dixerit, non licere Sacerdoti-

doti celebranti seipsum communicare; anathema sit.

Canon XI. Si quis dixerit, solam fidem esse sufficientem præparationem ad sumendum SS. Eucharistiæ Sacramentum; anathema sit: & ne tantum Sacramentum indigne, atque adeo in mortem & condemnationem sumatur, statuit atque declarat ipsa S. synodus, illis quos conscientia peccati mortalis gravat, quantumcumque etiam se contritos existiment, habita copia confessoris, necessario præmittendam esse confessionem Sacramentalem. Si quis autem contrarium docere, prædicare, vel pertinaciter asserere, seu etiam publice disputando defendere præsumpserit, eo ipso excommunicatus existat.

Canones Sessionis vigesimæ primæ.

Canon I. Si quis dixerit, ex Dei præcepto, vel necessitate salutis omnes & singulos Christifideles utramque speciem SS. Eucharistiæ Sacramenti sumere debere: anathema sit.

Canon II. Si quis dixerit, S. Ecclesiam Catholicam, non justis causis & rationibus adductam fuisse, ut Laicos, atque etiam Clericos non conficientes, sub panis tantummodo specie communicaret; aut in eo errasse: anathema sit.

Canon III. Si quis negaverit, totum & integrum Christum, omnium gratiarum fontem & auctorem, sub una panis specie sumi, quia, ut quidam falso asserunt, non secundum ipsius Christi institutionem sub utraque specie sumatur: anathema sit.

Canon IV. Si quis dixerit, parvulis, antequam ad annos discretionis pervenerint, necessariam esse Eucharistiæ Communionem: anathema sit.

FINIS LIBRI QUARTI.

L I-

LIBER QUINTUS
DE
SACRIFICIO EUCHARISTICO.

Est illud divinæ Eucharistiæ singulare, quod Sacramenti simul habeat & sacrificii rationem: non enim ideo solum est instituta, ut spiritualis alimonia animæ foret, quod Sacramenti proprium est; verum etiam ut Deo in perpetuum offerretur, & sublatis veteribus hostiis, perenne legis novæ Sacrificium constitueret: hinc ab eo solo decebat institui, qui novam per se ipsum condidit legem: *Quique semetipsum pro omnium reconciliatione Patri libans*, ut scribit S. Paulinus (*Epist. 5 ad Severum*) *victima Sacerdotii sui, & Sacerdos suæ victimæ fuit.*

De Eucharistia, ut est Sacramentum, dicebamus libro præcedente: restat ergo ut contra Lutheranos & Calvinistas ostendamus, veri utique sacrificii naturam & conditionem habere: quod ut perspicue, solita methodo, assequamur, quæremus: 1. De sacrificio generatim, quid sit & quot modis intelligi possit? 2. De sacrificiis veteribus. 3. De sacrificio quod Christus æterno Patri obtulit in ara crucis. 4. De Eucharistia principaliter, utrum habeat veri & proprii sacrificii rationem? 5. In quo Eucharistici sacrificii essentia poni debeat? 6. De hujus offerendi ministro. 7. De efficacia & effectibus. 8. De variis missarum generibus. 9. Utrum ita sit necessarium, Eucharistiæ sacrificium solemniter & publice celebrari, ut missæ quas privatas vocant illicitæ ac illegitimæ sint? 10. An & quo tempore teneantur fideles Eucharistico sacrificio interesse? 11. De cæremoniis missæ. 12. De auctoritate Liturgiarum. Sic igitur

QUÆSTIO PRIMA.

De Sacrificio generatim.

§. PRIMUS.

Quot modis sacrificium dici ac intelligi possit?

NOMEN sacrificii latissime patet, extenditur enim ad omne bonum opus significandum, quod propter Dei gloriam suscipi potest & fieri, sive internum & spirituale, sive sit externum & corporale: eoque sensu actus omnes fidei, spei, caritatis, adorationis, obedientiæ, compunctio cordis, oratio, mortificatio corporis, refrænatio cupiditatum, jejunium, eleemosyna, & denique ea omnia quæ sive mente sola, sive ministerio corporis, ad Dei laudem & gloriam referuntur, nomen sacrificii generaliter sumpti vera & propria ratione assumunt.

Hinc in scripturis legimus: (*Ps.* 4, 6) *Sacrificate sacrificium justitiæ, & sperate in Domino . . . immola Deo sacrificium laudis, & redde Altissimo vota tua . . . sacrificium laudis honorificabit me* (*Ps.* 99, *v.* 14, & 23) ... *sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non despicies* (*Ps.* 50, 10) . . . *sacrificium salutare est, attendere mandatis, & discedere ab omni iniquitate . . . & qui facit misericordiam, offert sacrificium* (*Eccl.* 35, 2, & 4) . . . *obsecro itaque vos, fratres, per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem*, (*Rom.* 12, 1) Quæ verba explicans S. Aug. *Si ergo corpus*, inquit, (*de Civ. Dei l.* 10, *c.* 6) *quo inferiore tamquam famulo, vel tamquam instrumento utitur anima, cum ejus bonus & rectus usus ad Deum refertur, sacrificium est: quanto magis anima ipsa cum se refert ad Deum, ut igne amoris ejus accensa, formam concupiscentiæ sæcularis amittat, eique tamquam incommutabili formæ subdita reformetur, hinc ei placens quod ex ejus pulchritudine acceperit, fit sacrificium?*

Itaque ut aliquid generatim sacrificium appelletur, duo requiruntur & abunde sufficiunt.

Primum est, ut sit opus bonum: malum enim, quippe Deo execrandum & detestabile, sacrificii materia esse non potest.

Alterum, ut propter Deum fiat, ad eumque dirigatur: si enim propter illum non fieret, quomodo dici posset Deo oblatum? *Verum sacrificium*, ait S. Aug. (*Ib.*) *est omne opus quod agitur, ut Deo inhæreamus sancta societate, relatum scilicet ad illum finem boni,*

quo

quo veraciter boni esse possimus: unde & ipsa misericordia qua homini subvenitur, si propter Deum non fit, non est sacrificium.

Parique sensu S. Thomas: *Omne illud*, inquit, (*3 p. q. 22, art. 2, in c.*) *quod Deo exhibetur, ad hoc quod Spiritus hominis feratur in Deum, potest dici sacrificium.*

Hinc Cardinalis *Bellarminus* explicans hæc Psalmistæ verba: (*Ps. 49, 14*) *Immola Deo sacrificium laudis: observandum*, inquit, *aliud esse laudem Dei, aliud sacrificium laudis: potest enim laudari Deus ab iis, qui labiis solis Deum honorant: sed non potest sacrificari laus, nisi ab iis . . . qui credunt & aliquomodo apprehendunt Deum esse summum bonum, quique Deum sic creditum & cognitum toto corde diligunt, & tamquam pulcherrimum, optimum, sapientissimum admirantur & laudant.*

§. SECUNDUS.

Sacrificium proprie dictum quid sit?

Sacrificium quatenus in præsenti stricte & proprie sumitur, est opus Religionis externum, per quod Deo, in signum reverentiæ, res aliqua sacra, cum aliqua sui mutatione offertur: eoque sensu definitur: *Oblatio externa, soli Deo facta, qua in recognitionem supremi ejus Dominii, a legitimo ministro, res aliqua sensibilis & permanens, spiritu mystico consecratur & mutatur.*

Explicatur definitio.

Dicitur 1 *Oblatio*, actio videlicet ministri victimam offerentis: hoc porro cuilibet indifferenter homini non convenit, ut hæretici insaniendo affirmant; sed homini sacro sive Sacerdoti, ad hoc officium specialiter consecrato: quemadmodum enim sacrificare, propria Religionis actio est, solius veri Dei honori dicata: ita æquum est ab iis solis fieri, qui divino cultui sunt peculiariter mancipati: *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus*, ait Apostolus (*Hebr. ad 5, 1, & seq.*) *pro hominibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum, ut offerat dona & sacrificia pro peccatis . . . nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tamquam Aaron.*

Dicitur 2 *oblatio externa*: est enim opus Religioni externum, ad hanc nimirum virtutem pertinens, qua cultus Deo debitus & reverentia exhibetur ab hominibus in una societate conjunctis: oblationem itaque externam esse oportet, sine qua non possent vincula Religionis connecti: *Sacramentum visibile*, ait S. Aug. (*de civit. Dei lib. 10, c. 5*) *invisibilis sacrificii Sacramentum, idest, sacrum signum est.*

Dicitur 3 *soli Deo facta*: Solus enim ille est hominum conditor, conservator, remunerator, principium, & finis; atque adeo sicut sacrificium interius soli Deo fieri debet, ita nec potest alteri præter ipsum offerri exterius: hinc scriptura veteris Testamenti pœnam mortis in eos decernit, qui præcipuum hunc honorem alteri præter Deum exhibuerint: *Qui immolat diis*, inquit, (*Exod. 26, 20*) *occidetur, præter quam Domino soli.* Hinc etiam S. Aug. *Sacrificium certe*, ait (*de civit. Dei lib. 10, c. 4*) *nullus hominum est, qui audeat dicere deberi nisi Deo .... quis enim sacrificandum censuit, nisi ei quem Deum aut scivit, aut putavit, aut finxit* (*v. ib. cap. 14*)?

Dicitur 4 *Oblatio Deo facta, in recognitionem supremi ejus Dominii*: Nam externo sacrificio homo servitutem suam, infirmitatem, indigentiam, solemniter profitetur, simulque contestatur se, quicquid boni habet, ab illo accepisse a quo omne datum optimum, donumque perfectum procedit: nec enim offert Deo sacrificium tamquam hujusmodi muneribus & officiis indigenti, quod cogitare esset stultum atque sacrilegum, (Deus enim cum sit plenitudo totius entis & pelagus, nullius rei est indigus;) sed quia ipse Deo in omnibus & perpetuo indiget: hinc est a Propheta dictum: (*Ps. 15, 1*) *Conserva me Domine, quoniam speravi in te; dixi Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges . . . .* (*1 Par. 29, 12, & seq.*) *tua est Domine magnificentia, & potentia, & gloria, atque victoria: & tibi laus: cuncta enim, quæ in cælo sunt, & in terra, tua sunt: tuum, Domine, Regnum, & tu es super omnes principes: tuæ divitiæ, & tua est gloria, tu dominaris omnium. . . . quis ego, & quis populus meus, ut possimus hæc tibi universa promittere? tua sunt omnia, & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi* (*vid. S. Aug. lib. 10 de civit. Dei cap. 5*).

Dicitur 5 oblatio hæc a *legitimo ministro* facienda; ab illo scilicet qui ad hoc officium divina auctoritate, ut prædiximus, & probaturi inferius sumus, (*v. infra qu. 6*) sit consecratus.

Dicitur 6 *Oblatio rei sensibilis & permanentis*: hincque distinguitur a precibus, prostrationibus, genuflexionibus, cæterisque hujusmodi, quæ actu quidem externo ab hominibus fiunt ad exhibendam supremo Numini reverentiam; nec ideo tamen sacrificia proprie sunt & dicuntur, quia permanens esse non habent, sed transeunt actu suo.

Di-

Dicitur 7 res sive materia sacrificii *ritu mystico consecranda*; ut enim præclare admonet S. Thomas, in eo posita est ratio sacrificii, ut circa rem Deo oblatam aliquid fiat, quo nimirum in novum statum, relicta priore conditione mutetur, tumque Deo sacra dici possit: alioquin si illæsa maneret & integra, donum quidem dici posset, sacrificium dici non posset; *Sacrificia proprie dicuntur*, ait S. Doctor, (2, 2, *q.* 85, *art.* 3, *ad* 3) *quando circa res Deo oblatas aliquid fit: sicut quod animalia* (in lege veteri) *occidebantur & comburebantur* . . . *& hoc, ipsum nomen sonat; nam sacrificium dicitur ex hoc, quod homo facit aliquid sacrum: oblatio autem directe & proprie dicitur, cum Deo aliquid offertur: etiam si nihil circa ipsum fiat: sicut dicuntur offerri denarii vel panes in altari, circa quos nihil fit; primitiæ autem oblationes erant, quia Deo offerebantur: non erant autem sacrificia, quia nihil sacrum circa eas fiebat: decimæ autem proprie loquendo, non sunt sacrificia neque oblationes, quia non immediate Deo, sed ministris divini cultus exhibentur.*

Dicitur 8 res oblata *mutari*, idest, ritu quodam mystico destrui: ut nimirum constet ratio sacrificii, quo Deum supremum vitę arbitrum profitemur: hoc enim, ut est modo dictum, oblationem inter & sacrificium discriminis intercedit, quod oblatio sine rei oblatæ mutatione fieri possit: sacrificium mutationem importet, vel effusione sanguinis, vel partium divisione, vel ignis ardore factam: hinc quando animalis vivi ex legis antiquę præscripto, nuda fiebat oblatio, nusquam legitur vel hostia vel sacrificium appellata: tumque tantum hoc digna nomine putabatur, quando circa rem oblatam Sacerdos sacri aliquid faciebat: ut si animal mactaret, ejusque funderet Sanguinem, aut mystice saltem destrueret; si thus, igne admoto adoleret: si contereret frumentum, si conspersam oleo farinam concoqueret: harum enim & similium rerum sacrificia fuisse, passim legimus in scripturis.

§. TERTIUS.

Solvuntur quædam quæstiones.

Q. 1. Utrum reale aliquid Deo conferant sacrificia ejus cultorum?

℟. Negative: *Quis enim ita desipiat*, inquit S. Aug. (*de civit. Dei lib.* 10, *c.* 5) *ut existimet aliquibus usibus Dei esse necessaria, quæ in sacrificiis offeruntur? quod cum multis locis divina scriptura testetur, ne longum faciamus, breve illud de Psalmo commemorare sufficerit:* (*Ps.* 15, 1) Dixi Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges: *Non solum igitur pecore, vel qualibet alia re corruptibili, atque terrena, sed ne ipsa quidem justitia hominis Deum egere credendum est, totumque quo recte colitur Deus, homini prodesse, non Deo: neque enim fonti sequisquam dixerit profuisse, si biberit, aut luci si viderit . . . hinc & alio loco Psalmi alterius:* (*Ps.* 49, 12, *& seq.*) Si esuriero, *inquit*, non dicam tibi; meus est enim orbis terrarum & plenitudo ejus; numquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo? *Tamquam diceret: utique si mihi necessaria essent, non a te peterem, quæ habeo in potestate.*

Ita S. Doctor, cui concinens S. Thomas; *Dicendum*, inquit, (2, 2, *q.* 81, *art.* 7, *in c.*) *quod Deo reverentiam & honorem exhibemus, non propter seipsum: quia ex seipso est gloria plenus, cui nihil a creatura adjici potest: sed propter nos, quia videlicet, per hoc quod Deum reveremur & honoramus, mens nostra ei subjicitur, & in hoc ejus perfectio consistit: quælibet enim res perficitur per hoc quod subditur suo superiori: sicut corpus per hoc quod vivificatur ab anima, & aer per hoc quod illuminatur a sole.*

Fatendum itaque per sacrificium nihil reale conferri aut adjici Deo; quamquam enim reale aliquid sit honos qui sacrificando defertur, Deo tamen honorem hunc advenire, aut aliquam ei novam perfectionem adjicere, impossimum esset putare; alioquin negandum foret Deum esse natura summe perfectum, cui nimirum aliqua perfectio beneficio creaturæ accresceret; ideo igitur sacrificia Deo offerimus, non ut ipse sit melior, sed ut fiamus nos meliores: non ut ille beatus sit, sed ut nos ipsi beatitudinem consequamur, illi intime per sacrificium inhærendo, cui soli adhærere bonum est.

Q. 2. Duorum quæ distinximus sacrificii generum, quodnam sit Deo acceptius, interius an exterius?

℟. Dubio procul sacrificium internum in comparatione exterioris Deo longe esse acceptabilius. Nam

1. Quando duo ita comparatur ad invicem, ut unum alterius signum sit; quod significatur est sine controversia melius; minus vero bonum est, quod significat alterum: quia signum rei significatæ excellentiam non adæquat; quod si melius est, hoc ipso magis Deo placere probatur; atqui externum & visibile sacrificium, interni & invisibilis signum est; ergo tantum Deo placere non potest, quantum invisibile & internum: *Sacrificium visibile*, ait S. Aug. (*de Civit. Dei lib.* 10, *c.* 5), in-

invisibilis sacrificii Sacramentum, idest, *sacrum signum est: unde ille pœnitens apud Prophetam, vel ipse Propheta quærens Deum peccatis suis habere propitium*: si voluisses, inquit, sacrificium dedissem, utique holocaustis non delectaberis: sacrificium Deo, spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum, Deus non despicies: *Intueamur quemadmodum ubi Deum dixit nolle sacrificium, ibi Deum ostendit velle sacrificium: non vult ergo sacrificium trucidati pecoris, sed vult sacrificium contriti cordis: illo igitur quod eum nolle dixit, hoc significatur quod eum velle subiecit: sic itaque illa Deum nolle dixit, quomodo a stultis ea velle creditur, velut suæ gratia voluptatis: nam si ea sacrificia quæ vult, quorum unum est cor contritum & humiliatum, nollet eis sacrificiis significari, quæ velut sibi delectabilia desiderare putatus est, non utique de his offerendis in lege veteri præcepisset*. Cum itaque non ipsum propter se, sed propter internum significandum, externum fuerit sacrificium institutum: consequens est, Deo tantum quantum interius placere non posse.

2. Occurrit argumentum huic simile: pro certo & indubitato tenendum est, veritatem Deo magis esse acceptabilem quam figuram; atqui externa & corporalia sacrificia, quibus lex antiqua abundabat, sacrificii invisibilis & interni figuræ erant: *Nam*, inquit S. Aug. (ib.) *quod ab antiquis Patribus talia sacrificia facta sunt in victimis pecorum, quæ nunc Dei populus legitime non facit, non aliud intelligendum est, nisi rebus illis eas res fuisse significatas, quæ aguntur in nobis, ut inhæreamus Deo, & ad eumdem finem proximo consulamus*. Ergo &c.

3. Quando e duobus unum Deo acceptissimum est, etiamsi solum fiat, alterum, si solum fuerit, exosum est & execrabile, nulla dubitatio est, quin unum magis placeat altero: atqui sacrificium internum & invisibile Deo gratissimum est, etiamsi solum sine externa victima offeratur; quis enim negare audeat, Deo maxime sacrificia placuisse, quæ a bonis Angelis, & ab hominibus in innocentiæ statu degentibus, intus in corde, statim a sua creatione dicata sunt? e contra si quis externum Deo sacrificium offerat, nec internum adhibeat, rem Deo exosam facit, magisque iram ejus & vindictam, quam misericordiam concitat. Hinc a Propheta dictum: (*Ps*. 50, 18 & *seq*.) *Quoniam si voluisses, sacrificium dedissem, utique holocaustis non delectaberis: sacrificium Deo Spiritus contribulatus*. Hinc ore Prophetarum tam sæpe Deus testatus est, sibi Judæorum sacrificia displicere, quia impuro corde, & animo a vera sanctitate alienato offerebantur, idest, quia sacrificii interni & spiritualis comitatum non habebant: sic apud Isaiam: *Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum, dicit Dominus?* (*Isai*. 1, 11 & *seq*.) *plenus sum: holocausta arietum, & adipem pinguium, & sanguinem vitulorum, & agnorum, & hircorum nolui: cum veniretis ante conspectum meum, quis quæsivit hæc de manibus vestris? . . . . ne offeratis ultra sacrificium frustra: incensum abominatio est mihi* &c. eodemque sensu Michæas Propheta: *Quid dignum*, inquit, (*Mich*. 6, *v*. 6 & *seq*.) *offeram Domino? curvabo genu Deo excelso? numquid offeram ei holocautomata & vitulos anniculos? numquid placari potest Dominus in millibus arietum, aut in multis millibus hircorum pinguium? numquid dabo primogenitum meum pro scelere meo, fructum ventris mei pro peccato animæ meæ? indicabo tibi, o homo, quid sit bonum, & quid Dominus requirat a te: utique facere judicium, & diligere misericordiam, & sollicitum ambulare cum Deo tuo, &c*. Ergo &c.

4. Denique illud sacrificium Deo longe acceptius est in quo Religionis summa consistit; atqui Religionis & latriæ Deo debitæ in eo summa consistit, ut per interna sacrificia illi unice hæreamus, a quo & conditi sumus, & quo solo veraciter possumus esse beati: *Venit hora: & nunc est*, ait Christus, (*Jo*. 4, 23 & *seq*.) *quando veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu & veritate: nam & Pater tales quærit qui adorent eum: Spiritus est Deus, & eos qui adorent eum in Spiritu & veritate oportet adorare*. Ergo &c. (*S. Aug. de civit. Dei lib*. 10, *cap*. 5, 6, & 19.)

Q. 3 Qua ratione misericordiæ erga proximum opera, sacrificia dici possint?

℟. Si propter Dei amorem fiant, vera sacrificia esse, quia a caritatis virtute procedunt, qua Dominum Deum nostrum super omnia, & proximum sicut nosmetipsos diligimus: quidquid enim ad Deum refertur, & in illo tamquam ultimo fine quiescit, verum est, sine dubio, sacrificium, eoque acceptius, quo majorem cæteris actibus habet perfectionem: *Dicendum*, inquit S. Thomas, (3 *p*. *q*. 30, *art*. 4, *ad* 1) *quod Deum non colimus per exteriora sacrificia aut munera, propter ipsum, sed propter nos, & propter proximos: non enim indiget sacrificiis nostris, sed vult sibi offerri propter nostram devotionem, & proximorum utilitatem, & ideo misericordia qua subvenitur defectibus aliorum, est sacrificium ei magis acceptum, utpote propinquius utilitatem proximorum inducens, secundum illud Hebræorum ultimo v*. 16: beneficentiæ & Communio-

munionis nolite oblivisci: talibus enim hostiis promeretur (placatur) Deus.

Q. 4. Utrum omnes teneantur ad sacrificia offerenda?

℟. Cum distinctione: vel enim quæstio est de sacrificiis exterioribus, vel de internis: si de internis mentio sit, certo affirmandum est, ad illa teneri omnes, internum enim sacrificium, potissimum in amore Dei consistit, propter quem omnia fiunt, & ad quem totus vitæ cursus dirigitur; atqui naturam omnem rationalem lex illa indispensabiliter obligat, quia in ipso jure naturæ fundata est: ad omnes enim æquabiliter pertinet maximum & primum mandatum (*Matth.* 22, 37): *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua.* Ergo &c.

Quod si agatur de sacrificiis exterioribus, dico ad illa hominem non teneri, nisi quatenus vel cum actibus virtutum conjuncta, vel lege positiva præscripta sunt: clariora sunt ea de re præceptoris Angelici verba, quam ut prætermitti debeant: *Dicendum*, inquit, (2, 2, q. 85, *art.* 4, *in c.*) *quod duplex est sacrificium, sicut dictum est*, (art. 2) *quorum primum & principale est, sacrificium interius, ad quod omnes tenentur: omnes enim tenentur Deo devotam mentem offerre: aliud autem est sacrificium exterius quod in duo dividitur: nam quoddam est, quod ex hoc solum laudem habet, quod Deo aliud exterius offertur in protestationem divinæ subjectionis; & ad hoc aliter tenentur illi, qui sunt sub lege nova vel veteri, aliter illi qui non sunt sub lege; nam illi qui sunt sub lege, tenentur ad determinata sacrificia offerenda, secundum legis præcepta: illi vero qui non erant sub lege, tenebantur ad aliqua exterius facienda in honorem divinum, secundum condecentiam ad eos inter quos habitabant, non autem determinate ad hæc vel ad illa: aliud vero exterius sacrificium est, quando actus exteriores aliarum virtutum in divinam reverentiam assumuntur; quorum quidam cadunt sub præcepto, ad quos tenentur omnes; quidam vero sunt supererogationes, ad quos non omnes tenentur.*

Q. 5. Utrum sacrificium ita soli Deo debeatur, ut alteri præter ipsum offerri non liceat?

℟. Affirmative: soli enim Deo debetur latria sive servitus, quæ in adoratione & sacrificii oblatione consistit: unde sine immani scelere, alteri præter ipsum honor ille deferri non potest: *Hic est Dei cultus*, inquit S. Aug. (*de civit. Dei lib.* 10, *c.* 4) *hæc vera Religio, hæc recta pietas, hæc tantum Deo debita servitus: quæcumque igitur immortalis potestas, quantalibet virtute prædita, si nos diligit, sicut se ipsam, ei vult esse subditos ut beati simus, cui & ipsa subdita beata est; si ergo non colit Deum, misera est, quia Deo privatur: si autem colit Deum, non vult se coli pro Deo; illi enim potius divinæ sententiæ suffragatur, quæ scriptum est* (Exod. 22, 20): Qui immolat diis occidetur, præter quam Domino soli: *Nam ut alia nunc taceam, quæ pertinent ad Religionis obsequium, quo colitur Deus, sacrificium certe nullus hominum est, qui audeat dicere, deberi nisi Domino soli: multa quidem de cultu divino usurpata sunt, quæ honoribus deferuntur humanis, sive humilitate nimia, sive adulatione pestifera .... quis vero sacrificandum censuit, nisi ei quem Deum aut scivit, aut putavit, aut finxit?*

Quorum similia alibi repetens: (*lib.* 5 *cont. adversarium legis, & Prophet. c.* 18) *Dæmon*, inquit, *sibi sacrificium non exigeret, nisi vero Deo deberi sciret: falsus enim Deus sic se vult honorari ab eis quos decipit, quomodo verus Deus ab eis quibus consulit: & maxime sacrificium est, quod præcipue debetur Deo: nam obsequia cætera quæ divinitati exhibentur, ausi sunt sibimet ob superbiæ fastum homines arrogare: rarissimi autem commemorantur, qui sibi ut sacrificaretur, cum Regia potestate possent, ausi fuerint imperare: quicumque tamen ausi sunt, per hoc se Deos haberi voluerunt.* Vide etiam lib. 10 de civitate Dei cap. 19.

Hoc ipsum ex natura sacrificii sequitur; ideo enim sacrificia celebrantur, tum ut ejus cui offeruntur supremum Dominium agnoscatur, tum ut grates ferantur pro beneficiis jam acceptis, ut nova impetrentur, tum denique ut admissa scelera expientur. Atqui

1. Solus Deus supremum Dominium habet, solus ille est Rex Regum, & Dominus dominantium, cui creata omnia in cœlo & in terra subjiciuntur.

2. Partiri beneficia, & favores distribuere, alteri præter ipsum non convenit, quamquam enim utatur rebus creatis, velut beneficentiæ suæ canalibus & administris, ab illo tamen bona cuncta tamquam ab inexhausto fonte procedunt, nec creaturarum ministerium ex indigentia adhibet, sed liberrima voluntate: tam enim posset sine terra e. c. dare hominibus frumenti abundantiam, & sine sole effundere lucem. &c. quam potuit terram & solem, & omnia quæ existunt, creare ex nihilo.

3. Nemo est qui remittat peccata, & perditam innocentiam reparet, nisi solus Deus: *Ego sum, ego sum*, inquit in Scripturis (*Is.* 43).

43, 25) *qui deleo iniquitates tuas propter me*, soli itaque Deo sacrificia offerre licitum est.

Q. 6. Utrum essent veri nominis sacrificia, quæ Gentiles idolis suis offerebant?

R. 1. Si ratio ejus habeatur, cui soli, ut dictum est, sacrificia offerri debent, ritus Gentilium quibus idola sua colebant, non sacrificia, sed sacrilegia nefanda fuisse: non enim Deo sed creaturæ offerebantur, ab iis nimirum hominibus, qui ut loquitur S. Paulus, (*Rom.* 1, 23 & *seq.*) *mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei, in similitudinem Imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & serpentium: quique veritate Dei in mendacium commutata, colebant & serviebant creaturæ potius quam creatori, qui est benedictus in secula.*

R. 2. Si ad ea adtendamus quæ Gentiles in fanis ac delubris suis operabantur, sacrificia revera fuisse quæ offerebant: mactabant enim in honorem falsorum numinum, diversi generis animalia, thura cremabant, libabant vina, habebant sacrificos, & antistites, & inferiores ministros, quin & Sum. Pontificem qui Religioni & sacris præesset: ornatu vario ac multiplici cæremoniarum apparatu altaria & sacrilega officia dedecorabant: & alia denique imitabantur, quæ a cultoribus veri Dei fieri solebant, quæque diabolus divinitatis æmulus introduxerat; eo itaque sensu dici potest, quod vera sacrificia fuerint, quomodo S. Aug. paulo ante laudatus affirmat: *Quis sacrificandum censuit*, inquit, *nisi ei quem Deum aut scivit, aut putavit, aut finxit*? in eo itaque pessimum, omniumque gravissimum idololatriæ crimen positum erat, quod honores soli vero Deo debitos, in res creatas summa impietate transferret.

QUÆSTIO SECUNDA.

De sacrificiis veteribus.

DE sacrificiis quæ legem gratiæ præcesserunt, non plene quidem, quia nostri instituti non est hujus materiæ accurata inquisitio, sumatim tamen & quasi in transcursu dicendum, tum ut inde innotescat, nunquam sine sacrificio veram religionem fuisse; tum ut in antecessum pateat, quam fuerit necessarium in nova lege pariter institui exterius aliquod sacrificium: itaque dicemus 1 de statu naturæ ante peccatum: 2 de statu ejusdem post peccatum, ante legem scriptam: 3 de lege scripta.

§. PRIMUS.

De sacrificiis naturæ innocentis.

Sacrificii Deo offerendi, sive lex, sive consuetudo tam est antiqua, quam mundus ipse.

Et primo quidem quod attinet ad interna & spiritualia sacrificia, nemini dubium esse debet, quin a Sanctis Angelis, & a primis parentibus, statim atque conditi sunt, oblata sine intermissione fuerint: non enim poterant ab illo cessare officio, quod si tantisper deseruissent, a sanctitate & innocentia excidissent: atqui si boni Angeli & primi homines ab offerendo cordis interno sacrificio cessassent, Sancti & Innocentes esse desissent: *Nam verum sacrificium*, inquit S. Aug. (*de civit. Dei lib.* 10, *cap.* 6) *est omne opus bonum quod agitur, ut sancta societate inhæreamus Deo, relatum scilicet ad illum finem, quo veraciter beati esse possimus*, atqui ubi societas cum Deo non est, sanctitas & innocentia non est, nisi qui declinando ab omni opere malo, facit propter Deum omne bonum opus naturæ suæ conveniens; atqui in hoc præcise, S. Aug. Doctore, ipsoque naturæ lumine suggerente, interni sacrificii ratio consistit. Ergo &c.

Præterea: sacrificii offerendi debitum, hinc maxime petitur quod creatura rationalis teneatur supremum Dei Dominium recognoscere; atqui eo magis Sanctos Angelos & Adamum innocentem lex illa premebat, quo perfectiores de manibus conditoris exierant: fatendum itaque interna sacrificia sine intermissione obtulisse: immo simpliciter agnoscendum, ideo malos Angelos bonis stantibus cecidisse, ipsosque protoparentes idcirco innocentiam quam acceperant, perdidisse, quia contra Deum superbiendo sacrificare sacrificium justitiæ desiverunt. *Primi homines in Paradiso*, inquit S. Aug. (*ib. cap.* 7) *puri, integri omni labe peccati, seipsos Deo mundissimas hostias offerebant....* de Angelis vero; *Merito*, ait, *illi in cœlestibus sedibus constituti, immortales & beati, qui creatoris sui participatione congaudent, cujus æternitate firmi, cujus munere sancti: quoniam nos mortales & miseros, ut immortales beatique simus, misericorditer diligunt, nolunt nos sibi sacrificare, sed ei, cujus & ipsi nobiscum sacrificium se esse noverunt* (vide ib. *lib.* 20, *cap.* 26).

Secundo, quod spectat ad sacrificium externum & corporale, certum quidem est, ab Angelis qui puri spiritus sunt, ab omni materiæ commercio liberi, oblatum numquam fuisse; ab Adamo vero & Eva, quamquam non legatur,

tur, tales hostias in brevissimo innocentiæ statu oblatas, confidenter tamen asserimus offerendas, si diutius in hac beata conditione perseverassent: in paradiso enim vera Religio floruisset, eoque perfectius quod homines immunes a labe peccati fuissent; atqui sine sacrificio vera religio constare non potest; ergo in hoc statu, si aliquam habuisset temporis diuturnitatem, homines Deo sacrificia obtulissent, non ad eum quidam placandum, quia nullo adhuc peccato foret offensus, sed ad recognoscendum supremum ejus Dominium, & gratiam pro acceptis beneficiis referendam.

Deinde, quod lex ipsa naturæ præscribit, Adamus & Eva certo erant in statu naturæ innocentis facturi; atqui sacrificia externa & proprie dicta Deo esse offerenda, juris naturalis anticipata, omniumque mentibus insculpta præscriptio est: *Dicendum*, inquit S. Thomas, (2, 2, q. 85, art. 5, in c.) *quod naturalis ratio dictet homini, quod alicui superiori subdatur, propter defectus quos in se ipso sentit, in quibus ab aliquo superiore eget adjuvari & dirigi: & quidquid illud sit, hoc est quod apud omnes dicitur Deus: sicut autem in rebus naturalibus naturaliter inferiora superioribus subduntur: Ita etiam naturalis ratio dictat homini secundum naturalem inclinationem, ut ei quod est supra hominem, subjectionem & honorem exhibeat secundum suum modum: est autem modus conveniens hominis, ut sensibilibus signis utatur ad aliqua exprimenda, quia ex sensibilibus cognitionem accepit, & ideo ex naturali ratione procedit, quod homo quibusdam sensibilibus rebus utatur, offerens eas Deo in modum debitæ subjectionis & honoris, secundum similitudinem eorum qui Dominis suis aliqua offerunt, in recognitionem Dominii: hoc autem pertinet ad rationem sacrificii: & ideo ratio sacrificii pertinet ad jus naturale*. Ergo &c.

§. SECUNDUS.

De sacrificiis legis naturæ.

Postquam vero suadente diabolo peccatum in mundum intravit, & primus homo rebellione sua totum in se genus corrupit, novo addito titulo crevit sacrificiorum necessitas: quæ enim Adamo perseverante, offerri hac una ratione oportuisset, ut agerentur Deo pro acceptis beneficiis gratiæ, ejusque supremum in omnem creaturam Dominium humiliter recognosceretur; offerri deinceps hac nova causa oportuit, ut peccata expiarentur, & læsæ numinis majestati satisfieret, unde passim in Genesi (qui liber legis naturæ ante Moysen historiam continet) ab Adami posteris sacrificia oblata leguntur.

Quam antiquus sit in sacrificando Dei cultus, ait S. Aug. (*de civit. Dei lib.* 10, *c.* 4) *duo illi fratres Cain & Abel satis indicant, quorum majoris Deus reprobavit sacrificium, minoris aspexit*. Nam in Genesi sic habetur: (*Gen.* 4, 3, & *seqq.*) *Factum est autem, ut offerret Cain de fructibus terræ munera Domino. Abel quoque obtulit de primogenitis gregis sui, & de adipibus eorum, & respexit Dominus ad Abel & ad munera ejus: ad Cain vero & ad munera illius non respexit*.

Quod ab *Abele*, idem postea a veri Dei cultoribus factitatum: de *Enos* enim eodem loco sic scribitur: (*ibid. v.* 26) *Sed & Seth natus est filius quem vocavit Enos: iste cœpit invocare nomen Domini*, ritu scilicet solemni, & in conventibus publicis: (nam invocatio quælibet, etiam quæ privatim & clanculum fit, cum foret ante *Enos* ab Adami filiis observata, falso ab eo fieri cœpta intelligeretur ac diceretur:) itaque hæc scripturæ verba, de cultu publico necessario accipi debent, quem omnium primus *Enos* induxit: cum enim crescente Adami familia, Dei contemptus & oblivio cresceret, *cunctaque cordis cogitatio*, ut Scriptura loquitur (*Gen.* 6, 5), *intenta esset ad malum*: Enos inspirante Deo, & forte Adamo ipso docente, publicos conventus cogere cœpit, & neglectam peneque extinctam religionem, sacrorum pompa rituum & apparatu sacrificiorum ornare: quo factum est, ut de illo merito dictum, quod invocare nomen Domini cœperit.

De *Noe* vero paulo post legitur, (*Gen.* 8) quod cum cessassent aquæ diluvii, ipseque cum suis egressus esset ex arca, sacrificium in gratiarum actionem obtulerit, quo placatus Deus promisit numquam deinceps fore diluvium: *Egressus est ergo*, inquit auctor Sacer, (*ib. v.* 18, & *seqq.*) *Noe & filii ejus, uxor illius, & uxores filiorum ejus cum eo ..... ædificavit autem Noe altare Domino: & tollens de cunctis pecoribus, & volucribus mundis, obtulit holocausta super altare: odoratusque est Dominus odorem suavitatis, & ait: nequaquam ultra maledicam terræ propter homines ... non igitur ultra percutiam omnem animam viventem, sicut feci*.

Sequuntur Abrahæ & posterorum ejus oblationes: Abraham enim in *Sichem* & *Bethel*, (*Gen.* 12, 7, & *seqq.*) & juxta *convallem Mambre* (*ib.* 13, 18): Isaac in *Bersabee* (*ib.* 26, 25) Jacob, juxta oppidum *Salem*, (*ib.* 33, 20) & defossis subter Terebinthum suorum idolis, *in Bethel*, altaria dedicarunt, super quæ mactatis hostiis, fortissimum Deum Israel invocarunt:

carunt: nemo vero perfectius Isaac Salvatoris in carne venturi, & holocausti ab eo offerendi typum gessit: tam prope enim illum attigit, quantum figura potest ad rem figuratam accedere, quia non solum Sacerdos, sed & victimae, sin minus facto, voluntate certe & præparatione animi fuit: lignumque ipse portavit, cui accenso erat imponendus, & nisi Deus obstitisset, in holocaustum immolandus. *Tentavit Deus Abraham*, ait Scriptura (*ibid.* 22, 1 *& seqq.*) . . . *& ait illi: Tolle filium tuum unigenitum, quem diligis, Isaac, & vade in terram visionis; atque ibi offeres illum in holocaustum, super unum montium quem monstravero tibi: igitur Abraham de nocte consurgens . . . tulit ligna holocausti, & imposuit super Isaac filium suum, ipse vero portabat in manibus ignem & gladium . . . . & venerunt ad locum quem ostenderat ei Deus, in quo ædificavit altare, & desuper ligna composuit, cumque alligasset Isaac filium suum, posuit eum in altare, super struem lignorum, extenditque manum & arripuit gladium, ut immolaret filium suum: Et ecce Angelus Domini de cœlo clamavit dicens: Abraham: qui respondit: adsum: dixitque ei: non extendas manuum tuam super puerum, neque facias illi quidquam: nunc cognovi quod times Deum, & non pepercisti unigenito filio tuo propter me: levavit Abraham oculos suos, viditque post tergum arietem, inter vepres hærentem cornibus, quem assumens obtulit holocaustum pro illo.*

Nec prætereundus *Melchisedech*, qui fuit justus, & Rex, & Sacerdos, primusque omnium legitur ritum sacrificii Evangelio præformasse (*ib.* 14, 18): unde David ad Christum: *Tu es*, inquit, (*Ps.* 109, 4) *Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.*

§. TERTIUS.

De sacrificiis legis scriptæ.

Constat itaque ab Abele ad Moysen, supremo numini sacrificia ab ejus cultoribus solemni ritu dicata: quod præter exempla quæ protulimus, Isaac ad Patrem suum verba demonstrant, de holocausto tamquam de re communiter usurpata loquentis: *Pater mi*, inquit, (*Gen.* 22) *ecce ignis & ligna, ubi est victima holocausti?* Jam vero quod ad legem scriptam pertinet, legenti Leviticum, manifestum est sacrificiis plurimis abundasse, totus enim hic liber est in iis, & diversis eorum ritibus præscribendus: ibidem de Sacerdotio leges conduntur: Aaron Sum. Pontifex, & filii ejus Sacerdotes consecrantur; (*Lev.* 8) hocque præcipue eis munus injungitur, ut offerendis victimis in perpetuum sint addicti.

Non unius porro generis sacrificia hoc tempore viguerunt: alia enim cruenta, alia erant incruenta: de singulis, deque eorum ritibus, & varia significatione paulisper dicendum.

I.

De sacrificiis cruentis.

Cruenta, diversis generis animalium mactatione, & sanguinis effusione fiebant, diversi, inquam, generis, non omnis: nec enim ut ante hac liberum unicuique fuit, quando vellet animal immolare: sed quibus utendum foret, minutim & summa accuratione præscriptum: nam qui præcesserant Patriarchæ nutu proprio, non tamen sine Dei instinctu, quas vellent hostias immolabant: uti de *Noe* legimus, (*Gen.* 8, 10) *Quod tollens de cunctis pecoribus, & volucribus mundis, obtulit holocausta super altare*: at vero in lege Mosaica, præter bovem, ovem, capram, columbam, turturem, & passerem, alia indifferenter offerre non licuit, ut ex *Levitico*, & aliis passim scripturæ libris notissimum est: sic autem debent hæc nomina generaliter accipi, ut totas atque integras species, adeoque mares & fœminas, vitulos, hœdos & capros, agnos & arietes comprehendant: nisi quod in certis sacrificiis, soli mares, aut solæ fœminæ, ut modo dicturi sumus, admittebantur.

Jam finis proximi habita ratione, sacrificia cruenta triplicis generis distinguebantur.

In primo erat *Holocaustum*, in eo consistens, quod igne victima tota combureretur, & redigeretur in cineres: id quod sonat græca vox *holocaustum*, quæ idem ac Latinæ, *totum combustum*, significat: erat hoc sacrificium humanæ servitutis tributum proprium, ad reverentiam scilicet Dei, & supremi ejus in omnem creaturam Dominii testificationem institutum: habebat vero hoc præter cætera peculiare, quod quando de armentis & pecoribus offerebatur, masculus esset mactandus, non fœmina: *Loquere filiis Israel*, inquit Deus Moysi (*Lev.* 1, *v.* 2, *& seqq.*) *& dices ad eos: homo qui obtulerit ex vobis hostiam Domino . . . si holocaustum fuerit ejus oblatio, ac de armento: masculum immaculatum offeret . . . immolabitque vitulum coram Domino, & offerent filii Aaron Sacerdotes . . . detractaque pelle hostiæ, artus in frusta concident, & subjicient in altari ignem strue lignorum ante composita: & membra quæ sunt cæsa, desuper ordinantes, caput videlicet & cuncta quæ adhærent jecori, intestinis & pedibus*

dibus lotis aqua: adolebitque ea Sacerdos super altare in holocaustum & suavem odorem Domino: quod si de pecoribus oblatio est, de ovibus, sive de capris holocaustum, masculum absque macula offeret . . . dividentque membra, caput & omnia quæ adhærent jecori: & ponent super ligna quibus subjiciendus est ignis: intestina vero & pedes lavabunt aqua: & oblata omnia adolebit Sacerdos super altare in holocaustum, & odorem suavissimum Domino: si autem de avibus holocausti oblatio fuerit Domino, de turturibus, aut pullis columbæ, offeret eam Sacerdos ad altare . . . . confringetque ascellas ejus, & non secabit, neque ferro dividet eam, & adolebit super altare, lignis igne supposito, holocaustum est, & oblatio suavissimi odoris Domino.

In secundo genere erant hostiæ quas *pacificas* appellabant, propterea quod ad bonorum consecutionem, tamquam ad finem respicerent: pax enim consueto scripturæ loquendi more, bonum omne comprehendit quod appetere homo potest; ideo itaque offerebantur, tum ut gratiæ Deo pro acceptis beneficiis referrentur, tum ut nova impetrarentur: ex bobus & ovibus sacrificia hæc, non secus ac holocausta fiebant: cum hoc tamen discrimine:

1. Quod in holocausto solus masculus, in pacifico, indifferenter masculus aut fœmina mactaretur.

2. Quod victima holocausti tota, pacifici, ex parte tantum, igne consumeretur.

Quod si hostia pacificorum fuerit ejus oblatio, inquit Deus (*Lev.* 3, *v.* 1 *& seqq.*) *& de bobus voluerit offerre, marem sive fœminam immaculata offeret coram Domino . . . . & offerent de hostia pacificorum in oblationem Domino, adipem qui operit vitalia, & quidquid pinguedinis est intrinsecus, duos renes cum adipe quo teguntur ilia, & reticulum jecoris cum renunculis, adolebuntque ea in holocaustum super altare, lignis igne supposito in oblatione suavissimi odoris Domino: si vero de ovibus fuerit ejus oblatio, & pacificorum hostia, sive masculum obtulerit, sive fœminam, immaculata erunt . . . & offerent de pacificorum hostia sacrificium Domino adipem & caudam totam cum renibus, & pinguedinem quæ operit ventrem, atque universa vitalia, & utrumque renunculum cum adipe, qui est juxta ilia, reticulumque jecoris cum renunculis: & adolebit ea Sacerdos super altare in pabulum ignis, & oblationis Domino: si capra fuerit eius oblatio, & obtulerit eam Domino . . . . tollent ex ea in pastum ignis Dominici, adipem qui operit ventrem, & qui tegit universa vitalia: duos renunculos cum reticulo, quod est super eos juxta ilia, & arvinam jecoris cum renunculis: adolebitque ea super altare Sacerdos, in alimoniam ignis, & suavissimi odoris.*

In tertio erant hostiæ pro peccato: quod genus sacrificii latissime patuit, sive habeatur ratio personarum pro quibus offerebatur, sive ad ejusdem offerendi causas, seu denique ad victimas attendatur: non enim pro quolibet tantum de populo, sed & pro Sacerdotibus, & pro principibus, totaque multitudine mactabantur, quia omnes, ut revera erat, peccato se obnoxios agnoscebant. Deinde sub peccato, non voluntarie tantum patrata crimina, sed & delicta ignorantiæ, quin & mala ipsa temporalia ex peccato secuta continebantur: hinc illa legis distinctio inter *hostiam pro peccato*, *& hostiam pro delicto*: (*Levit.* 7, 7)... *delictum enim est*, inquit S. Aug. (*in Levit. q.* 20, *tom.* 3, *p.* 1) *quod imprudenter, idest, ignoranter: peccatum autem, quod a sciente committitur*: quo fiebat, ut pro peccatis ex silentio veritatis, ex immunditia, errore, juramento, sacrorum abusu, ignorantia, & ex certa scientia commissis & pro puerperarum immunditia, & pro curatione lepræ sacrificia diversa præscriberentur: quamquam enim dolores parientium fœminarum, & lepræ fœditas seipsis peccata non essent: peccati tamen pœnæ erant; atque adeo sacrificium proprium, ita volente Domino, exigebant.

Jam sacrificiorum, in uno genere, quanta diversitas? nam pro peccato Sacerdotis & universi populi, vitulus; pro Principe, hircus; pro privato homine, capra, vel ovis, vel agna, vel turtures, aut duo pulli columbarum, aut aries, aut agnus anniculus, aut passeres duo offerebantur: de his quoniam legi in fonte, (*Vide lib. Levit. c.* 4, 5, 6, 7, 12, 14, *&c.*) facileque intelligi possunt, diutius non agemus: tantum annotabimus in eodem ordine non incongrue collocari, sacrificia lepræ expiandæ pro homine, domo, ac vestimento, quorum in eodem libro mentio, c. 14: item, sacrificium ad expiationem sanctuarii institutum, in quo præter unius vituli immolationem hirci duo ad ostium tabernaculi adducebantur, & missa super utrumque sorte, alter quidem Domino mactabatur, alter vero peccatis populi per Pontificis imprecationem, & manus utriusque super caput ejus impositionem, onustus, vivus dehinc in desertum abigebatur, (unde caper emissarius dictus:) Israelitarum iniquitates in terram solitariam deportaturus, ut ibidem videre est, toto c. 16 idemque dicendum de sacrificio vaccæ rufæ, quam ad sum. Sacerdotem adductam, & extra castra eductam, immolabat ille in conspectu omnium ut legitur in lib. *Numerorum* (*cap.* 19), & intingens digi-

digitum in sanguine ejus, aspergebat contra fores tabernaculi septem vicibus: comburebatque eam, cunctis videntibus, tam pelle & carnibus ejus, quam sanguine, & fimo flammæ traditis, quo peracto colligebantur vaccæ cineres, & effundebantur extra castra in loco purissimo, ut essent multitudini filiorum Israel in custodiam, & in aquam aspersionis: ex his enim aqua delibutis, lustralis aqua fiebat, cujus summa toto decurrente anno, ad varias immunditias abluendas religio erat.

I I.

De Sacrificiis incruentis.

Sacrificia incruenta, 1 ex simila, farina scilicet de frumento purissima, 2 aromatum crematione, 3 libatione vini fiebant.

1. Non unus porro erat modus similæ offerendæ: vel enim cruda, oleoque perfusa & Thure imposito, ad altare deferebatur: vel macerata pariterque diluta oleo, & cocta proponebatur. Jam hujus coquendæ ratio erat multiplex: quippe vel in clibano, vel in sartagine, vel super craticulam parabatur: de hoc sacrificio & diversis ejus speciebus, sic Deus ipse præscribit: (*Levit.* 12, *v.* 1, *& seqq.*) *anima cum obtulerit oblationem sacrificii Domino, simila erit ejus oblatio, fundetque super eam oleum, & ponet Thus, ac deferet ad filios Aaron Sacerdotes: quorum unus tollet pugillum plenum similæ & olei, ac totum Thus, & ponet memoriale super altare in odorem suavissimum Domino . . . . . cum autem obtuleris sacrificium coctum in clibano de simila, panes scilicet absque fermento, conspersos oleo, & lagana azima oleo lita; si oblatio tua fuerit de sartagine, similæ conspersæ oleo & absque fermento, divides eam minutatim, & fundes super eam oleum. Sin autem de craticula fuerit sacrificium, æque simila oleo conspergetur: quam offerens Domino trades manibus Sacerdotis. Qui cum obtulerit eam, tollet memoriale de sacrificio, & adolebit super altare in odorem suavitatis Domino.*

2. Quantum ad sacrificium aromatum spectat, de ea pariter sic legimus constitutum: (*Exod.* 30, 1 *& seqq.*) *facies quoque altare ad adolendum Thymiama de lignis setim. . . . & adolebit incensum super eo Aaron, suave fragrans, mane quando componet lucernas, incendet illud: & quando collocabit eas ad vesperum, uret Thymiama sempiternum coram Domino in generationes vestras. Non afferetis super eo thymiama compositionis alterius. . . sume tibi aromata, stacten, & onycha, galbanum boni odoris, & Thus lucidissimum: æqualis ponderis erunt omnia: faciesque thymiama compositum opere unguentarii, mixtum diligenter & purum, & sanctificatione dignissimum. Cumque in tenuissimum pulverem universa contuderis, pones ex eo coram tabernaculo testimonii, in quo loco apparebo tibi: Sanctum Sanctorum erit vobis thymiama.* Nam quod veri nominis hæc sacrificia fuerint, manifesto inde eruitur, quod datam superius sacrificii definitionem plene & cumulate haberent. Erant enim, *oblationes externæ soli Deo factæ, quibus, in recognitionem supremi ejus Dominii, a legitimo ministro, res aliqua sensibilis & permanens, ritu mystico consecrabatur & mutabatur.*

3. Idemque de sacris vini libationibus sentiendum, sine quibus ex legis præscripto sacrificia nulla offerebantur: *qui offert victimam pacificorum Domino*, inquit ipse, (*Levit.* 7, 29) *offerat simul & sacrificium, id est libamenta ejus*: qua autem ratione deberent libamina fieri, alibi explicat: *cum. . . . feceritis oblationem Domino*, inquit, (*Num.* 15, 3 *& seqq.*) *in holocaustum aut victimam... de bobus, sive de ovibus; offeret quicumque immolaverit victimam. . . . . vinum ad liba fundenda . . . . per agnos singulos & arietes erit. . . . vinum ad libamentum. . . . in odorem suavitatis Domino. Quando vero de bobus feceris holocaustum aut hostiam ut impleas votum vel pacificas victimas, dabis, per singulos boves, similæ tres decimas conspersæ oleo, quod habeat medium mensuræ hin: & vinum ad liba fundenda ejusdem mensuræ in oblationem suavissimi odoris Domino*, &c.

I I I.

Afferuntur aliæ Sacrificiorum divisiones.

Et hæc quidem sacrificiorum partitio præcipua fuit, præter quam prout unusquisque ad varias loci, temporis, necessitatis, sanctitatis, ministrantiumque conditiones attenderit, posse alias multas afferri non diffitemur.

1. Enim non immerito reposuerit aliquis, duas cruenti & incruenti sacrificii species, oblationum veterum genus ex integro non complecti: cum media aliqua fuerit ex utraque participans, partim scilicet cruenta, & partim incruenta. Quale erat singulare illud sacrificium, quo ex duobus oblatis in expiationem domus leprosæ passeribus, alter quidem immolabatur, alter vero sanguine trucidati intinctus in agrum avolare permittebatur (*Levit.* 14, 4 *& seqq.*): itemque alterum pro expiatione Sanctuarii institutum, quo, ex duobus hir-

hircis mactato uno, alter emissarius dictus, in solitudinem, onustus peccatis populi, trudebatur. (*ibid.* 16, 5 *& seqq.*) Quod si quis in his cæremoniis rationem veri sacrificii nullam fuisse contendat, propterea quod passer ille & Emissarius hircus morte interveniente non mutarentur; non agemus quidem cum illo pugnaciter: rogabimus tamen ut attendat, non ita necessario reali victimæ destructione constare sacrificium, quin mystica aliquando sufficiat, qualem sane ibi occurrisse negare non possumus.

2. Quod spectat ad locum sacrificii offerendi, communiter quidem ad ostium tabernaculi victimæ mactabantur, prout observare quisque legendo Leviticum (*Lev. Capp.* 1, 3, 4 *&c.*) poterit: non ita tamen erat lex illa generalis & necessaria, quin suis exceptionibus arctaretur. Nam immolatio passeris, de qua modo dictum, in ipso domus expiandæ limine: (*ibid.* 14, 49) itemque Vaccæ Rufæ, extra castra, in loco patenti, & in omnium conspectu a Summo Sacerdote fiebat. (*Num.* 19, 2) Deinde hoc erat sacrificiorum discrimen, quod aliqua in tabernaculo non offerentur tantum & mactarentur, sed ex integro super altare ibidem positum adolerentur; (*Levit.* 1, 13 *&c.*) alia vero partim in tabernaculo, partim extra castra: (*ibid.* 4, 8 *& seq.*) alia denique longe a tabernaculo & extra castra ex integro comburerentur (*ibid.* 16, 27, *Heb.* 13, 11). Nec prætermittendum, sacrificia, quæ ante tempora *Salomonis* non nisi ad ostium tabernaculi offerre licuerat, (*ib.* 17, 4 *& seq.*) extructo deinceps, ejus pietate & plusquam regali magnificentia, templo, non alibi quam intra ejus ambitum offerri mactarique potuisse. Sic enim Hebræorum periti verba *Deuteronomii* intellexerant: (*Deut.* 12, 5 *& seq.*) *ad locum quem eligerit Dominus Deus vester . . . . & ponat nomen suum ibi, & habitet in eo, venietis, & offeretis in loco illo holocausta & victimas vestras*, &c.

3. Ratione temporis, alia erant sacrificia quotidiana, alia Sabbatica, alia menstrua, alia denique annua: recurrentes enim unoquoque anno solemnitates victimis peculiaribus & ritibus propriis notabantur. (*v. Levit.* 23, *Num. capp.* 28, *&* 29 *&c.*) Rursum aliud erat sacrificium matutinum, aliud vespertinum: (*Numer.* 28, *&c.*) Paschalis vero agnus inter duas vesperas, prout alibi observatum est, mactabatur.

4. Habito respectu necessitatis, alia dici poterant sacrificia consecrationis, pro his qui Sacerdotio inaugurabantur: (*Levit.* 6, 20) alia purificationis pro puerperis & Leprosis: (*ibid. cap.* 12, *&* 14) alia expiationis, ad expiandum Sanctuarium, aut templum, aut populum. (*ibid. cap.* 6) Deinde alia erant lege præscripta; alia sponte suscepta, alia ex voto oblata. (*ib.* 7, 16, 23, 37 *& seqq.* 27, 9, *& seqq.*)

5. Si ad sanctitatem respexerimus, erat quidem omne sacrificium sanctum, quia Domino consecratum: at erat nihilominus aliud alio sanctius. Sic enim holocaustum quia totum in honorem Dei absumebatur, alia sacrificia sanctitate sine dubio superabat. Pariter Scripturarum loquendi more, ipsaque ratione moventе fateri compellimur, sanctiores fuisse hostias, quarum reliquiæ extra locum Sanctum comedi sive a Sacerdotibus sive a populo non poterant; e contrario minus sanctas, e quibus decerpta membra ad usum offerentium in privatas domos deferebantur.

6. Denique ministrantium habita ratione, poterat indiscriminatim quilibet offerre, immolare, jugulare, excoriare victimam & in partes secare; Sanguinem autem fundere, altare aspergere, subjicere ignem, & alia quæ ad sacrificium proprie pertinent, operari Sacerdotibus solis licebat (*Levit.* 1, *& alibi sæpe*). Sed nec omnia omnibus indiscriminatim concedebantur: solemne enim expiationis sacrificium, itemque alterum Vaccæ Rufæ, erant summo Pontifici reservata (*Levit.* 16, *n.* 19).

IV.

Sacrificiorum Ritus.

Longum fuerit, parumque proposito congruens, apparatum sacrorum Rituum explicare, quos Israelitis per Moysen Deus injunxerat; itaque præcipuos eorumque ad novum sacrificium ordinem indicare satis fuerit.

1. Victima immolanda ab omni macula & vitio immunis esse debebat. Quæ autem maculæ sive vitia hostiam deformarent, Deoque indignam redderent, in *Levitico* descriptum reperies (*Levit.* 22, 17, *& seqq.*).

2. Victimam oblaturus, manum ejus capiti imponebat, ut per hanc cæremoniam recognosceret, se mortem esse, peccando, promeritum, sibique pecudem, Deo benigne concedente substitui.

3. Victimæ sanguis effundebatur, & ex eodem variæ, pro sacrificiorum diversitate aspersiones fiebant (*v. in Lev. passim*).

4. In partes Victima secabatur, & partim, vel ex integro, prout conditio sacrificii exigebat, comburenda ad altare, nec sine pompa deferebatur (*v. in Levit. passim*).

5. Ignis in altari debebat esse perpetuus (*Levit.* 6, 12, *& seqq.*).

6. Omnis Victima sacrificii, sale erat condienda (*ib.* 2, 13).

7. Bos, ovis, & capra non ante octavum ab ortu diem, neque eadem die sive bos sive ovis una cum fœtibus suis immolari permittebantur (*ib.* 22, 27, *& seqq.*).

8. Numquam sine libationibus sacrificia offerebantur (*ib. c.* 5, *n.* 15).

9. Similæ ad altare oblatio, præterquam in sacrificio pro peccato, numquam sine infusione olei, & incensi impositione fiebat (*Lev.* 1, 1, *ib.* 5, 11).

10. Totum Thus similæ impositum, ex lege erat, in monumentum odoris Domino suavissimi adolendum; nec alius ejus usus esse poterat (*Levit.* 6, 15).

11. Panis offerendus, non erat de manibus extraneorum suscipiendus (*Lev.* 22, 25). Nec quidquam aliud ab iis in usus sacros recipi permittebatur: *quia*, inquit Deus, *corrupta & immaculata sunt omnia, non suscipietis ea*.

12. Pro primitiis panes fermentati offerebantur (*ib.* 7, 13, 23, 17).

13. Ab altari vero & sacrificio, omnis, vel minima, fermenti & mellis admixtio procul arcebatur. Cujus sanctionis rationem qui inde petunt, quod mellis & fermenti in Gentilium sacrificiis usus frequentissimus esset, videntur hercle longe aberrare a vero, & (quod bona dialectica prohibet) non causam pro causa afferre. Nam si ideo vetari ista oportuit, quia a Gentilibus observabantur; belluarum pariter sacrificia, & vini libatio, & condimentum salis, & alia id genus pleraque quæ idolorum cultores usu sacrilego frequentabant, prohiberi debuerant; itaque hujus constitutionis causa Deo alia fuit, quam quia latere nos voluit, non debemus curiosius perscrutari.

V.

Qui essent Sacrificiorum participes?

Sequitur Victimarum communio sive participatio, sine qua sacrificium, generatim loquendo, esse non potest, quæque proinde Dei cultoribus in lege veteri non debuit denegari: *quicumque sacrificium offert*, inquit S. Thomas, (3 *p. q.* 82, *art.* 4, *in c.*) *debet sacrificii fieri particeps*: cujus rationem continuo afferens, *quia*, ait, *exterius sacrificium quod offertur, signum est interioris sacrificii, quo quis se ipsum offert Deo, ut Aug. dicit* (*lib.* 10 *de Civit. Dei c.* 5): *unde per hoc, quod participat sacrificio, ostendit ad se sacrificium interius pertinere .... per hoc autem fit particeps, quod de sacrificio sumit, secundum illud Apostoli:* (1 *Cor.* 10, 18) nonne qui edunt hostias, participes sunt altaris?

Non omnium porro, nec omnes, victimarum erant participes. Nam

1. De holocausto, quia tota victima aræ fumanti admovebatur, nemo poterat quidquam degustare; tantumque pellis ejus Sacerdoti, ex lege cedebat: *Sacerdos qui offert holocausti victimam*, inquit, (*Lev.* 7, 8) *habebit pellem ejus*.

2. Sacrificium cruentum cujusvis generis esset, nemo ad sanguinis adipisque communionem admittebatur, quia hæc soli Deo erant specialiter reservata: *omnis adeps*, inquit (*Lev.* 3, 16, *& seq.*), *Domini erit: jure perpetuo in generationibus, & cunctis habitaculis vestris, nec sanguinem, nec adipem omnino comederis .... (ib.* 7, 23, *& seq.) adipem ovis, & bovis, & capræ non comedetis ... si quis adipem, qui offerri debet in incensum Domini, comederit, peribit de populo suo ... omnis anima, quæ ederit sanguinem, peribit de populis suis ... (ibid.* 17, 10, *& seq.) homo quilibet de domo Israel, & de advenis qui peregrinantur inter vos, si comederit sanguinem, obfirmabo faciem meam contra animam illius, & disperdam eam de populo suo, quia anima carnis in sanguine est: & ego dedi illum vobis, ut super altare in eo expietis pro animabus vestris, & sanguis pro animæ piaculo sit, &c.*

3. Quia oportebat ab omni labe & legali immunditia esse purum, qui sacrificio communicaret; hinc quoties privatus quisque pro peccato Victimam offerebat, comedendi ex ea jus non habebat (*v. Levit.* 22). Itaque solis Sacerdotibus ejus communio competebat: *loquere Aaron & filiis ejus*, inquit Deus, (*ib.* 6, 15, *& seqq.*) *ista est lex hostiæ pro peccato ... Sacerdos qui offert, comedet eam in loco sancto, in atrio Tabernaculi ... omnis masculus de genere Sacerdotali vescetur de carnibus ejus, quia Sanctum Sanctorum est* (*v. ib.* 7, 6, *et seq. et* 14, *v.* 13).

4. Quod si vel pro suo Sacerdos, vel pro totius populi peccato sacrificaret, jam quia ad omnes immunditia pertinebat, totum sine exceptione sacrificium urebatur, nec quidquam decerpi ad usum offerentium poterat (*v. Lev. cap.* 4, *et* 6).

5. Quoties hostiæ pro peccato sanguis inferebatur in tabernaculum testimonii, omnino non comedebatur, sed tota comburebatur igne: *hostia*, ait Deus, (*ib.* 6, 30) *quæ cæditur pro peccato, cujus sanguis infertur in tabernaculum testimonii, ad expiandum in Sanctuario, non comedetur, sed comburetur igni* (*v. ib.* 16, 27, *et Hebr.* 13, 11).

6. Qui

6. Qui pacificorum hostiam offerebant, ejusdem, nisi immunditia legalis obstaret, erant participes: hujus enim tantum partem aliquam Sacerdotibus lex concedebat, quidquid vero reliquum erat, offerentibus ad usum & esum reservabatur: *loquere filiis Israel*, inquit Deus (*ib.* 7, 29, *& seqq.*): *qui offert victimam pacificorum Domino . . . tenebit manibus adipem hostiæ & pectusculum: cumque ambo oblata Domino consecraverit, tradet Sacerdoti, qui adolebit adipem super altare. Pectusculum autem erit Aaron & filiorum ejus: armus quoque dexter de pacificorum hostiis cedet in primitias Sacerdotis. Qui obtulerit sanguinem & adipem filiorum Aaron, ipse habebit & armum dextrum in portione sua. Pectusculum enim elevationis, & armum separationis tuli a filiis Israel de hostiis eorum pacificis, & dedi Aaron Sacerdoti, & filiis ejus lege perpetua.* Cum itaque hæc duo victimæ membra a filiis Israel ablata dicantur, consequens est cætera eisdem ad communionem sacrificii fuisse relicta.

7. Jam si quæratur qua die carnes immolatæ deberent comedi?

℟. Ipsa immolationis die, aut ad summum die sequenti; nec liberum cuique fuisse communionem procrastinare. *Hæc est lex hostiæ pacificorum*, ait Deus, (*ib.* 7, 11, *& seq.*) ... *ejus carnes eadem comedentur die, nec remanebit ex eis quidquam usque mane: si voto vel sponte quisquam obtulerit hostiam, eadem similiter edetur die: sed & si quid in crastinum remanserit, vesci licitum est. Quidquid autem tertius invenerit dies, ignis absumet: si quis de carnibus victimæ pacificorum die tertio comederit, irrita fiet oblatio, nec proderit offerenti: quin potius quæcumque anima tali se edulio contaminaverit, prævaricationis rea erit.* Quorum similia aliis multis locis inculcantur (*v. ib.* 19, 5, *& seqq.* 22, 29 *& seq.*).

8. In sacrificiis incruentis quidquid ex simila supererat, in usum Aaron & filiorum ejus cedebat: ejus autem comedendæ jus ad solos mares pertinuisse, ex lege certissimum est: *hæc est lex sacrificii*, inquit, (*ib.* 6, 14, *& seqq.*) *& libamentorum quæ offerent filii Aaron coram Domino, & coram altari: tollet Sacerdos pugillum similæ, quæ conspersa est oleo, & totum Thus quod super similam positum est, adolebitque illud in altari, in monumentum odoris suavissimi Domino. Reliquam autem partem similæ comedet Aaron cum filiis suis . . . mares tantum stirpis Aaron comedent illud* ... (*ib.* 7, 9, *& seq.*) *omne sacrificium similæ, quod coquitur in clibano, & quidquid in craticula, vel in sartagine præparatur, ejus erit Sacerdotis a quo offertur. Sive oleo conspersa, sive arida fuerit, cunctis filiis Aaron mensura æqua per singulos dividetur.*

V I.

Quæ causa Deo fuerit, Hebræos tam gravi, tamque multiplici Sacrificiorum pondere onerandi?

Jam si causam quærat aliquis cur Israelitis Deus tantam sacrificiorum multitudinem, & pene importabile jugum imposuerit? in promptu responsio est, Vesana scilicet ad Idololatriam, omnemque vanam Religionem propensio, sive ex prava eorum indole & dura cervice nata, sive Ægyptiorum quibus diu servierant, familiaritate contracta. Quantum enim ad superstitionem proclives essent, eventus ipse declarat: *videns autem populus*, ait Scriptura, (*Exod.* 32, 1, *& seqq.*) *quod moram faceret descendendi de monte Moyses, congregatus adversus Aaron dixit: surge fac nobis Deos qui nos præcedant . . . dixitque ad eos Aaron: tollite inaures aureas de uxorum, filiorumque, & filiarum vestrarum auribus, & afferte ad me. Fecitque populus quæ jusserat, deferens inaures ad Aaron: quas cum ille accepisset, formavit opere fusorio, & fecit ex eis vitulum conflatilem. Dixeruntque: hi sunt Dii tui, Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti. Quod cum vidisset Aaron, ædificavit altare coram eo, & præconis voce clamavit dicens: cras solemnitas Domini est. Surgentesque mane, obtulerunt holocausta & hostias pacificas &c.* Ut igitur in officio contineretur populus male pertinax, neque facile ad Diabolicam superstitionem provolveretur, oportuit variis sacrificiis occupari, quæ Idololatriæ pœna, simulque remedium essent.

Ita docet Præceptor Angelicus: *alio modo*, inquit, (1, 2, *q.* 102, *art.* 3, *in c.*) *de causa cæremoniarum circa sacrificia potest assignari ratio, ex hoc quod per hujusmodi, homines retrahebantur a sacrificiis idolorum: unde etiam præcepta de sacrificiis non fuerunt data populo Judæorum, nisi postquam declinavit ad Idololatriam, adorando vitulum conflatilem, quasi hujusmodi sacrificia sint instituta, ut populus ad sacrificandum promptus, hujusmodi sacrificia magis Deo, quam Idolis offerret. Unde dicitur Jeremiæ septimo* (*v.* 22.): non sum locutus cum Patribus vestris, & non præcepi eis in die, qua eduxi eos de terra Ægypti, de verbo holocautomatum & victimarum.

S. Doctori Patres longe ante præiverant: quos inter S. Justinus: *pronos in malum populos*, inquit (*in Dial. cum Tryph.*), *& corde obduratos, sacrificiis sive detinendos, sive flectendos censuit Deus.*

Et S. Iræneus: *eo veluti pondere*, ait (*lib.* 4, *cap.* 28), *leviores animos firmavit simulque eam luere pœnam voluit, pro cultu aurei vituli, & affectato in Ægyptum regressu*.

Cui consentiens Origenes: *horum sacrorum*, inquit (*homil.* 8 *in Num.*), *alia forte Deo ratio latens & mystica fuit, ut scilicet eo veluti aggere opposito, Judæos in sacrificiis illis remoraretur, ne in perniciosa & superstitiosa dæmonum provolverentur; eodem scilicet artificio, quo aliqui ex venenis antidota parant*.

Parique sensu S. Joannes Chrysost. *Deus*, ait, (*adv. Judæos*) *sacrificiorum multitudine detinere Hebræos voluit, ne scilicet superstitionibus vacarent, quemadmodum sapiens medicus frigidam permittit ægroto febri laboranti, ne sitis disperatione ad interitum adigatur* . . . & alibi: (*in Ps.* 49) *ne Dæmoni victimas mactarent, Deus victimas sibi mactari permisit*.

Objectio.

Ergo, inquies, mala hæc sacrificia erant, quippe Deo tantum tolerante oblata, quomodo alia multa, quæ posset impedire, mala permittit.

℟. nego conseq. & dico ex adductis Patrum sententiis nihil tale erui posse: sive enim quo ad rem spectentur, sive quo ad modum seu offerendi ritum, bona & secundum se Deo accepta fuisse contendimus sacrificia Hebræorum. Quantum quidem ad rem sive substantiam pertinet, ejusdem generis erant, ac sacrificia prisca Sanctorum, quæ Deus probaverat, quæque nisi bona essent, certissime non probasset. (*v. Gen.* 4, 4, *ib.* 8, 21, *&c.*) Deinde vera Religio, ut ante diximus, sine sacrificio esse non potest, cujus offerendi lex in ipso jure naturæ fundatur. Est autem vera Religio omni superstitione & idolorum vanitate antiquior; quomodo Regula unde deflectitur, ipsa deviatione est prior; nisi enim defectum regula præcederet, jam ne defectus quidem dici aut intelligi posset. Prius itaque fuit, vero Deo, quam Idolis Gentilium victimas immolari; adeoque se ipsis reprehensibile nihil habebant, quæ in lege Moysi mactabantur.

Sed etiamsi modum earum, ritusque varios attendamus, bonas fuisse nemo negabit, nisi qui fontem atque originem veritatis nesciverit. Quidquid enim lege Dei præscribitur, bonum est, quia tam Deo repugnat imperare mala, quam malum esse; atqui tam diversa tamque multiplicia sacrificia Deum habuere auctorem, ut ex Libro *Levitici*, & aliis Scripturæ locis manifesto patet. Quis enim nisi Deus ab hostiis pacificis, & sacrificiis pro peccato holocausta distinxit? quis sua singulis recurrentibus Sabbatis, Neomeniis, solemnitatibus Paschatis, Pentecostes, expiationis, & tabernaculorum sacrificia assignavit? quis legem ignis perpetui? quis victimas matutinas & vespertinas? quis denique alia ad tabernaculi & templi decorem ornatumque pertinentia, nisi Deus constituit? hinc sacræ Cæremoniæ non nisi irascente Deo & ulciscente omittebantur, uti *Nadab & Abiu* contigit, quos igne prophano thurificantes, *egressus ignis a Domino devoravit*. (*Levit.* 10, 2)

Itaque nec quantum ad rem, nec quantum ad modum mala hæc sacrificia dici possunt. Nec aliter debent Patres superius allegati intelligi, quorum hic unus est sensus, Deum multiplici sacrificio, quasi frœno quodam imposito moderari Judæorum ad cultum idolorum perversam propensionem voluisse, tantisque eos ad altare suum & tabernaculum occupationibus distinere, ut alio divertendi nec tempus, si fideles essent, haberent: quo sane temperamento ex veneno Ægyptiorum paravit antidotum, & jugo legis imposito Hebræos ad verum cultum reduxit. Id quod egregie explicans *Lactantius Firmianus*, *Hebræi*, inquit, (*Inst. lib.* 4, *cap.* 10) *egressi ex Ægypto, in solitudine multa mirabilia viderunt ... pro bis tamen divinis beneficiis honorem Deo non reddiderunt; sed depulsa jam servitute, jam siti fameque deposita, in luxuriam prolapsi, ad profanos Ægyptiorum ritus animos transtulerunt. Cum enim Moyses dux eorum ascendisset in montem, atque ibi quadraginta diebus moraretur; aureum caput bovis quem vocant, Apin, quod eos signo præcederet, figurarunt. Quo peccato ac scelere offensus Deus, impium & ingratum populum, pro merito, pœnis gravibus affecit, & legi quam per Moysen dederat subjugavit*.

VII.

Veterum Sacrificiorum quæ significatio fuerit.

Dum percurrimus extranea, incidimus in domesticum, quod est Christianæ Ecclesiæ sacrificium, a Christo summo Sacerdote semel in ara crucis oblatum, & mystice in Ecclesia ad sæculi finem continuandum, ad quod significandum vetera fuerant instituta, a quo virtutem omnem trahebant, quo semel oblato evanescere debuerunt, non secus ac sole Oriente fugantur umbræ ac dispelluntur, quod denique nisi figurassent, quantamlibet magnificentiam oculis carnalibus ostentarent, nec Deo digna futura erant, nec verum ei honorem delatura, magisque lanienæ & carnificinæ quam Religionis speciem habitura.

Si

Si quid itaque in antiquis sacrificiis intelligere volumus, principii loco ponendum, per ea Christum fuisse significatum, & ab æterno Patre, jam tum mirabile redemptionis opus meditante adumbratum. *Christus enim*, inquit Apostolus, (*Rom.* 10, 4) *finis legis ad justitiam omni credenti*: deque eodem ait in Apocalypsi Joannes, *quod sit agnus occisus ab origine mundi* (*Apoc.* 13, 8): idest, in figura pecudum diu sæpeque mactatus. Hinc SS. Doctores affirmant, priores victimas magno illi sacrificio in Typo & Vaticinio prælusisse: *quæ lex & disciplina erat illis*, inquit S. Irenæus (*lib.* 4, *cap.* 28), *erat eadem & Prophetia futurorum*: & S. Aug. *in Victimis pecorum quas offerebant*, inquit, (*Enarr. in Ps.* 39) *sicut re tanta dignum erat, prophetiam celebrabant futuræ victimæ, quam Christus obtulit*; quod mysterium etsi Hebræorum vulgus lateret, non ii tamen ignorabant, qui sicut *Abel*, *Noe*, *Abram*, & alii fide vivebant & Dei spiritu agebantur: *celebrabant figuras futuræ rei multi scientes*, ait idem S. D. l. 20 cont. Faust. c. 18, *sed plures ignorantes*.

Quia vero talem ac tantam victimam exprimere sacrificium unum non poterat, plura & multiplicia esse oportuit, ut numero suo, rituque diverso varias ejus circumstantias adumbrarent: *hujus veri Sacrificii*, ait S. Aug. (*lib.* 10 *de Civit. cap.* 20), *multiplicia variaque signa erant sacrificia prisca Sanctorum, cum hoc unum pro multis figuraretur, tamquam verbis multis res una diceretur, ut sine fastidio multum commendaretur*.

Hoc posito non erit difficile, sacrificia vetera, eorumque cæremonias, quin & quatenus in Christum quadrarent aliquatenus explicare.

Sic enim in cruentis omnibus sacrificiis Christum intelligimus, qui erat semetipsum aliquando pro reconciliandis Deo hominibus oblaturus, quemque *propositurus erat Deus propitiationem per fidem in Sanguine ipsius, ad ostensionem justitiæ suæ, propter remissionem præcedentium delictorum*, ut ait Apostolus: (*Rom.* 3, 25) sacrificium pro peccato, *peccatum* simpliciter more Scripturæ vocabatur, quod optime in Christum cadebat, de quo idem Apostolus: *eum qui non noverat peccatum*, inquit, *pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur justitia Dei in ipso* (2 *Cor.* 5, 21).

Quando præscribitur victimas Sacrificii mundas & immaculatas esse debere, quem alium possumus intelligere præter Christum, qui *Sanctus, innocens, impollutus* futurus erat, *segregatus a peccatoribus* (*Hebr.* 7, 26) & Sanctitatis infinitæ sacrificium oblaturus?

Manum supra caput victimæ impositio, Christum peccatoribus aliquando substituendum signabat.

Sanguinis in circuitu altaris effusio Christi Crucem præfigurabat. Hinc scite observat *Origenes*, Annam, & Caipham, aliosque Sacerdotes, quando Christum morte damnarunt in templo, in hoc eodem loco ubi altare erat, Sanguinem ejus anticipato fudisse.

Victimarum extra castra crematio, Christum extra civitatem Hierusalem passurum significabat: *quorum animalium*, inquit B. Paulus, (*Hebr.* 13, 11, & *seq.*) *infertur Sanguis pro peccato in Sancta per Pontificem, horum corpora cremantur extra castra: propter quod & Jesus, ut sanctificaret per suum Sanguinem populum, extra portam passus est*.

Jam vero in sacrificiis hircorum & passerum pro sanctuarii & leprosæ domus expiatione statutis, ubi hircus unus & passer, dimisso altero mactabatur, excellentissima incarnationis & duarum Christi naturarum figura fuit, quarum altera quippe mortalis, suppliciis ipsaque morte affici; altera divina & immortalis, nec mortem nec sensum doloris poterat experiri (*v. Theodor. qq.* 19, & 22 *in Levit.*).

Sed & Sacrificium Vaccæ Rufæ (*Nu.* 19) quisquis hujus offerendi ritum & circumstantias omnes accurate expenderit, optime in Christum quadrasse comperiet.

De Agno Paschali quoniam alibi dictum est, quam apta Christi figura fuerit, in præsenti silemus.

Redeamus nunc ad secundi generis sacrificia, quæ quoniam farinæ, & thuris, vini, & olei, & aromatum oblatione fiebant, incruenta erant & merito dicebantur. In his enim nisi desipimus, a via veritatis errantes, Christum præclarissimo præsignificatum intelligemus. Simila ab omni expers fermenti corruptione, summam Christi sanctitatem, vinum, Sanguinis effusionem tum realem in cruce tum mysticam ad altare præfigurabat. Quod ne cui dubium sit, attendat ad venturi Messiæ Prophetiam: *lavabit in vino stolam suam, & in sanguine uvæ pallium suum*: (*Gen.* 49, 11) itemque ad alteram: *tu es Sacerdos in æternum secundum Ordinem Melchisedech*. (*Psal.* 109, 4) Jam in oleo, Christi gratiæ unctionem, in thure, efficaciam ejus orationis, in incensis aromatibus, suavissimi odoris fragrantiam, qua sola placari Deus poterat, recognoscimus. Uno verbo, vetera sacrificia, eorumque ritus ac circumstantias fideliter meditanti, Christus ubique occurret, quem sibi Deus unice ab initio temporum proposuerat, & ad quem obtinendum, viam legales cæremoniæ certissimam instruebant.

De his generatim admonuisse sufficiat. Nam si

si singula luberet pro merito explicare, dicendi finem non faceremus. (1) Jam ut ad propositum disputatio revertatur, sit

QUÆSTIO TERTIA.

Utrum Christus in Ara Crucis verum Æterno Patri obtulerit sacrificium.

NON hæret fides Christiana, & affirmantet sine cunctatione respondet, Christum, quando cruci affixus est, magnum illud & præcipuum Æterno Patri sacrificium obtulisse, unde veterum adimpletio figurarum, Dei placatio, salus hominum, principis tenebrarum exterminatio, mortis triumphus, & cœli apertio dependebant. Veritate hac tota Religio velut cardine volvitur, qua sublata nec incarnationi verbi, nec vero Dei cultui, nec confractæ naturæ reparationi superest locus: nutatque & corruit Scripturarum auctoritas, quæ Christum verum Sacerdotem fuisse, neque aliter quam se ipsum in victimam offerendo Sacerdotio esse functum ubique clamat: *Christus dilexit nos*, ait S. Paulus, (*Ephes.* 5, 2) *& tradidit semetipsum pro nobis, oblationem & hostiam Deo in odorem suavitatis ... habemus Pontificem Magnum, qui penetravit cœlos, Jesum Filium Dei*: (*Hebr.* 4, 14) ... *semel oblatus est, ad multorum exhaurienda peccata*: (*Ib.* 9, 28) ... *ingrediens mundum dicit: hostiam & oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi: holocautomata pro peccato non tibi placuerunt. Tunc dixi, ecce venio: in capite libri scriptum est de me, ut faciam Deus voluntatem tuam ... omnis quidem sacerdos præsto est quotidie ministrans, & easdem sæpe offerens hostias, quæ numquam possunt auferre peccata: hic autem unam pro peccatis offerens hostiam, in sempiternum sedet in dextera Dei ... una enim oblatione consumavit in sempiternum sanctificatos*: (*Ib.* 10, 5, *& seqq.*) quibus testimoniis correspondent oracula Prophetarum, de sacrificio Christi, tamquam de re præsenti sæpe loquentium: *ego quasi agnus mansuetus*, ait de se ipso loquens, (*Jer.* 11, 19) *qui portatur ad victimam ... oblatus est*, inquit Isaias, (53, 3) *quia ipse voluit, & non aperuit os suum: sicut ovis ad occisionem ducetur &c.*

Deinde. Mysterio crucis superius tradita sacrificii proprie dicti definitio convenit: est enim oblatio externa soli Deo facta, quia in recognitionem supremi eius Dominii, a legitimo ministro, res aliqua sensibilis & permanens, ritu mystico consecratur & mutatur; atqui hæ omnes conditiones in Christi mortem optime quadrant, ut attendenti patebit. Ergo &c.

Præterea. Verum sacrificium est, quo omnes veterum victimarum figuræ implentur; atqui Christus morte sua victimarum veterum figuras omnes implevit.

1. Enim verum ibi holocaustum agnoscimus, quia totum se quantus quantus erat, æterno Patri sine divisione consecravit, nec ullam in hoc tam prodigiosi amoris sacrificio fecit sui exceptionem, prout ipse ore Prophetæ testatur: *sacrificium & oblationem noluisti ... holocaustum & pro peccato non postulasti. Tunc dixi, ecce venio: in capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam.*

2. Mors Christi hostia pacifica fuit, per quam Æterno Patri propter ante collata beneficia grates persolvit, & omnia hominibus in posterum bona procuravit: ecquæ enim quæso poterat hostia magis esse placabilis, & Deo acceptior ea quam ille ipse & de se ipso obtulit. *Qui cum in forma Dei esset, nec rapinam arbitraretur esse æqualem Deo, semetipsum exinanivit formam servi accipiens .... & humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis?* (*Philip.* 2, 6, *& seq.*) Deo magis placere quis poterat, quam ille de quo ipse dixerat? (*Matt.* 17, 5) *hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*? cui magis congruebat Deo gratias agere, & par pari referre, quam illi *qui veritatis & gratiæ plenus erat*? (2 *Cor. c.* 14) quæ denique ad omne hominibus bonum impetrandum victima, satis potens & efficax esse poterat, nisi quæ infiniti pretii erat, quippe Deo per unionem Hypostaticam intime juncta?

3. Christus e Cruce pendens fuit vere sacrificium pro peccato. *Deus erat in Christo*, ait Apostolus, (2 *Cor.* 5, 19.) *mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum* ... (*Hebr.* 9, 13, *& seq.*) *si enim sanguis hircorum & vitulorum, & cinis vitulæ aspersus, inquinatos sanctificat ad emundationem carnis: quanto magis Sanguis Christi, qui per Sp. Sanctum, semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi? & ideo novi Testamenti mediator est, ut morte intercedente, in redemptionem earum prævaricationum, quæ erant sub priori Testamento, repromissionem accipiant qui vocati sunt æternæ hæreditatis?* Ergo &c.

Ob-

(1) *Si quis de hoc argumento plura scire desiderat, consulat S. Th. p.* 2, *qu.* 100, 101, *&* 102, *ubi fusissime illud pertractat.*

Objectiones.

Obj. Verum sacrificium esse non potest, quod nequit placare Deum, quoque magis ei irrogatur injuria, quam honor deferatur; atqui Christi mors atroci Deum affecit injuria, nedum honorem detulerit, eaque de causa placare eum non potuit: absurdum namque est, credere Deum patrem reconciliatum humano generi eo facto, quo magis debuit ira ejus accendi, & furor exacerbari. Porro nihil magis poterat ejus iracundiam provocare, quam mors innocentissimo filio suo a Judæis & Gentilibus summa immanitate illata. Ergo &c.

R. concessa maj. dist. min. Mors Christi Deo magis injuriam intulit, quam honorem, adeoque nec placare eum potuit, quatenus injuste a Judæis, & per summum nefas inflicta, concedo; quatenus a Christo voluntarie tolerata, nego min. & conseq. *dicendum*, inquit S. Thomas (3 *p. q.* 22, *art.* 2, *ad* 2) *quod hominis Christi occisio potest ad duplicem voluntatem comparari: uno modo ad voluntatem occidentium: & sic non habet rationem hostiæ: non enim dicuntur occisores Christi, hostiam Deo obtulisse, sed graviter deliquisse ... alio modo potest considerari per comparationem ad voluntatem patientis, qui voluntarie se obtulit passioni: & ex hac parte habet rationem hostiæ*. Ita S. Doctor: dicimus itaque passionem Christi habita voluntatis ejus summæque caritatis ratione, tum Deo honorificentissimam, tum ad eum placandum plusquam sufficientem fuisse; plus enim ei placuit amor patientis, quam displicuit iniquitas occidentium. Vide *S. Bernardum*, Ep. 190 ad *Innocent. II* Sum. Pontificem contra Petri *Abaelardi* errores.

Inst. 1. Atqui passio Christi, etiam quatenus ab illo voluntarie tolerata, sacrificium verum non fuit. Ergo &c. prob. subs. Sacrificium novæ Legis dici non potest, id quod in veteri, nulla figura præcessit; atqui humanam Christi carnem aliquando in sacrificium immolandam, nulla in Testamento veteri figura prænuntiavit: quin e contrario hujusmodi sacrificia, nefanda & execrabilia habebantur; *effunderunt Sanguinem innocentem*, ait Propheta, (*Ps.* 105, 38, & *seq.*) *Sanguinem Filiorum suorum, & filiarum suarum, quas sacrificaverunt sculptilibus Chanaan: & infecta est terra in sanguinibus: & contaminata est in operibus eorum ... & iratus est furore Dominus in populum suum, & abominatus est hæreditatem suam*. Ergo &c.

R. nego subs. ad probationem, concessa majore, nego minorem. Nam

1. Magnum illud sacrificium, etiam in humana carne præcessit immolatio *Isaac*, quæ licet vetante Deo completa non fuerit, vera tamen in præparatione animi, ut prædiximus, (*qu.* 2, §. 2) mactatio fuit.

2. Præcesserunt victimæ omnes quas justi sive in lege naturæ, sive in Mosaica obtulerunt; nec obstat quod de pecoribus aut volucribus hæc sacrificia fierent; *licet enim veritas*, inquit Sanct. Thomas, (3 *p. q.* 48, *art.* 3, *ad* 1) *respondeat figuræ quantum ad aliquid; non tamen quantum ad omnia: quia oportet quod veritas figuram excedat: & ideo convenienter figura hujus sacrificii, quo caro Christi offertur pro nobis, fuit caro non hominum, sed aliorum animalium significantium carnem Christi, quæ est perfectissimum sacrificium: quid enim*, ait S. Aug. (*lib.* 4 *de Trinit. c.* 14) *tam congruenter ab hominibus sumeretur, quod pro eis offerretur, quam humana caro? & quid tam aptum huic immolationi, quam caro mortalis? & quid tam mundum pro mundandis vitiis mortalium, quam sine contagione carnalis concupiscentiæ, caro nata in utero & ex utero Virginali? & quid tam grate offerri & suscipi posset, quam caro sacrificii nostri, corpus effectum Sacerdotis nostri?*

Ad auctoritatem ex Ps. 105, in objectione adductam patet ex antedictis responsio: fatemur enim ut ante hac passionem Christi, habita ratione malitiæ Judæorum, Deo abominandam fuisse. Deinde quantum differant sacrificia nefanda de quibus hic Propheta loquitur, a sacrificio Christi voluntarie mortem atrocissimam patientis, quoniam facile intelligitur, explicatione non eget.

Inst. 2. Non potest idem esse Sacerdos & victima; cum itaque Christus Sacerdos sit in æternum, victima esse non potuit; adeoque mors ejus sacrificium verum non fuit.

R. Nego ant. Non enim hæc duo inter se pugnant, quod offerat aliquis sacrificium, & quod offerat se ipsum, & de se ipso. Sane in internis sacrificiis idem est minister & hostia, quod nemo negat: quidni pariter & in externo hoc ipsum contingere poterit? quid vero ratiocinio opus est, quando ex fide de Scriptura constat, hæc duo in se Christum mirabiliter conjunxisse? *Christus dilexit nos*, ait Apostolus, (*Ephes.* 5, 2) & *tradidit semetipsum oblationem, & hostiam Deo, in odorem suavitatis*: cujus loci similia sunt innumera utriusque testamenti oracula.

Inst. 3. Saltem nemo potest esse offerens, & cui offertur, quia nemo potest sibi ipsi sacrificare; atqui Christo quippe Deo, omnia vera sacrificia offeruntur; ergo sacrificium esse ipse, mortem tolerando, non potuit.

R. dist. Nemo potest esse offerens, & cui offer-

offertur, si unius naturæ sit, concedo; si habeat naturas diversas, quarum una sacrificium esse possit, altera sumere, nego maj. & concessa ad hunc sensum minore, nego conseq.

E. ℞. Verum sacrificium soli Deo fieri debet, ut ex ejus definitione liquet; potest autem de eo omni, quod Deo minus est, fieri, atque adeo de natura ipsa humana. Cum itaque in ineffabili incarnationis mysterio, utraque in unam personam, divina & humana natura conjuncta sit, potuit Deus-homo Christus, idem esse ratione humanæ naturæ, offerens, & ratione Divinæ, cui sacrificium offerretur; *verus ille mediator*, ait S. Augustinus, (*de Civit. Dei lib.* 10, *c.* 20) *in quantum formam Dei accipiens, mediator effectus est Dei & hominum, homo Christus Jesus, cum in forma Dei Sacrificium cum Patre sumat, cum quo & unus Deus est; tamen in forma servi, sacrificium maluit esse, quam sumere: ne vel hac occasione quisquam existimaret, cuilibet sacrificandum esse creaturæ. Per hoc & Sacerdos est, ipse offerens, ipse & oblatio: cujus rei Sacramentum quotidianum esse voluit Ecclesiæ sacrificium, cum ipsius corporis ipse sit caput, & ipsius capitis ipse sit corpus, tam ipsa per ipsum, quam ipse per ipsam suetus offerri: hujus veri sacrificii multiplicia variaque signa erant, sacrificia prisca Sanctorum, cum hoc unum per multa figuraretur, tamquam verbis multis res una diceretur, ut sine fastidio multum commendaretur: hic summo veroque sacrificio, cuncta sacrificia falsa cesserunt.*

Inst. 4. Ubi verum sacrificium est, debet hostia Deo consecrari & sanctificari, ut nimirum Sanctum Sanctorum sit Domino; atqui humanitas Christi, quando mortem perpessus est, sanctificari non potuit, quippe ab ipso primo incarnationis instanti Deo sanctificata & consecrata. Ergo verum sacrificium mors ejus esse non potuit.

℞. Concessa maj. dist. min. Humanitas Christi patientis sanctificari Deo non potuit, quantum ad rem, conc. quantum ad modum & actum, n. min. & conseq. Ita S. Thomas, *dicendum*, inquit, (3 *p. q.* 22, *art.* 2, *ad* 3.) *quod sanctitas humanitatis Christi a principio, non impedit quin ipsa humana natura, cum in passione oblata est Deo, sanctificata novo modo fuerit, scilicet ut hostia actualiter tunc exhibita: acquisivit enim actualem hostiæ sanctificationem tunc ex antiqua caritate, & gratia unionis sanctificante eamdem absolute.*

Ponitur & resolvitur quæstio quædam.

Q. Utrum præter externam sui corporis oblationem Christus internum Deo obtulerit sacrificium?

℞. Affirmative. In hoc enim sacrificium internum consistit, quod creatura rationalis intime Deo inhæreat, ejusque in omnibus voluntati per amorem subjecta sit; atqui Christus ab ipso incarnationis exordio, non hærere Deo, ejusque non implere in omnibus voluntatem non potuit: neque ullam sui ipsius Deo in holocaustum tradendi moram fecit: sed *ingrediens mundum: hostiam*, inquit, (*Hebr.* 10, 5, & *seqq.*) *& oblationem noluisti: corpus autem aptasti mihi: holocautomata pro peccato non tibi placuerunt: tunc dixi: ecce venio: in capite libri scriptum est de me: ut faciam Deus voluntatem tuam.* Hinc toto visibilis ministerii decursu nihil antiquius habuit, quam ut e nutu Patris penderet, seque in omnibus obsequentem supremæ ejus voluntati præberet? *meus cibus est*, inquiebat (*Joann.* 4, 34) *ut faciam voluntatem ejus, qui misit me, ut perficiam opus ejus* . . . (*ib.* 6, 30) *non quæro voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me* (*ib.* 6, 38) ... *descendi de cœlo non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me.* Nec a proposito potuit, instante atrocissimæ mortis supplicio, amoveri. *Pater*, ajebat positis genibus orando, (*Luc.* 22, 42) *si vis, transfer calicem istum a me: veruntamen non mea voluntas, sed tua fiat ... non sicut ego volo, sed sicut tu* (*Matt.* 26, 39). Ergo &c.

Deinde. Christus, *eo quod maneat in æternum*, (*Hebr.* 7, 24) *sempiternum habet Sacerdotium.* Ergo in æternum Deo hostiam offeret, sine qua sacerdos ne intelligitur quidem; atqui hostia illa exterior & cruenta non erit, quam semel offerri oportuit: superest ergo ut interno & spirituali sacrificio impleatur. Id quod Apostolus ib. diserte docet: *sempiternum habet sacerdotium: unde*, ait, (*ib. v.* 25) *& salvare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum, semper vivens ad interpellandum pro nobis ... unam pro peccatis offerens hostiam, in sempiternum sedet in Dextera Dei* (*ib.* 10, 12). Atque hoc ipsum Joanni est revelatum: *vidi*, inquit, (*Apoc.* 5, 6) *& ecce in medio Throni & quatuor animalium, & in medio seniorum, agnum stantem tamquam occisum &c.* Ergo non solum cum mortaliter viveret, internum Christus Deo sacrificium obtulit, sed in æternum est oblaturus: immo hoc erit Beatæ Æternitatis præcipuum atque unicum exercitium, *quod tota ipsa redempta civitas*, inquit S. Aug. (*de Civit. l.* 10, *c.* 6) *hoc est congregatio societasque Sanctorum, universale sacrificium offeratur Deo per Sacerdotem magnum, qui etiam se ipsum obtulit in passione pro nobis, ut tanti capi-*

pitis corpus essemus secundum formam servi.

Præterea. Non nisi impie crederetur, Christum id quod imperfectius est, perfectiori posthabito obtulisse; atqui sacrificium invisibile & internum, visibili longe perfectius est; nec aliter placere istud Deo potest, nisi quatenus est cum illo conjunctum. *Sacrificium enim visibile*, ait S. Augustinus, (*ib. c. 5.*) *invisibilis Sacrificii Sacramentum, id est sacrum signum est.* Ergo ita necessarium fuit a Christo sacrificium internum offerri, ut aliter placere æterno Patri sacrificium externum corporis ejus non potuerit.

Denique. Christus id in quo veræ Religionis summa consistit, dubio procul implevit; atqui in interno & spirituali sacrificio Religionis summa Christo ipso Doctore, consistit: *venit hora & nunc est*, inquit, (*Joann. 4, 23, & seqq.*) *quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate. Nam & pater tales quærit, qui adorent eum. Spiritus est Deus: & eos qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare.* Ergo &c.

QUÆSTIO QUARTA.

Utrum Eucharistia habeat veri sacrificii rationem?

De incruento Eucharistiæ sacrificio (quæ propria hujus libri materia est) deinceps dicturi sumus: ac primum quidem occurrit præcipua quæstio, utrum quas exposuimus sacrificii proprie dicti conditiones, huic Sacramento valeant vindicari? Prorsus negarunt sæculo decimo sexto *Lutherus*, *Zuinglius*, *Calvinus*, eorumque sectatores.

Lutherus quidem Romanæ Ecclesiæ & antiquæ fidei hostis infensissimus, temperare sibi ab Eucharistico sacrificio labefactando non potuit: in formula enim missæ, quam pro Ecclesia *Wittemburgensi* descripsit, (*anno 1523.*) de ea parte liturgiæ quam majores nostri Missam fidelium appellaverunt, sic loquitur: *Sequitur*, (post Evangelii & Apostolici symboli recitationem) *tota illa abominatio, cui servire coactum est, quidquid in missa præcessit: unde & offertorium vocatur: & ab hinc fere omnia sonant & olent oblationes .... proinde omnibus illis repudiatis, quæ oblationes sonant, cum universo canone, retineamus quæ pura & sancta sunt.*

Nec multo post (*anno 1528.*) fidei confessionem edidit, in qua affirmat, *se supra omnes abominationes habere missam, & nihil magis dolere, quam quod per annos quindecim missas celebraverit more Catholicorum.* Idemque alibi sæpe homo supra omne exemplum impudens non erubuit affirmare.

Zuinglius, Helvetiis auctor fuit, ut Missam penitus abrogarent, tamquam sacrificio crucis injuriosam.

Quod istis *Zuinglius*, idem *Calvinus* Genevensibus persuasit, & a ritu Sacramentorum penitus oblationis nomen delevit, ut antiqui sacrificii minimum vestigium superesset.

Henricus VIII Anglorum Rex, cum ab Ecclesia Romana & Catholica defecisset, in multis quidem antiquam fidem & disciplinam corrupit, intactam tamen liturgiam voluit, tantumque Sum. Pontificis nomen, & S. Thomæ Cantuariensis, nonnullorumque aliorum memoriam, ex libris missalibus, odio eorum expungi. Regnante vero post illum *Eduardo VI*, & in pejus proficiente errore, omnino abrogata vetus liturgia est: ac postmodum in generalibus Angliæ comitiis, (*anno 1549.*) declaratum, Eucharistiam, Sacramentum quidem, non vero sacrificium esse. Contra illos sit

CONCLUSIO.

Eucharistia est verum ac proprium legis Evangelicæ sacrificium.

Fidei dogma hoc est, in Concilio Tri. denuo contra novas hæreses confirmatum: *Quoniam*, inquiunt Patres, (*sess. 22, c. 1.*) *sub priori Testamento teste Apostolo Paulo, propter Levitici Sacerdotii imbecillitatem consummatio non erat: oportuit Deo Patre misericordiarum ita ordinante, Sacerdotem alium secundum ordinem Melchisedech surgere Dominum nostrum Jesum Christum, qui posset omnes quicumque sanctificandi essent, consummare & ad perfectum adducere: is igitur Deus & Dominus noster etsi semel ipsum in ara crucis, morte intercedente, Deo Patri oblaturus erat, ut æternam illic redemptionem operaretur, quia tamen per mortem Sacerdotium ejus extinguendum non erat, in cœna novissima, qua nocte tradebatur, ut dilectæ sponsæ suæ Ecclesiæ, visibile, sicut hominum natura exigit, relinqueret sacrificium, quo cruentum illud semel in cruce peragendum repræsentaretur, ejusque memoria in finem usque sæculi permaneret, atque illius salutaris virtus in remissionem eorum quæ a nobis quotidie committuntur peccatorum applicaretur, Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech se in æternum constitutum declarans, corpus & sanguinem suum, sub speciebus panis & vini Deo Patri obtulit: ac sub earumdem rerum symbolis, Apostolis, quos tunc novi Testamenti Sacerdotes constituebat, ut sumerent tradidit,*

dit, *&* *eisdem*, *eorumque in Sacerdotio successoribus*, *ut offerrent præcepit*, *per hæc verba*; Hoc facite in meam commemorationem : *uti semper Catholica Ecclesia intellexit*.

Et ib. (*canonib.* 1, 2 *&* 4) *Si quis dixerit*, *in Missa non offerri Deo verum & proprium sacrificium : aut quod offerri non sit aliud*, *quam nobis Christum ad manducandum dari*: *anathema sit* . . . . *Si quis dixerit illis verbis*; Hoc facite in meam commemorationem : *Christum non instituisse Apostolos Sacerdotes*, *aut non ordinasse*, *ut ipsi aliique Sacerdotes offerrent corpus & sanguinem suum : anathema sit*. . . . . *Si quis dixerit*, *blasphemiam irrogari Sanctissimo Christi Sacrificio in cruce peracto*, *per Missæ Sacrificium*, *aut illi per hoc derogari : anathema sit*.

CAPUT PRIMUM.

Catholica veritas Scripturarum auctoritate defenditur.

AD divini præsidium dogmatis utrumque pariter testamentum concurrit. De quo ut sigillatim dicamus, sit

§. PRIMUS.

Afferuntur veteris Testamenti oracula.

PROBATIO PRIMA.

Ex Sacerdotio Christi.

In veteri Testamento prædictum est, Christum futurum Sacerdotem, secundum ordinem Melchisedech: *Juravit Dominus*, inquit Propheta, (*Ps.* 109, 5) *& non pœnitebit eum*: *tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*. Hoc enim de Christo Deo homine esse dictum testatur Apostolus : *Christus*, inquit, (*Hebr.* 5, 5 *& seq.*) *non semetipsum clarificavit*, *ut Pontifex fieret*: *sed qui locutus est ad eum*: *filius meus es tu*, *ego hodie genui te*: *quemadmodum & in alio loco dicit*: *tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech* : Igitur hoc ipsum sacrificium quod olim a Melchisedech Rege & Sacerdote adumbratum fuerat, a Christo impleri oportuit: jam sic subsumo; atqui sacrificium Melchisedech solam Eucharistiam poterat in figura significare, cujus plenum typum gerebat : de illo enim sic legitur: (*Gen.* 14, 18) *at vero Melchisedech Rex Salem proferens panem & vinum* (*erat enim Sacerdos Dei Altissimi*) *benedixit ei*, *& ait*: *benedictus Abraham* &c. de Christo vero figura implente : *Accepit Jesus panem*, inquit S. Evangelista, (*Matth.* 26, 26) *& benedixit*, *ac fregit*, *deditque discipulis suis*, *& ait*: *accipite*, *& comedite*: *hoc est corpus meum*: *& accipiens calicem gratias egit*, *& dedit illis dicens*: *bibite ex hoc omnes*: *hic est enim sanguis meus novi Testamenti*: *qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum*. Ergo Eucharistiæ veri sacrificii rationem convenire, Sacerdotium Christi demonstrat.

Præcluditur Hæreticorum effugium.

Ab hoc argumento ut se expediant adversarii, reponunt panem & vinum a *Melchisedech*, non ad sacrificium offerendum, sed in alimentum *Abrahæ* & militum ejus a prœlio redeuntium fuisse prolata; adeoque nihil inde pro Eucharistico sacrificio elici posse: verum responsione hac manifestum faciunt, quam inepti sint interpetres scripturarum. Nam

1. Non modo de Melchisedech dicitur, quod panem & vinum protulerit, sed & causa additur proferendi: *Erat enim*, inquit, *Sacerdos Dei Altissimi*; atqui si ad merum urbanitatis officium prolata hæc a Rege Salem fuissent, superflua hæc clausula foret, imo sensum absurdum haberet, nec enim opus est esse Sacerdotem qui proximo in temporalibus subvenit ; ergo scripturæ verbis significatur, factum hoc esse ad sacrificium pacificum Deo offerendum, in gratiarum actionem pro victoria ab Abraham & ejus exercitu reportata: unde ibidem additur: *Benedixit ei*, *& ait*: *benedictus Abraham Deo excelso*, *qui creavit cœlum & terram*, *& benedictus Deus excelsus*, *quo protegente*, *hostes in manibus tuis sunt*.

2. Nihil causæ erat, cur Abraham, & ejus militibus panis & vinum ad remedium inediæ a Rege Melchisedech præberentur: redierant enim e prœlio ingenti præda onusti, iisque rebus locupletati quæ ad victum pertinent : ibidem enim (*v.* 16) dicitur quod *Abraham* devictis dissipatisque hostibus, reduxit omnem substantiam, qua spoliati Reges ei fœderati fuerant: porro in hac substantia etiam res ad victum necessariæ continebantur: *Tulerunt autem*, inquit auctor Sacer, (*ib.* 11) *omnem substantiam Sodomorum & Gomorræ*, *& universa quæ ad cibum pertinent*, *& abierunt*. Hocque ipsum confirmat Abrahæ ad Regem Sodomorum responsio : *Da mihi*, inquiebat iste, (*ib.* 21, *& seq.*) *Animas*, *cætera tolle tibi*; cui Abraham: *Levo*, ait, *manum meam ad Dominum Deum excelsum possessorem cœli & terræ*, *quod* . . . . *non accipiam ex omnibus quæ tua sunt* . . . . . . *exceptis his quæ come-*

comederunt juvenes: nihil ergo causæ erat cur victus subsidium aliunde emendicarent.

3. Quam vanum ac futile sit Hæreticorum effugium, quod in eodem *Gen.* loco legitur manifesto declarat; ubi dicitur quod occurrenti sibi *Melchisedech* decimas Abraham obtulerit: *Dedit ei*, inquit, (*ib. v.* 20) *decimas ex omnibus*: pro vero itaque Altissimi Sacerdote ab Abrahamo habitus est, quia decimę nonnisi Sacerdotibus solvebantur: hinc Apostolus in Ep. ad Hebræos: *De filiis Levi Sacerdotium accipientes*, inquit, (*Hebr.* 7, 5 *& seq.*) *mandatum habent decimas sumere a populo secundum legem, idest a fratribus suis.... cujus autem generatio non annumeratur in eis, decimas sumpsit ab Abraham*: unde porro nisi ab officio pro Sacerdote agnitus est, quanto scilicet vidit illum Abraham panem, & vinum, quia erat Sacerdos Altissimi, proferentem, sibique ejusdem Sacerdotii jure benedicentem? vim ergo sacro textui faciunt Lutherani, quando ejus verba ad meram temporalis subsidii significationem intorquent.

Inst. at, inquiunt, totus est S. Paulus in Ep. ad Hebræos, ut probet *Melchisedech* figuram fuisse Christi: de sacrificio autem ejus, quod Eucharistiæ typum gesserit, nec verbum mutit; ergo ex Apostolo neque prolatio panis & vini facta a Melchisedech, neque Eucharistia sacrificium dici potest.

℟. Concesso ant., n. conseq. hoc enim unum sibi in hac Ep. proponit Apostolus, non ut sacrificium cum sacrificio, sed ut personam Christi Sacerdotis cum Sacerdote Melchisedech conferat; atque ut ostendat Sacerdotium Melchisedech fuisse Aaronico excellentius: unde infert Christum, secundum ordinem Melchisedech, non vero secundum ordinem Aaron, Sacerdotem dici debuisse: hoc autem probat 1 ex ipso nomine: *Melchisedech enim*, inquit, (*Hebr.* 7) *interpretatur, Rex justitiæ*: 2 quia quo Patre quave Matre *Melchisedech* genitus fuerit scriptura silet, *sine Patre, sine Matre, sine genealogia*. (*ib. v.* 3) Quæ duo in Christum mirifice conveniunt: 3 Quia Melchisedech, Abraham, & in ejus persona universam ejus familiam, adeoque ipsum Aaron benedixit: (*ib. v.* 6) unde sequitur quod major eo fuerit: *Sine ulla enim contradictione*, ait, (*ib. v.* 7) *quod minus est, a meliore benedicitur*: 4 quia Abraham Melchisedech decimas solvens, eum se superiorem agnovit, unde pariter sequitur quod illo minor Aaron fuerit: *Per Abraham enim*, ait ib. (*v.* 9) *& Levi, qui decimas accepit, decimatus est*: quid itaque mirum si de Sacrificio Melchisedech, cum ad ejus scopum nihil faceret, S. Apostolus omnino siluerit? sed non ideo quia siluit, negasse putandus est: namque quæ de Melchisedech dicenda supererant, consulto se prætermittere, in hac ipsa Ep. contestatur: *De quo*, inquit, (*ib. c.* 5, *v.* 11) *nobis grandis sermo, & interpretabilis ad dicendum, quoniam imbecilles facti estis ad audiendum*.

Frustra itaque præsumptionem suam Apostoli silentio tueri hæretici moliuntur, præsertim accedente traditione, quæ optima scripturæ interpres est, nec minoris auctoritatis: Patres enim ad unum omnes in prolatione panis & vini quæ a Melchisedech facta in scriptura narratur, verum sacrificium, veramque sacrificii Eucharistici figuram intellexerunt.

Sic S. Cyprianus: *In Sacerdote Melchisedech*, inquit, (*Ep.* 63 *ad Cæcil.*) *Sacrificii Dominici Sacramentum præfiguratum videmus, secundum quod scriptura divina testatur & dicit: & Melchisedech Rex Salem protulit panem & vinum: fuit autem Sacerdos Dei summi, & benedixit Abraham: quod autem Melchisedech typum Christi portaret, declarat in Psalmis Sp. Sanctus, ex persona Patris ad Filium dicens: ante Luciferum genui te, tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech: qui ordo utique hic est, de sacrificio illo veniens, & inde descendens, quod Melchisedech Sacerdos Dei summi fuit, quod panem & vinum obtulit, quod Abraham benedixit: nam quis magis Sacerdos Dei summi, quam Dominus noster Jesus Christus, qui sacrificium Deo Patri obtulit, & obtulit hoc idem quod Melchisedech obtulerat, idest panem & vinum, suum scilicet corpus & sanguinem?.... ut ergo in Gen. per Melchisedech Sacerdotem benedictio circa Abraham posset rite celebrari, præcedit ante imago sacrificii Christi, in pane & vino scilicet constituta: quam rem perficiens & adimplens Dominus, panem & calicem mixtum vino obtulit, & qui est plenitudo, veritatem præfiguratæ imaginis adimplevit*.

S. Aug. enarrans quid a Melchisedech actum fuerit: *Ibi*, inquit, (*de civit. lib.* 16, *cap.* 22) *Primum apparuit sacrificium, quod nunc a Christianis offertur Deo toto orbe terrarum, impleturque illud quod longe post hoc factum, per Prophetam dicitur ad Christum qui fuerat venturus in carne: tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech: non scilicet secundum ordinem Aaron, qui ordo fuerat auferendus, illucescentibus rebus, quæ illis umbris prænotabantur*. (*v. ib. lib.* 17, *c.* 20, *& lib.* 8, *c.* 35)

Idemque alibi verbis minime obscuris significans: *Dominus noster Jesus Christus*, ait, (*lib.* 83, *quæq.* 61) *ostenditur rex noster; ipse est*

est etiam Sacerdos noster in æternum, secundum ordinem Melchisedech, qui seipsum obtulit holocaustum pro peccatis nostris, & ejus sacrificii similitudinem celebrandam in suæ passionis memoriam commendavit: ut illud quod Melchisedech obtulit Deo, jam per totum orbem terrarum in Christi Ecclesia videamus offerri.... noverunt, (lib. 1, cont. advers. legis & Proph. c. 20) qui legunt quid protulerit Melchisedech, quando benedixit Abraham: et si jam sunt participes ejus, vident tale sacrificium nunc offerri Deo toto orbe terrarum.

S. Hieronymus: *Recurre*, ait, (*in Ep. ad Marcellam*) *ad Genesim, & Melchisedech Regem Salem hujus principem invenies civitatis, quæ jam tunc in typo Christi panem & vinum obtulit, & mysterium Christianorum in Salvatoris sanguine & corpore dedicavit.*

Eademque aliorum, peneque omnium, ut prædiximus sententia fuit, quod qui probare experimento voluerit, adeat ipseque suis oculis legat

Eusebium l. 5 Demonstr. Evangelicæ cap. 3.

S. Clementem Alexandr. l. 4 stromat. versus finem.

S. Ambrosium l. 4 de Sacramentis c. 3, & 7, & l. de initiandis c. 9.

S. Epiphanium hæresi 55.

S. Joannem Chrysost. orat. 4 contra Judæos. *Theodoretum* in Ps. 109.

S. Joannem Damas. ortodoxæ fidei lib. 4, cap. 14.

Et alios denique omnes qui prædictos Genesis & Psalmi versiculos vel ex professo tractarunt, vel obiter tetigerunt: ad quorum mentem Trid. synodus verbis supra relatis definiit, *quod Christum in cœna novissima, Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech se in æternum constitutum esse declarans, corpus & sanguinem suum sub speciebus panis & vini obtulerit.*

Falso itaque & contra Verbi Dei tum scripti; tum traditi sensum Lutherani & Calvinistæ affirmant, ideo a Melchisedech panem & vinum esse prolata, non ut rem sacram faceret, sed ut Abrahæ ejusque militibus e prælio, parta victoria redeuntibus, necessarium commeatum suppeditaret.

PROBATIO SECUNDA.

Ex celebri Malachiæ Prophetia.

Argumentum 2 petitur ex Malachia, cujus hæc sunt verba: (*Malac.* 1, 10 *& seq.*) *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, & munus non suscipiam de manu vestra: ab ortu enim solis usque ad occasum magnum nomen meum in gentibus: & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum.* Hinc sic probatio informatur.

Eo loci tria aperte prænunciantur.

1. Est, legis antiquæ & veterum victimarum abrogatio.

2. Novi cujusdam longe excellentioris ac sanctioris sacrificii institutio.

3. Ejusdem sacrificii per orbem universum oblatio. Atqui non possunt ista, nisi de Eucharistia intelligi.

1. Quidem cruentum crucis sacrificium significare non possunt, quod non in omni loco, sed in sola Urbe Hierosolymitana erat offerendum.

2. Nequeunt proprio cuidam sacrificio Hebræorum accommodari: tum quia ejus oblatio ubique terrarum facienda, & omnibus gentibus prædicitur celebranda: *Ab ortu solis*, inquit, *usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda:* Tum quia ab ejusdem immolatione sola omnium Hebraica gens, ad ultionem scelerum præcedentium, exclusa significatur: *Non est mihi*, ait Deus, *voluntas in vobis, & munus non suscipiam de manu vestra.*

3. Nec magis possumus prophetiam hanc de votis, ac precibus, cæterisque Religionis officiis explicare, quæ interdum in scripturis sacrificia appellari non diffitemur: Tum quia scriptura nomen sacrificii non usurpat absolute, ad sacrificium late sumptum significandum: sed cum addito: ut cum dicitur: *Sacrificium laudis, sacrificium justitiæ, hostia vociferationis* &c. tum quia Deus his verbis, *non suscipiam munus de manu vestra.... in omni loco offertur nomini meo oblatio munda*, novum aliquod Judaicis successurum sacrificium præmonstravit; atqui sacrificia spiritualia a Judæis, saltem qui intus in corde Judæi essent frequentata fuisse, citra dubium est. Tum quia *oblatio munda*, de qua ibi loquitur Deus, opponitur sacrificiis & muneribus Judæorum, quæ ei summopere displicebant; atqui sacrificia interna ab ipsis Judæis oblata, Deo exosa esse non poterant, cum in eis ut prædiximus Religionis summa consistat: debent ergo verba *Malachiæ*, de sacrificio quodam externo, adeoque de Eucharistia ipsa intelligi, quia non est aliud in testamento novo sacrificium externum, quod in omni loco ab ortu solis usque ad occasum offeratur præter oblationem Corporis & Sanguinis Christi, quam a se in suprema cœna peractam voluit in perpetuum

petuum ab Ecclesia in sui memoriam celebrari. *Malachias Prophetans Ecclesiam*, inquit S. Aug. (*lib. 18 de civit. cap. 35*) *quam per Christum jam cernimus propagatam, Judæis apertissime dicit ex persona Dei*: non est mihi voluntas in vobis &c. *hoc sacrificium per Sacerdotium Christi secundum ordinem Melchidech, cum in omni loco a solis ortu usque ad occasum Deo jam videamus offerri; sacrificium autem Judæorum, quibus dictum est: non est mihi voluntas in vobis, nec accipiam de manibus vestris munus, cessasse negare non possint: quid adhuc expectant alium Christum, cum hoc quod prophetatum legunt & impletum vident, impleri non potuerit, nisi per ipsum?*

PROBATIO TERTIA.

Ex aliis Prophetarum oraculis.

3. Occurrunt alia Prophetarum de hac re testimonia: sic in Isaia legimus, aliquando Ægyptios ad Deum convertendos, eique verum sacrificium oblaturos. *In die illa*, inquit, (*Isai. 19, 19, & seq.*) *erit altare Domini in medio terræ Ægypti, & titulus Domini juxta terminum ejus . . . & cognoscetur Dominus ab Ægypto, & cognoscent Ægyptii Dominum in die illa, & colent eum in hostiis & in muneribus: & vota vovebunt Domino & solvent . . .* idemque veterum sacrificiorum abrogationem, & Ecclesiæ Christi gloriam, miramque ejus in gignendis Deo Filiis fœcunditatem prænuncians: *Assumam*, inquit, (*ibid. cap. 66, v. 21*) *ex eis in Sacerdotes & Levitas, dicit Dominus.*

Quod ore Jeremiæ confirmans Deus: *Et de Sacerdotibus & de Levitis*, inquit, (*Jer. 33, 18 & seq.*) *non interibit vir a facie mea, qui offerat holocautomata, & incendat sacrificium . . . si irritum potest fieri pactum meum cum die, & pactum meum cum nocte, ut non sit dies & nox in tempore suo: & pactum meum irritum esse poterit cum David servo meo, ut non sit ex eo filius, qui regnet in throno ejus, & Levitæ & Sacerdotes ministri mei.* Hinc certum est

1. Novum aliquod sacrificium, rejectis veteribus esse prædictum: tunc enim instituendum prædicitur, quando creaverit Deus *cælos novos, & terram novam* (*Isai. 66, 22*).

2. Sacrificium illud exterius & proprie dictum esse futurum, tum quia opponitur carnalibus sacrificiis Judæorum, quæ abolere Deus decreverat: *Qui immolat bovem*, inquit, (*ib. v. 3*), *quasi qui interficit virum: qui mactat pecus, quasi qui excerberet canem: qui offert oblationem, quasi qui sanguinem suillum offerat* &c. tum quia publice & in loco patenti offerendum prænunciatur: *Erit*, inquit, (*ibid. 19, 19*) *altare Domini in medio terræ Ægypti, & titulus Domini juxta terminum ejus*: tum quia oblatio ejus non omnibus promiscue, sed Levitis & Sacerdotibus ad hoc ministerium destinatis est committenda: *Assumam ex iis in Sacerdotes & Levitas, dicit Dominus* (*ib. 66, 21*) . . . *erunt Levitæ & Sacerdotes ministri mei:* (*Jer. 33, 21*) porro sacrificia interna offerre omnibus sine discrimine convenit.

3. Sacrificium hoc ubique terrarum est offerendum: Ægyptus enim consueto scripturarum loquendi more typus est omnium gentium: deinde ad eos omnes hæc promissio pertinet quibus Salvator mittendus erat: *Clamabunt*, inquit, (*Isai. 19, 20*) *ad Dominum a facie tribulantis, & mittet eis Salvatorem & propugnatorem, qui liberet eos*. Est vero Christus Salvator omnium gentium: præterea hoc ipsum iis ipsis testimoniis sic expresse declarant ut probatione non egeat: postquam enim per Isaiam prædixit Deus novum sacrificium a Levitis novis, & novis Sacerdotibus offerendum, continuo subjicit: (*Isai. 66, 23*) *veniet omnis caro, ut adoret coram facie mea, dicit Dominus*. Jam sic absumo:

Atqui soli Eucharistiæ possunt ista attribui, quæ sola exterius ubique terrarum, abrogata lege veteri, a novis Sacerdotibus Deo offertur; ergo ex veteri Testamento constat, quod sola sit verum ac proprium Ecclesiæ sacrificium.

§. SECUNDUS.

Adducuntur novi Testamenti auctoritates.

Multoque hoc ipsum evidentius ex novo Testamento probatur, in quo, exorto jam Sole, & figurarum dissipata caligine, radios suos undique veritas sine umbrarum confusione diffundit.

PROBATIO PRIMA.

Ex institutione Eucharistiæ.

Et primo quidem palmarium est hujus dogmatis in institutione Eucharistiæ argumentum: rem sic enarrat S. Matthæus: (*Matt. 26, 26, & seq.*) *Cœnantibus autem eis, accepit Jesus panem, & benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, & ait, accipite, & comedite, hoc est corpus meum: & accipiens calicem gratias egit, & dedit illis, dicens: bibite ex hoc omnes: hic est enim sanguis meus novi Testamenti, qui pro multis effundetur in remis-*

remissionem peccatorum; Matthæo Marcus, & Lucas, & Paulus consentiunt: (*Marc.* 14, 22, *& seq. Luc.* 22, 19, *& seqq.* 1 *Cor.* 11, 23, *& seqq.*) Hinc sic argumentor:

Merum hoc tempore sacrificium a Christo esse oblatum negare non possumus: hinc enim omnia occurrunt quæ ad immolationem hostiæ pertinent, benedictio, actio gratiarum Deo largitori bonorum omnium facta, fractio & divisio partium, separatio sanguinis a corpore sin minus realis, saltem mystica, qualis ad verum sacrificium sine dubio sufficit, & denique participatio hostiæ, quæ maxime in sacrificiis pacificis locum habet: præterea Eucharistia instituta est, ut in locum veteris Paschatis substitueretur: *in hac mensa novi Regis, novum Pascha novæ legis* (ait in hymno Ecclesia) *Phase vetus terminat*: Deinde Eucharistiam eo tempore Christus instituit, quo novum Testamentum condebat: porro novum non secus ac vetus, ut docet Apostolus (*Hebr.* 9, 18, *& seq.*) sacrificio & sanguine dedicari oportuit; ita Eucharistia cum primum institueretur, vere sacrificium fuit; quod, si opus esset, multis confirmare in promptu esset. Jam sic subsumo:

Atqui quod a se factum fuerat voluit Christus in perpetuum ab Apostolis, eorumque successoribus observari: *Hoc facite*, inquit, (*Luc.* 22, 19, 1 *Cor.* 11, 24, *& seq.*) *in meam commemorationem*: quisquis ergo negat Eucharistiam esse sacrificium, Evangelio & Apostolo contradicit.

PROBATIO SECUNDA.

Ex actibus Apostolorum.

De ordinatione Pauli & Barnabæ in hoc libro sic legitur: (*Act.* 13, 2, *& seq.*) *Ministrantibus autem illis Domino, & jejunantibus, dixit illis Sp. Sanctus: segregate mihi Saulum & Barnabam in opus ad quod assumpsi eos*. Jam sic prosequor argumentum; atqui ministerium quo tunc fungebantur Apostoli, non aliud erat præter sacrificium Eucharisticum quod Domino offerebant. Nam

1. Verbo Græco, λειτουργεῖν, numquam usus est S. Lucas, nisi ad Sacrificium significandum, ut ex ejus Evangelio & actibus Apost. constat.

2. Ab adversariis quærimus, his vocibus: *Ministrantibus illis Domino*: quid tandem velint intelligendum? numquid prædicandi officium, cui tum temporis Apostoli operam darent? atqui si ita res est, ut quid observationem jejunii cum hujusmodi ministerio Lucas conjunxit? quasi vero nonnisi a jejunantibus possit prædicatio exerceri, numquid forte dicturi sunt, his verbis orationes esse significatas, quibus eo tempore vacarent Apostoli? atqui vox λειτουργεῖν nullibi orationes significat in scriptura: ex propria namque etymologia idem sonat, ac opus sacrum & publicum facere: igitur his vocibus Eucharisticum sacrificium S. Evangelista significavit: id quod Erasmus ipse agnovit, cujus patrocinio Lutherani & Calvinistæ sæpe gloriantur: græcum enim textum ita vertit: *Cum illi Domino sacrificarent*.

PROBATIO TERTIA.

Ex Apostolo.

Alterum occurrit testimonium ex Apostolo sic loquente: (1 *Cor.* 10, 14, *& seqq.*) *Fugite ab idolorum cultura: ut prudentibus loquor, vos ipsi judicate quod dico: calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Domini est? & panis quem frangimus, nonne participatio Corporis Domini est? quoniam unus panis, unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus: videte Israel secundum carnem; nonne qui edunt hostias, participes sunt altaris? quid ergo? dico quod idolis immolatum sit aliquid? aut quod idolum sit aliquid? sed quæ immolant gentes, dæmoniis immolant, & non Deo: nolo autem vos socios fieri dæmoniorum: non potestis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum, non potestis mensæ Domini participes esse: & mensæ dæmoniorum.*

Hinc multiplex enascitur argumentum.

1. Comparationem instituit Apostolus mensam inter Domini, & mensam Gentilium ac Judæorum; atqui per mensam Judæorum & Gentilium altare intelligit in quo victimæ mactabantur; ergo pariter per mensam Christi altare significat, in quo Christus æterno Patri in sacrificium immolatur.

2. Ex Apostolo, eo modo fideles Christi Corpus & mensam Domini accipiunt, quo Gentiles & Judæi e suis altaribus hostias sumebant; atqui hostiis illis communicabant, per sacrificium ante oblatis & consecratis; idem ergo faciunt Christiani; atque adeo vero & externo sacrificio in Eucharistia perfunguntur.

3. Confert Apostolus societatem fidelium cum Christo, societati Gentilium cum suis idolis: quemadmodum ergo Gentiles idololatriæ rei erant, eo quod idolorum profanis altaribus victimisque communicarent: ita e contrario Christiani oblationi Christi communicando, veram servitutem & latriam Deo exhibent: igitur a primo ad ultimum ex auctoritate scripturæ confici-

ficitur, Eucharistiam esse Ecclesiæ Christianæ sacrificium vere & proprie dictum.

§. TERTIUS.

Solvuntur objectiones.

Opponunt Heterodoxi: ex auctoritate scripturæ repugnat in lege gratiæ sacrificium aliquod externum esse. Ergo &c.

Probant ant. Verbis Christi ad mulierem Samaritanam: *Venit hora* (*Joan.* 4, 23) *& nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu & veritate: nam & Pater tales quærit, qui adorent eum: Spiritus est Deus, & eos qui adorant eum, in Spiritu & veritate oportet adorare*. Hinc sic intorquent argumentum.

In his Christi verbis, adorare, idem est ac sacrificare, quod nemo negat.

1. Enim sic loquitur Christus, respondens ad quæstionem sibi a Samaritana propositam: (*ib. v.* 20) *Patres nostri in monte hoc adoraverunt: & vos dicitis, quia Hierosolymis est locus ubi adorare oportet*. Porro Samaritanos inter & Judæos hæc erat causa dissidii, quo nimirum in loco essent sacrificia offerenda.

2. Quando in scripturis adorandi vox usurpatur & de cultu Dei agitur, de sacrificio plerumque debere intelligi notissimum est, quale est istud: (*Gen.* 22, 5) *Ego & puer postquam adoraverimus, revertemur ad vos*: itemque alterum; (*Act.* 8, 27) ubi de Eunucho dicitur, *quod venerat adorare in Hierusalem*: quorum similia passim occurrunt. Hinc sic subsumunt.

Atqui his verbis Christus declarat, veros adoratores in lege gratiæ debere in spiritu & veritate adorare: interna nimirum & spiritualia sacrificia offerendo; ergo ex scriptura repugnat legi gratiæ sacrificium externum.

℟. Nego ant. ad probat. admitto auctoritatem, & concessa maj. dist. min. veri adoratores debent in spiritu & veritate adorare, interna & spiritualia sacrificia offerendo: & hoc dictum est ad legis Evangelicæ commendationem & ad spiritualis sacrificii excellentiam prædicandam, conc. ad exclusionem absolutam sacrificii externi & proprie dicti, n. min. & conseq.

E. ℟. Spiritum & veritatem ubique Hæretici buccis inflatis deprædicant, qui si Spiritus Sanctus est, vix audierunt, & omnia proprio, hoc est mendacii spiritu metientes, adulterant omnem veritatem: quam parum sane hoc eis Christi oraculum faveat, tum alibi demonstravimus sacrarum cæremoniarum necessitatem vindicantes, tum in præsenti non est operæ pretium explicare: eo loci duo sibi Christus proponit.

1. Samaritanorum & Judæorum vanam præsumptionem refellit, quorum illi quidem contendebant, in solo monte *Garizim* posse legitime sacrificia offerri: isti ex adverso non intelligentes scripturas, volebant in solo templo Hierosolymitano in perpetuum consecranda: contra utrosque Salvator: *Crede mihi*, inquit, (*ib. v.* 21) *quia venit hora, quando neque in monte hoc neque in Hierosolymis adorabitis Patrem*.

2. Legis novæ supra figuras veteres excellentiam pro merito laudat: *Venit hora*, inquit, *& nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu & veritate*. His enim verbis significat, sublata sacrificiorum umbra, Deum in Spiritu & veritate quantocyus esse colendum: sed non ideo cultum & sacrificium externum excludit, quod spiritualis sacrificii signum est: nam sicut spiritualis cultus est necessarius, quia Deus spiritus est: ita nobis convenit cultus corporalis, quia non Spiritu tantum, ut Angeli, sed Spiritu & materia concretus est homo: ut igitur plane Deo, & corpore & Spiritu serviat, debent vincula religionis ex spiritu connecti & corpore; perperam itaque hoc Christi oraculo Lutherani & Calvinistæ ad exterminandum Missæ sacrificium abutuntur.

Inst. 1. Atqui ideo dictum est, veros adoratores debere in Spiritu & veritate adorare, quia externum sacrificium a lege Evangelica erat penitus auferendum: ergo &c. probant subs. & varia adferunt scripturæ testimonia, quibus victimæ spirituales, cum designatione corporalium a Prophetis commendantur: quale est quod legitur in Ps. (*Ps.* 49, 23) *Sacrificium laudis honorificabit me:* itemque in altero: (*Ps.* 50, 23) *Sacrificium Deo spiritus contribulatus*: Et in Ecclesiastico: (*Eccli.* 35, 2, & 4) *Sacrificium salutare est attendere mandatis, & discedere ab omni iniquitate . . . qui facit misericordiam offert sacrificium*. Quorum similia apud Isaiam & alios legere est, & nos pleraque superius allegavimus. Hinc sic informant argumentum.

Christus ideo dixit veros adoratores debere in Spiritu & veritate adorare, ut documenta Prophetarum exemplo suo & auctoritate confirmaret; atqui vates sacri spiritualia sacrificia ita commendaverant, ut simpliciter externum quodlibet sacrificium aliquando de medio tollendum significarent. Ergo &c.

℟. Nego subs. ad prob. admitto auctoritates, & concessa maj. n. min. ad carnales enim Judæos hæ Prophetiæ respiciebant, qui carnalibus sacrificiis tanto erant studio addicti, ut interna

na & spiritualia penitus negligerent: quo fiebat, ut eorum oblationes merito Deus respueret & dedignaretur; itaque iis locis commendatur earum rerum oblatio quæ per se Deo gratæ sunt, & sine quibus victimæ corporales placere ei nequaquam possunt, scilicet spiritus contribulatus, justitia, misericordia, pietas, aliaque virtutum opera, quæ si abfuerint, poterunt quidem homines esse hypocritæ Religionem exterius simulantes, veri cultores esse non poterunt: non tamen ita excluditur externum sacrificium, quasi omnino in nova lege futurum non sit: quod ne ipsi quidem negare possunt hæretici: fatentur enim Christum in cruce verum, illudque externum sacrificium obtulisse; atqui sacrificium Eucharisticum magni illius sacrificii continuatio, immo unum & idem cum illo est, cum eo tantum discrimine quod in cruce cruentum fuerit, & sit in Eucharistia incruentum; ergo debent, si sapiunt (& saperent sane si Ecclesiam columnam & firmamentum veritatis magistram audire vellent) externum in nova lege sacrificium recognoscere, a Prophetis prædictum, & a Christo lege perpetua institutum.

Inst. 2. Atqui verbis Christi sacrificium Eucharisticum exclusum debet intelligi. Ergo &c. probant subs. sacrificium illud penitus exclusum est verbis Christi, quod sine summa ejus injuria offerri non potest; atqui tale est sacrificium Missæ. Ergo &c.

℞. Nego subs. ad prob. concessa maj. n. min. in Eucharistia enim idem corpus præsens est, quod in cruce pro peccatis expiandis est immolatum, idem sanguis pro nobis effusus, eadem victima, idem Sacerdos seipsum incruento modo offerens per ministrum inferiorem, eadem redemptio, idem redemptor & mediator Dei & hominum, Deus homo Christus Jesus. Calumniantur itaque more suo hæretici quando affirmant Catholicos sacrificio crucis per Missæ sacrificium injuriam irrogare.

Inst. 3. probando min. novam præter Christum quærere redemptionem, magna sane ejus est contumelia; atqui, inquit Calvinus, qui per Missæ sacrificium placare se Deum arbitrantur, præter Christum novam quærunt redemptionem; ergo sunt in Christum injuriosi: *Quis enim*, inquit, *cogitet se morte Christi redemptum, ubi novam in missa redemptionem viderit? quis peccata sibi remissa confidat, ubi novam quæsierit redemptionem?*

℞. Concessa maj. n. min. & dico merum illud Calvini esse putidumque commentum: aliud enim est, novum remedium quærere; aliud novam unius ejusdemque remedii applicationem: Sanguinem Christi, quo lavit nos a peccatis nostris, remedium esse ad redemptionem & salutem sufficientissimum, fide antiqua & vera tenemus; nihil ergo aliud in Missæ sacrificio quærimus quam salutaris hujus remedii applicationem, prout eadem fides Catholica profitetur: palmari exemplo rem illustrat *Osius* Cardin. & Episcopus *Varmiensis*, cujus verba quoniam elegantissima sunt, exscribere non pigebit: *Est*, inquit, (*in confess. fidei c.* 4) *fons in medio civitatis collocatus, omnibus expositus, a quo nemo arcetur, quin eo libere uti possit, tam est autem copiosus & redundans, ut ad sordes omnium abluendas, ad sitim omnium extinguendam, ad reliquas necessitates omnes omnium explendas abunde sufficiat: num ideo tu sitim tuam explevisti, aut sordes abluisti, quod hic fons est in medio omnibus expositus? certe nisi ad eum accesseris, nisi ex eo hauseris, neque sordes ablueris, neque sitim sedaveris, neque ullum ex eo fructum perceperis, quamlibet sit copiosus & redundans .... non dissimilis est ratio fontis hujus vitæ perennis, qui in latere Christi in cruce pendentis apertus est: fons est perennis, copiosus, & redundans, qui ad abluenda totius mundi peccata, ad salutem omnibus mortalibus conferendam prorsus sufficit; sed si vis usum aliquem fontis hujus habere, si vis fructum ex eo consequi, necesse est ut ad Christi latus in cruce pendentis fistulam applices, & per eam qui solus peccata nostra abluit, salutemque nobis confert, Christi Sanguinem ad te derives atque attrahas: ut per eum ablutus & sanctificatus, æternam beatitudinem adipisci queas, non ipsius canalis, verum Christi Sanguinis, te per canalem irrigantis, virtute ... ejusmodi canalis est, quotidianum hoc sacrificium quod Missam vocamus, per quam illius in cruce peracti sacrificii, & fusi pro nobis pretiosi Sanguinis fructum in nos transferimus, nobis applicamus & appropriamus: falso itaque nobis impingunt satanæ ministri, quod per quotidianum hoc sacrificium, illud in cruce peractum obscuretur, cum illustretur magis.*

Inst. 4. atqui injuriam Christo faciunt, qui volunt Missæ sacrificium ideo esse necessarium, ut per illud nobis cruenti crucis sacrificii applicatio fiat. Ergo &c. probant subs. ex verbis Apostoli: (*Hebr.* 10, 10, & *seqq.*) *In voluntate Dei sanctificati sumus, per oblationem Corporis Jesu Christi semel: omnis quidem Sacerdos* (veteris legis) *præsto est quotidie ministrans & easdem sæpe offerens hostias, quæ numquam possunt auferre peccata; hic autem unam pro peccatis offerens hostiam, in sempiternum sedet in dextera Dei . . . una enim oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos*. Hinc sic inferunt argumentum:

Mis-

Missæ sacrificium sine oblatione Corporis Christi esse non potest, eaque toties, Catholicis fatentibus, repetitur, quoties sacrificium iteratur; atqui ex Apostolo Christus voluit oblationem sui corporis semel tantum fieri, eaque una consummavit in sempiternum sanctificatos. Ergo &c.

℞. Nego subs. ad probat. admisso auctoritatem, & dist. maj. Missæ sacrificium esse non potest sine oblatione *incruenta* Corporis Christi, conc. sine oblatione *cruenta*, n. maj. similiter dist. min. Christus voluit oblationem corporis sui semel fieri, *modo cruento*, conc. *incruento*, n. min. & conseq.

E. ℞. Nihil erit in hoc testimonio difficultatis, si modo attendamus loqui Apostolum de sacrificio redemptionis quod in cruce oblatum est: hoc enim cum infinitæ virtutis fuerit, semel fieri oportuit, quia ad omnium redemptionem plenissime sufficiebat: quo quidem ex capite immensum distat a Judaicis victimis, quæ tum ratione sui, tum ex vi actionis qua offerebantur, delendis peccatis prorsus erant impares: nec salutem, sæpius licet repetitæ, operabantur: merito itaque ab Apostolo dictum, una oblatione Christum consummasse in æternum sanctificatos: hinc in eadem Ep. (*ib. c.* 9, 24, *& seqq.*) *Non enim*, inquit, *in manufacta sancta Jesus introivit ... neque ut sæpe offerat semetipsum quemadmodum Pontifex intrat in sancta per singulos annos in sanguine alieno: alioquin oportebat eum frequenter pati ab origine mundi; nunc autem semel in consummatione sæculorum, ad destitutionem peccati, per hostiam suam apparuit.*

Hoc tamen non obstitit, quominus incruentum sacrificium quotidie in Ecclesia offerri voluerit, quando Apostolis dixit: *hoc facite in meam commemorationem*; quo scilicet nobis meritorum ejus applicatio fieret: nam si eo quo volunt Hæretici sensu sacrificium crucis sufficeret, frustra Christus in cœlis interpellaret pro nobis, offerens æterno Patri, quam in cruce pertulit mortem; frustra Sacramenta instituisset, derivandæ ad nos gratiæ instrumenta; frustra pro peccatis sic orandum præcepisset; *Dimitte nobis debita nostra*; quemadmodum igitur nihil virtuti sacrificii cruenti in cruce peracti detrahitur, neque per preces quas Christus in cœlis assistens Pontifex futurorum bonorum pro nobis ad Patrem fundit, neque per orationes fidelium, neque per Communionem Sacramentorum: ita nec per incruentum & quotidianum Missæ sacrificium, facimus ullam mysterio crucis injuriam.

Inst. 5. Atqui ex auctoritate scripturæ incruentum hoc sacrificium cum natura veri sacrificii omnino pugnat. Ergo &c. prob. subs. sacrificium proprie dictum sine aliqua victimæ mutatione esse non posse, res est ex scripturis notissima; atqui impossibile est, Christo in Eucharistia mutationem aliquam advenire: *Resurgens* enim *ex mortuis*; (*Rom.* 6, 9, *& seq.*) *jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur, quod enim mortuus est peccato mortuus est semel, quod autem vivit, vivit Deo*. Ergo &c.

℞. Nego subs. ad probat. dist. maj. sacrificium esse nequit sine aliqua victimæ mutatione, vel reali, vel mystica, conc.: reali, n. maj. pariterque ad min. repugnat Christum mutari in Eucharistia, vel occidi, realiter, conc.: repræsentative & mystice nego.

E. ℞. Debet quidem in sacrificio cruento vera & realis victimæ mutatio fieri: sed non est illud omni sacrificio necessarium. Nam

1. In lege veteri fuisse quædam, etiam pecudum & volucrum incruenta sacrificia, ex prædictis certum relinquitur.

2. In sacrificio Melchisedech nulla præter mysticam, mutatio fuit.

3. Idem dicendum de sacrificio Isaac, de quo S. Joannes Chrysost. *Abraham*, inquit, (*hom.* 52) *non gladium cruentavit, non altare rubefecit, non Isaac jugulavit: sed tamen sacrificium perfecit, quis hoc ait? ille ipse qui accepit sacrificium*: non pepercisti, *inquit*, (*Gen.* 22, 12) filio tuo dilecto propter me; *atqui vivum tamen eum recepit, & incolumem reduxit: quomodo igitur non pepercit? quia non ex factorum exitu, sed ex animi sententia, de hujusmodi sacrificiis judicare solet Deus: non mactavit manus, sed voluntas mactavit, non gladium pueri jugulo immersit: sed est sacrificium, etiam sine sanguine: sciunt illi qui mysteriis initiati sunt, quid dicamus: propterea & sacrificium Isaac sine sanguine perfectum est, quoniam illius figura esse debuit: vides in veteri Testamento imaginem multo ante adumbratam.*

Ita S. Doctor, cujus verba eo observatione sunt digniora, quod ex immolatione Isaac sacrificium Eucharisticum adstruat: quamquam vero realiter Christus in Eucharistia non mutetur, nec occidatur, cum repugnet, denuo pro hominibus mortem pati, & novo sacrificio satisfacere: ita tamen fit mutatio mystica, in quantum consecratione panis & vini, vi verborum, quasi gladio quodam spirituali, corpus & sanguis separantur; licet aliunde propter necessariam connexionem, quam habent, avelli non possint, ut dictum est libro præcedenti: hæc autem non solum mutatio, sed & mystica immolatio est, abunde sufficiens ad sacrificium commemorativum, per quod passio Christi repræsentatur, ejusque nobis meritum ap-

applicatur: quo sensu ab Apostolo dictum est: *Quotiescumque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat* (1 *Cor.* 11, 26).

Inst. 6. Repugnat rationi sacrificii, præcipue vero illius quo testamentum novum continetur, esse incruentum: nam *ubi testamentum est*, ait Apostolus, (*Hebr.* 9, 16) *mors necesse est intercedat testatoris*; atqui ex concessis vere & proprie Christus non moritur, quando Eucharistia consecratur: vere ergo sacrificium non est.

℟. Dist. maj. repugnat rationi sacrificii, quo novum testamentum *primo conditum est, & institutum*, quod fuerit incruentum, concedo: repugnat rationi sacrificii, *quo novi testamenti jam conditi memoria fit*, nego maj. & concessa min. n. conseq.

E. ℟. Testamentum novum spectari potest, vel quatenus fuit primo conditum, vel quatenus ejusdem jam conditi memoria celebratur: equidem institutionis habita ratione, merito dixit Apostolus, *ubi testamentum est, necessario intercedere mortem testatoris: primum enim*, inquit ibidem (*v.* 17, *& seqq.*), *in mortuis confirmatum est: alioquin nondum valet, dum vivit qui testatus est: unde neque primum quidem sine sanguine dedicatum est: lecto enim omni mandato legis a Moyse universo populo, accipiens sanguinem vitulorum & (ircorum ... omnem populum aspersit dicens:* (*Exod.* 24, 8) *hic sanguis testamenti quod mandavit ad vos Deus*: sed non repugnat rationi sacrificii, quod testamenti jam conditi commemoratio est, esse incruentum: talis autem est celebratio Eucharistiæ, quam jussit Christus in sui memoriam perpetuo fieri.

Inst. 7. Atqui tam repugnat Eucharistiam incruentum esse sacrificium, quam cruentum. Ergo &c. prob. subs. ut Eucharistia quocumque modo esset sacrificium, deberet ab aliquo Sacerdote offerri; atqui hujus sacrificii Sacerdotem frustra quæras in lege nova. Ergo &c.

℟. Nego subs. ad probat. concessa maj. n. min. non alia enim de causa Sacerdotes in nova lege frustra quæruntur, nisi quia in eo investigando frustra labor consumitur, quod in promptu omnibus est, & omnium oculis obversatur: porro in nova lege necessario esse debere Sacerdotes, soli illi non vident qui cæci sunt, aut qui habent oculos & non vident: *Hoc facite*, ait Christus, *in meam commemorationem*: sacrificium vero, ut ante probavimus, fecerat: ut ergo idem facerent Sacerdotes, Apostolos consecravit: nisi velimus, quod absurdissimum esset, jussos esse sacrum facere, & a Sacerdotio tamen exclusos: *Christus*, inquiunt Patres Trid. (*Sess.* 22, *c.* 1) *Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech, se in æternum constitutum declarans, corpus & sanguinem suum sub speciebus panis & vini Deo Patri obtulit: ac sub earumdem rerum symbolis, Apostolis, quos tunc novi testamenti Sacerdotes constituebat, ut sumerent tradidit: & eisdem, eorumque in Sacerdotio successoribus, ut offerrent præcepit per hæc verba*: hoc facite in meam commemorationem: *uti semper catholica Ecclesia intellexit & docuit.*

Inst. 7. probando min. verbis Apostoli: (*Heb.* 7, 23, *& seqq.*) *Alii quidem*, inquit, *plures facti sunt Sacerdotes, idcirco quod morte prohiberentur permanere: hic autem eo quod maneat in æternum, sempiternum habet Sacerdotium: unde salvare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum.* Inde sic argumentum inflectunt:

Christus quia in æternum manet, idem perpetuo est, & futurus est Sacerdos; ergo novæ legi repugnat, alios præter ipsum esse Sacerdotes.

℟. Admitto auctoritatem, & concesso ant. dist. conseq. repugnat alios esse Sacerdotes qui Christo succedant, quomodo in antiqua lege, alter alterius, interveniente morte, locum occupabant, conc. sint ejus vicarii & ministri visibiles, nego.

E. ℟. Qui Christo in Sacerdotio sive Pontificatu succedat, neminem novimus: successor namque dicitur, qui alterius, vel spontanea discessione, vel mortis interventu, vel alia quavis causa, amoti ab officio, occupat locum: Christus vero Sacerdotium numquam dimittit, quia manet in æternum: successorem ergo non habet: nec ita Catholicus quisquam loquetur, si bene & accurate loqui voluerit: hoc tamen non impedit, quominus Sacerdotes Christi vicarios & ministros visibiles agnoscamus, dicente Apostolo: (1 *Cor.* 4, 1) *Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei*: per illos itaque Christus qui semel obtulit semetipsum in cruce, in ejusdem sacrificii cruenti memoriam quotidie corpus suum & sanguinem offert quomodo per illos & verbum veritatis disseminat, & Sacramenta fidelibus impartitur: sicut enim Deus æternus ac supremus judex, habet suos in terris Vicarios, per quos & jura decernit, & exercet judicium: ita Christum æternum primariumque Sacerdotem summe decebat, ut postquam in cœlum receptus esset, in Ecclesia super terram militante subsidiarios, ut sic dixerim, Sacerdotes haberet, per quos visibile sacrificium a se institutum offerret: quo sensu ab eodem Apostolo dictum: (*Ib.* 3, 9) *Dei sumus adjutores*: &, (2 *Cor.* 5, 20) *pro Christo legatione fungimur.*

Inst. 8. Atqui repugnat novæ legi, alios præter Christum esse Sacerdotes, etiam ejus vicarios & visibiles adjutores; ergo &c. prob. subs. ex eodem Apostolo: *Lex*, inquit, (*Heb.* 7, 28) *homines constituit Sacerdotes infirmitatem habentes, sermo autem jurisjurandi, qui post legem est, filium in æternum perfectum*. Legales itaque, inquiunt, & Evangelici Sacerdotes sunt, qui infirmitatem habent; atqui ii omnes quos sacrificos sive Sacerdotes nos Catholici dicimus, nisi nimium insolescunt, infirmos se esse fateri debent, & probant quotidiano experimento; ad legem ergo, non ad Evangelium pertinent: adeoque si Apostolum Doctorem sequamur, concedendum omnino, per sermonem jurisjurandi, qui post legem est, ita Christum constitutum esse perfectum & in perpetuum Sacerdotem, ut repugnet habere Sacerdotes vicarios & visibiles administros.

℟. Nego subs. ad probat. admitto auctoritatem, & dist. maj. legales & non Evangelici Sacerdotes sunt, qui infirmitatem habent, nec aliunde ad manum hostiam habent, quæ seipsa Deum placare possit, conc. si aliunde hostiam infiniti pretii offerant, quæ vim suam ab offerentium merito non expectet, n. maj. pariter distinguo min. quos Sacerdotes nos dicimus, in magna jacent infirmitate: aliunde vero præsto illi est, infiniti pretii Deoque summopere acceptabilis hostia, ab offerentium merito nihil mutuans, conc. secus n. min. & conseq.

E. ℟. Hi & similes Hæreticorum cavilli, tum ad contradicendum imbecilli admodum & futiles sunt, tum ad probandum vim nullam habent: non enim hoc ab Apostolo dictum est, ut omne ab Evangelica lege Sacerdotium visibile & proprie dictum excluderet, sed ut probaret hostiarum veterum inutilitatem, quippe quæ neque seipsis, neque habita ratione mactantium, Deo acceptabiles esse valebant: in hoc quippe unum Pauli ad Hebræos Ep. tota contendit, Christi videlicet Sacerdotium Levitico longe præcellere, tum propter hostiarum veterum imbecillitatem & insufficientiam, quas ea de causa reprobari oportuit ut in earum locum nova substitueretur, quæ salvare in perpetuum posset: tum propter mortalitatem offerentium, qui propterea quod interitu prohiberentur permanere, vicissim sibi & continuo succedebant; cum e contrario Christus in æternum manens, sempiternum habeat Sacerdotium: tum denique propter infirmitatem Sacerdotum Aaronici ordinis, quos peccatum undique premebat; cum ex adverso Christus datus nobis sit Pontifex, Sanctus, Innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, & cœlis excelsior: quid vero hinc contra nos, qui licet infirmitate circumdati, (homines enim sumus, & humani a nobis nil alienum putamus) in hoc tamen Leviticis Sacerdotibus longo intervallo præcellimus, quod vice Christi hostiam infiniti pretii, Christum ipsum videlicet, visibiliter offeramus, a merito nostro, ut Deo acceptabilis sit, prorsus independentem? hoc inquam legis novæ est privilegium singulare, de quo idem Apostolus, *Habemus*, inquit, (*Hebr.* 13, 10) *altare, de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deserviunt: quorum enim animalium infertur sanguis pro peccato in sancta per Pontificem, horum corpora cremantur extra castra*: quasi nimirum diceret; in antiqua lege sacrificia pro peccatis totius populi offerebantur, victimarum nemo erat corporaliter particeps, quippe quæ ex integro igne comburendæ traderetur: nobis vero hoc in lege Evangelica datum est, ut corporaliter victimæ pro peccatis oblatæ communicemus; itaque judice ac teste Apostolo, habemus in nova lege altare: quod si altare, & hostiam: quod si hostiam, & Sacerdotes, sine quibus hostia visibiliter non offertur.

Inst. 9. Atqui ex Apostolo nec hostiam quidem habemus, quam visibiliter offeramus. Ergo &c. probant subs. Apostolus ib. de Christo sic loquitur: *Non habet*, inquit, (*Hebr.* 7, 27) *necessitatem quotidie, quemadmodum Sacerdotes ... hostias offerre ... hoc enim semel fecit seipsum offerendo*: idemque in hac ipsa Ep. sæpe inculcans: *Per proprium sanguinem*, ait, (*ib.* 9, 12) *introivit semel in sancta, æterna redemptione inventa*... (*ib.* v. 26) *semel in consummatione sæculorum, ad destitutionem peccati, per hostiam suam apparuit ... semel* (*ib.* v. 28) *oblatus est, ad multorum exhaurienda peccata ...* (*ib.* 10, 10) *sanctificati sumus per oblationem Corporis Jesu Christi semel*: quam rem mirifice ibidem confirmans: (*ib.* 10, 26) *Voluntarie peccantibus nobis*, inquit, *post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hostia*. Quantum vero hæc Apostoli documenta, Catholicorum præsumptioni contraria sint, sola, inquiunt, textuum ejus lectione facile intelligitur: contendit ille, voluntarie peccantibus hostiam nullam relinqui: isti ex adverso, quotidianam omniumque horarum hostiam ad manum habere se jactitant; Christum ille semel oblatum, hacque una oblatione in æternum electos sanctificasse testatur: isti quasi una non satis esset, nec satis haberet roboris ad salvandum, ab offerendo numquam desistunt, ut Christi suppetias ferant, ejusque juvent infirmitatem. Ergo &c.

℟. Nego subs. ad probat. admitto auctoritatem, & assumptum argumentum, nego quid-

quam habere fidem Ecclesiæ beati Pauli doctrinæ contrarium: crambes ista recocta est, quæ quam insipida foret jam ante ostensum est: interim ne quid scrupuli hujusmodi argumenta legenti relinquant, admoneo:

1. Verba Apostoli: *voluntarie peccantibus* &c. ad præsentem de sacrificio quæstionem nil facere: hoc enim unum ibi contendit, eos qui susceptam Christi fidem & Religionem apostasia deserunt, nulla deinceps hostia posse, abnegato Christo, salvari: de hoc redibit iterum sermo lib. sequ. de pœnitentia.

2. Textus omnes ubi Christum semel oblatum oportuisse affirmat, de sacrificio cruento in cruce peracto, non vero de sacrificio incruento prout paulo ante exponebamus, debere intelligi.

3. Non ideo a nobis, ut impudenter calumniantur, incruentum sacrificium sæpe repeti, ut Christo in procuranda hominum salute laboranti suppetias & auxiliatrices manus accommodemus, (quod & cogitatu impium, & dictu nefarium foret:) sed ut frequenti divinorum mysteriorum repetitione, & cruenti crucis sacrificii memoria, infinita nobis ejusdem merita applicentur, & generale remedium omnibus salvandis plusquam sufficiens ad nos usque perveniat: norunt enim omnes, non dico in rebus divinis, sed vel in ipsa Philosophia mediocriter versati, causas universales, de quarum sane numero Christi redemptio est, quamquam ad suos obtinendos effectus seipsis plurimum valeant, nisi per causas proximas applicentur, nihil efficere: „ quod si agnus „ Dei, qui tollit peccatum mundi, inquit e„ gregie, ut in cæteris solet, *Melchior Canus*, „ (*de locis Theolog. lib. 12*) sine adjutrice „ & socia causa, ipse per se expiavit nostra „ delicta, baptisma tollatur, pœnitentia ab„ sit, Sacerdotia sileant, ministeria facessant; „ atque adeo omne salutis nostræ & Sacra„ mentum removeatur & instrumentum: præ„ ceptum illud vanum sit: *Baptizate in no„ mine Patris, & Filii, & Sp. Sancti*: gra„ tia illa vana: *quorum remiseritis peccata, „ remittentur eis*: inanis sermo ille: *Pœniten„ tiam agite, & baptizetur unusquisque ve„ strum in remissionem peccatorum*: sit deni„ que ille falsus: *Salvos nos fecit per lava„ crum regenerationis*: quin etiam, si ita li„ bet, quia oravit pro nobis Christus, non „ oremus; quia jejunavit, non jejunemus; quia „ lacrymatus est, non ploremus; colligunt e„ nim arguti isti dialectici, quia obtulit se„ mel Christus, non offeramus" .... quod si hæreticis hæc consectaria placent: (habent enim illi, ait ibidem prædictus author, otiosam Religionem, nosque feriatos volunt cessatione torpere, & quasi pueros delicatos nihil agere:) a veris sane fidelibus numquam admittentur, qui offerendi incruenti sacrificii legem in antiquo testamento multipliciter figuratam, & in novo expresse sancitam per hæc Christi verba: *Hoc facite in meam commemorationem*: & ab Apostolis observatam agnoscunt.

Inst. ultimo, & quasi collectis viribus novoque impetu facto, quæcumque ex scripturis argumenta protulimus, ictu uno subruere moliuntur: nihil, inquiunt, ex his testimoniis erui potest, quod certam sacrificii fidem faciat; quantum quidem ad veteres Prophetas spectat, quoniam abstrusos & difficiles sensus plerumque habent, nulla cogit necessitas ut de futuro in nova lege externo sacrificio explicentur, maxime cum aliunde tam aperta sit in antiquis vatibus sacrificii cordis in nova lege stabiliendi denunciatio; jam de Melchisedech, quod Sacerdos fuerit, est illud quidem in Genesi & in Psalmis apertissime declaratum, quod vero tum, cum redeunte e prœlio Abraham panem, & vinum protulit, sacrificandi officium exercuerit, ambiguum valde est ac difficile creditu: augetque silentio suo Apostolus credendi difficultatem, quandoquidem de hac re, data occasione penitus tacuit: quod si relicto testamento veteri ad novum progrediamur, quid tandem ibi occurrit quo sacrificii Eucharistici veritas & necessitas confirmetur? legimus quidem quod Christus Eucharistiam discipulis distribuerit, quod vero corpus & sanguinem suum Deo sub panis & vini speciebus obtulerit, hoc sane non legimus: nec vero inter Catholicos desunt, qui negent verum hoc tempore sacrificium a Christo peractum: quin & hoc ipsum ratio Theologica persuadet: etenim si sanguinem pro peccatis Christus Sacerdos in mortis pervigilio obtulit; jam igitur ante crucem peccata remissa sunt: frustra ergo mortuum dicamus oportet: adeoque crucem Christi evacuamus; quod si ne illud quidem testimonium certum sit, in quo præcipue confidunt Catholici, quid de aliis dicturi sumus novi testamenti locis, quæ quoniam sacrificii imaginem certam non præferunt, ab iisdem subtimidius afferuntur? quid enim? ideo ne dicere cogimur Apostolos externum sacrificium obtulisse, quia *ministrantibus illis Domino, dixit illis Sp. Sanctus: segregate mihi Saulum* &c. cum possit hoc ministerium de alia qualibet præter sacrificium functione pari facilitate, & ratione meliore intelligi? ideo tenere compellimur, in Ecclesiæ primordiis sacrificium viguisse, quia altare Apostolus nominavit; cum neminem lateat, S. Paulum translatis & figuratis locutionibus sæpissime usum;

quas

quas stultum fuerit ad sensum proprium intorquere? quemadmodum itaque merito rideretur, qui Christum revera petram esse contenderet, quia dixit Apostolus: (1 *Cor.* 10, 4) *Petra autem erat Christus*: ita nec minus cachinnos movent, qui ab Apostolis verum & externum altare ad usum sacrificii fabricatum contendant: cum itaque hæc & similia testimonia, quæ emphatice magis quam vere exaggerant, enucleatum nil habeant, nihil explicitum, quo sacrificii externi in nova lege necessitas asseratur: dimisso quod incertum ac dubium est, illud quod aperte prædicat veritas certo tenendum, solo scilicet spirituali sacrificio legem Evangelicam, prout prædictum fuerat, contineri.

℟. In his refutandis cavillis, postquam omni elisi sunt argumenti genere, novo labore opus non esse; ne tamen videamur novos adversariorum conatus reformidare, breviter quidem, nec enim necessum erat victricia arma recudere, sed strenue, ut speramus, singulos repellemus.

Ac 1. Quis non stupeat Hæreticorum temeritatem, qui ex Prophetiis veteribus, propterea quod obscuritatem aliquam habeant, certo nihil concludi posse affirmant? quod si vere diceretur, jam de omnibus pene Religionis mysteriis actum esset, quæ ex antiquis oraculis, & Prophetarum cum Apostolis consensione mutua adstruuntur: numquid enim quæso sacram quandam obscuritatem non habent, quæ in instrumento veteri de Messia, de adventu ejus, de Regno, de Ecclesia, de nativitate, de ministerio, de morte, de resurrectione, &c. prædicta sunt? quod si obscuritatis prætextu vaticinia hæc mittantur in dubium, quis non videat prodi causam Religionis, & Judæis atque Gentilibus mysterium Christi præfracte negantibus palmam concedi? quamquam, ut verum dicam, vaticinia ad Eucharisticum sacrificium pertinentia, non in se ipsis, sed propter voluntariam hæreticorum cœcitatem obscura sunt: quid enim his Malachiæ verbis illustrius: *Ab ortu solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda?* ubi *oblationis* vox, ex Hebraicæ, unde translata est, linguæ proprietate, necessario sacrificium externum significat: est enim מנחא, consentientibus interpretibus sacrificium, ex vino & simila juxta præscriptum legis, diebus singulis, mane & vespere offerendum: (*v. interpretes in c.* 1 *Malach. &* 7 *Lev. v. pariter Lexicon Hebraicum Buxtorfii, in hanc vocem minchah* מנחא) addantur huic tam admirabili Prophetiæ, quæ adduximus Isaiæ & Jeremiæ oracula: addatur & alterum *Danielis*, (*Dan.* 12, 11) quo prædicitur juge sacrificium per dies 1290 sub antichristi tyrannide auferendum: conferantur cum novo fœdere testimonia Prophetarum, ab eventu antiqua oracula expendantur, quod si cui, maturo præmisso examine, Eucharistici sacrificii veritas luce meridiana clarius non pateat, non jam cum illo censebimus disputandum, sed pro illo orandum, ut det ei Deus meliorem mentem, & aures ad audiendum aperiat.

De Melchisedech quoniam nihil novi proferunt, nihil quod de novo dicamus occurrit, tædiosum namque futurum fuerit, eadem sæpius & ad nauseam usque repetere.

Jam de Christo quod verum in pervigilio mortis suæ, quando cœnam instituit, corporis & sanguinis sacrificium Deo Patri obtulerit, ex prædictis tam est certum, quam quod certissimum: accepit enim panem, benedixit, gratias egit, fregit: accipiens pariter calicem gratias utique egit: quæ omnia ad sacrificium, non ad Communionem Eucharistiæ pertinent: ex pane & vino corpus suum & sanguinem fecit, atque utrumque in sacrificium immolavit quod apertissime SS. Evangelistæ, & Paulus Apostolus attestantur, ubi enim vulgata nostra exemplaria habent: *Hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur: hic est sanguis meus qui pro multis effundetur*: Græci & primitivi codices non in futuro, sed in præsenti dicunt: *Quod pro vobis traditur, qui pro multis effunditur*: τῦτο ἐςὶ τὸ αἷμά μου (inquit Matthæus 26, 28) τὸ περὶ πολλῶν ἐκχυνόμενον; idemque repetit S. Marcus: (14, 24) Sanctus vero Lucas: (22, 19, *& seq.*) τῦτό ἐςι τὸ σῶμά μου, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν διδόμενον, τῦτο τὸ ποτήριον, ἡ καινὴ Διαθήκη ἐν τῷ αἵματί μου, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον: & denique S. Paulus: (1 *Cor. c.* 11, *v.* 24) τῦτό μου ἐςὶ τὸ σῶμα τὸ ὑπὲρ κλώμενον: Nodum ergo, ut in proverbio est, in scirpo hæretici quærunt, quando contra tam apertum testimonium cavillantur.

Quod vero ajunt, e nostris etiam aliquos reperiri, qui negent verum a Christo, quando Eucharistiam instituit, sacrificium esse peractum, qui sane illi fuerint nescire nos profitemur, hoc unum referente *Melchiore Cano:* (*de locis Theol. lib.* 12, *cap.* 13) certo scimus, *Cornelium* Episcopum *Bitontinum* in Concilio Trid. a Patribus & Theologis universis merito explosum, quia dixerat, Christum in cœna non suum corpus & sanguinem obtulisse: parique nos ratione si qui *Cornelium* secuti sunt, vel si aliquos ille de Ecclesia quos sequeretur, repetit, quia a veritate alienos explodimus.

Quod

Quod autem ex ratione suggerunt argumentum, quia puerile admodum est, vix dignum refutatione putamus: si enim ideo Christus dum Eucharistiam institueret, sacrificium in corpore & sanguine suo obtulisse negandus est, ne videlicet sacrificio ejus cruento injuriam faciamus, & mysterium crucis evacuemus: negandum pariter erit, quod in circumcisione sanguinem pro expiandis hominibus fuderit: negandum quod fleverit, quod jejunaverit, quod inediam, labores, sudores, paupertatem, aliaque id genus opprobria multa pertulerit: quin pariter erit negandum, quod seipsum ab ipso incarnationis exordio verum perfectumque Deo Patri holocaustum obtulerit: hæc enim omnia ad placandum Patrem, & homines a peccato liberandos referebantur: quemadmodum igitur negare ista nec possumus, nec inutilia dicere, quia ad magnum illud crucis sacrificium, tamquam ad finem & consummationem referebantur: ita nec debemus nec possumus negare sacrificii incruenti, quod in procinctu suæ passionis instituit, & obtulit, veritatem.

Quod denique regerunt, vocem *ministrandi* qua utitur S. Lucas, non debere necessario de sacrificio accipi; itemque tropologice S. Paulum esse locutum, quando *altare*, scribens ad Corinthios nominavit: utrumque negamus & pernegamus, negabimus vero donec cur sibi credi velint causam persuasibilem afferant; itaque ad ea quæ superius diximus, utrumque hoc testimonium expendendo, Lectorem studiosum remittimus, ibi enim quæ de novo obtrudunt, in antecessum sunt refutata.

Sed etsi concederemus habere testimonia scripturarum implexum aliquid & ad assequendum difficile, non deberet propterea dogma contemni, omnium ætatum ac gentium traditione probatum: est enim, ut sæpe diximus traditio, alterum, nec scriptura inferius propugnaculum veritatis, ad eamque pertinet, si quid in scriptura obscurum fuerit, certo & infallibiliter explicare.

CAPUT SECUNDUM.

Eucharisticum sacrificium traditione demonstratur.

NON erat itaque hoc genus probationis in præsenti disputatione prætermittendum; quamquam, ut dicam quod res est, inutilis hic labor videri possit: *Lutherus* enim, *Zuinglius*, *Calvinus*, & alii fatentur, se ab omnium sæculorum traditione recedere: aut saltem cum videant turpissimam sibi hanc esse confessionem, clarissima Patrum testimonia in alienos & fictitios sensus intorquent.

Juvat hic *Lutheri* verba referre, ut ex ungue, quod vulgo dicitur, leonem Lector agnoscat, indeque ferat judicium, quanta hujusmodi hominibus præstanda sit fides, qui fidem ipsi omnem universo Patrum senatui denegant: sic porro loquitur in hoc pestilentissimo de Babylonica captivitate libello: *Tertia*, inquit, *captivitas ejusdem Sacramenti est, longe impiissimus ille abusus, quo factum est, ut nihil fere sit hodie in Ecclesia receptius & magis persuasum, quam Missam esse opus bonum & sacrificium . . . rem arduam, & quæ forte sit impossibile convelli aggredior, ut quæ tanto sæculorum usu firmata, omniumque consensu probata, sic insederit; ut necesse sit majorem partem librorum qui hodie regnant, & pene universam Ecclesiarum faciem tolli & mutari, penitusque aliud genus cæremoniarum induci . . . quid ergo dicemus ad canonem & auctoritates Patrum? Respondeo: si nihil habetur quod dicatur, tutius esse omnia negare, quam Missam concedere sacrificium esse.*

Et in altero nec minus impio, de abroganda Missa privata: *Protestor in primis*, ait, *adversus eos qui insanis vocibus in me sunt clamaturi, quod contra ritum Ecclesiæ, contra statuta Patrum, contra probatas legendas, & receptissimum usum docuerim, horum nihil me auditurum, &c.*

Item in lib. adversus Regem Angliæ: *Ultimo*, inquit, *dicta Patrum inducit, pro sacrificio missarum statuendo, & ridet meam stultitiam, qui solus velim sapere præ omnibus: hic dico confirmari hoc nomine meam sententiam: nam hoc est quod dico, Thomisticos Asinos nihil habere quod producant, nisi multitudinem hominum, & antiquum usum: ego vero adversus dicta Patrum, hominum, Angelorum, dæmonum, pono, non antiquum usum, non multitudinem hominum, sed majestatis æternæ verbum Evangelicum.*

Ita *Lutherus*: ut interim alia multa omittam, quæ contra Patres antiquos, contra synodos totius orbis reverentia consecratas, contra Pontifices, Episcopos, Sacerdotes & denique contra universalem Ecclesiam petulanter evomuit: nec minor *Zuinglii*, *Œcolampadii*, *Calvini*, & aliorum audacia fuit. Quis vero patienter audiat vilissimos homines ab Ecclesia profugos, de antiquis dogmatibus adeo arroganter pronuntiantes, semetipsos constituentes probatissimi cujusque Doctoris judices, renuentes audire Ecclesiam, de qua dictum a Christo est: *Qui Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus?* (*Matth.* 18, 17) Jam ut inceptum persequamur, sit

§. PRI-

§. PRIMUS.

Afferuntur hujus veritatis argumenta ex traditione certissima.

PROBATIO PRIMA.

Ex auctoritate liturgiarum.

1. Illudque prorsus ineluctabile petimus ab antiquissimis liturgiis, quæ totius Ecclesiæ consensione probatæ, per universas Christiani orbis partes, a primis usque sæculis invaluerunt: singulas commemorare ut tædiosum, ita difficilis operæ futurum putamus: nam Græcorum & orientalium sive communes sive propriæ, quinquaginta ut minimum extant: habent suam *Alexandrini*, habent *Constantinopolitani*, habent *Hierosolymitani*, & *Antiocheni*, SS. Jacobi Apostoli, S. Clementis Romani Pontificis, SS. Basilii, Chrysost. Gregorii Nazianzeni, Cyrili, Alex. & aliorum venerandis nominibus inscriptas: habent suas peculiares Catholici, Schismatici, Hæretici, Nestoriani, Jacobitæ, Armeni, & quotquot denique sive in unitate caritatis & fidei, sive in hæresi & schismate Christiano nomine per has Provincias gloriantur.

Nec minus de Latinis certa res est: nam de veteri Romano ordine, de Missa *Mediolanensi* dicta, quam sæculo 4 a B. Ambrosio Mediolanensi Episcopo dispositam ferunt, de *Mozarabica sive Gothica*, quæ Hispanis in usu fuit, de *Gallicana*, & aliis quæ in diversis occidentis partibus ab omni retro memoria obtinent, quoniam nemini non sunt notæ, & fatentur adversarii antiquissimas esse, nihil opus est ut dicamus.

Jam sic subsumo; atqui liturgiarum omnium quæ ubivis extant, una vox, una sententia est, Eucharistiam esse sacrificium novæ legis verum & proprie dictum, quod Prophetæ prædixerunt, cujus figura fuerat in sacrificio quod Melchisedech Sacerdos Dei summi obtulit in pane & vino: contestantur omnes, in hoc divino mysterio vere Christum æterno Patri offerri, tantumque a sacrificio crucis differre, quod incruentum istud, alterum fuerit cruentum, quippe cum eadem utrobique victima, idemque summus & æternus Sacerdos adsit: hinc tam frequenter immolandi, mactandi, offerendi, & aliæ similes voces in his sacris officiis inculcantur: hinc ibidem toties affirmatur, præcepisse Jesum, ut hoc in nova lege sacrificium, ab Apostolis eorumque successoribus in perpetuum offerretur.

Fatendum ergo Hæreticos in errorem turpissimum lapsos esse, quando tam inæstimabilem thesaurum, tantique apud Deum meriti sacrificium Ecclesiæ eripere attentarunt: nihil enim hic tertium est: vel *Lutherus*, *Calvinus*, eorumque similes Evangelii pseudo-reformatores errarunt, vel erravit Ecclesia contra Christi voluntatem sacrificium Eucharisticum inducendo. Secundum sine manifesta impietate dici non potest, cum habeat Ecclesia in his quæ ad fidem & mores pertinent, infallibilitatem sibi a Christo promissam: quo fit, ut qui Ecclesiam erroris insimulat, Christum ipsum a quo fundata est, pari ratione accusent; itaque ad *Lutheranos* & *Calvinistas* refutandos, etiamsi alia argumenta deessent, liturgiarum ab Ecclesia vulgatarum auctoritas plene & cumulate sufficeret. *Respondet vobis*, inquiebat medio 12 sæculo Petrus Venerabilis, Abbas Cluniacensis, eamdem causam defendens: (*Ep. 1 cont. Hæreticos Petro-Brusianos*) *Respondet vobis, hostes Dei, Ecclesia Dei, se neque absque sacrificio esse, nec illo suo sacrificio aliquid aliud, quam corpus & sanguinem sui Redemptoris offerre: offert quidem illa Domino Deo suo sacrificium Deo spiritus contribulati: offert sacrificium justitiæ, de quo idem: tunc acceptabis sacrificium justitiæ: offert sacrificium laudis, de quo idem dicit: immola Deo sacrificium laudis: sed longe acceptabilius offert sacrificium, eum scilicet, qui juxta Apostolum, per Sp. Sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, ut emundaret conscientias nostras ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi: offert agnum Dei qui tollit peccata mundi, qui nec immolatus moritur, nec divisus minuitur, nec comestus consumitur; offert ipsum pro se ipsa, qui, seipsum obtulit pro ipsa; & quod ille fecit semel moriendo, hoc illa facit semper offerendo.*

PROBATIO SECUNDA.

Ex præscriptione.

Hincque alterum efflorescit, nec minus efficax argumentum, toties contra Hæreticos decantatum, nec ab illis unquam solutum, quod præscriptionis dicitur: est vero præscriptio, ut sæpius admonuimus, publica, constans, perpetua, & numquam interrupta ab Apostolicis temporibus, omnium Ecclesiarum ad doctrinam aliquam conspiratio, quam suis machinamentis disturbare novæ hæreses non possunt: nam si in jure civili diuturnæ possessionis tanta vis est, ut dejici de prædio sive fundo non possit, qui longo tempore & bona fide potitus eo fuerit: quanto id magis locum habebit in bonis ad Religionem spectantibus, quorum possessio

sessio hoc ipso quod probatur fuisse perpetua, pariter judicatur pertinere ad testamentum Christi, & ab ipso in Ecclesiam jure hæreditario devoluta? id quod præclare explicans Tertullianus: *Constat*, inquit, (*præscript. c.* 21) *omnem doctrinam, quæ cum Ecclesiis Apostolicis, matricibus, & originalibus fidei conspiret, veritati deputandam, idest, sine dubio tenentem, quod Ecclesiæ ab Apostolis, Apostoli a Christo, Christus a Deo suscepit, reliquam vero omnem doctrinam de mendacio præjudicandam, quæ sapiat contra veritatem Ecclesiarum, & Apostolorum, & Christi, & Dei*. Jam sic in forma instituitur argumentum.

Sæculo 16 quando cœperunt *Lutherani*, *Calvinistæ*, & alii contra Eucharisticum sacrificium impotentius invehi, res erat omnibus notissima, Eucharistiam haberi non tantum pro Sacramento, sed etiam pro vero legis Evangelicæ sacrificio: illud enim diebus singulis per omnes orientis & occidentis Ecclesias, summo apparatu, magnoque populorum concursu celebrari, non docti tantum, sed rudes & imperiti, viri ac mulieres, omnes denique cujusvis conditionis homines certissimo & quotidiano experimento compertum habebant. Atqui]

1. Quo primum tempore cœperit in Ecclesiam usus sacrificii antea incogniti introduci notari ab Hæreticis non potest.

2. Contra illos certissimis argumentis probatur, tamquam Christi & Ecclesiæ inimicos semper & ubique damnatos, quotquot sacrificium tollere de medio ausi sunt.

Ergo Eucharistiam verum esse legis novæ sacrificium ex præscriptione compertum est.

Singulas argumenti partes, ne quid scrupuli maneat, percurrere operæ pretium est:

Quantum quidem ad primam propositionem spectat, nihil opus est, ut in ejus probatione immoremur; revera enim Eucharistiam sæculo 16 pro vero sacrificio habitam, ex ipsa *Lutheranorum* ac *Calvinistarum* rebellione notissimum est: ut quid enim impietatis & Christo irrogatæ injuriæ Ecclesiam accusassent, si nullum sacrificium habuisset? deinde hoc ipsum declarant quæ tum temporis erant in usu omnium Ecclesiarum liturgiæ, de quibus si auderet aliquis dubium injicere, idem foret, ac si meridie diem esse negaret.

Aggredior itaque ad minorem, cujus hæc prima pars erat, quo primum tempore cœperit sacrificium antehac incognitum introduci, assignari ab Hæreticis non posse: hoc enim non posse confitentur, quod hactenus sæpe rogati, imo lacessiti non attentarunt: atqui sæpissime licet, etiam cum indignatione a Catholicis provocati, hactenus monstrare non potuerunt, quandonam Eucharistici sacrificii dogma pervadere in Ecclesiam cœperit; ergo hoc suo tam intempestivo silentio, vel inviti confitentur, rem a se peti penitus impossibilem.

Deinde: cum nec tempus, nec auctorem, nec fautorem novi dogmatis prodere valerent, debuerant saltem plausibilibus conjecturis, quatenus mutatio hæc contingere potuerit, suadere; atqui ne conjecturas quidem hujus rei facere potuerunt, nec mirum: nam quæso qui fieri poterat, ut contra fidem antiquam, in omnibus Orientis & Occidentis partibus, summa concordia credi inciperet, quod ante omnes latuisset, Eucharistiam scilicet esse sacrificium? quibus artibus, quibus præstigiis induci in hoc dogma possent, Catholici, Hæretici, Schismatici, Græci, Latini, homines scilicet tantum sibi contrarii, & contra se invicem odio inveterato exasperati?

2. Ejusdem minoris pars his verbis concepta erat: contra Lutheranos & Calvinistas certis argumentis probatur, velut Christi & Ecclesiæ inimicos semper & ubique damnatos, quotquot rejicere Eucharisticum sacrificium ausi sunt.

1. Enim ante 12 sæculum, præter *Manichæos* negantes, carnem humanam vere a Christo assumptam, & *Berengarium* qui 11 sæculo cœpit contra realem Christi in Eucharistia præsentiam vexillum exigere, nemo repertus est, qui de veritate Eucharistici sacrificii dubitaverit; atqui *Manichæi* Patrum concordi sententia damnati ubique sunt, & contra illos definitum, a Christo non phantasticum, sed verum corpus assumptum: nec sua *Berengario* impune temeritas cessit; illi enim anathema dictum a Patribus in diversis synodis per Galliam Italiamque coactis.

2. A 12 sæculo ad 16 præter *Petro-Brusianos*, quos *Petrus Venerabilis*, ut prædiximus, refutavit, & *Wiclefum*, sæpe in Anglia, quæ natalem ei diem dederat, condemnatum, neminem reperias qui aperte contra Eucharisticum sacrificium senserit.

Contendunt quidem Lutherani & Calvinistæ, *Waldenses* 12 sæculo, & *Joannem Hus* 15 in eadem sententia perstitisse: verum gratis hoc & sine fundamento confingunt: de *Waldensibus* enim certum est, testibus *Raynero*, *Seysellio*, & aliis, qui eorum errores accuratissime observarunt, certum, inquam est, Eucharisticum sacrificium admisisse, & in hoc tantum errasse, quod vellent a piis suæ sectæ hominibus, etiam Laicis, valide celebrari; secus vero ab Ecclesiæ Romanæ presbyteris, quos consecrandi potestate excidisse calumniaban-

bantur : nec minus constat *Joannem Hus* in nullo circa Eucharistiam capite ab Ecclesia dissensisse, præterquam in quæstione de Communione sub utraque specie : eoque hoc certius est, quod ille ipse Ecclesiastico licet interdicto innodatus, a celebratione missarum non destiterit, ut fatetur *Lauroquius* Calvinianæ sectæ minister, in historia quam de Eucharistia scripsit (*part.* 2, *c.* 59).

Deinde : etiamsi concederemus *Waldenses & Hussitas* sacrificium sustulisse, nihil inde præsidii heterodoxi haberent : non enim ab extraneis & inimicis, quos constat anathematis fulmine ictos, sed ab ipsa & in ipsa Ecclesia veritas quæri debet. Cum itaque Eucharisticum sacrificium semper & ubique Ecclesia obtulerit Deo, fatendum illud dogma esse sine exceptione certissimum : ut enim sæpe est cum S. Aug. dictum : (*cont. Donat. lib.* 4, *c.* 24) *Quod universa tenet Ecclesia, nec conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate Apostolica traditum rectissime creditur*.

PROBATIO TERTIA.

Ex atroci quadam Ethnicorum adversus Christianos calumnia.

Magna profecto vis est veritatis quæ ab ipsis adversariis & calumniatoribus testimonium extorquet, indeque unde opprimenda visa fuerat, vincit ac triumphat ; id quod in præsenti quantum alibi usquam feliciter experimur. Eucharistiam enim pro vero sacrificio ab ipsis Ecclesiæ primordiis habitam, & omni parenti Deo oblatam, certissime probat atrocissima quædam calumnia iis ipsis temporibus contra Christianos a Gentilibus pervulgata : accusabantur nimirum quod in suis sinaxibus & secretis conventiculis, se infanticidio macularent, & humana carne ac sanguine immaniter vescerentur : *Infantis sanguinem sitienter lambunt*, ajebat eorum quidam, (*Cæcilius apud Minutium*) *hujus certatim membra dispertiunt, has fœderantur hostia.... trium flagitiorum de nobis rumor spargitur*, ait Athenagoras, (*in Apolog. pro Christianis*) *impietas quæ deos tollat, epulæ Thiesteæ, concubitus incesti....* & Tertullianus : (*Apolog. c.* 7) *dicimur sceleratissimi de Sacramento infanticidii & pabulo.... illud præterea*, inquiebat Theophilus (*lib.* 3 *ad Autolicum*) *& crudelissimum & immanissimum est, quod nobis intendunt crimen, nos humanis carnibus vesci* : idemque martyribus Lugdunensibus a Tyranno objectum narrat *Eusebius*. (*hist. lib.* 5 *ab init.*) Jam sic prosequor argumentum :

Atqui hujus tam enormis accusationis non alia sive causa sive occasio esse poterat, quam quod Gentiles subobscure de Christianis audierant, eos in cœtibus suis humanam carnem & sanguinem offerre & immolare, suique deinceps sacrificii participes factos iisdem carnibus eodemque cruore quem fuderant, vesci : cum enim sacrificii incruenti mysterium ignorarent, quod sola percipit fides, facile adducebantur ut crederent, id omne quod de immolatione & sanguinis effusione persenserant, revera a Christianis crudelitate plusquam ferali impleri : augebat suspicionem tempus ipsum nocturnum & loci obscuritas quam fideles in suis congressibus affectabant ; unde *natio latebrosa & lucifugax* dicebantur : (*apud Minutium*) non enim vulgo solent qui bene agunt, quærere tenebras : sed, inquit Salvator, (*Joan.* 3, 20) *qui male agit, odit lucem* : addebat calumniæ robur *Gnosticorum*, *Carpocratianorum*, & quorumdam aliorum id temporis Hæreticorum impietas, qui nefanda in suis conventiculis crimina, ut Patres referunt, (*Epiph. hær.* 26, *&* 27, *Iren. lib.* 5, *cap.* 24 *&c.*) perpetrabant, nec humano ut alibi diximus, parcebant sanguini ; cum enim illi nomine Christiano gloriarentur, a quo tam prodigiose distabant, facile erat Gentilibus paucorum scelus in omnes refundere : hoc ergo titulo Christiani primis temporibus noti erant, quod externum sacrificium offerrent ; atqui non aliud illud esse poterat præter Eucharisticum, unde occasio nata erat fideles infanticidii accusandi ; ergo jam tum Eucharistiam esse verum sacrificium, erat in Oriente & Occidente vulgatum.

Eoque hujus argumenti vis major est, quod SS. Patres, quos hoc tempore ad Ecclesiæ suæ defensionem Deus excitavit, crimen equidem trucidati infantis, omni qua valebant auctoritate & ratione, uti par erat, repulerint, nusquam vero quod facile, imo necessarium ad refutandam calumniam, in adversariorum hypothesi, futurum erat, negaverint Eucharistiam esse sacrificium : quin hoc ipsum editis libris Apologeticis confirmaverint : sic Tertullianus modo laudatus : *Dicimur*, ait, *sceleratissimi de Sacramento infanticidii, & pabulo.... quis unquam taliter vagienti infanti supervenit? qui cruenta, ut invenerat cyclopum & sirenarum ora judici reseravit?.... si semper latemus, quando proditum est, quod admittimus?* &c. (*Apologet. c.* 7) atqui idem tamen Eucharistiam, sacrificium in suis libris sæpe vocat : idemque aliorum pene omnium exemplo probare in proclivi esset, nisi molestum foret, in re indubitata ac facili nimia prolixitate gravare lectorem.

PROBATIO QUARTA.

Ex Patrum testimoniis.

De SS. Ecclesiæ Doctoribus quid dicere opus est, quos non diffitentur recentiores Hæretici sibi esse contrarios, quorumque si luberet testimonia accurate describere, non scholasticæ exercitationes, sed integra essent exaranda volumina? itaque pauca eaque selecta decerpere satis erit.

ARGUMENTUM PRIMUM.

Ex Conciliis.

Occurrunt 1 loco Concilia, in quibus non unus aut duo, quid sentiret significarunt, sed multorum voce suam de sacrificio doctrinam Ecclesia Catholica edidit.

Sic *Nicæna* 1 œcumenica synodus (*an.*325) canone 18, *Pervenit*, inquit, *ad sanctum magnumque concilium, quod in quibusdam locis & civitatibus, presbyteris gratiam sacræ Communionis Diaconi porrigant: quod nec regula, nec consuetudo tradidit, ut ab his qui potestatem non habent offerendi, illi qui offerunt Christi Corpus accipiant.*

Concilium *Ephesinum I* (*anno* 431) in explicatione anathematismi 2: *Sanctum, ac vivificum incruentumque in Ecclesiis peragimus sacrificium: corpus quod proponitur, similiter & pretiosum Sanguinem non communis, nobisque similis hominis cujuspiam esse credentes, sed potius tamquam proprium corpus effectum, & Sanguinem Verbi quod omnia vivificat.*

Nec minus aperte suffragatur synodus *Chalcedonensis* Generalis, contra impium *Euthychem*, & *Dioscorum* congregata: (*anno* 450) oblatus his est Patribus contra eumdem *Dioscorum* Alexandrinum Patriarcham libellus, in quo præter cætera insatiabilis avaritiæ argumenta accusabatur, quod propter nimiam ab eo illatam Lybiæ partibus frumenti caritatem, aliquandiu sacrificium incruentum cessasset: *Tanta autem perpetrare ausus est*, (verba libelli sunt) *ut etiam frumentum quod a piissimis nostris Imperatoribus Ecclesiis Lybiæ propter ariditatem illius Provinciæ, & quia ibi omnino triticum non nascitur, præstitum est, in primis quidem ut incruenta ex ipso hostia offeratur, deinde ut & peregrini, nec non etiam ut Provinciæ pauperes aliquod habeant solatium, non permitteret suscipere sanctissimos Episcopos illius Provinciæ, sed emeret memoratum frumentum largissimis pecuniis, ipsum vero in tempore famis gravissimis æstimationibus venumdaret: & ex hoc neque terribile & incruentum sacrificium celebratum est.*

Eodemque sensu Patres Concilii XII Toletani (*anno* 681) can. 5: *Relatum nobis est*, inquiunt, *quosdam de Sacerdotibus non tot vicibus Communionis sanctæ gratiam sumere, quot sacrificia in una die videntur offerre: sed in uno die, si plurima per se Deo offerant sacrificia, in omnibus se oblationibus a Communione suspendant: & in sola tantum extremi sacrificii oblatione Communionis sanctæ gratiam sumant, quasi non sit toties illi vero & singulari sacrificio participandum, quoties Corporis & Sanguinis Domini nostri Jesu Christi immolatio facta constiterit: nam quale erit illud sacrificium, cui nec ipse sacrificans participasse cognoscitur* (*v. Concil. Ancyr. can.* 1, *Sardic. can.* 3, 4, 13, 2 *Carth. can.* 3, 8, 9 *&c.*)?

Hinc sic argumentor:

1. Si Eucharistia non esset verum ac proprie dictum sacrificium, pari ratione ministrum proprium non haberet, tamque a Diaconis, & inferioribus Clericis, quam a Presbyteris indifferenter fieri posset; atqui docent Nicæni Patres offerendæ Eucharistiæ solos Sacerdotes esse ministros: indeque probant, non debere Presbyteros Eucharistiam recipere a Diaconis, quia *nec regula, nec consuetudo patitur, ut ab his qui potestatem non habent offerendi, illi qui offerunt, Christi Corpus accipiant.* Ergo &c.

2. Contendunt Hæretici non aliud potuisse esse Corporis & sanguinis Christi sacrificium, quam cruentum: *Christus*, ajebat ore sacrilego Zuinglius, (*in Resp. ad Episc. Constantiensem*) *illic tantum offertur, ubi moritur, ubi patitur, & sanguinem suum effundit: at Christus amplius mori non potest, nec amplius patitur, vel sanguinem fundit; ergo amplius offerri non potest....* parique impietate Calvinus: (*instit. lib.* 4, *c.* 18) *eo directe spectat Missa, ut rursum, si fieri possit, trucidetur Christus*: nam ubi testamentum est, *inquit Apostolus*, mortem testatoris intercedere illic necesse est: *Missa novum Christi testamentum* præ se fert, ejus ergo mortem postulat.... *Si Christus in singulis Missis sacrificatur, eum singulis momentis, mille in locis crudeliter interfici oportet.*

Atqui docent in contrarium Patres *Ephesini & Chalcedonenses*, Eucharistiam esse incruentum Corporis & Sanguinis Domini nostri Jesu Christi sacrificium, & revera æterno Patri offerri. Ergo &c.

3. Volunt heterodoxi Eucharistiam nonnisi impro-

improprie sacrificium esse & appellari. Contrarium porro *Toletani* Patres affirmant: indeque probant, toties a Sacerdote debere Communionem fieri, quoties in die obtulerit, quia aliter *ratio sacrificii non constaret, cui nec ipse sacrificans participasse cognosceretur*. Ergo &c.

ARGUMENTUM SECUNDUM.

Ex Patribus Græcis.

Dogma Catholicum uno ore Græci attestantur.

Sic inter cæteros S. Irenæus, (*lib.* 4, *c.* 23) *Dominus*, ait, *suis discipulis dans consilium primitias Deo offerre ex suis creaturis, non quasi indigenti, sed ut ipsi nec infructuosi, nec ingrati sint, eum qui in creatura panis est, accepit, & gratias egit dicens*: Hoc est corpus meum: *& calicem similiter, qui est ex ea creatura quæ est secundum nos, suum sanguinem confessus est, & novi Testamenti novam docuit oblationem, quam Ecclesia ab Apostolis accipiens in universo mundo offert Deo.*

Eusebius Cæsariensis: *merito sane*, inquit, (*Demonst. Evang. lib.* 1, *cap.* 10) *illius memoriam corporisque ejusdem & Sanguinis recordationem quotidie celebrantes, & ad longe præstantius sacrificium & munus assumpti, quam illud antiquum fuerit, non amplius fas esse putamus, in prima illa & infirma elementa recidere, signa quædam & imagines, non ipsam veritatem continentia.*

S. Cyrillus Hierosolym. Eucharistiæ conficiendæ ritum explicans: *per hujusmodi hymnos*, inquit, (*Cath.* 5 *mystag.*) *nos ipsos sanctificantes, Deum benignissimum oramus, ut super dona proposita Sp. Sanctum emittat; ut panem quidem faciat corpus Christi, vinum vero Sanguinem Christi: omnino enim quod attigerit Sp. Sanctus, hoc sanctificatur & transmutatur. Deinde vero postquam confectum est illud spirituale sacrificium, & ille cultus incruentus super ipsam propitiationis hostiam, obsecramus Deum pro communi Ecclesiarum pace, pro tranquillitate mundi, pro Regibus, pro militibus, pro sociis, pro ægrotis & afflictis, & denique pro iis omnibus qui egent auxilio. Rogamus te, inquam, & hoc sacrificium tibi offerimus, memoriam faciendo etiam eorum qui ante nos obdormierunt .... maximum credentes animarum juvamen, pro quibus offertur precatio Sancti illius & tremendi, quod in altari positum est sacrificii .... pro defunctis precationes adhibentes, quamvis sint peccatores, Christum pro nostris peccatis mactatum offerimus, ut & nobis & illis, eum qui est benignissimus propitium reddamus.*

Vereor ut intempestivæ & inutilis diligentiæ arguar, si pergam aliorum verba transcribere. Legat, cui pauciora hæc quæ attulimus visa fuerint:

S. Ignatium Martyrem in suis passim Epistolis, præcipue in Ep. ad Smirnenses.

S. Justinum Martyrem in 2 pro Christianis Apologia.

S. Gregorium Nazianzenum, orationibus 1, 3, 4, & 19.

S. Basilium, lib. 2 de baptismo.

S. Gregorium Nyssenum, oratione 1 in resurrectione Christi.

S. Joannem Chrysost. hom. 11 ad populum Antiochenum; 52 in Ep. ad Ephesios, & aliis multis locis.

S. Cyrillum Alexand. in Ep. ad Nestorium.

Et alios denique omnes qui vel prioribus sæculis, vel adulta Ecclesiæ ætate scripserunt. Omnium enim vox una est, Eucharistiam verum esse ac proprium sacrificium.

ARGUMENTUM TERTIUM.

Ex Latinis Patribus.

Quid Latinæ Ecclesiæ Patres? nempe acceptam a Christo & ab Apostolis Doctrinam uniformiter non secus ac cæteri profitentur.

Tertullianus multis locis Eucharistiam sacrificium, ut prædiximus, appellat, lib. nimirum *de oratione* c. 13, Lib. *ad Scapulum*, c. 2, Lib. de *cultu Fœmin.* c. 11, in Libris *ad Uxor.* & alibi sæpe.

S. Cyprianus in Ep. ad *Cæcilium* sæpe laudata: (63) *apparet*, inquit, *Sanguinem Christi non offerri, si desit vinum Calici; nec sacrificium Domini cum legitima sanctificatione celebrari, nisi oblatio & sacrificium nostrum responderit passioni.... nam si Jesus Christus Dominus & Deus noster, ipse est summus Sacerdos Dei Patris, & sacrificium Patri se ipsum primus obtulit, & hoc fieri in sui commemorationem præcepit: utique ille Sacerdos vice Christi vere fungitur, qui id quod Christus fecit imitatur; & sacrificium verum & plenum tunc offert in Ecclesia Deo Patri, si sic incipiat offerre, secundum quod ipsum Christum videat obtulisse.*

Et Ep. 54 ad *Cornelium* S. Pontificem: *non pœnitet*, ait, *pacem concessisse tam fortibus, Immo Episcopatus nostri honor grandis & gloria est, pacem dedisse martyribus: ut Sacerdotes qui sacrificia Dei quotidie celebramus, hostias Deo & victimas præparemus.*

S. Ambrosius: (*Comment. in c. 1 Luc.*) *quando sacrificamus, Christus adest, Christus immolatur: etenim Pascha nostrum immolatus est Christus*.

Et alibi (*de offic. lib. 1, cap. 41*): S. Laurentii Martyris ad Sixtum Sum. Pontificem verba recitans: *quo progrederis sine filio Pater? quo Sacerdos Sancte sine Diacono properas? tu numquam sine ministro sacrificium offerre consueveras*.

S. Hieronymus: (*Contr. Pelag. lib. 3*) *Christus sic docuit Apostolos suos, ut quotidie in corporis illius sacrificio credentes audeant loqui*: Pater noster qui es in cœlis &c. ubi & sacrificii meminit, & Dominicæ orationis in ejus celebratione recitari solitæ.

Et contra *Luciferianos*: (*in Dial.*) *quamobrem*, inquit, *oro te, ut aut sacrificandi ei licentiam tribuas, cujus baptisma probes, aut reprobes ejus baptisma, quem non existimas Sacerdotem; neque enim fieri potest, ut qui in baptismate Sanctus est, sit apud altare peccator*.

S. Aug. (*de Civit. lib. 10, cap. 6*) *hoc est sacrificium Christianorum*, inquit, *multi unum sumus in Christo: quod etiam Sacramento altaris fidelibus noto frequentat Ecclesia, ubi ei demonstratur, quod in ea oblatione quam offert, ipsa offeratur*: quibus verbis S. Doctor utrumque Ecclesiæ sacrificium, exterius & interius comprehendit. Paulo vero post (*ibid. cap. 20*) de exteriori expresse sic loquitur: *unus verus ille mediator*, ait, ... *cum in forma Dei sacrificium cum Patre sumat, cum quo & unus Deus est; tamen in forma servi sacrificium maluit esse quam sumere.... ipse offerens, ipse & oblatio: cujus rei Sacramentum quotidianum esse voluit Ecclesiæ sacrificium, cum ipsius corporis ipse sit caput, & ipsius capitis ipsa sit corpus, tam ipsa per ipsum quam ipse per ipsam suetus offerri. Hujus veri sacrificii multiplicia variaque signa erant, sacrificia prisca Sanctorum, cum hoc unum per multa figuraretur .... huic summo veroque sacrificio, cuncta sacrificia falsa cesserunt*. (*v. eumdem Ep. 140, lib. 9 confess. c. 13, Enarr. 2 in Ps. 33, & alibi sæpe*).

Idem denique tradunt

Leo Magnus S. Pontifex, Ep. 81.

S. Fulgentius, l. 2 ad *Monimum*, c. 6.

S. Gregorius M. l. 4 Dialogorum, c. 55.

S. Isidorus Hispalensis l. 1 de Ecclesiæ officiis.

Et alii omnes quotquot de rebus divinis in Ecclesia Latina scripserunt; ita ut nec unum inter mille reperias, qui de Eucharistico Sacrificio vel non ex professo tractaverit, vel obiter saltem non fecerit, tamquam de re notissima mentionem.

Hinc sic enascitur argumentum:

Contendunt *Lutherani & Calvinistæ*, Patrum sententias, quibus Eucharistiam sacrificium esse affirmant, sensu metaphorico & figurato debere intelligi; atqui falso & immerito illud opponunt. Nam figuratæ locutiones, nec ita frequentes sunt, nec adeo perseveranter usurpantur ab omnibus, qui de eodem argumento, variis locis temporibusque scripserunt: atqui Patres Græci ac Latini, quotquot a primis temporibus de Eucharistia vel ex professo vel obiter tractaverunt, verum sacrificium esse asserunt, cui vetera sacrificia cuncta cesserunt. Ergo &c.

Inde. In sermonibus dogmaticis, in Catechesibus, in explicatione sensus literalis Scripturæ, vel locum non habent figuratæ locutiones, vel si ad sermonis ornatum aliquando admittantur, debet explicatio subsequi, ne videlicet auditoribus errandi occasio præbeatur; atqui Sancti Doctores in sermonibus dogmaticis, in Catechesibus ad infantium, & plebis rudioris captum accommodatis, in expositione familiari scripturæ, Eucharistiam verum ac proprium Ecclesiæ sacrificium esse dicunt, nullibi vero admonent debere sub figurato & tropologico sensu intelligi. Ergo &c.

Præterea. Juxta majorum doctrinam, veteribus sacrificiis Eucharistia successit. Ergo novum aliquod sacrificium esse debet: non enim succedit quod prius, sed quod posterius est; atqui si improprie tantum & sensu translato sacrificium esset, quatenus nimirum nudam, sine vera oblatione, crucis memoriam figuramque contineret, sacrificium novum dici non posset. Novum namque non est quod habet ab exordio mundi originem; atqui mysterium Christi figuris aliquibus esse significatum, est tam antiquum quam mundus ipse: Christum enim sacrificia *Abel*, *Noe*, *Abraham*, *Isaac* &c. longe ante præfigurabant, nec grata Deo & suavissimi odoris, ut Scriptura sæpe loquitur, esse poterant, nisi quatenus magnum illud venturi mediatoris sacrificium præmonstrabant, & sacrificium internum ac spirituale conjunctum habebant: quo sensu Patribus nostris *omnia in figura* dicuntur ad Apostolo, *contigisse*: (1 *Cor.* 10, 11) Christusque ipse vocatur, (*Apoc.* 13, 8) *agnus occisus ab origine mundi*. Cum itaque eo sensu sacrificium novum Eucharistia dici non possit, vel quia nuda sacrificii cruenti figura & commemoratio est, vel quia internum ac spirituale sacrificium conjunctum habet: quid superest, nisi ut sacrificium verum, proprium, & exterius ex Patrum mente dicatur?

Denique. Opponunt Patres Eucharisticum sacrificium antiquis, iisdemque exterioribus & pro-

proprie dictis. *Christus*, ait S. Irenæus modo laudatus, *novi Testamenti novam docuit oblationem, quam Ecclesia ab Apostolis accipiens in universo orbe offert Deo .... præstantius sacrificium*, inquit Eusebius, *Eucharistia est, quam antiqua fuerint*; idemque *S. Aug.* & alii, sæpe tradunt: ut igitur oppositio constet, fatendum, ex eorum sententia Eucharistiam, sacrificium utique exterius & proprium esse, cum hoc ab antiquis infinito discrimine, quod veritatem in se contineat, cujus umbræ præcedentia fuerant.

§. SECUNDUS.

Solvuntur objectiones.

Objiciunt. Infirmum ac debile est argumentum ex Patrum auctoritate petitum. Ergo&c.

℟. Nego ant. Non enim imbecille eorum ac contemnendum judicium est, quos Sp. Sanctus elegit, ut essent columnæ Ecclesiæ, eamque unaqualibet ætate ad repellendas hæreses, & veritatem stabiliendam juvarent; atqui præcellentes illos homines, quos Patres & magistros Ecclesiæ nominamus, singulari providentia elegit Sp. Sanctus, ut darent veritati laboranti præsidium, interpretarentur Scripturas, depositum fidei de manu in manum ad seram usque posteritatem transferrent, & denique emergentes hæreses inexpugnabili fidei scuto repellerent. De illis quippe dictum est: (*Ephes.* 4, 11 *& seq.*) *dedit Deus quosdam quidem Apostolos, alios vero Evangelistas, alios autem Pastores & Doctores, ad consummationem Sanctorum, in opus ministerii, ad ædificationem Corporis Christi.* Deo itaque ipsi, & non Patribus tantum, gravem Hæretici injuriam faciunt, eorum deprimendo auctoritatem.

Inst. 1. Probando ant. Quisquis fallibilis est, & errori obnoxius, sat auctoritatis non habet, ut dogma aliquod certo persuadeat; atqui Patres, quippe homines, fuerunt fallibiles, & erroribus multis obnoxii: *quid est*, inquiebat Lutherus, (*in lib. de abroganda Missa privata*) *quod me sperent suis propriis, id est humanis testimoniis, avertere a Divinis? an fingunt obscurum sibi ipsis esse sanctos & peccasse in vita, & errasse in doctrina sæpissime? si autem peccaverunt & erraverunt sæpissime, qui furor est, eorum facta & dicta, pro divinis & infallibilibus regulis pietatis statuere.... 2 objiciunt canonem .... hoc objectum aliud nihil vult, quam quod solent jactare: Patres, Patres, decreta, decreta, Ecclesia, Ecclesia, quoties nos a verbis Dei in verba hominum trahere conantur ....nos quoque hic dicimus, & multo fortius clamamus: Evangelium, Evangelium, Christus, Christus. Cur non sic jactemus Christum, ut illi jactant Patres? cur non Evangelium, ut illi decreta?* Ergo &c.

℟. Concessa maj. dist. min. Patres fuerunt fallibiles & errori obnoxii, in rebus quæ naturali lumine continentur, conc. in iis quæ ad doctrinam fidei pertinent, subdist. seorsim sumpti, conc. conjunctim, quando nimirum omnes aut pene omnes, in unum aliquod dogma conspirarunt, n. min. & conseq.

E. R. Primum omnium fatemur, Patrum, sive paucorum, sive plurium auctoritatem, cum ad eas res adstruendas affertur, quæ ad naturalem Philosophiam pertinet, certum argumentum veritatis non facere, sed tantum valere, quantum ratio ipsa qua moti illi sunt, persuaserit. Cujus palmaris est causa, quia cognitio rerum naturalium a fide & sanctitate non pendet, sed ab ipsis naturæ principiis, quæ sine dispendio fidei indifferenter sciri possunt vel ignorari.

Quantum vero ad eas res pertinet, quæ in sacris litteris & doctrina fidei continentur, concedimus pariter, SS. Doctores, si seorsim sumantur, tum potuisse errare, tum etiam persæpe errasse: atque adeo ex paucorum testimonio, præsertim si alii contradixerint, argumentum alicujus dogmatis adstruendi certum non haberi. Doctor enim quilibet, iis duntaxat exceptis, qui libros Canonicos ediderunt, spiritu humano locutus est: adeoque si impegerit in errorem, nulla est causa mirandi.

Sed prorsus negamus, erroris posse vel convinci vel argui, quando omnes vel pene omnes in alicujus dogmatis defensione consentiunt. Si enim a fide omnes errassent, in Ecclesiam ipsam quæ iis interpretibus usa est, & in eorum sententiis Doctrinam suam agnovit, accusatio ista recideret; atqui Ecclesiam universam decipi, impossibile est, quia verbo Dei contrarium. Idem ergo est existimandum de Patribus.

Deinde. Verbi Dei traditi certa & infallibilis, nec Scriptura inferior, ut sæpe diximus, auctoritas est; atqui non aliunde quam ex SS. veterum testimonio, ad nos traditio divina magna ex parte defluxit. Quisquis ergo Patrum consentientium labefactare auctoritatem attentat, divinæ ipsius & Apostolicæ traditionis fidem concutit, quia hæc duo ita sunt conjuncta; ut dissociari non possint. Jam sic subsumo.

Atqui Patres Ecclesiæ Eucharistiam verum esse sacrificium affirmando, de suo nil proferunt, neque aliud loquuntur quam quod Christus a Patre, a Christo Apostoli, Ecclesia ab Apo-

Apostolis accepit, summaque omnium ætatum ac gentium consensione servavit. Eorum ergo doctrinam velle in dubium mittere, idem est ac Evangelii & Ecclesiæ ædificium demoliri; atque ita ad *Lutheri* declamationem responsum esto.

Inst. 2. Atqui ex auctoritate Patrum certo non conficitur, Eucharistiam esse verum sacricium. Ergo &c.

Prob. subs. Ut hoc certo non evincant, satis est quod verba eorum translato sensu possint intelligi de eleemosynis, orationibus, gratiarum actionibus, & aliis actibus pietatis, quos fideles in unum coacti cœnæ Dominicæ tempore exercebant; atqui inquit *Lutherus* (*lib. de cap. Babylonica*) ita accipi nihil vetat Patrum sententias, quibus insinuari videtur, Eucharistiam esse sacrificium. Ergo &c.

℟. Nego subs. ad probat. concessa maj. n. min. & dico merum hoc esse Lutheri effugium. Ita enim SS. Patres affirmant Eucharistiam verum esse sacrificium, ut pariter ejus ministerium ac celebrationem doceant solis Sacerdotibus convenire: (*Conc. Nicæn. Can.* 18, *S. Epiph. hær.* 69 *&c.*) non ergo sacrificii nomen de iis actibus intelligunt, ad quos omnes æqualiter sive viri, sive mulieres, sive laici, sive Sacerdotes lege divina tenentur. Deinde sacrificium de quo loquuntur, asserunt sacrificiis veteribus successisse; adeoque novum esse, & legis Evangelicæ proprium. Quis vero sanæ mentis dixerit, orationem, gratiarum actionem, eleemosynam, aliaque hujus generis opera, sic legis Evangelicæ propria esse, ut sæculis præcedentibus in lege naturæ & scriptæ incognita fuerint? præterea, quid pluribus opus est? Patres de eodem sacrificio loquuntur, quod offerendum præscribit sacra Liturgia; atqui Liturgiæ omnes quæ a primis temporibus in Oriente & Occidente in usu fuerunt, offerendi, sacrificandi, mactandi, aliasque similes voces, non ad quodlibet indiscriminatim bonum opus, sed ad Corpus Christi & Sanguinem referunt, vi consecrationis in altari præsentia. Ergo &c.

Inst. 3. Atqui etiam quantum ad Eucharistiam debent verba Patrum improprio sensu intelligi. Ergo &c. prob. subs. Debent illa verba in sensu figurato accipi quibus hoc unum significatur, Eucharistiam esse memoriam sacrificii in Cruce peracti; atqui hoc unum intendunt Patres: *plures ex veteribus*, ait Zuinglius, (*in explicat. art.* 18) *sacrificii & oblationis nominibus usi sunt, pro ratione sui sæculi, non quod ipsi Corpus & Sanguinem Christi, quemadmodum Papistæ faciunt, offerre tentarent. Sed quandoquidem semel oblata, in perpetuum efficaciam habent abluendi peccata, & reconciliandi coram Deo, sua tempestate adhuc sacrificium nominarunt, non quod ipsi sacrificarent, sed quod Christus semel sacrificasset. Quemadmodum dicimus hunc diem esse resurrectionis Christi, neque tamen volumus, Christum hoc ipso die a mortuis resurgere: sed dies qua semel resurrexit, id nominis accepit & retinuit, ut semper resurrectionis dies quoties recurrit, appelletur. Hoc sensu existimo Patres Corpus & Sanguinem Christi sacrificium nominasse, non quod ipsi offerrent, sed de prima illa oblatione in cruce facta per Christum, cum se se Patri pro peccatis totius mundi hostiam immaculatam offerret, ut scilicet commemoratio sit ejus quod semel est factum*. Ergo &c.

℟. Nego subs. ad probat. dist. maj. Debent illa verba sensu figurato intelligi, quibus significatur Eucharistiam esse memoriam sacrificii Crucis, *memoriam*, inquam, *vacuam*, quę in mera contemplatione consistat, conc. *memoriam plenam*, quę hoc ipsum, incruento licet modo efficiat, quod in Cruce peractum est, n. maj. pariter dist. min. Hoc unum Patres significant, Eucharistiam esse sacrificii Crucis memoriam, *plenam*, conc. *vacuam*, n. min. & conseq.

E. ℟. Eodem modo in Eucharistia sacrificii Crucis, quo Corporis & Sanguinis Christi memoria fit; atqui ita Corporis Christi & Sanguinis, pro nobis in Cruce oblati memoria est, ut nihilominus utrumque vere realiterque contineat. Ergo a pari sic est memoria sacrificii cruenti, ut verum ipsa sit sacrificium. Eamque Sanctorum veterum esse doctrinam, ipsissimis eorum verbis est manifestum: Eucharistiam enim dicunt esse verum, plenum, sanctum, ipsisque tremendum Angelis Sacrificium, in quo Christus sic offertur, quomodo se ipsum Patri sacrificium obtulit: in hac incruenta sacrificii latria sive servitute, ajunt, omnes quę ante precesserant figuras impleri. Quomodo vero implerentur, si preter umbram & figuram Eucharistiæ oblatio nihil haberet? itaque cum Ecclesia Catholica simpliciter confitendum, Eucharistiam sic esse sacrificii cruenti memoriam, ut tamen verum ipsa sit, incruentum licet, sacrificium.

Deinde. Si vere, uti assimulabant, credidissent Hæretici, Patres metaphorico & improprio sensu Eucharistiam sacrificium appellasse, eo præcise quod sacrificii Christi commemoratio sit; debuerant hujusmodi locutionibus, quippe innoxiis parcere; nullaque iis causa erat Liturgias tanta antiquitate florentes, tanta omnium gentium consensione roboratas exterminandi; atqui e contrario, voces omnes quibus offerendi, sacrificandi, immolandi

landi actus exprimitur tamquam diabolicas respuerunt; in Liturgias omnes rabie impotenti sunt debacchati, totum divini officii ritum, abominationem esse dixerunt; quin & Sacerdotium ipsum, totumque hierarchicum Ordinem, ne quid eorum impietati deesset, de medio sustulerunt. Sentiebant ergo Patres non voce tenus, sed etiam sensu sibi esse contrarios.

Inst. 4. Atqui sentiunt Patres, Eucharistiam sic esse sacrificii crucis memoriam; ut nulla ratione sacrificium ipsa dici possit. Ergo &c.

Prob. subs. Ex S. Joanne Chrysost. *quid vero?* inquit, (*hom. 17 in Ep. ad Hebr.*) *nonne nos quotidie offerimus? offerimus quidem, sed ejus mortem revocamus in memoriam: & hæc oblatio una est, non multæ, quoniam semel est oblatus*: hinc sic torquent argumentum:

Ille censet Eucharistiam ita esse memoriam sacrificii Crucis, ut nulla ratione sacrificium dici possit, qui diserte docet, Corporis Christi unam tantum oblationem fuisse; atqui ita docet Chrysostomus. Ergo &c.

℟. Nego subs. ad probat. admitto auctoritatem, & dist. maj. Ille censet &c. qui docet Corporis Christi unam tantum fuisse oblationem *cruentam*, n. si id dicat ad exclusionem oblationis *incruentæ*, conc. maj. distinguo pariter min. Affirmat S. Chrysostomus, unam tantum fuisse oblationem, *cruentam*, neque plures esse posse, conc. illud dicit cum exclusione oblationis *incruentæ*, n. min. & conseq.

E. ℟. Duo docet eo loci S. Doctor. 1. Est, Corpus Christi unam tantum esse potuisse cruentam oblationem. Alterum: hoc ipsum quod in Cruce a Christo oblatum est, quotidie in altari offerri: *nonne*, inquit, *nos quotidie offerimus? offerimus quidem, sed ejus mortem revocamus in memoriam: & hæc oblatio una est, non multæ, quoniam semel est oblatus: quemadmodum illa quæ in Sancta Sanctorum inferebatur; hæc enim figura fuit illius .... si quidem eumdem semper offerimus: hoc est, non alias ovem alteram, alias aliam, sed eamdem perpetuo: itaque unicum est sacrificium. Quoniam multis in locis offertur, multi ne sunt Christi? nequaquam: sed unus ubique Christus. Quomodo ergo multis in locis oblatus, unum est corpus, non multa corpora; ita etiam unum est sacrificium. Pontifex noster ille est, qui illam obtulit hostiam quæ nos mundat: illam nunc quoque offerimus, quæ tunc fuit oblata, quæ non potest consumi; hoc fit in recordationem ejus quod tunc factum est; hoc enim, inquit, facite in mei recordationem. Non aliam hostiam sicut Pontifex antiquæ legis, sed eamdem semper facimus, vel potius hostiæ seu sacrificii facimus recordationem.* Ita S. Doctor, cujus verba, quoniam dogma Catholicum mirifice explicant, mirum foret ab Hæreticis opponi, nisi hanc eorum indolem esse sciremus, in Scripturis & Patribus non videre, nisi quod lubet.

Inst. 5. Si Patres existimarent, habere Eucharistiam veri sacrificii conditionem, alteri præter Christum Sacerdotii honorem tribuerent; atqui Patrum Doctrina est, neminem, preter Christum, novę legis esse Sacerdotem. Ergo &c.

℟. Concessa maj. n. min. Soli quidem Christo Sacerdotii plenitudinem, atque, ut sic dixerim, substantiam, juxta Doctrinam Scripturæ vindicant SS. Doctores. At iidem tamen ex sacris litteris & traditione propugnant, reliquisse Christum sui Sacerdotii vicarios & visibiles administros, ad quos præcipue pertineret, incruentum sacrificium ad consummationem sæculi celebrare. Qua de re tum alibi diximus, (*lib. 1 de Sac. in gen. quæst. 6, cap. 1*) tum in tractatu de Sacramento ordinis, ubi de Sacerdotio agetur, dicturi sumus. Interim satis fuerit, superius laudatum Nicæni Concilii Canonem memoria revocare: *pervenit*, inquit, *ad Sanctum magnumque Concilium, quod in quibusdam locis & civitatibus Presbyteris gratiam sacræ communionis Diaconi porrigant: quod nec regula, nec consuetudo tradidit, ut ab his qui potestatem non habent offerendi, illi qui offerunt, Christi Corpus accipiant.*

Inst. 6. Probando min. Qui vere Sacerdos est, idem est Deum inter & homines intercessor; atqui ex SS. Patribus, præsertim vero ex *S. Aug.* nemo homo potest esse Deum inter & homines intercessor. Immo Antichristi vocem fore testatur si quis Episcopus ita loqueretur: *si quis peccaverit, mediatorem me habetis apud Patrem, & ego exoro pro peccatis vestris* (*Contr. Parmen. lib. 2, c. 8*). Ergo &c.

℟. Dist. maj. Qui vere Sacerdos est, idem est Deum inter & homines intercessor, *merito Christi*, a quo habet Eucharisticum sacrificium suam omnem efficaciam, conc. *merito suo*, quasi virtutis quidpiam in sacrificium influat, n. maj. distinguo pariter min. Ex SS. Patribus nullus homo potest esse Deum inter & homines intercessor: *proprio merito*, conc. *merito Christi*, qui est simul Sacerdos & hostia, n. min. & conseq.

E. ℟. Negat *S. Aug.* posse Episcopum esse Deum inter & homines mediatorem, eo sensu quo idipsum affirmabat *Parmenianus*, audax ille factionis *Donatistarum* protector, volens nimirum sacrificii & orationis efficaciam ita a ministrorum sanctitate pendere; ut malus Sacerdos pro populo exaudiri omnino non posset.

set. Quem errorem inde refellit, quia non ab hominibus, sed a Christo vero mediatore Sacramentorum & sacrificii virtus unice dependet, de quo solo dictum est, quod eum *apud Patrem Advocatum habeamus*, *& quod ipse sit propitiatio pro peccatis nostris* (1 *Jo.* 2, 1, *& seq.*): nihil itaque ex hoc S. Doctoris testimonio contra Catholicum dogma inferri potest. Non enim sic dicimus, Episcopos & Sacerdotes Deum inter & homines intercedere, quasi suo nomine transigant, & propriis meritis Deum placare præsumant; sed quia ipsum offerunt Christum, ejusque apud Patrem nomine agunt.

Inst. ultimo. Si Eucharistia verum esset sacrificium, divinam institutionem haberet: non habet porro. Quod enim constat ab hominibus inventum, Deo auctori asseri nequit; atqui missam ab hominibus institutam, ex antiquis Liturgiis constat, quæ non Christi, sed hominum esse dicuntur; altera enim *Clementis*, altera *Basilii*, *Chrysost.* altera nominatur &c. hisque suis nomenclationibus semetipsas produnt, & quod Deum auctorem non habeant attestantur. Ergo &c.

℟. Concessa maj. n. min. Tunc enim est Eucharisticum Sacrificium institutum, quando Christus in ultima cœna se ipsum æterno summoque Deo, sub visibilibus panis & vini speciebus, tamquam agnum vere Paschalem, ritu novo obtulit, & hoc ipsum in perpetuum, ab Apostolis eorumque successoribus fieri, his verbis sanxit: *hoc facite in meam commemorationem*: habet ergo Eucharistia institutionem divinam.

Ad probationem concessa maj. dist. min. constat missam ab hominibus institutam, quantum ad ordinem & formulas precum, *transeat*, quantum ad rem ipsam sive sacrificium, n. min. & conseq.

E. ℟. Non ideo Liturgias *Clementis*, *Basilii*, & aliorum dicimus esse, quod ipsi fuerint sacrificandi in nova lege auctores; contrarium enim ipsę Liturgię contestantur; sed quia cæremonias ac precum formulas descripserunt in sacrificio observandas: neque magis hoc argumentum contra nos facit, quam si quis diceret, Christi Evangelium non esse, quia a *Matthæo*, *Luca*, & aliis sacris Scriptoribus nomen habet; aut baptismum non esse institutum a Christo, quia ejus dandi cæremonias, non per se ipse immediate, sed Ecclesia ordinavit. Dixi, *transeat*: quod enim a Christo factum est, quando instituendo sacrificium, accepto pane & calice, *benedixit*, *gratias egit*, *fregit*, *& distribuit*, sacrificii seriem, ordinemque complectitur.

CAPUT TERTIUM.

Diversa Eucharistici Sacrificii nomina explicantur.

Diversis nominibus Græci, Latinique oblationem Eucharistiæ appellarunt, quæ quoniam divini hujus sacrificii, vel naturam, vel proprietates, vel excellentiam prædicant, ignorari a viro Theologo turpe fuerit. Quamquam enim grammaticorum more vocabula excutere & rimari nostrum non est; at ea certe scire debemus, quæ ad res sacras & supernaturales quadantenus delineandas, sapienter a majoribus excogitata fuerunt: principium enim eruditionis, ut Philosophi admonent, intelligentia vocum est. Sit itaque

§. PRIMUS.

De Græcorum Nominibus.

A Græcis quidem & Orientalibus, quæ sequuntur legimus pervulgata: oblationem Eucharistiæ, alii *Mystagogiam*, *Synaxin* alii, *Teleten* illi, isti *Œconomiam*, quidam *Anaphoram*, *Prosphoram* alii, alii *Hierurgiam* . . . *Eulogiam* . . . *Agathon* . . . *Mysterion*, *Latreian* . . . *Dipnon* ... &c. appellarunt. Omnium vero receptissima vox, *sacra Liturgia* fuit: quas ut breviter perstringamus:

Μύςαγογια Græce idem est ac Latine, *actio secreta & mystica*: cum itaque in sacrificio Eucharistico opus plane secretum divinumque fiat, quando verbis ipsis Christi, panis & vinum in Corpus ejus & Sanguinem mirabiliter convertuntur, & Deo Agnus ille vere Paschalis offertur: non est mirum, a Patribus *Mystagogiam* nominari: hinc *S. Cyrillus Hierosolymitanus* Catecheses de Eucharistia *Mystagogicas* inscripsit.

Συναξιν, Latine *collectionem*, sive *congregationem* reddimus: ideo autem Eucharistico sacrificio hoc nomen est inditum; tum quia ad ejus celebrationem fideles in locum unum vocantur, tum præcipue quia per illud Christo capiti nostro conjungimur, & unum cum Deo vera quadam ratione sumus. Tunc enim vere illud impletur, quod Christus morti proximus Patrem rogavit: (*Jo.* 17, 20, *& seq.*) *pro eis rogo*, *ut omnes unum sint*, *sicut tu Pater in me*, *& ego in te*, *ut & ipsi in nobis unum sint*.

Τελετη, sive τελειωτις, idem ac Latine *perfectio*, sive, *consummatio* est: jam vero quis non videt ideo hoc nomine oblationem Eucharistiæ insignitam, tum quia in eo Christus,

stus, fons totius perfectionis offertur, tum quia sacrarum operationum quæcumque in Religione esse possunt, longe perfectissima est? hinc ab Apostolo de Christo dictum: (*Hebr.* 10, 14) quod *una oblatione consummavit in æternum sanctificatos*: hinc Ecclesia inter missarum solemnia, vel saltem Eucharistia præsente, cetera Sacramenta conficere consuevit, quia a Christo quem realiter continet, omnem suam virtutem habent: unde omnium perfectionum perfectio, τελετων τελετη nominatur.

Οἰκονομια cur dicta fuerit, facile assequetur, qui vocis hujus proprietatem intelliget: est autem *Œconomia*, provida rei administratio, ad aliorum commodum & utilitatem ordinata. Cum igitur Verbum Divinum incarnatione sua & institutione Eucharistiæ, quæ incarnationis extensio & continuatio est, hominum saluti & gloriæ Dei mirabiliter consuluerit; utrumque mysterium Œconomiæ vocabulo aptissime designatur: hinc *Eusebius Cæsariensis*, institutionem Eucharistiæ memorans, ait, (*Demonst. Evang. lib.* 8) *Christum priùs quam pateretur, Discipulis suis symbola divinæ Œconomiæ tradidisse*.

Αναφοραν, *sursum elationem*, sive *elevationem*, nostri interpretantur. Merito ergo donata hoc nomine Eucharistia est, tum quia in ea oblatio fit Corporis & Sanguinis Christi, quæ sursum ad Deum fertur; tum quia quod de omni ratione dicitur, *elevationem mentis ad Deum* esse, multo magis huic sacrificio omnium excellentissimo convenit: hinc Sacerdos sacrum quantocyus operaturus fidelem populum admonet, ut *sursum corda* erigat; cui respondet concio tota: *habemus ad Dominum*.

Προσφορα, quia idem ac Latine *oblatio* est, nihil difficultatis importat. Idemque de cæteris vocibus dicimus, quæ statim atque intelliguntur, cur inditæ Eucharistico sacrificio fuerint, sine nova interpretatione manifesto apparet. Est enim Ἱερουργια *actio sacra*: ευλογια, *benedictio*: αγαθον, *bonum*: μυστηριον, *recondita res*: λατρεια, *servitus*, δειπνος, *cœna*.

Restat ut vocem λειτουργιας explicemus, quam a grammaticis & profanis Scriptoribus ad significandum publicum quodcumque munus, sive ministerium institutam, dudum est, quod Græca & Orientalis Ecclesia denotando Eucharistico sacrificio, addito Liturgiæ *Sacræ* epitheto destinavit. Quin & ab ipsis Apostolis hac significatione donata est: quod enim in Actibus Apost. Græce legitur: (*Actor.* 13, 2) λειτουργουντων δε αυτων τω κυριω: ubi vulgata nostra sic reddit: *ministrantibus illis Domino*: ministrandi actum eumdem esse ac sacrificandi merito cum Ecclesia Catholica *Erasmus* contendit: hoc autem melius in Eucharistiam hæc appellatio quadrat, quod nullum in Ecclesia ministerium magis publicum magisque solemne sit, quam actio Sacerdotis Christi & Ecclesiæ nomine Deo Sanctissimum sacrificium offerentis: hinc ad totum ordinem Sacrificii & orationum in illo fundi solitarum formulas *Liturgiæ* nomen extensum est: unde contigit, ut licet sacrificium unum sit, plures tamen pro contextuum & precum varietate *Liturgiæ*, non incongrue dicerentur.

§. SECUNDUS.

De vocibus, quibus Latini Sacrificium Eucharisticum expresserunt.

Habuerunt & Latini proprias, quas sigillatim, ne quis in ambiguo hæreat, recensebimus.

1. *Collectam*, sive *collectionem* dixerunt; tum quia tempore sacrificii fiebat in conventu publico eleemosynarum pauperibus distribuendarum collectio; tum præcipue quia ad ejus celebrationem statutis diebus & horis plebs Christiana colligebatur: quo sensu de *S. Saturnino* Martyre & sociis ejus, apud *Bollandum* die 11 Februarii legitur, ideo ad Proconsulem adductos, quod contra edictum Imperatorum, *collectam*, sive *Dominicum* celebrassent. Consentit *S. Hieronymus* de Joanne Apostolo scribens, (*Comment. in c.* 6 *Epist. ad Galat.*) quod in fine vitæ suæ, *nihil aliud per singulas solebat proferre collectas, nisi hoc: filioli, diligite alterutrum*: cui simile est quod legitur apud *S. Augustinum*, in breviculo collationum cum Donatistis: (*Collat.* 3 *diei tom.* 9) *confitebantur, se collectam, & Dominicum egisse*.

2. Non infrequenter *Dominicum* legimus appellatum, sacrificium scilicet a Domino institutum, quomodo oratio quam Christus nos docuit, antonomastice *Dominica* dicta est: extat ea de re *S. Cypriani* expressum testimonium: (*Ep.* 63 *ad Cæcil.*) *numquid ergo*, inquit, *Dominicum post cœnam celebrare debemus, ut sic mysticum Sanguinem frequentandis dominicis offeramus?* . . . & alibi: (*lib. de operib. & eleemosyn.*) *locuples & dives es, & Dominicum celebrare te credis, quæ corbonam omnino non respicis, quæ in Dominicum sine sacrificio venis, quæ panem de sacrificio quod pauper obtulit sumis?* idemque apud *Bollandum* in actis *S. Saturnini* modo citatis, ad diem 11 Februarii legitur. Sed & in *Romano Martyrologio* ad 8 Kal. Januarii, multa martyrum millia memorantur, qui cum ad *Dominicum*, in Christi Natali *Nicomediæ* convenissent, jussu *Diocletiani* in Ecclesia clausi, & igne admoto consumpti sunt.

3. Quia participatio sacrificii ab ejus oblatione separari nequit, ideo, *communio*, *mensa Domini*, *panis fractio* dicta est. Quarum appellationum in Scripturis, & antiquis doctoribus frequentia habemus exempla: *erant perseverantes*, inquit S. Lucas (*Act.* 2, 41), *in doctrina Apostolorum*, *& communicatione fractionis panis*, *& orationibus . . . non potestis*, ait B. Paulus, (1 *Cor.* 10, 21) *mensæ Domini participes esse*, *& mensæ dæmoniorum*: hæc enim verba certissimo ad sacrificium pertinere, superius abunde est declaratum. Cur autem communio dicta sit, luculenter, præter cæteros explicat S. Joannes Damascenus: *communio*, inquit, (*de fide Ort. lib.* 4, *cap.* 14) *optimo jure appellatur*, *quia per illud cum Christo commercium habemus*, *ac carnem ipsius*, *de divinitate percipimus*; *atque adeo nos inter nos communicamus*, *atque copulamur*. *Quia enim ex uno pane participamus*, *omnes unum Christi Corpus & unus Sanguis*, *& aliorum membra efficimur*, *Christique concorporei existimus*.

4. Habita ratione victimæ sanctæ & immaculatæ quæ æterno Patri offertur, *hostiæ*.... *latriæ* . . . . *mysterii* . . . . *oblationis*, & similia nomina sortita est: nec quidquam aliud quam sacrificium Eucharisticum, Patres communiter per offerendi vocem significabant: *alibi*, inquit S. Augustinus (*Ep. ad Jan.* 54, *alias* 118), *nullus dies omittitur*, *quo non offeratur*: *alibi Sabbato tantum & die Dominico*. Sed & longe ante Tertullianus: (*lib.* 2 *ad uxor. cap.* 4) *quis enarrare sufficiat felicitatem illius matrimonii*, *quod Ecclesia conciliat*, *confirmat oblatio*, *& obsignat benedictio?*

5. Quod si ad sacrificii efficaciam & virtutem respiceretur, *pignus* . . . *pretium* ... *bonum* . . . *gratia* dicebatur: quas voces, quoniam sensum facillimum, neminique non obvium habent, explicare superfluum.

6. Sacrarum quæ ibidem exercentur operationum intuitu, *agendam* legimus plerumque vocatum, ordinem scilicet, sive seriem rerum in sacrificio agendarum: extat de hac re *Concilii* 2 *Carthaginensis* canon his verbis conceptus: *ab universis Episcopis dictum est*: *quisquis Presbyter inconsulto Episcopo*, *agenda in quolibet loco voluerit celebrare*; *ipse honori suo contrarius existit*. Idemque iisdem pene verbis in antiquis Regum Franciæ capitularibus constitutum: (*v. capit. Caroli M. lib.* 6, *cap.* 234, *lib.* 7, *cap.* 165, *&c.*) nec abhorret hæc a Latino sermone locutio: *faciendi* enim, sive *agendi* vocem pro actu ipso sacrificii, legimus a melioris notæ Scriptoribus usurpatam. Sic *Plautus* in Aulularia: (*Act.* 4, *sc.* 2) *aurum*, inquit, *si reperero*, (*o fides*) *mulsi congialem plenam faciam tibi fideliam*: *id adeo tibi faciam*, &c. ibidemque: *nunc lavabo*, *ut rem divinam faciam*: & Virgilius: (*Ecl.* 3) *cum faciam vitula pro frugibus*, *ipse venito*: quin & Cicero: (*in orat. pro Muræna*) *Juno sospita*, *cui omnes consules facere necesse est*. Quod ideo duximus observandum, ne quis stupeat in vulgata nostra vocem *facere*, pro significando sacrificio adhiberi (*v. Levit.* 15, *v.* 15, *&* 30, *ib.* 23, 19, *Judic.* 13, 15, *&c.*).

7. Tandem trita omnium sermone est, lippisque & tonsoribus nota vox *Missæ*, nec fere aliam sive populi, sive Sacerdotes ad significandum sacrificium, in ore habent. Antiquissimam esse hanc appellationem nemo negabit, nisi qui Patres nec a limine salutaverit: hanc enim, non ut novam, sed ut fidelibus sui temporis usitatam, 4, 5, & 6 sæculo, *S. Ambrosius* (*Epist.* 13 *ad Marcellinam Sororem*: *& serm.* 34), *S. Aug.* (*Serm.* 91, *&* 237 *de temp.*), *S. Leo* (*Ep.* 81 *ad Diosc. Alexand.*) *S. Gregorius M.* (*in suis passim Epis. & sermon.*) & plerique alii usurparunt: nec desunt qui ab ipsis Evangelii exordiis, in honore fuisse affirmant (*v. Baron. ad ann.* 34, *n.* 59. *Stephan. Durantum in lib. de Ritib. Eccl. &c.*).

Sed de origine ejus & ethymologia, necdum sopita lis est, quæ multorum hactenus torsit, forteque in posterum torquebit ingenia: idque ut candide fateamur, non admodum necessario. Ubi enim de voce constat, quod ad significandam Eucharistiæ oblationem ab antiquo fuerit consecrata; radicem ejus & ethymum inquirere, curiosum magis, quam utile: ab hac enim inquisitione fortunas Ecclesiæ non pendere satis intelligitur. Quia tamen doctissimos, ut prædixi, homines quæstio ista exercuit, ne videamur eorum laborem contemnere, non pigebit diversas super hac re breviter recensere sententias.

1. Sunt qui contendant *Missæ* nomen mere esse hebraicum, idem quod *oblatio* Latine significans: *ac si*, inquit Cardinalis Bona, (*rerum Liturg. lib.* 1, *c.* 1) *nihil antiquum*, *nihil Catholicum foret*, *nisi Hebræo nomine insignitum*: in hanc opinionem fuerant, *Joannes Reuchlinus* (*lib.* 2 *Hebraicarum eruditionum*): *Claudius de Sainctes*: (*præf. ad Liturg. Patrum*) *Genebrardus* (*de Liturg. Apost. c.* 7) *Baronius Cardinalis*, (*ad an.* 34, *n.* 59) aliique non pauci. Inde vero suam sententiam adstruunt, quod *Deuteronomii c.* 16, v. 10, ubi in vulgata nostra, *oblatio* legitur, in textu Hebraico non מסה *Missah* ad idem significandum reperiatur: hincque colligunt, ab Hebræis ad Apostolos, a Petro vero Apostolorum Principe ad Latinos *Missæ* vocabulum de-

derivatum, & Romæ ab ipsis Ecclesiæ incunabulis, totoque passim Occidente usurpatum: verum quia sine teste idoneo hoc dicunt, tanti non sunt, quod bona eorum pace dixerimus, ut facile eis credatur. Nam si *Missæ* nomen ab Hebræis Apostoli acceperunt, qui factum est ut illud Græci & Orientales quos Apostoli non secus ac Latinos erudierunt, non susceperint, quomodo, *Amen*, *alleluja*, *Sabaoth*, & pleraque alia susceperunt? atqui nullibi in antiquis Græcorum Liturgiis Patrumque vetustiorum monumentis vox illa occurrit; nec ejus vel minimam mentionem ingerunt *Justinus* Martyr, *Origenes*, *Epiphanius*, *Hieronymus*, & alii, quos linguæ Hebraicæ peritos fuisse constat. Gratis ergo & absque fundamento fingitur, vocem hanc ad significandum Ecclesiæ sacrificium, ab ipsis Apostolis consecratam. Quod vero ajunt *Missah* nomen in Deuteronomio, ad designandam oblationem occurrere, nihil prorsus facit ad rem. Non enim hic quærimus, utrum vox *Missa* aliquam cum dictione una Hebraica forte convenientiam habeat; sed utrum ideo a Latinis fuerit usurpata, quia ab Hebræis accepta? quis enim nescit in linguis quantumvis dissitis & diversis, casu plerumque contingere ut eamdem rem unius soni vocibus exprimant? nec tamen adeo quisquam ineptus est, ut contendat Gallos aut Italos e. c. ad idioma Hebraicum respexisse, in iis vocibus quas, & accidere potest, & accidit revera, cum Hebræis communes habent. Pariter ergo non inde sequitur *Missæ* vocabulum Apostolos ab Hebræis, quo sensu in Latina ecclesia invaluit, accepisse.

2. Alii, in quibus primus est *Genebrardus* (*de Liturg. Apos. cap.* 7) a voce Græca μυησις, *doctrina*, *initiatio*, nomen *Missæ* acceptum volunt: est enim μυεω idem ac, *mystica doceo*, *spiritualiter initio*. Cum itaque doctrinam omnium sanctissimam, & mysteriorum maxima sacrificium Missæ contineat; fieri potuit, ut Græca vox paucis literulis immutatis, in formam Latini eloquii transferretur. Eoque lubentius opinionem hanc amplectuntur, quod apud Græcos quosdam Scriptores *Missæ* vocabulum, ad sacrificium significandum occurrat. Verum hæc levissima conjectura est, & ne grammatico quidem, nedum viro Theologo satis digna; nec forte ullum occurrit in scriptis Græcorum ac Latinorum exemplum, quo probetur Eucharisticum sacrificium μυησις, sive *doctrinam* appellatum. Quod vero Græcorum quorumdam auctoritate se se tuentur, quibus *Missæ* vox non fuit incognita, futile prorsus est & imbecillum: quos enim afferunt Scriptores, non prioris ætatis, sed posterioris sunt, undecimo scilicet sæculo & etiam recentius nati. Unde ex eorum testimonio magis probatur hanc vocem Latinam esse quam Græcam, Latinorum scilicet commercio introductam.

3. Singularis *Gabrielis Albaspinæi* opinio fuit, (*lib.* 2 *de Sacr. Euch. c.* 3) vocem hanc de Septentrione invectam: harum enim Regionum populi, inquit, festum diem, & plebis congregationem, voce vernacula *Mess* solent enuntiare. Cum itaque populo solemniter adunato Missæ sacrificium offeratur: quid obstat quominus *Missæ* nomen Septentrionalibus referamus acceptum? atqui obstat quam maxime ratio temporis, de qua subducenda si cogitasset *Albaspinæus* accerrimi aliunde ingenii, & magnæ eruditionis Theologus, in hanc opinionem adduci nunquam potuisset. Serius enim aliis Occidentis provinciis, Septentrionales doctrinam Evangelii receperunt; atqui, ut paulo ante dicebamus, missæ nomen in Occidente jam erat quarto sæculo vulgatissimum. Non ergo ab illis ad nos, sed a nobis potius ad illos hæc est sacrificii denominatio propagata.

4. Demum aliis rejectis quas memoravimus opinionibus, *Missam* a verbo Latino *mitto*, dictam contendunt. Cur autem nomen a *mittendo* sortita sit, inter omnes non convenit. Quidam ideo sic appellatam volunt, quia populus ministerio Sacerdotis preces ad Deum, omniumque purissimam oblationem transmittit: *in fine missæ*, inquit S. Thomas, (3 *p. q.* 83, *art.* 4, *ad* 9) *Diaconus populum licentiat*, *dicens*: *ite missa est*: *scilicet hostia ad Deum per angelum*, *ut scilicet sit Deo accepta*: eademque *Stephani Eduensis* (*lib. de Sacram. Alt. c.* 18): *Petri Cluniacensis* (*lib.* 2 *miracul. cap.* 28): *Ruperti Abbatis* (*lib.* 2 *de divin. offic. c.* 23), & aliorum opinio fuit. Quibusdam magis arridet, ideo sic vocatam, vel quia nos Eucharistia mittit ad Deum (*Alcuin. lib. de div. off. c.* 40): vel quia Angeli a Deo mittuntur, ut tremendo mysterio præsentes assistant (*Mag. Sent. lib.* 4, *dist.* 15): vel quia Christus a Patre ad nos, reconciliationis hostia missus, ad Patrem ope sacrificii, in odorem suavitatis remittitur (*Nicolaus Beguinus lib.* 3 *de Pasch. c* 3). Quæ quidem sententiæ licet probabilitate non careant: probabilissima tamen eorum est, qui a *missione* seu *dimissione* populi hoc nomen ductum affirmant: unde per hanc formulam; *ite missa est*: peracto sacrificio populus e templo exire, & ad proprias quisque domos redire permittitur. Nam quod *mittere* sæpe pro *dimittere* sumatur, nemo in Latina lingua tantisper versatus ignorat. *Cicero Philippica* 5, placere ait, *legiones bello confecto missas fieri*: parique sen-

su *Svetonius* in vita *Caligulæ* c. 25 de *Lollia Paulina* quam is sibi matrimonio junxerat: *brevi*, inquit, *missam fecit*, id est *dimisit*: nec sensu dissimili vocem hanc auctores Ecclesiastici usurparunt, quos magno numero laudat in eximio de *rebus Liturgicis* opere Cardinalis *Joannes Bona* l. 1, cap. 1. De antiquis sane Monachis certissimum est, quod *missam* pro missione, sive dimissione communiter dixerint. Quid enim aliud hæc Sancti Benedicti in *Regula* verba sonant, ubi postquam ea præscripsit quæ ad divinum officium pertinent: *deinde*, inquit, *missæ fiant*? Quid item hæc altera *Cassiani* l. 2 institutionum c. 13 sic inscribentis: *quare post Missam nocturnam dormire non oporteat*? quid, inquam, hæc aliud nisi dimissionem a choro, & ad proprias cujusque cellulas reditum significant?

Quid vero opus est, in hoc adstruendo diutius laborare, quod Scriptores priscæ ætatis testatum apertissime voluerunt? Sic *Avitus Viennensis*, qui desinente 5 & 6 ineunte sæculo floruit: *non missum facitis*, inquit, (*Ep. 1, ad Regem Burgund.*) *nihil aliud est, quam non dimittitis: a cujus proprietate sermonis, in Ecclesiis, palatiisque, sive praetoriis missa fieri pronuntiatur, cum populus ab observatione dimittitur* .... & *S. Gregorius M.* in Sacramentario, ubi descripto officio feriæ 6 parasceves, tandem in fine dicit: *deinde communicat ipse & omnis clerus, & fiant missæ*; ubi ad marginem *Pamelius* ita monet: *ex hac postrema clausula colligere est, cur missa nuncupetur, nempe a dimittendo populo* .... idemque præter cæteros, *Rabanus Maurus* (*de instit. Cler. cap. 32*): *Florus Magister*: & *Remigius Altissiodorensis* (*in exposit. Miss.*) affirmant. *Missa*, inquiunt, *nihil aliud intelligitur, quam dimissio, id est absolutio, quam celebratis omnibus, tunc Diaconus esse pronuntiat, cum populus a solemni observatione dimittitur*.

Hinc duplicis *Missæ* nata distinctio, unius quidem Catechumenorum, fidelium alterius: cum enim quo tempore Catechumeni templo aderant, oblatio nulla Eucharistiæ fieret, non ideo dici *missa* eorum potuit, quod missa ad Deum hostia foret. Inde ergo originem ea distinctio habuit, quod ocyus Catechumeni, serius fideles & non ante absoluta mysteria e templo dimitterentur: *ecce post sermonem*, ait S. Aug. (*Serm. 46 de Verbis Domini cap. 8*), *fit missa Catechumenorum: manebunt fideles: venietur ad locum orationis* .... hinc in Concilio *Carthagin.* 4, Can. 84, sic constitutum: *Episcopus nullum prohibeat usque ad missam Catechumenorum, neque Hæreticum, neque Judæum, neque Gentilem, Ecclesiam ingredi, & audire Verbum Dei*. Hoc est, usque ad Missionem Catechumenorum, qui post habitum sermonem, ante offertorium exibant, clamante Diacono: *Catechumeni recedite*; vel *si quis est Catechumenus, exeat foras*. Quantum vero ad Missam fidelium, plana sunt *Hugonis Victorini* verba: (*lib. de Eccles. offic. cap. 41*) *dicit Diaconus, ite Missa est, quasi, revertimini ad propria: ab hac missione, id est, dimissione, missam dicunt appellari*.

Hanc itaque vocem Latinam esse, nec a Græcis, aut Hebræis, aut Septentrionalibus ejus originem repetendam, neque alia de causa quam ad significandam missionem populi introductam, certo nisi fallimur, & evidenter probatum est: quod si quærat aliquis cur a plebis dimissione, tota sacrificii actio nomen habuerit; nihil quod convenientius respondeamus occurrit, nisi voluntate majorum hoc contigisse, ea ratione qua a parte totum nominari sæpe, usu sic volente, videmus. Sequitur

QUÆSTIO QUINTA.

Sacrificii Eucharistici essentia, qua in re poni debeat?

AD Eucharistici sacrificii celebrationem multæ actiones concurrunt; oblatio scilicet panis & vini ante consecrationem facienda, quæ dicitur *offertorium*: consecratio Corporis & Sanguinis Christi sub speciebus panis & vini: oblatio post consecrationem his verbis: *unde & memores Domine nos servi tui .... offerimus præclaræ majestati tuæ de tuis donis ac datis, hostiam puram &c.* fractio hostiæ in tres partes, quarum una in calicem mittitur: sumptio Sacramenti a Sacerdote: denique ejusdem Sacramenti ad populum distributio. Jam sit

§. PRIMUS.

Utrum ad sacrificium hæc omnia pari necessitate pertineant?

Hinc nata in Scholis quæstio, antiquis Doctoribus inaudita, in qua harum actionum essentia sacrificii sit ponenda? ut enim sæpe monuimus, Patres veteres suo putabant officio satisfactum, si res divinas ex auctoritate Scripturæ, & traditione Patrum præcedentium, neglectis Philosophicis subtilitatibus explicarent. Itaque ritum sacrificii prout in libris Liturgicis præscriptum repererant, omni adhibita diligentia observabant; nec curiose, philosophorum more quærebant, quo ritu quiditas sacrificii constitueretur? nos certe quia

in

in schola nutriti sumus, & scholam, quoad potest fieri, sequimur, non debemus intactam hanc difficultatem relinquere. Quam ut pro modulo explicemus, sit

Conclusio prima. Essentia Eucharistici sacrificii, nec in prima oblatione quam offertorium nominant; nec in altera, quæ fit post consecrationem, reponi debet.

1. Pars sic declaratur. Quod in sacrificio missæ offertur & immolatur, Corpus ipsum & Sanguis est Domini nostri Jesu Christi: *in divino hoc sacrificio ...* inquiunt Patres Trid. (*Sess.* 22, *c.* 2) *idem ille Christus continetur, & incruente immolatur, qui in ara Crucis semel se ipsum cruente obtulit*; atqui per oblationem quæ fit ante consecrationem, Corpus & Sanguis Christi non offeruntur, quippe nondum sub speciebus panis & vini præsentia. Ergo &c.

2. Pars sic probatur. Sacrificium Deo debet offerri in persona Christi, qui est principalis Sacerdos, vereque se ipsum æterno Patri, externo hominum ministerio, sacrificium exhibet; atqui oblatio quæ post consecrationem fit, non Christi immediate, sed Ecclesiæ nomine fit, ut Canonis verba demonstrant: *unde & memores Domine nos servi tui, sed & plebs tua sancta, ejusdem Christi Filii tui Domini nostri ... offerimus præclaræ majestati tuæ, de tuis donis* &c. Ergo illa oblatio non tam est sacrificium Christi, quam publica quædam Ecclesiæ protestatio, per quam se ipsam per caput suum Christum Deo offert.

Deinde. Sacrificium proprie dictum necessario aliquam rei oblatæ mutationem importat. Sed per oblationem quæ consecratione peracta fit, nulla rei oblatæ mutatio accidit: idem enim manet, qui jam aderat Christus, secundum Corpus & Sanguinem, in quæ panis & vinum vi verborum mutata sunt. Ergo &c.

Præterea. Cum sacrificium quod Christus instituendo Eucharistiam obtulit, norma fuerit sacrificii incruenti, in perpetuum celebrandi; non debet essentiale putari, nisi quod ab ipso Christo factum esse constiterit; atqui oblationem hanc a Christo factam non constat, postquam panem & vinum in Corpuus suum & Sanguinem transmutasset; nec quidquam ea de re Scriptura aut Patrum traditio innuit. Ergo &c.

Conclusio secunda. Fractio hostiæ in tres partes, non est sacrificio essentialis.

Hoc enim ad essentiam sacrificii minime pertinet, sine quo verum integrumque constaret; atqui etiam si fractio illa omitteretur, vere sacrificium fieret. Si enim casu aliquo hostia consecrata in calicem nondum facta fractione decideret; frangi tum, sanguine delibuta, non posset. Quis vero sapiens dixerit, hoc eventu intercipi sacrificium & impediri? Ergo &c. *dicendum*, inquit S. Thomas, (3 *p. q.* 83, *art.* 6, *ad* 6) *quod fractio fiat hostiæ consecratæ, & quod una sola pars mittatur in calicem, respicit corpus mysticum; sicut admixtio aquæ significat populum: & ideo horum prætermissio non facit imperfectionem sacrificii*, ut propter hoc sit necesse aliquid recitare circa ejusdem celebrationem. Ergo &c.

Concluso tertia. In distributione Sacramenti Eucharistici, quæ populo fit, non consistit sacrificii quidditas.

Multis modis hujus assertionis veritas demonstratur.

1. Si ad veritatem sacrificii necessarium foret, plerosque ejus esse participes; aliis præter Sacerdotem non communicantibus, sacrificium esse cessaret; atqui in contrarium Ecclesia Catholica tenet, vere constare & celebrari, etiam cui nemo præter Sacerdotem communicat: *optaret quidem Sacrosancta Synodus*, ajunt Trid. Patres, (*Sess.* 22, *c.* 6) *ut in singulis missis fideles adstantes non solum spirituali affectu, sed Sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicarent, quo ad eos Sanctissimi hujus sacrificii fructus uberior proveniret: nec etiam si id non semper fiat, propterea missas illas in quibus solus Sacerdos Sacramentaliter communicat, ut privatas & illicitas damnat; sed probat, atque adeo commendat. Si quidem illæ quoque missæ vere communes censeri debent, partim quod in eis populus spiritualiter communicet; partim vero quod a publico Ecclesiæ ministro, non pro se tantum, sed pro omnibus fidelibus qui ad Christi Corpus pertinent, celebrentur*. Ergo &c.

2. Quod sacrificii appendix quædam & extensio est, ad ejusdem essentiam, metaphysice, ut loquuntur, acceptam non pertinet: quia prius est, rem sive naturam intelligi, quam ejus affectiones; atqui distributio Eucharistiæ quæ populo fit, sacrificii jam peracti appendix & veluti diffusio est: *nonne qui edunt hostias, participes* sunt altaris? inquit Apostolus (1 *Cor.* 10, 18). Ergo &c.

3. Quod est sacrificio essentiale, ab actione sacerdotis pendere debet, qui solus offerendi sacrificii est minister; atqui distributio Eucharistiæ ab actione Sacerdotis necessario non pendet: cum jure antiquo, ut alibi demonstratum est, (*lib.* 4 *de Sacr. Euch.*) non a solis Sacerdotibus, sed & ab ipsis Diaconis, imo & ab inferioribus ministris, etiamque a Laicis fieri possit. Ergo &c.

4. Demum. Illud non est sacrificio essentiale, sine quo propria ejus definitio vera integra-

graque consistit; atqui sine distributione quæ populo fit, vera integraque manet Eucharistici sacrificii definitio: est enim nihilo secius, *sacrificium Corporis & Sanguinis Jesu Christi, sub speciebus panis & vini, ad continuandum & repræsentandum Crucis sacrificium, ministerio Sacerdotum, a Christo & ab Ecclesia Deo oblatum*. Ergo &c.

Conclusio 4. Essentia Sacrificii Eucharistici in sola consecratione posita est.

Adstipulantur huic sententiæ Sancti Patres, quamquam, ut prædiximus, ex professo quæstionem hanc non expenderint.

Ita S. Irenæus: *Dominus*, inquit, (*lib. 4 cont. hær. c. 23*) *suis Discipulis dans consilium primitias Deo offerre ex suis creaturis.... eum qui in creatura panis est, accepit, & gratias egit, dicens: hoc est Corpus meum: & calicem similiter qui est ex creatura, suum Sanguinem confessus est: & novi Testamenti novam docuit oblationem, quam Ecclesia ab Apostolis accipiens, in universo mundo offert Deo*.

S. Joannes Chrysost. *vox illa*, (*hom. de prodit. Judæ*) hoc est Corpus meum; *usque ad Christi adventum præstat sacrificio firmitatem*.

Eademque *Justini Martyris*, *Cyrilli Hierosolymitani*, & aliorum doctrina est. Jam sic conficitur argumentum:

In eo consistit Eucharistici sacrificii essentia, quo novi Testamenti oblatio fit, & præstatur firmitas sacrificio; atqui ex SS. Patribus, novi Testamenti oblatio nova in consecratione posita est, eaque sola ad finem usque sæculorum præstat sacrificio firmitatem. Ergo &c.

Accedit auctoritas *S. Thomæ*, principii loco ponentis, sola Eucharistiæ consecratione sacrificium fieri: *consecratio Chrismatis*, inquit, (*3 p. q. 82, art. 4, ad 1*) *vel cujuscumque alterius materiæ, non est sacrificium, sicut consecratio Eucharistiæ .... opportunitas sacrificium offerendi* (*ib. art. 10 in corp.*) *non solum attenditur per comparationem ad fideles Christi quibus oportet Sacramenta ministrari, sed principaliter per comparationem ad Deum, cui consecratione hujus Sacramenti sacrificium offertur .... alia Sacramenta* (*ib. in resp. ad 1*) *perficiuntur usu fidelium.... sed hoc Sacramentum perficitur in consecratione Eucharistiæ, in qua sacrificium Deo offertur*.

Succurrit & ratio. Est enim actio illa sacrificio essentialis, per quam rei oblatæ mutatio fit; atqui consecratio per se & ex vi verborum, hostiæ immolatæ mutationem inducit; separat enim Sanguinem a Corpore Christi. Ergo &c.

Deinde. Actio hæc essentiam sacrificii constituit, quæ præter mutationem quam in hostia operatur, ejusdem oblationem necessario includit; atqui consecratio oblationem essentialiter importat, per illam quippe victima Deo repræsentatur, reveraque præsens exhibetur, quemadmodum enim Christus tum in ultima cœna, per verba consecrationis, tum in ara crucis per mactationem cruentam, sacrificium Corporis & Sanguinis sui obtulit æterno Patri, factis magis quam verbis; ita Sacerdos per consecrationem offert opere & reipsa ejusdem Corpus & Sanguinem. Ergo &c.

Postremo. Potestas consecrandi est de essentia Sacerdotii. Ergo consecratio quæ hujus potestatis exercitium est, ad sacrificii essentiam pertinet, ad quod Sacerdotium necessario refertur, secundum verba Apostoli; (*Heb. 5, 1*) *omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur, ut offerat dona & sacrificia pro peccatis*.

Conclusio quinta. Consecratio quatenus constituit essentiam sacrificii, ad consumptionem oblatorum, tamquam ad finem ejusdem & terminum extrinsecum, necessario ordinem dicit.

Cum enim sacrificium novæ legis, veterum quæ in figura præcesserant, adimpletio sit, debet eorum inter se aliqua comparatio esse; atqui in lege Mosaica sacrificiorum pars erat non mediocris, ut quæ oblata fuerant, vel igne consumerentur, vel comederentur ab offerentibus, vel partim adurerentur, partim in cibum offerentium distribuerentur: uno verbo, necesse erat consumi hostiam quocumque modo. Ergo idem de sacrificio Eucharistico dici debet.

Deinde, Christi Corpus & Sanguis per consecrationem exhibentur sub specie cibi & potus. Ergo eorum consecratio ad consumptionem tamquam ad terminum ordinatur. Quamobrem communio Sacerdotis sub utraque specie, licet non sit de essentia sacrificii; ad ejus tamen integritatem pertinet jure divino: hinc stricte Ecclesia præcipit, ut si Sacerdos casu aliquo sacrificium non possit absolvere; alius, etiam non jejunus vices ejus suppleat, & species consecratas communicando absumat: hinc etiam in *Concilio XII Toletano* supra laudato, can. 5, gravis imponitur pœna Sacerdotibus, qui cum ad Altare, oblaturi accesserint, se ipsos a communione suspendunt: *quale enim*, inquiunt Patres, *erit illud sacrificium, cui nec ipse sacrificans participasse cognoscitur*? Ergo &c.

§. SE-

§. SECUNDUS.

Diluuntur Objectiones.

Opponitur contra 4 conclusionem. Essentia sacrificii, in mutatione sive destructione victimæ omnino posita est. Sed Christi Corpus & Sanguis per consecrationem non destruuntur. Ergo in consecratione essentia sacrificii non consistit.

℞. Dist. min. Essentia sacrificii consistit in destructione victimæ, vel *reali*, vel *mystica*, conc. quæ semper debeat esse *realis*, n. maj. dist. pariter min. Christi Corpus, & Sanguis per consecrationem non destruuntur, *realiter*, conc. *mystice*, n. min. & conseq.

E. R. Quale est sacrificium, talem victimæ destructionem esse oportet; ita ut si cruentum illud fuerit, pariter ista cruenta; incruenta vero debeat esse & mystica, si sacrificium in mysterio, & sine actuali cruoris effusione perficiatur. Porro sic se res in præsenti habet: est equidem, ut sæpius diximus, verum Eucharistia sacrificium, quia vere idem Christus Deo offertur, qui in cruce oblatus est: at incruentum tamen, quia præsens & æterna Christi post resurrectionem conditio non patitur, ut denuo aliter quam in mysterio moriatur; atqui mors illa mystica sola consecratione contingit, in qua vi verborum, ut multoties observatum est, Corpus Christi ab ejus Sanguine separatur, eademque Deo offertur hostia, quæ in ara Crucis modo cruento oblata est. Ergo &c. Hæc vero responsio nisi scholasticis, qui contra nos pugnant, satisfecerit, nihil plane erit, quo possit sibimet ad propugnandam contra hæreticos veritatem Eucharistici sacrificii, satisfacere: nulla quippe in toto ejus ritu occurrit actio, per quam dici possit Christus aliter, quam in mysterio immolari; nec excepta quidem hostiæ fractione, & ejusdem communione, ubi, integro manente Christo, solæ species resecantur & consumuntur.

Inst. 1. Atqui per consecrationem ne mystice quidem Corpus & sanguis Christi destrui possunt. Ergo &c. probat. subseq. Non potest una eademque actio victimam destruere, simul & producere; atqui per consecrationem victima ipsa, Corpus scilicet & Sanguis Christi producitur: nec enim aliter in altari quam verbis Evangelicis præsens fit ut fide constat. Ergo &c.

℞. Nego subs. ad probat. dist. maj. Non potest una eademque actio victimam producere simul & destruere, *sub eodem respectu*, conc. *sub diverso*, n. maj. & concessa minor. n. conseq.

E. R. Equidem consecratio virtute sua victimam reddit præsentem, ut bene in argumento asseritur: quia tamen, quod non minus certum est, vi verborum: *hoc est Corpus meum*: &c. Corpus a Sanguine separatur; ideo vere affirmatur, victimam per consecrationem in mysterio destrui: Id quod Patrum veterum confirmat auctoritas, ne quis gratis confictum existimet. Sic *S. Gregorius M.* cujus verba refert *Gratianus*, (*de con. secr. dist.* 2) *in se ipso*, inquit, *Christus immortaliter vivens, iterum in hoc mysterio moritur*: & *S. Aug.* ib. citatus: *semel immolatus est in semetipso Christus, & tamen quotidie immolatur in Sacramento*: & *Paschasius Ratbertus*: (*ib.*) *quotidie Christus pro nobis immolatur, & passio Christi in mysterio traditur*: his enim similibusque sententiis etsi expresse non enuntietur, (ut tacitæ objectioni respondeamus) per verba consecrationis victimam mystice destrui; ita tamen debere intelligi, hoc vel unum maxime persuadet, quod non possit illa destructio, neque hostiæ fractioni attribui, sine qua verum, ut supra ostendimus, sacrificium fieret, neque ejusdem communioni, quæ sacrificium peractum supponit, ejusdemque terminus & finis extrinsecus est.

Inst. 2. In Ecclesia Latina die Parasceves, similiter & in Græca diebus jejuniorum, verum Deo sacrificium offertur; atqui nulla tunc consecratio fit. Ergo sine consecratione sacrificium vere consistit, unde nec ad ejus essentiam pertinet.

℞. Nego maj. & dico, communionem quam die sacra veneris facit sacerdos, non sacrificium, sed hesterni sacrificii continuationem ac terminum esse: idemque de missa jejuniorum affirmo, quam Græci *Præsanctificatorum* appellant: quid vero hæc missa sit; item cur in Parasceve sacrificium non offeratur, quæstione octava explicabitur, ubi de variis generibus missarum dicturi sumus.

Dices contra ultimam conclusionem, Christus instituendo Eucharistiam, Apostolis dixit: *accipite & commedite, hoc est Corpus meum*: *bibite ex hoc omnes &c.* Ergo sacrificii essentia in communione consistit.

℞. Concesso ant. n. conseq. Hinc enim hoc unum sequitur, quod fatemur, communionem, esse sacrificii extrinsecum terminum; ad essentiam vero ejus pertinere, hoc porro est quod negamus. Nam quomodo potest ad rei naturam pertinere, quod est re ipsa posterius? atqui communio sacrificio posterior est, cum ejus participatio sit, adeoque peractum illud supponat. Ergo &c.

Deinde. Christus Eucharistiam instituit, tum

tum ut Sacramentum, tum ut sacrificium: non enim solum dixit, *accipite*, *& comedite*: quod ad Sacramentum pertinet; sed insuper: *hoc facite in meam commemorationem*: quod ad sacrificium. *Corpus & sanguinem suum*, inquiunt Patres Trid. (*sess. 22, cap. 1*), *sub speciebus panis & vini Deo Patri obtulit, & sub earumdem rerum symbolis, Apostolis, quos tunc novi Testamenti Sacerdotes instituebat, ut sumerent, tradidit: & ejusdem, eorumque in Sacerdotio successoribus, ut offerrent praecepit per haec verba: hoc facite in meam commemorationem: uti semper Catholica Ecclesia intellexit & docuit*. Non itaque quasi unum idemque forent, debent duo ista confundi.

Dices iterum contra duas priores conclusiones. Si essentia sacrificii neque in oblatione prima, quae offertorium dicitur, nec in altera quae post consecrationem fit, nec denique in Eucharistiae fractione consisteret; liberum unicuique foret, haec, quippe non necessaria, praetermittere; atqui esse necessario facienda, certum est ex perpetua Ecclesiae praxi. Ergo ad essentiam sacrificii non secus ac consecratio pertinent.

℟. Nego maj. Valde enim haec duo differunt, Philosophorum more quaerere, in qua Lyturgicarum actionum sacrificii essentia ac forma consistat; &, quid in ejusdem sacrificii celebratione necessario peragendum sit, disputare; alterum enim totum in speculatione positum est, alterum in praxi consistit. Porro in Metaphysica disquisitione, quid verius; in praxi, quid sit tutius quaeritur. Jam vero posse aliquam doctrinam speculative, ut loquuntur, esse certiorem, quae tamen in praxi minus tuta sit, neminem putamus esse qui nesciat. Sic enim, ut in exemplo saepe adducto sistamus, speculative, ut ajunt, certius & verius est, sacrae ordinationis materiam & formam, in sola manuum impositione, & Sancti Sp. invocatione consistere. In praxi vero longe tutius est, omnia exequi quae in Ritualibus praescribuntur. Immo hoc solum judicio Ecclesiae ita tutum est, ut saepe decretum fuerit, illud omne esse supplendum, quod incaute fuerit praetermissum. Idemque, & meliore quidem titulo, de Eucharistico sacrificio dicimus: cum enim in multarum actionum serie & continuatione consistat, quas constat a Christo, & ab Apostolis, eorumque successoribus observatas: liberum quidem Theologo esse putamus, diligenter perscrutari, in qua harum actionum sacrificii essentia, sive, ut schola loquitur, differentia specifica sit ponenda. Sed ubi ad praxim venitur, certo & sine ulla dubitatione tenendum, debere omnia quae hactenus constat fuisse observata, impleri; quia ex Christi instituto ad entitatem sive integritatem Physicam sacrificii aequaliter pertinent, & quia aliunde haec una tuta agendi norma est, majorum vestigiis scrupulose insistere: adeoque reum sacrilegii futurum non ambigimus Sacerdotem, qui ritum aliquem vel traditione acceptum, vel ab Ecclesia Christi auctoritate praescriptum, aut malitiose, aut negligenter, aut voluntaria ignorantia praetermitteret.

§. TERTIUS.

Materia Eucharistici sacrificii explicatur simulque errores varii perstringuntur.

Forma sacrificii Eucharistici, ejusdemque materia, tum in fieri, tum in facto esse, eadem ac Sacramenti est: non enim aliud in altari Deo offertur, nisi hoc ipsum quod Sacramentum esse constituit. Cum itaque de materia & forma Eucharistiae, libro praeced. quaest. 2, 3, & 6, tractatum satis fuse pro merito sit, nihil quod de novo dicamus occurrit.

Tantum observabimus, panem & vinum sacrificii ex fidelium oblationibus olim fuisse decerpta: nemo enim priscis temporibus ad sacram Synaxim sine munere veniebat, sed panem & vinum secum omnes adferebant, ut videlicet incruenti sacrificii futuri participes, essent pariter expensarum & oblationum consortes; illudque quod erat in antiqua lege praescriptum implerent: (*Exod. 23, 15*) *non apparebis in conspectu meo vacuus*: cujus rei, praeter caetera, certissimum testimonium faciunt orationes Ecclesiae, inter missarum solemnia recitari consuetae: qualis est ista: (*Dom. 5 post Pentec. in Secr. Missae*) *propitiare Domine supplicationibus nostris, & has oblationes famulorum famularumque tuarum benignus assume: ut quod singuli obtulerunt ad honorem nominis tui, cunctis proficiat ad salutem.*

Hujus autem sive legis sive consuetudinis tanta Religio erat, ut hac veluti nota boni a malis Christianis secernerentur, ut nemo, quantumvis ad versae fortunae ab ea se vellet exemptum; sed ipsi etiam pauperes ad sacrificium pro modulo contribuerent, viduam Evangelicam imitati, quae inter pressuras & angustias egestatis, duo quae sola supererant aera minuta in Gazophilacium misit, ob idque divitibus magni pretii munera offerentibus a Christo praelata est: (*Luc. 21, 2, & seqq.*) quam in rem *Durantus*, *de Ritibus Ecclesiae Catholicae* l. 2, cap. 26, affert verba *Tertulliani* in *Apologetico* sic loquentis: (*Tert. Apolog. c. 39*) *modicam unusquisque stipem menstrua die, vel cum velit, & si modo possit, apponit*.

Nam

Nam nemo compellitur, sed sponte confert: multoque expressius *S. Cyprianus* matronam quamdam prædivitem & avaram reprehendens: (*lib. de oper. & eleemosyn.*) *locuples & dives es*, inquit, *& Dominicum celebrare te credis, quæ in Dominicum sine sacrificio venis, quæ partem de sacrificio quod pauper obtulit, sumis* .... eodemque faciunt verba *S. Aug.* sive cujusvis alterius: (*Serm. de temp. inter Aug.* 215) *oblationes quæ in altario consecrentur, offerte: erubescere debet homo idoneus, si de aliena oblatione communicaverit* ... & *S. Eligii, Noviomensis* in Gallia Episcopi: (*tract. de rectitudine conversationis*) *ille bonus Christianus est, qui ad Ecclesiam frequentius venit, & oblationem, quæ offeratur Deo in altari exhibet*.

Ex his vero oblationibus, quantum erat sacrificio & fidelium communioni necessarium altari apponebatur, & quidquid supererat ad ministrorum pauperumque alimoniam semotum reservabatur: *hæc quasi deposita pietatis sunt*, ait modo laudatus Tertullianus: (*Apol. c.* 29) *nam inde non epulis, nec potaculis, nec in ... voratrinis dispensatur, sed egenis alendis, humandisque, & pueris ac pupillis re, ac parentibus destitutis, ætate domitis senibus* &c.

De hac plura qu. 11 dicentur, ubi de Missæ partibus, speciatimque de offertorio tractabitur, & quidquid in hac parte mutationis successu temporis contigerit, exponetur. Interim satis fuerit, errores præcipuos observare, quos priscis temporibus Diaboli invidentia contra materiam & veritatem Eucharistici sacrificii excitavit.

1. Quidem *Gnosticorum* 2 ineuntis sæculi Hæreticorum nota immanitas, & ad subvertendum Christianæ Ecclesiæ sacrificium plus quam feralis crudelitas. *Gnostici* dici volebant, id est rerum divinarum cognitione per cæteris præditi; cum veræ sapientiæ nec prima rudimenta delibassent. Christiano nomine gloriabantur, qui tamen inimici Christi erant infensissimi. Nam præter nefandas commixtiones, & alia scelera quæ in suis synaxibus perpetrabant, quæque vix crederemus, nisi a Patribus attestata: informes & abortivos infantes ex maternis visceribus erutos in materiam sacrificii & Thiestei convivii assumebant, hos enim mortario conclusos, pistillo contusos, & melle, pipere, diversique generis aromatibus conditos, ad nefandum, ut refert *S. Epiphanius*, (*hær.* 26, *& seq.*) convivium præparabant. Deinde congregati in unum, porcorum & canum more humanam carnem vorabant, & hoc perfectum Pascha vocabant.

Nulla sane hæresis gravius Ecclesiæ intulit detrimentum. Cum enim, ut prædiximus, se Christianos esse jactarent, facile sibi persuaserant Gentiles hæc flagitia perpetrari ab omnibus qui idem nomen haberent; & prava hac existimatione decepti, Christianam Religionem, velut omnium scelerum receptaculum abominabantur. Vix dici potest, quantum ad depellendam calumniam & Christi Ecclesiam vindicandam laboraverint Sancti Patres: ea de re legi possunt *S. Justinus*, in 2 pro Christianis Apologia, *S. Irenæus*, l. 1 contra hær. c. 24, *Tertullianus*, Apologetici c. 7, & seq. *Eusebius Cæsariensis*, historiarum l. 4, c. 7, *Minutius Felix*, & alii.

2. Ab antiquis Scriptoribus crudelitatis haud multum dissimilis accusantur, quidam de secta *Montanistarum* Hæretici, *Pepuziani* dicti a *Pepuza* vico quodam in Phrygia, ubi conventus frequentiores habebant. Nam de infantis anniculi sanguine, quem minutis punctionum vulneribus de toto ejus corpore educebant, farina mixto, panem conficere & offerre Eucharistiam rumore publico dicebantur: qui puer si confectus vulneribus moreretur, pro martyre; si superstes maneret, pro magno apud illos Sacerdote habebatur: *in hac hæresi*, inquit S. Epiphanius, (*hær.* 48) *horrendum ac nefarium quoddam opus fieri dicunt. Puerum enim quemdam valde infantem, in festivitate quadam per totum corpus æreis aciculis compungentes, sanguinem ipsius sibi ipsis comparant ad apparatum sacrificii* ... & S. Aug. (*lib. de hæresib. hær.* 24) *post sanguinem e punctis infantis emunctum, si ille ex eo mortuus fuerit, apud illos celebratur pro martyre: si autem vixerit, pro magno Sacerdote*.

3. Sub idem tempus nati sunt alii de eodem *Montani* grege Hæretici, qui præter cætera falsæ doctrinæ capita, ad faciendam Eucharistiam non merum panem, sed & caseum offerebant: unde ἀρτοτυρῖται sunt dicti: ἄρτος enim Græce, idem est ac Latine *panis*: quæ vero nos *caseum*, Græci τυρὸν vocant: *artotyritas ipsos appellant*, inquit S. Epiphanius, (*hær.* 48) *eo quod in mysteriis suis apponant panem & caseum, & sic mysteria sua faciant*.

4. Notetur *Ophitarum* ejusdem temporis Hæreticorum insania. *Ophitæ* dicti sunt, quod serpentem colerent: est enim Græce ὄφις, Latine *Serpens*: ideo vero hoc genus reptilis adorabant, quia Christum in Serpentis speciem transformatum effutiebant, eumdemque esse qui Adamum & Evam in Paradiso voluptatis decepit: hinc Eucharistiam oblaturi, Serpentem unum e spelunca ubi nutriebatur, in mensam ubi propositi panes erant, variis incantationibus evocabant, & circa panes illos girantem reverenter osculabantur: nec aliter debere

bere Eucharistiam fieri jactitabant : *habent* , ait de illis S. Epiphanius (*hær.* 37) *naturalem Serpentem*, *quem in cista quadam alunt*, *quemque circa tempus mysteriorum*, *panibus in mensa dispositis*, *provocant ut eo ascendat*: *aperto latibulo procedit Serpens* , *ascendit in mensam*, & *panibus involvitur*: & *hoc perfectum esse sacrificium Ophitæ volunt* : *unde non solum frangunt panes* , *in quibus idem Serpens obvolutus est* , & *accipientibus tradunt* ; *sed etiam unusquisque salutat Serpentem* & *osculatur* , *sive per præstigias quasdam Serpente ad mansuetudinem incantato*, *sive alia diaboli operatione ad hos decipiendos*, *animalculo blandiente*: *adorant autem hunc* , & *hanc gratiarum actionem dicunt* , *quæ per ipsum involutum facta est*: & *rursum per ipsum superno Patri hymnum rursum mittentes*, *sic mystica sua perficiunt*.

5. Occurrit eadem ætate *Marcitarum*, sive *Marcosiorum* contra Eucharisticum sacrificium diabolica superstitio; a *Marco* quodam magica arte famoso , qui fuerat *Valentini* Hæresiarchæ discipulus, *Marcosiorum* traxere nomen : illi porro ut referunt S. Irenæus, (*lib.* 1 *cont. hær. cap.* 9) & S. Epiphanius (*hær.* 34), *poculum ex vitro albo confectum* , *vinoque albo repletum* , *simulantes gratias agere* , & *sermonem invocationis diutius protrahentes*, *purpureum ac rubicundum apparere faciebant*; *ita ut putaretur virtute quadam supernaturali*, *ad illorum preces*, *sanguis divinus stilatus in poculum*. *Unde fiebat* , *ut ex illo gustare valde cuperent*, *qui præstigiis illorum præsentes aderant*. *Quod illi ultro concedentes* , & *tradentes poculum ac communionem*, *dicebant singulis*: *gratia quæ est ante universa* . . . *impleat tuum interiorem hominem* , & *multiplicet in te cognitionem suam* , *conseminans in te granum sinapis in bonam terram*.

6. De Manichæorum, aliorumque contra materiam Eucharistiæ erroribus diximus l. 4, qu. 2, & 3. Itaque ad hæc loca studiosum Lectorem remittimus. Ita sit

QUÆSTIO SEXTA.

De Ministro sacrificii Eucharistici.

Sacrificii Eucharistici offerendi minister primarius, idem qui institutor, est Christus, & quemadmodum in baptismo qui exterius a ministris Ecclesiæ exhibetur, vere ex Scriptura dicitur: (*Joan.* 1, 33) *hic est qui baptizat*: idemque de cæteris Sacramentis verissime affirmatur, quod nimirum a Christo invisibiliter consecrentur , ita debet hoc ipsum de sacrificio, longeque meliori titulo dici : non enim ideo tantum præsens sistitur ad altare , ut omnium Sacerdotum hostia sit ; verum etiam ut sit Sacerdos omnium hostiarum , quæ per orbem universum ritu mystico sub panis & vini specie offeruntur: nec aliter vere sacrificium corporis & sanguinis ejus esset, nec posset esse Deo acceptum, nisi is ipse qui hostia est, simul & offerens esset: ita nimirum adimplet, quod fuerat longe ante prænunciatum : (*Ps.* 109, 4) *tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech* : & sacrificium tum in pervigilio mortis suæ, sub panis & calicis symbolis , tum in cruce modo cruento oblatum ineffabili, sed vera tamen ratione continuat : unde a *Dionysio* vulgo Areopagita , *Teletarchus*, id est, divini hujus sacrificii primarius institutor & actor , haud incongrue nuncupatur: (*Hierarch. cæl. cap.* 1) hæc quoniam unicuilibet fidem Ecclesiæ simpliciter consulenti obvia sunt, deque his in omni fere hujus tractationis pagella sermo recurrit , non putamus peculiari dissertatione discutienda : itaque de solis ministris secundariis & subsidiariis est agendum.

Quod genus duplicem speciem habet : alii enim sacrum faciunt; & corpus ac Sanguinem Christi , nomine ac vice ejus , mystice vereque sacrificant: alii circum altare positi , & ad omne officium prompti , sacrum operantibus serviunt: unde alii sacrifici , alii ministri sacrificantium nuncupantur: de utrisque sigillatim dicendum.

CAPUT PRIMUM.

De Ministris sacrificii peragendi.

Nemini, nisi qui divinitus esset vocatus , & manuum impositione conjunctaque Episcopi oratione inauguratus, licuit unquam Eucharisticum sacrificium celebrare: nec fuit unquam sanctitas quantalibet prætextus sufficiens divinum ministerium usurpandi: hujus enim si ratio, sæclusa ordinatione, habenda foret, *cui potius quam Mariæ*, ait S. Epiphanius (*Hær.* 69) *in novo testamento committi Sacerdotis officium debuit*, quam Angelus plenam gratia salutavit; *cui tantus honor est habitus*, *ut gremio sinuque suo regem gentium ac cœlestem Deum*, *Deique filium exciperet* : *cujus uterus velut templum ac domicilium* , *ad Divini verbi incarnationem*, *singulari est benignitate Dei magno ac stupendo mysterio præparatus* ? *verum longe Deo aliter est visum*; & *ne baptizandi quidem potestas est illi facta*; *cum alioquin tingi ab illa Christus* , *potius quam a Joanne potuisset* . . . *nam neque Diaconis quidem ipsis ullum in Ecclesiastico ordine Sacramen-*

mentum perficere conceditur ; sed hoc dumtaxat, ut eorum quæ perficiuntur, ministri sint.

Hujus veritatis plurima quæ hactenus data occasione insinuavimus, quæque in posterum suo loco (*lib. 8 de Sac. ord.*) uberius tractabuntur argumenta, nunc indicare sat erit.

1. Est, Christi Eucharisticum sacrificium instituentis ejusdemque officium solis Apostolis, & eorum successoribus committentis auctoritas. (*Luc.* 24, 19, 1 *Cor.* 11, 24, *& seq.*)

2. Exemplum Apostolorum, a quibus prout jussi erant, sacrificium fuisse oblatum, satis aperte Scriptura declarat his verbis: (*Act.* 2, 42) *erant perseverantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus*: ubi licet expresse non dicatur, quod soli Apostoli rem sacram perfecerint, certo tamen colligitur ex mandato solis Apostolis intimato: *hoc facite in meam commemorationem.*

3. Quo & præcedens confirmatur, suggerunt tempora Apostolis proxima, quibus, non nisi præsidentibus, idest Episcopis ac Sacerdotibus licuit, incruentam hostiam immolare: *deinde*, inquit *S. Justinus* martyr (*Apol.* 2) divinæ Liturgiæ ordinem describens, *ei qui fratribus præest, offertur panis, & poculum aquæ & vini; quibus ille acceptis, laudem & gloriam rerum universarum Patri, per nomen Filii & Sp. Sancti offert, & Eucharistiam sive gratiarum actionem, pro eo quod nos donis suis hisce dignatus sit, prolixe exequitur: atque ubi ille preces, & gratiarum actiones absolvit, populus qui adest omnis, fausta approbatione acclamat dicens, Amen; amen autem voce Hebræa*, fiat, *significat: præsidens vero postquam gratiarum actionem perfecit, & populus universus apprecatione læta eam comprobavit, qui apud nos vocantur Diaconi atque ministri, distribuunt unicuique præsentium, ut participet eum, in quo gratiæ actæ sunt, panem, vinum, & aquam, & ad absentes perferunt.*

4. Est, Liturgiarum quæ ubivis ab Ecclesiæ primordiis in usu fuerunt, auctoritas, quarum sicut in iis quæ essentialia sunt, unus est tenor eademque substantia, sic non alium quam Presbyterum aut Episcopum sacrificii ministrum assignant.

5. Petitur ex consensu unanimi omnium Ecclesiarum.

6. Ex Patrum sententiis.

7. Denique, ex decretis contra eos latis qui contrarium asserere præsumpserunt.

Hæc vero in præsenti delibasse sufficiat, quæ erunt latius suo tempore exponenda.

Itaque hoc fidei principio constituto, & tamquam certo impræsentiarum posito, restat ut quædam dubia huc pertinentia diluamus.

Q. 1. Utrum a pluribus simul Sacerdotibus Eucharisticum sacrificium offerri possit?

℞. Affirmative, & dico morem hunc in universa quondam Ecclesia viguisse; vigere etiamnum apud Græcos; quin & a Latinis, certis in casibus, hactenus esse retentum: quæ tria ubi probata fuerint, *Durandi*, & quorumdam aliorum vanæ argutiæ evanescent, ratione mere Philosophica contendentium, confici simul a pluribus sacrificium non posse. Nec enim debet rationi disciplina Ecclesiastica, sed disciplinæ ratio cedere, quæ hoc ipso falsa probatur quod ostenditur Ecclesiæ moribus & institutis contraria.

1. Inquam, certum est morem hunc olim in universa Ecclesia vignisse: cujus rei fidem faciunt Orientis & Occidentis antiquissima monumenta.

Sic enim ex historia Ecclesiastica notissimum est, prima Ecclesiæ ætate, fideles omnes in unaqualibet diœcesi, in unum cum Episcopo, Presbyteris, cleroque universo, statutis diebus & horis ad synaxim solitos convenire, ibidemque in offerendo sacrificio, primas quidem partes, uti decebat Episcopum habuisse; sed cum illo tamen, qui præsentes aderant Sacerdotes, unum idemque sacrificium obtulisse. Ad hunc sane morem alludit *constitutionum Apostol.* scriptor, l. 8, ubi Episcopum cum Presbyteris circumstantibus, simulque offerentibus & communicantibus, sacris operantem describit: nec aliter videtur posse intelligi *Concilium Nicænum* supra laudatum: (*Can.* 18) *pervenit*, inquit, *ad sanctum magnumque Concilium, quod in quibusdam locis & civitatibus, Presbyteris gratiam sacræ communionis Diaconi porrigant: quod nec Regula nec consuetudo tradidit, ut ab his qui potestatem non habent offerendi, illi qui offerunt Christi corpus, accipiant: de quibus enim vero Presbyteris* hæc verba intelligerentur? numquid de illis, qui propter grave aliquod crimen gradu dejecti, & in Laicorum ordinem forent redacti? numquid de Presbyteris in lecto propter infirmitatem decumbentibus? atqui neutrum dici potest.

Non primum. Hoc enim ipso quod Sacerdotes criminis convicti, ab officio suspendebantur, redigebantur ad ordinem Laicorum. Poterant ergo a Diaconis, non secus ac reliqui fideles, accipere Eucharistiam.

Neque secundum, quia ex historia Ecclesiastica certum est, Presbyteros præ infirmitate decumbentes, divina Eucharistia a Diaconis, imo interdum ab inferioribus ministris donatos esse: restat ergo ut Nicænum Canonem de Sacerdotibus accipiamus, qui cum Episcopo, aut Presbytero principali, sacrificium ad altare obtule-

tulerant, quibus Diaconi certis in locis Eucharistiam porrigere præsumebant.

Congerit in ejusdem veritatis testimonium *Cardinalis Bona* (*Rerum Liturg. lib.* 1, *c.* 18) plura facta historica quæ nulla tergiversatione eludi possunt, quæque si *Durando* cognita forent, forte cavillandi pruritum cohibuisset. Sic enim *S. Athanasius* (*Apolog.* 2 *pro fuga sua*) præter cætera *Ischyræ* calumniatori suo exprobrat, *quod numquam synaxim cum aliis Presbyteris fecerit* . . . in actis *Chalcedonensis* Concilii legitur *Bassianum* ab Episcopatu Ephesino dejectum, de *Stephano* per fraudem in Thronum suum intruso sic loqui: *Stephanus Presbyter meus fuit: quatuor annis mecum celebrabat*, *mecum communicabat* . . . Concilii *Arvernensis* Can. 14, Presbyteris stricte prohibetur, *ne divina mysteria alibi quam in civitate*, *& nisi cum Episcopo suo*, *in præcipuis civitatibus celebrare præsumant* ... idem de Romana speciatim Ecclesia *Innocentius III* S. Pontifex attestatur. *Consueverunt*, inquit (*de myst. Missæ lib.* 4, *cap.* 25) *Presbyteri Cardinales Romanum circumstare Pontificem*, *& cum eo pariter celebrare*, *cumque consummatum est sacrificium*, *de manu ejus communionem recipere* . . . idemque in veteri Pontificali *Rothomagensis* Ecclesiæ legitur: (*apud Menardum in notis ad Sacramentarium*, *pag.* 81) *mos est*, inquit, *Romanæ Ecclesiæ*, *ut in confectione Corporis & Sanguinis Domini adsint Presbyteri*, *& simul cum Pontifice verbis & manibus conficiant* . . . itemque in altero quod citat *Jo. Morinus*, (*de sacris ordinat. part.* 3, *exerc.* 8, *cap.* 1) ubi hic titulus legitur: *de diversis Sacerdotibus*, *super unam oblatam celebrantibus*.

Itaque antiquitus hanc fuisse Ecclesiæ universalis consuetudinem, res est extra omnem controversiam posita.

2. Nec minus certum est, ab antiquo more hactenus Græcos & Orientales non destitisse. Nam in civitatibus, ubi unum tantum est templum, omnes Sacerdotes, quolibet numero sint, una cum Episcopo ad sacrificium celebrandum conveniunt, simulque cum illo totam Liturgiam faciunt, & ab eodem, sub utraque specie sacram communionem percipiunt: ut norunt qui disciplinam Orientalium mediocriter attigerunt (*v. Morin. ib.*).

3. Idem etiamnum, in Latina Ecclesia, etsi non ita frequenter observari, ex Presbyterorum & Episcoporum ordinatione evincitur. Diaconi enim statim ac ad Presbyteratus ordinem sunt promoti cum Episcopo consecrante Liturgiam faciunt, unaque cum illo verba Evangelica proferunt: *hoc est corpus meum &c.* & actionem sacram ad communionem usque indivisim cum illo continuant. Pariter quando Presbyter, Episcopus ordinatur, simul cum Episcopo a quo manuum impositionem accepit, sacrum opus persequitur, formam Eucharistiæ consecrandæ, in qua sacrificii præcipue positam esse essentiam, quæstione præcedente probatum est, indivisim cum illo pronuntiat, unaque cum illo oblata consumit: ut ex omnibus Ritualibus & Pontificalibus notum est. Ergo &c.

Hincque confutata manet *Durandi* (*in* 4 *sent. dist.* 13) & quorumdam qui eum secuti sunt, non tam opinio, quam temeritas: negando enim morem hunc ubique olim obtinuisse, quid aliud quam antiquitatis inscitiam? affirmando porro, in hypotesi quod obtinuerit, fuisse tollendum, quia incommodis plerisque obnoxium, quid aliud quam audaciam prodiderunt? ecquis enim vero patienter audiat viros Theologos, contra universalis ipsiusque nominatim Romanæ Ecclesiæ sanctiones, quasi de tripode pronuntiantes, easdemque non jure antiquo, non Scripturæ aut Patrum decretis, sed frivolis scholæ subtilitatibus metientes?

At, inquiunt, jam longum tempus est, quod mos ille in Latina Ecclesia desiit; malus ergo agnitus est.

℟. 1. Nego ant. Nam etiamnum in Presbyterorum & Episcoporum ordinatione perdurat. Non est ergo sublatus penitus.

℟. 2. Nego conseq. Si enim ex eo quod fuerit aliqua disciplina mutata, malam fuisse arguimus, in longum progredimur, & Ecclesiam accusandi nullus futurus est finis. Quem enim latet, pleraque a majoribus sancte instituta, & sanctissime custodita vel populorum ac Pastorum desuetudine abrogata vel mutata conditione temporum necessario immutata? sic, ut e mille exemplis unum afferam, pœnitentiæ publicæ nostris temporibus vix aliquod vestigium manet: desierunt substratorum, flentium, audientium &c. Stationes, quas olim pœnitentes tanto rigore decurrebant. Numquid ideo dicturi sumus malum fuisse hunc morem? absit; *desiit fateor ille mos*, inquit apposite Cardin. Joannes Bona (*Rerum Liturg. lib.* 1, *cap.* 18): *non quia acumini disputantium Ecclesia cesserit*; *sed quia ritus ac cæremoniæ non in æternum permanent*, *tollique possunt ac mutari*, *sine fidei ac unitatis dispendio*.

℟. 3. Sed etiamsi foret in Latina Ecclesia absolute abrogatus, cum in Græca & Orientali hactenus, non improbantibus Latinis, perseveret: hinc malum numquam fuisse invictissime probaretur: ritus enim Græcorum a nostris diversos, hoc ipso quod fidei & morum sanctitati nihil habent contrarium, Latina Ecclesia non damnat, (quod Scholastici teme-

temerario faciunt) sed approbat & retinendos decernit.

Quas vero in contrarium congerunt rationes, tum magna parte S. Thomas occupavit, quem legere quisque facile potest (3 *p. q.* 82, *art.* 2): tum refellere instituti nostri non est. Nobis enim in iis quæ ad divina pertinent, summa est ratio, auctoritas & consuetudo Ecclesiæ.

Q. 2. Utrum una eademque die possit Eucharisticum sacrificium ab eodem ministro sæpe offerri?

℟. Affirmative. Nam præter quam quod neque cum institutione, neque cum natura ac fine sacrificii ejus iteratio pugnantiam ullam habet; certam hujus rei facit probationem antiquissima Ecclesiæ, Latinæ præsertim consuetudo.

Ad hunc sane morem respiciunt verba *Concilii* XII *Toletani*, labente 7 sæculo celebrati; quæ ante, nec semel, laudavimus; *relatum nobis est*, ajunt Patres (*Can.* 5): *quosdam de Sacerdotibus, non tot vicibus communionis sanctæ gratiam sumere, quot sacrificia in una die videntur offerre: sed in uno die, si plurima per se Deo offerant sacrificia, in omnibus se oblationibus a communione suspendant, & in sola tantum extremi sacrificii oblatione, communionis sanctæ gratiam sumant; quasi non sit toties illi vero & singulari sacrificio participandum, quoties Corporis & Sanguinis Domini nostri Jesu Christi immolatio facta constiterit. Nam quale erit illud sacrificium, cui nec ipse sacrificans participasse cognoscitur?* Hic ut vides mentio est de Sacerdotibus, in una die, plurima per se Deo sacrificia offerentibus: nec ideo reprehenduntur, quod sacram oblationem sæpius repetant, sed quod se in omnibus oblationibus, sola excepta ultima, a communione suspendant. Ergo 7 sæculo licebat Sacerdotibus in una die sæpe offerre. Imo ita esse faciendum conciliorum auctoritate sancitum erat: in synodo enim *Emeritensi* paucis ante annis habita (*anno* 666) statutum fuerat, ut Presbyteri quibus cura plurium Ecclesiarum demandata foret, missam in singulis, die Dominico celebrarent.

Idem probant exempla sanctorum ab antiquis scriptoribus memoriæ commendata: sic enim de *Leone III* Pontifice Maximo *Valafridus Strabo* scripto reliquit (*cap.* 21) quod 7 aliquando, imo & 9 una die Missas celebraret: (*v. Baron. ad ann.* 816) pariterque de S. *Udalrico* Episcopo Augustano, *Norberto* Magdeburgensi, *Alberto* Monacho, *Libentio* Bremensi Episcopo, & aliis longe pluribus, quod bis terque, diebus singulis, Eucharistiam offerrent, proditum est: (*v. Cardin. Bona Rerum liturg. lib.* 1, *c.* 18) de Romano Pontifice certum est, antiquitus in die Apostolorum bis celebrare solitum fuisse, semel quidem in Basilica S. Petri, & iterum in Basilica S. Pauli, hoc enim S. Prudentius in hymno testatur his verbis: (*hymno* 12, *de coronis*).

Lux in duobus fervet una festis.
Transtyberina prius solvit sacra pervigil Sacerdos
Mox huc recurrit, duplicatque vota.

Causa porro iterandi sacrificii erat, vel necessitas, vel voluntas: *Non esse absurdum crediderim*, inquit Strabo loco proxime citato, *si dum plures in una die faciendæ sunt Missæ, unus Sacerdos duas vel tres, necessitate, vel voluntate persuadente, celebret potius, quam quasdam dimittat*: nec unius modi necessitas putabatur, idem enim quod conveniens judicabatur esse necessarium; quo fiebat ut sacrificia multiplicandi nullus pene modus esset: *Potest Sacerdos*, inquit Durandus Mimatensis Episcopus (*in rationali lib.* 4, *c.* 1, *n.* 25) *quandoque plures Missas una die celebrare: 1 in festo Natali Domini: 2 ubi necessitas exigit, puta si quis moriatur: 3 causa honestatis, ut si aliqua magna persona superveniens, velit Missam audire: 4 secundum quosdam causa utilitatis, puta propter peregrinos, propter hospites, propter commeantes, propter infirmos, propter sponsos, & propter raritatem clericorum & propter paupertatem Ecclesiarum Sacerdotes proprios non habentium: 5 cum aliæ festivitates occurrunt, possunt enim tres celebrari, tum quia hoc fit licite in Natali, tum quia Christi passio tripartita est: passus enim est linguis insultantium, manibus verberantium & clavis crucifigentium . . . 6 pari ratione, si in die jejunii occurrit aliquod solemne festum, potest unam de festo, & aliam de jejunio celebrare si alius presbyter non adsit.*

In tantum hæc sive Religio, sive licentia creverat, ut eam ineunte 11 sæculo (*anno* 1022) synodus *Salegunstadiensis* coercendam putaverit, stricte prohibendo (cap. 5) *ne quis amplius quam tres Missas una die celebrare præsumeret*: versus ejusdem sæculi finem, morem una die bis celebrandi, semel quidem de festo occurrente, & iterum pro defunctis, refert in quadam sua decretali *Alexander II*, nec improbat, eoque centum & amplius annis recentior *Innocentius III* posse in casu necessitatis sacrificium iterari confirmat. *Respondemus*, inquit, (*cap. Consuluisti; extra de celebrat. Missarum*) *quod excepto die Nativitatis Dominicæ, nisi causa necessitatis suadeat,* *suf-*

sufficit Sacerdoti semel in die unam Missam solummodo celebrare.

Certum igitur est, morem in die sæpius celebrandi antiquitus ubique in Latina Ecclesia viguisse, nec fuisse a majoribus improbatum: quod enim iterandi sacrificii licentiam Pontifices & synodi interdum represserint, non propterea rem ipsam, ut ex prædictis liquet, sed abusum redarguebant, quo res etiam optimas interdum infici notum est.

Desiit jam pridem hæc consuetudo, non ita tamen est antiquata, quin ejus aliqua supersint vestigia: nam in *Natali Domini* ter celebrandi disciplina ubique retenta est: in regno *Valentiæ*, & quibusdam aliis Hispaniæ locis, die *commemorationis omnium defunctorum*, bis terque celebrant Sacerdotes: in tota passim Gallia nutu Episcoporum & auctoritate Parochi, quibus duæ ad regendum Ecclesiæ committuntur, maxime si Sacerdotum penuria sit, sacrificia duplicant: viget ergo etiamnum *Innocentii III* Decretum, quo statuit, *sufficere Sacerdoti semel in die una Missam solummodo celebrare, nisi causa necessitatis aliter agendum suadeat*

Q. 3. Utrum quotidie liceat sacrificium celebrare?

℟. Si ipsa in se ratio sacrificii habeatur, posse sine dubio die quolibet, sine exceptione, offerri: est enim Christus quotidiana Ecclesiæ victima, nec uni magis tempori, quam alteri alligata; quemadmodum itaque in lege veteri, diebus singulis victimæ mactabantur: ita pariter unaquaque die potest incruente offerri Christus, qui sacrificio suo primi testamenti figuras omnes implevit: *Hic enim est vitulus*, inquit S. Petrus Chrysologus, (*serm.* 5) *qui in epulum nostrum quotidie ac jugiter immolatur*. Hinc a Gregorio Turon. (*de glor. Confess. lib.* 1, *cap.* 22) *calicis & patenæ ministerium quotidianum] vocatur*; atque hoc ipsum confirmant Sanctorum veterum inferius referenda exempla, quin & Apostolos nascente Ecclesia, antequam inter se Orbis Provincias ad disseminandum Evangelium partirentur, diem nullam sine incruenta oblatione prætermisisse, satis nisi fallor verba scripturæ insinuant: (*Act.* 2, 42) *Erant perseverantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus.*

Quod si ad disciplinam Ecclesiasticam attendamus, non minus est certum, dies aliquos olim *Aliturgicos*, idest sine sacrificio transactos fuisse, & etiamnum transigi: sub initium enim temporum, ut refert *Justinus Martyr* (*Apol.* 2 *sub finem*) die Solis, idest, Dominica, fideles ad synaxim conveniebant: quod cum de reliquis hebdomadæ diebus non dicat, argumento est semel tantum septimo quoque die sacrificium celebratum: exinde progrediente ætate, diversi pro temporum & locorum varietate Ecclesiarum mores esse cœperunt: *Sacramentum Corporis & Sanguinis Christi*, ait S. Aug. (*tract.* 26 *in Joan.*) *alicubi quotidie, alicubi certis intervallis dierum in Dominica mensa præparatur, & de mensa Dominica sumitur....* (*Ep.* 56, *olim* 118) *alibi nullus dies intermittitur, qua non offeratur: alibi Sabbato tantum & Dominico, alibi tantum Dominico.*

Græci antiquitus sine Sacrificio totum Quadragesimæ tempus, exceptis die Annuntiationis, Sabbatis, & Dominicis transigebant, cæteris vero diebus, præsanctificatis utebantur: idemque hodie in oriente mos obtinet.

Alexandrini more proprio singulis quartis & sextis feriis, ipsoque die Sabbati sacrificio abstinebant: *De Synaxi*, inquit Socrates (*hist. lib.* 5, *c.* 21) *variæ consuetudines sunt, nam quamquam omnes ubique terrarum Ecclesiæ singulis septimanis vertentibus, die sabbati mysteria celebrent, Alexandrini tamen ex antiqua traditione istud facere renuunt.... rursus Alexandriæ, quarta feria, & ea quæ dicitur parasceve, & leguntur scripturæ, & Doctores eas interpretantur, omniaque quæ ad synaxim pertinent administrantur, præter mysteriorum celebrationem*. Idemque iisdem verbis attestatur *Nicephorus*. (*hist. lib.* 12, *c.* 34.)

Habebat & *Romana* Ecclesia usus proprios: quod enim Sabato liturgia non secus ac *Alexandrina* caruerit, *Socrates* ib. affirmat: *Alexandrini*, inquit, *& Romani ex antiqua traditione istud facere renuunt*: idemque per quadragesimam, singulis quintis feriis ante *Gregorii II* tempora Romæ & in adjacentibus Provinciis observatum, scriptores non contemnendæ auctoritatis affirmant: *Hic*, (Gregorius II) inquit in ejus vita Anastasius, *quadragesimali tempore, ut in quinta feria jejunium, atque Missarum celebritas fieret in ecclesiis, quod non agebatur, instituit....* cui *Strabo* consentiens: (*c.* 20) *quinta feria*, ait, *quoniam postmodum cœpit ut cæteræ jejuniis applicari, Gregorius junior statuit, eam missis & orationibus esse solemnem: & undecumque colligens, ejusdem diei augmentavit officia.*

Suæ hoc est *Cæsareensi* in *Cappadocia* Ecclesiæ morem explicans S. Basilius M. *singulis certe diebus*, inquit, (*Ep.* 289) *communicare & participare Sancto Corpori & Sanguini Christi, bonum & fructuosum est: cum dixerit ipse perspicuis verbis, qui comederit carnem meam, & biberit sanguinem meum, vitam*

tam habet æternam: *jam vero quis dubitat*, *quin vitæ frequentius participare*, *non sit aliud omnino*, *quam frequenter vivere*? *quater igitur nos singulis septimanis communicamus*, *Dominico die*, *feria quarta*, *in parasceve*, *& Sabbato*: *sed & per dies etiam alios*, *si martyris alicujus memoria celebretur*.

Romæ pariter die Sancto Parasceves, quo Dominicæ passionis anniversaria recurrit memoria, ab omni sacrificio cessabatur: quem ritum etiamnum occidentalis ubique Ecclesia retinet: *Veniente veritate*, inquit S. Thomas (3 *p. q.* 83, *art.* 2, *ad* 2) hujus disciplinæ causam convenientem afferens, *cessat figura*: *hoc autem Sacramentum est figura quædam & exemplum Dominicæ passionis*: *& ideo in die quo passio ipsa Domini recolitur*, *prout realiter gesta est*, *non celebratur consecratio hujus Sacramenti*.... Similiter Hugo a S. Victore: (*Miscellaneorum codice* 2, *lib.* 5) *Hodie*, inquit, *non sacrificamus* .... *non sacrificant amici dum trucidant inimici*.

Habebat utique Romæ, in diebus Aliturgicis locum, majoris hebdomadæ Sabbatum, & etiam nunc haberet, nisi jam a multis sæculis introducta consuetudine, noctis sequentis officium anticiparentur: nam quæ modo versus Sabbati meridiem Missa celebratur, antiquitus differebatur ad vigilias, resurrectionis Dominicæ diluculo immediate conjunctas: cujus rei habemus certissimum in ipsis hujus sacrificii orationibus testimonium, ubi non die, sed noctis mentio est: idemque Patres significant, passim memorando, priscæ ætatis fideles noctem resurrectionis Dominicæ insomnem in templis transigere solitos.

Quod *Romæ* in die parascevæ & sequente Sancto Sabbato, idem *Mediolani*, intacto hactenus & inviolabiliter retento ritu, singulis sextis Quadragesimæ feriis servabatur, cujus rei certa in Mediolanensi Missali testificatio est.

Denique, ne decurram singula, notum est ex Monachorum veteribus institutis, eos non singulis promiscue diebus, Eucharisticum sacrificium obtulisse: sed Dominicis tantum, & in Sanctorum celebritatibus, quibus aliqui Sabbatum addebant ad liturgiam convenisse: qua de re consuli potest sæpe laudatus *Card. Bona*, rerum liturgicarum l. 1, c. 18, n. 3.

Q. 4. Utrum vero sensu dici possit, Eucharisticum sacrificium non a Sacerdotibus tantum, sed & a tota fidelium societate offerri?

℞. Affirmative: hæc enim oblatio non solum est Sacerdotis, sed cunctæ familiæ, idest cleri & populi, & non solum adstantis familiæ, sed cunctæ Ecclesiæ: quod ut bene intelligatur, recolendum ex dictis superius, sacrificium aliud esse spirituale, in omni bono opere positum, quod propter Dei gloriam suscipi potest & fieri, aliud externum & proprie dictum, quando nimirum Deo in recognitionem supremi ejus Dominii, res aliqua sensibilis offertur, & ritu mystico, a ministro legitimo consecratur ac mutatur: porro Eucharisticum sacrificium, licet exterius non possit a vulgo fidelium confici, quibus externi ministerii potestas concessa non est: in bonorum tamen operum numero continetur, & præcipuum locum habet, quæ propter Dei gloriam suscipi possunt, & spiritualiter fieri; ergo vero aliquo sensu affirmari potest, quod non a Sacerdotibus tantum, sed ab omnibus indiscriminatim fidelibus offeratur: voto, scilicet, etsi non ministerio; eaque communis *Alcuini*, *Odonis Cameracensis*, *Stephani Eduensis*, *Alberti Magni*, *Innocentii III*, & probatissimorum quorumlibet scriptorum sententia est, affirmantium: *Non solum offerre Sacerdotes*, *sed & universos fideles*.... *quod adimpletur proprie ministerio Sacerdotum*, *generaliter agi*, *fide & devotione cunctorum*.... *non solum Sacerdotes & clerum*, *qui secundum diversos gradus*, *divinis occupantur officiis*, *hostiam Sanctam offerre*: *sed etiam audientes*, *qui votis & orationibus assistunt cooperantes*, *& ad Deum promerendum Sacerdotis ministerio ac intercessione utuntur* &c. (*v. Stephanum Durandum*, *de ritib. Eccl. lib.* 2, *cap.* 34, *&* 36).

Hoc ipsum verba liturgiæ aperte demonstrant, quæ non suo tantum, sed fidelium omnium nomine profert Sacerdos: *Orate Fratres*, inquit, *ut meum ac vestrum sacrificium acceptabile fiat apud Deum Patrem omnipotentem*.... *memento Domine famulorum famularumque tuarum*: *& omnium circumstantium*, *quorum tibi fides cognita est*, *pro quibus tibi offerimus*, *vel qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis*, *pro se suisque omnibus* .... *tibique reddunt vota sua*, *æterno Deo vivo & vero*: *hanc igitur oblationem servitutis nostræ*, *sed & cunctæ familiæ tuæ*, *quæsumus Domine*, *ut placatus accipias &c*..... *unde & memores Domine nos servi tui*, *sed & plebs tua Sancta*, *ejusdem Christi filii tui Domini nostri*... *offerimus præclaræ majestate tuæ*, *de tuis donis ac datis* &c. hinc enim inferunt, *Alcuinus*, *Florus Diaconus*, *S. Petrus Damiani* in lib. cui titulus, *Dominus vobiscum*, c. 8, & alii quos prædiximus rerum liturgicarum interpretes, Eucharisticum sacrificium non solum a Sacerdotibus, sed & a Laicis, nec mulieribus quidem exceptis, vero aliquo sensu offerri.

Oc-

Occurritur cuidam objectioni.

Dices: ad eos solum pertinet Eucharisticum sacrificium offerre, quibus solis datum est, rem sensibilem & permanentem, ritu mystico consecrare & mutare; atqui solis Sacerdotibus hoc concessum; ergo ii soli habent potestatem, Eucharistiam offerendi; atque adeo cum injuria ordinis Sacerdotalis, Laicis attribuitur; eoque magis est illa opinio fugienda, quod videatur ipsissimum *Lutheranorum & Calvinistarum* errorem exprimere.

℞. Distinguo maj. ad eos solum pertinet, Eucharisticum sacrificium offerre, quibus datum est rem sensibilem ritu mystico consecrare & mutare *vel in re*, *vel in voto*, conc. *in re & efficaciter*, n. maj. similiter dist. min. solis Sacerdotibus est concessum, *in re & efficienter* hoc consequi, conc. *in voto, fide, & devotione*, n. min. & conseq.

E. R. Fuit ille *Lutheranorum & Calvinistarum* error perniciosissimus, quem fides Catholica respuit, omnes sine discrimine fideles, pariter esse Sacerdotes: hoc enim quantum a tramite veritatis exorbitet, ipsa institutio hujus Sacramenti & sacrificii plene demonstrat, cujus peragendi non omnibus, sed solis Apostolis eorumque successoribus facultatem contulit Christus his verbis: *hoc facite in meam commemorationem*: hoc vero non impedit, quominus ad universam societatem fidelium, per fidem, desiderium ac devotionem oblatio victimæ sanctæ pertineat: quatenus id quod Sacerdotes re & opere faciunt, ipsi etiam Laici fide viva, corde puro, & intentionis fervore attingant: sic enim impletur quod dictum est: (*1 Petri 2, v. 5, & 9*) *Ipsi tamquam lapides vivi superædificamini, Domus spiritualis, Sacerdotium Sanctum, offerre spirituales hostias, acceptabiles Deo per Jesum Christum.... vos autem genus electum, regale Sacerdotium, gens Sancta, populus acquisitionis*, (*Apoc. 5, v. 10*) hæc enim & similia scripturæ verba, ad omnes fideles æqualiter pertinere, alibi ex Patrum traditione probatum est. (*lib. 1 de Sacr. in Gen. q. 6, cap. 1*)

Et vero si in lege veteri, quæ a Sacerdotibus Aaronici ordinis victimæ mactabantur, vero aliquo sensu, ab ipso populo offerebantur, & scripturarum loquendi consuetudine dicebantur offerri; quanto magis hoc est de victima novæ legis affirmandum, quæ ad omnes ex æquo pertinet? quæ enim magis nostrum omnium hostia est, quam cui omnes participamus, quæque *pro peccatis nostris propitiatio est; non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi*? (*1 Jo. 2, 2.*)

CAPUT SECUNDUM.

De Ministris sacrificantium.

Dicendum modo de ministris altari & Sacerdoti deservientibus, quos in duplici & diversissimo statu esse videmus: quidam enim, clerici scilicet sacrum ministerium exequendi sua ordinatione jus habent: alii, cum Laici sint, nec a sæculo segregati, non jure proinde suo, sed tolerante Ecclesia, ad supplendam clericorum penuriam, ad altare accedere, manumque ac linguam accommodare sacrificiis permittuntur. De utrisque disciplina Ecclesiæ paucis exponenda. Sit itaque

§. PRIMUS.

De Clericis altari deservientibus.

Quod olim in lege Mosaica erat divinitus constitutum, ut præter ministros, *qui uncti fuerat & quorum repletæ ac consecratæ manus erant, ut Sacerdotio fungerentur*, (*Num. 3, 3*) ordo Levitarum eligeretur, *qui starent in conspectu Aaron Sacerdotis, ut ministrarent ei & excubarent, & observarent quidquid ad cultum multitudinis pertineret, coram tabernaculo testimonii*: (*ib. v. 6, & seq.*) hoc ipsum in nova lege par erat institui, ubi quo excellentius tabernaculum, sanctiorque hostia est, eo oportebat pompa majori, & exquisitiori diligentia sacrificium celebrari.

Itaque nutu Christi, & non nutu tantum, sed & imperio, Apostoli, *Diaconos*, hoc est, *ministros*, qui *Levitarum* officium in Ecclesia implerent & assisterent Sacerdotibus, ordinarunt: nam quod in eorum actis dicuntur (*Act. 6*) ad mensarum & viduarum ministerium constituti, nihil hoc, quam defendimus veritati præjudicat, quia hæc eorum institutionis occasio proxima, non causa præcipua fuit; cum ibidem legantur Diaconi & prædicasse, & baptizasse, & saltem tacite innuatur, eos Apostolis sacrum officium defungentibus, in omnibus ministrasse: sed quod obscurum scriptura habet, enucleate proxima temporibus Apostolicis traditio aperit, expresse declarans, Diaconos ad altaris divini ministerium principaliter institutos: Sic *Justinus Martyr* (*in 2 Apolog. versus finem*) postquam liturgiam sacram descripsit, a præsidente, Sacerdote nimirum factam: *Præsidens vero*, inquit, *postquam gratiarum actionem perfecit, & populus universus apprecatione læta eam comprobavit, qui apud nos vocantur Diaconi atque ministri, distribuunt unicuique præsentium*

tium, ut participet eum, in quo gratiæ actæ sunt, panem, vinum, & aquam, & ad absentes perferunt . . . de iisdem Ignatius Martyr: (*in Ep. ad Trallianos*) *Oportet autem*, ait, *& Diaconos ministros existentes mysteriorum Jesu Christi, secundum omnem modum omnibus placere: non enim ciborum & potuum sunt ministri, sed Ecclesiæ Dei*. Hucque pertinet (ut in præsenti pleraque sileamus, quæ ad tractatum de sacris ordinationibus proprie spectant) S. *Laurentii* ad *Sixtum* Sum. Pontificem martyrio inhiantem præclara interpellatio: (*apud S. Ambr. lib.* 1 *offic. c.* 41) *Quo Sacerdos Sancte sine Diacono properas? numquam sacrificium sine ministro offerre consueveras*. Hinc est quod antiquitus Diaconi etiam Sacerdotii nomine propter magnam quam cum presbyteris habent conjunctionem, honorarentur: sic enim *Optatus Milevit.* (*lib.* 1 *contr. Donat.*) Episcopos in primo, Presbyteros in secundo, Diaconos in tertio Sacerdotio dicit constitutos.

Porro a Diaconatu tamquam a fonte longa inferiorum ordinum series derivatur, qui suo quique gradu, & potestate in ordinatione accepta, Sacerdotum sunt adjutores, iisque sacrum facientibus diversa officia commodant: hi sunt, *Subdiaconi*, *Acolythi*, *Lectores*, *Ostiarii*, *Exorcistæ*: de his equidem, utrum immediate an mediate a Christo sint instituti, & ad ordinis Sacramentum formaliter an reductive, ut loquitur schola, pertineant, inter Theologos controvertitur: sed antiquissimos esse ambigit nemo: omnium enim medio circiter tertio sæculo meminit *Cornelius S. Pontifex* in Ep. ad *Fabium Antiochenum*, ubi suo tempore, septem Romæ Diaconos, Subdiaconos totidem, Acolythos duos & quadraginta, Exorcistas & Lectores cum Ostiariis quinquaginta duos fuisse affirmat: (*vide Euseb. hist. lib.* 6, *cap.* 43) de hac vero ministrorum multitudine ac varietate, tamquam de re vulgatissima loquitur; quod argumento est, non recentis in Romana Ecclesia institutionis ea ætate fuisse; de hoc longe plura l. 8 dicturi sumus, qui proprius erit locus sacrum ordinem contra hæreticos ejusque diversas sub uno genere species vindicandi: jam ut quod in præsenti propositum est persequamur:

Q. 1. Utrum hi omnes ordines aliquam in altaris ministerio partem olim habuerint, hodieque habeant?

℞. Affirmative: hæc enim ordinis propria notio est, quod ad sacrificii celebrationem præcipue referatur: unde in genere definitur, *Sacramentum, quo spiritualis potestas traditur ordinato tum ad sacrificium celebrandum, tum ad ea quæ sunt divini cultus implenda*: in nullo autem magis quam in sacrificio Eucharistico, cultus Dei & vera latria supremo Deo exhibenda apparet: hoc autem ut clarius pateat:

Q. 2. Quid officii hi omnes ordines in sacrificio habeant?

℞. Singulorum præcipua hæc munera esse.

Diaconi Presbytero sacrum operanti assistunt, panem & vinum ab eodem consecranda exhibent, eorum quæ agenda sunt, nutu aut voce admonent, inferiores ministros in officio continent: facta consecratione propius ad oblata accedunt, curant quam sedulo possunt, ne quid aut sacrificii actionem remoretur, aut sacrificata commaculet, &c. Dominicum olim sanguinem ipsumque Christi Corpus sub specie panis olim adstanti plebi distribuebant, & pleraque alia fungebantur, de quibus alibi sermo recurret.

Subdiaconi, quod nomen eorum indicat, subserviunt Diaconis, calicem illis & patenam ad sacrificium præparata præsentant &c.

Acolythi vinum & aquam ad Eucharistiam ministrant, cereos Ecclesiæ accendunt, luminaria deferunt, aquam ad manus tergendas præbent &c.

Exorcistæ sacris exorcismis dæmones ejiciendi ordinatione sua potestatem habent, populum admonent, ut qui non communicant, communicantibus dent locum &c.

Lectores a legendo dicti, quia olim veteris & novi testamenti scripturas publice in templo legebant, prout etiamnum in quibusdam festivitatibus observatur &c.

Ostiariis Ecclesiæ & sacristiæ claves committuntur: ad eos spectat, pulsare campanas, signoque dato fideles ut ad sacrificium conveniant admonere &c.

Hæc in præsenti breviter indigitasse sufficiat, ad ostendendum peculiares horum omnium ordinum in sacrificio esse partes.

Q. 3. utrum statim ab Ecclesiæ nascentis exordiis distinctio illa ordinum diversorum facta fuerit?

℞. Negative: *In primitiva Ecclesia*, inquit S. Thomas (*suppl. q.* 37, *art.* 2) *propter paucitatem ministrorum, omnia inferiora ministeria diaconibus committebantur, ut patet per Dionysium, c.* 3 *Eccl. Hierarch. ubi dixit*: ministrorum alii stant ad portas templi clausas, alii aliud proprii ordinis operantur: alii autem Sacerdotibus proponunt super altare sacrum panem, & benedictionis calicem: *Nihilominus erant omnes prædictæ potestates, sed implicite in una Diaconi potestate: sed postea ampliatus est cultus divinus, & Ecclesia quod implicite habebat in uno ordine, explicite tradidit in diversis*; contigit nimirum Ecclesiæ,

ait Doctissimus Card. Bona, (*rerum liturgic. lib.* 1, *cap.* 25) quod hominibus solet, qui dum tenue patrimonium habent, uno servo contenti sunt, qui solus omnia administrat : si vero redditus augeantur, servorum etiam augetur numerus: eoque magis crescit familia, quo illi locupletiores & spectabiliores evadunt : sic Evangelicæ prædicationis initio parvula adhuc & latitans Ecclesia paucis indiguit Ecclesiasticarum functionum ministris : crescente autem credentium multitudine, & auctis facultatibus ex fidelium oblationibus, cum soli Diaconi non possent omnibus incumbere, diversa onera & officia diversis sunt distributa : ex quo factum, ut splendidiori & augustiori apparatu Ecclesiasticarum functionum cæremoniæ peragerentur.

Q. 4. utrum hæc ordinum multitudo ac varietas recepta ubique in Ecclesia fuerit?

℟. Negative : Græci enim & Orientales dempto lectoratu, minores ordines nec modo habent, nec ab antiquo habuerunt: equidem viguerunt in his partibus acolythorum, exorcistarum, & ostiariorum officia, vigentque etiamnum : sed aliud ordo est, qui speciali consecratione confertur, aliud officium a mera Episcopi aut presbyteri delegatione dependens; quod vero inter illos acolythorum aliorumque numquam ordinatio fuerit, invicte probant antiquissima Græcorum & Orientalium Euchologia, veteres canones, & scripta Patrum.

Q. 5. utrum olim in Ecclesia Latina, qui acolythi, exorcistæ, ostiarii &c. ordinati essent suorum ordinum officia exercerent.

℟. Affirmative: nec enim otiosi torpebant beatis illis temporibus ordines, neque ut re vacui tituli habebantur : sed unusquisque in gradu suscepto, quamdiu Episcopis videbatur conveniens, morabatur, & diligenter impositum sibi munus implebat : nam quis existimet, hanc adeo augustam ac numerosam clericorum inferioris ordinis catervam, quos *Papa Cornelius* in supra memorata ad *Fabium Antiochenum* Ep. tanta accuratione percenset, Romæ desides, & sine exercitio jacuisse? hoc sane nemo admittet, qui attenderit, juxta priscos Ecclesiæ mores, neminem, non modo presbyterum, sed neque Diaconum, Subdiaconum, acolythum &c. ordinatum, quin ipsa ordinationis die speciali cuidam Ecclesiæ addiceretur, ut eidem & presbyteris in suo quisque gradu serviret: quo fiebat, ut plerique annos plurimos, & persæpe vitam, in ordine inferiore consisterent, neque altius conscenderent, nisi necessitas Ecclesiæ postularet : cujus rei exempla multa annales Ecclesiastici suggerunt. Sic enim de *S. Martino* narrat *Severus* in ejus vita, quod cum *S. Hilarius* Pictaviensis, frustra tentasset ei manus ad diaconatum imponere, non aliter ejus modestiam vicerit, quam eum *exorcistam* ordinando: *Intellexit*, inquit, *vir altioris ingenii, hoc eum modo posse constringi : si id ei officii imponeret, in quo quidam locus injuriæ videretur; itaque exorcistam eum esse præcepit : quam ille ordinationem ne despexisse tamquam humiliorem videretur, non repudiavit*. Pariterque de S. *Felice* testatur in ejus natali *S. Paulinus*, eum lectoris primo, deinde exorcistæ gradum exercuisse:

> *Primis*, inquit, *lector servivit in annis,*
> *Inde gradum cepit, cui munus voce fideli*
> *Adjurare malos, & sacris pellere verbis.*

Q. 6. Mores hodierni quid ferant?

℟. Jam ab aliquot sæculis inferiorum ordinum pene exercitium nullum esse, nec alia de causa a clericis ambiri ac recipi, quam quia gradus sunt, ad majores & præcipuos capessendos; itaque multorum judicio via sunt, qua est necessario transeundum, sed ubi aliquantisper consistere pudor esset : tot inter millia clericorum qui Dominum eligunt partem hæreditatis suæ, vix unum reperias, qui interrogatus non respondeat, velle se esse Sacerdotem : qui acolythum, aut lectorem ne unum quidem : manserunt enim vero tituli; res & officium titulis significata evanuerunt; non jam qui ordine suo dicuntur ostiarii, templorum claves custodiunt, & excubias agunt : non exorcistæ, faciunt exorcismos, non qui lectores, legunt publice volumina sacra : non qui acolythi cereos deferunt, vinumque & aquam ad sacrificium administrant : sed casu ac temere cuilibet de clero, ipsisque etiam Laicis hæc officia committuntur : quin nec ipse subdiaconatus a subdiaconis, sed vel a superioribus clericis, vel a minoribus, interdumque ab hominibus nondum tonsura initiatis exercetur: in tantam denique horum graduum incuriam ventum est, ut qui ad illos promoti sunt, magna ex parte, postridie ordinationis suæ, neque quid debiti contraxerint, neque quid receperint cogitent, vixque ordinum suorum nomina valeant memoriter recitare : equidem in insignioribus Metropolitanis, Cathedralibus, & quorumdam monasteriorum Ecclesiis, magno ut antehac apparatu divina liturgia celebratur, nec deest ministrorum ingens numerus; verum ut prædixi, in distributione officiorum, susceptorum ordinum respectus nullus habetur; ita ut qui Diaconos & subdiaconos agunt, Sacerdotes plerumque sint, qui vero acolythos, aut superioris ordinis sint, aut aliquando nec clerici quidem.

Q. 7.

Q. 7. tantæ mutationis quæ causæ esse potuerint?

℟. Præter generale naturæ in pejus ruentis, & optima quęque sensim abolentis vitium, duas potissimum fuisse, hinc quidem Ecclesiarum multiplicationem, illinc vero inferiorum presbyteratu ordinum in Eleemosynarum partitione, & Ecclesiasticorum redditi uum distributione neglectum: primis temporibus templorum exiguus numerus erat: ita ut in unaquaque diœcesi ac civitate unum tantum plerumque reperiretur: deinde prisca illa ætate in commune bona Ecclesiæ conferebantur, singulisque de clero, quantum uniuscujusque status, ad vitam honeste ducendam exigebat dividebantur: quo fiebat ut suorum ordinum officia obirent omnes, eoque lubentius, *quod in sacrario operantes; quæ erant de sacrario, ederent, & altari deservientes cum altari participarent*. (1 *Cor.* 9, 13) Deinde vero crescente fidelium numero, numerus templorum crevit, tamque prodigiose adauctus est, ut ad liturgiam in singulis pari qua antehac solemnitate celebrandam clerus quantumvis numerosus non suffecerit; itaque paulatim desierunt in locis quibusdam clericorum inferiorum officia negligi, indeque malum quotidie ingravescens longe lateque est propagatum: accessit ad incrementum mali erectio beneficiorum, redditus bonorum Ecclesiasticorum annexos habentium, in quibus dividundis nulla aut pene nulla clericorum inferiorum, ut prędixi, cura habita est: cum igitur de Evangelio vivere desiverint, qui altaribus in gradu inferiore deserviebant: nihil mirum si ordines proventum nullum adferentes exercere cessaverint.

Q. ultimo: utrum cessationem hanc Ecclesia probet?

℟. Tolerari ab Ecclesia, quomodo pleraque alia tolerantur, quæ corrigi facile nequeunt, nequaquam vero probari: imo nihil magis Ecclesia vellet, quam ut minores ordines pristino honore recuperato, qua par esset decentia, servatis in unoquoque interstitiis, implerentur: *Minores ordines*, inquiunt Trid. Patres.... (*Sess.* 23, *in decret. de reform. c.* 11) *Per temporum interstitia, nisi aliud Episcopo expedire magis videretur conferantur: ut eo accuratius, quantum sit hujus disciplinæ pondus, possint edoceri, ac in unoquoque munere, juxta præscriptum Episcopi se exerceant, idque in ea cui adscripti erunt, Ecclesia: nisi forte ex causa studiorum absint; atque ita de gradu in gradum ascendant, ut in eis cum ætate vitæ meritum, & doctrina major accrescat*... Et paulo post: (*ib. cap.* 17) *ut sanctorum ordinum a Diaconatu ad ostiariatum functiones, ab Apostolorum temporibus in Ecclesia laudabiliter receptæ, & pluribus in locis aliquamdiu intermissæ, in usum juxta sacros canones revocentur, nec ab Hæreticis tamquam otiosæ traducantur; illius pristini moris desiderio flagrans S. Synodus decernit, ut in posterum hujuscemodi ministeria, nonnisi per constitutos in dictis ordinibus exerceantur; omnesque & singulos Prælatos Ecclesiarum in Domino hortatur, & illis præcipit, ut quantum fieri commode poterit, in Ecclesiis Cathedralibus, Collegiatis, & Parochialibus suæ diœcesis, si populus frequens, & Ecclesiæ proventus id ferre queant, hujusmodi functiones curent restituendas, & ex aliqua parte redditiuum, aliquorum simplicium beneficiorum, vel fabricæ Ecclesiæ, si proventus suppetant, aut utriusque illorum, eas functiones exercentibus stipendia assignent: quibus, si negligentes fuerint, ordinarii judicio, aut ex parte mulctari, aut in totum privari possint: quod si ministeriis quatuor minorum ordinum exercendis clerici cœlibes præsto non erunt, suffici possint etiam conjugati vitæ probatæ, dummodo non bigami, ad ea munia obeunda idonei, & qui tonsuram & habitum clericalem in Ecclesia gestent.*

§. SECUNDUS.

De laicis altari servientibus.

Quæ modo diximus, ad liturgiam solemnem proprie spectant. Jam de missis quas vocant privatas:

Q. 1. Utrum clericum esse oporteat, qui Sacerdoti ministrat?

℟. 1. More antiquo ad ministerium Sacerdotibus exhibendum, non alios præter clericos fuisse admissos: cum enim functio hęc jus tribueret, ad altare propius accedendi, clericalis merito putabatur, solis proinde clericis committenda; hinc antiquus *Gratiani* commentator, ad canonem 61 distinctionis 1 *de consecratione*, ubi præcipitur, *ut nullus presbyterorum missarum solemnia celebrare præsumat, nisi duobus præsentibus, sibique respondentibus*: quærit, numquid necessarium sit, ut sint duo clerici? & respondet: *Satis videtur, quod debent esse duo Clerici*.

℟. 2. Juxta præsentem disciplinam, omnino, quoad potest fieri, observandum, ut missæ minister sit Clericus: sic enim decretum a pluribus synodis: (*Mediolan.* 4, *Aquensi an.* 1585, *Tolos.* 1590, *Avenionen.* 1694, *Narbon.* 1690, &c.) ad mentem Concilii Œcumenici Trid. in quo secundum antiquos canones legimus constitutum, (*Sess.* 22, *in decr. de ob-*

servandis & evitandis in celebr. Missæ) *Sacrosanctum Missæ sacrificium, omni Religionis cultu ac veneratione esse celebrandum . . . . . omnemque operam & diligentiam in eo esse ponendam, ut quanta maxima fieri potest interiori cordis munditia & puritate, atque exteriori devotionis ac pietatis specie peragatur.*

℟. 3. Tolerare tamen Ecclesiam, ut laici, modo idonei sint, sacerdoti sacrum facienti administrent: crescente enim privatarum Missarum numero, cum non esset sufficiens copia clericorum, concedi laicis oportuit, ut eorum vices implere possent: ne videlicet ministrorum inferiorum defectu, a sacrificio offerendo cessare Sacerdotes compellerentur.

Q. 2. Laici idonei qui dicantur?

℟. Eos esse, qui decenti habitu, morum gravitate, sensu pietatis, vultuque ad modestiam & honestatem composito, palam faciunt, se tam sublimis officii dignitatem & excellentiam intelligere: nam si ex Concilii Trid. decreto modo laudato, non debeat sacrificium a Sacerdotibus sæcularibus aut regularibus peragi, nisi qui præsentes adsunt, *decenter composito corporis habitu declaraverint, se mente etiam ac devoto cordis affectu, non solum corpore adesse*: quanto magis debet hoc exigi a Sacerdotum ministris, qui quo propius ad altare accedunt, eo se sanctiores præstare debent: maxime cum totius fidelis populi suppleant vices, & adstantium omnium nomine publicum ministerium impleant?

Atque hinc patet, quam sit deplorandus quantaque reformatione egeat, qui in Ecclesiam (Ecclesia certe non probante) irrepsit abusus: nam vulgo ad altaris ministerium admittuntur vilissimi quique de infima plebe homunciones, sordido habitu, vultu deformi, illotis manibus, Sacerdoti, ipsisque adstantibus pene nauseam afferentes: aut pueri immodesti & immorigeri, qui nec speciem pietatis præferendo, neque quid acturi venerint leviter intelligendo, psittacorum more respondent, & velut simiæ administrant; magisque impediunt Sacerdotem, quam juvant, eoque tandem rerum sacrarum contemptus progressus est, ut jam clericos, viros nobiles, & bonos cives pene pudeat ministerium Sacerdotibus exhibere: unde sequitur, ut eos juxta se ministros tolerare compellantur, quos ne ad communem quidem mensam, honesto loco nati cives, servos habere sustinerent; iisque totius Ecclesiæ vota committantur, quibus ne minima quidem negotia vellet quisquam committere: quodque dolendum magis, nimia hac præposteraque facilitate, cachinnis infidelium divina mysteria exponuntur: ecquis enim, quæso, Gentilis aut Hæreticus sibi persuadeat, sacrificium immolari, quo nec sanctius quidquam Ecclesia habet, neque augustius: & non potius existimet, rem indifferentem aut ludicram repræsentari, quando viderit actores hujusmodi circum altare adesse?

Q. 3. utrum liceat Missam, nemine deserviente celebrare?

℟. 1. Missas hujusmodi, quas ideo quod nemine præsente aut ministrante celebrarentur, *Solitarias* dixerunt, primis temporibus prorsus fuisse incognitas: nullum enim earum exemplum ex antiqua historia afferri potest, cum potius constet, prisca ætate Missas fere omnes fuisse solemnes & publicas.

℟. 2. Nono circiter sæculo cœpisse Missas hujusmodi a Monachis primum, deinde a presbyteris sæcularibus frequentari, idque ex indulgentia magis, quam ex canone: *Cum primitus Missæ sine collecta non fierent*, inquit Odo Cameracensis, (*in expositione canonis*) *postea mos inolevit Ecclesiæ, solitarias & maxime in cœnobiis Missas fieri*: Cui concinens *Stephanus Eduensis* sic loquitur: (*lib. de Sacr. Altaris c.* 13) *Sciendum est, quod unus tantum sit præsens, vel nulli sint præsentes, ut in missis solitariis; non ideo mutantur quæ pluraliter solent fieri orationes; primo enim Missæ non solebant celebrari sine collecta fidelium multitudine: postea mos inolevit solitarios, sicut Monachos, celebrare solitarias, quod eis concessum est ex indulgentia: inde etiam sæculares consueverunt Missas cantare privatas*.

℟. 3. Usum hunc, cum primum est introductus, fuisse improbatum a pluribus, velut instituto primario, & ritibus Ecclesiasticis minime convenientem: sic enim in *Concilio Moguntino*, 9 seculo habito, itemque in aliis ejusdem ætatis, *Parisiensi* & *Nannetensi* declaratum est, non debere Sacerdotes sine ministro sacrificium facere, & contrarium usum reprehensibilem esse. *Definivit S. Concilium*, inquiunt Patres Nannetenses, ab *Ivone Carnotensi* citati, (*part.* 3, *cap.* 70) *ut nullus presbyter solus præsumat Missam celebrare: cui etenim dicit*: Dominus vobiscum: sursum corda: *aut*: gratias agamus Domino Deo nostro: *cum nullus sit qui respondeat? aut in canone*: & omnium circumstantium: *cum nemo adsit? aut quem invitat ad orationem, cum dicit* Oremus: *cum nullus sit, qui secum oret? aut ergo ista penitus reticenda sunt, & non solum non erit perfectum sacrificium, verum etiam incurret quisquis est ille, illam terribilem sententiam*: si quis tulerit de hoc, tollat Deus partem ejus de libro vitæ: *aut si hæc muris & parietibus insusurraverit, ridiculosum erit: quapropter illa periculosa superstitio, maxi-*

maxime a Monasteriis Monachorum exterminanda est: provideant autem Prælati, ut Presbyteri in cœnobiis, & aliis Ecclesiis, cooperatores habeant in celebratione Missarum: si quis hæc transgressus fuerit, ab officio suspendatur.

℟. 4. Non defuisse qui Missas solitarias approbarent, licitasque contenderent: scripsit de hac re *B. Petrus Damiani* opusculum, cui titulum fecit: *Dominus vobiscum*: in quo pluribus argumentis ostendere nititur, Sacerdotem in Missa veraciter dicere: *Dominus vobiscum*: aliaque similia, & sibimet, nemine adstante, respondere, eadem ratione quia clericus privatim horas canonicas recitando, pleraque plurali numero exprimit, sibique ipsi respondet: quomodo cum dicit: *Converte nos Deus: venite exultemus Domino: venite adoremus: benedicamus Domino*, &c.

℟. 5. Secundum morem hodiernum, propter reverentiam sacrificii, sine ministro assistente non debere missam celebrari, saltem extra casum necessitatis, & non obtenta Ecclesiæ concessione: *Rejectæ itaque*, inquit Doctissimus Card. Bona, (*Rer. liturgic. lib. 1, c. 13*) *& reprobatæ fuerunt Missæ solitariæ, quæ a solo Sacerdote, nemine adstante & respondente dicebantur, hac potissimum ratione, quia absurdum visum est, quod Sacerdos diceret*: Dominus vobiscum: sursum corda: Gratias agamus: *Cum nullus responderet; aut invitaret ad orandum, dicens*: Oremus, *nemine præsente qui secum oraret; & in canone memoriam faceret omnium circumstantium, cum nemo adesset*: hæc ille: quæ non ita tamen debent intelligi, quasi absolute repugnet naturæ sacrificii, amotis testibus, & sine ministro deserviente celebrari: quin *neque alienum videri debet*, ait ibidem piissimus scriptor, *quod quis solus dicat*: Dominus vobiscum: *nam his verbis salutatur Ecclesia, quæ est, in una multis, & tota in singulis*, ut docte probat Petrus Damianus (*in opusc. Dominus vobiscum*), neque etiam mendacii possent argui salutationes quæ ad omnes fideles, nemine præsente a Sacerdote diriguntur, quomodo cum dicit: *Pax Domini sit semper vobiscum*, &c. *Quia*, ait Stephanus Eduensis in lib. supra laudato, (*de Sacram. Altaris, cap. 13*) *assistunt omnes quasi præsentes, fide & caritate Sacramentis communicantes.*

Q. ultimo, utrum mulieres possint ad hoc ministerium adhiberi?

℟. Negative: redolet enim hoc ministerium conditionem functionis Ecclesiasticæ, & tribuit jus ad altare propius accedendi; atqui mulieres ab omni officio Ecclesiastico procul arcentur, eisdemque prohibetur ad altare accedere: *Non oportet mulierem ad altare ingredi*, ajunt Patres Laodiceni, can. 44. *Impatienter audivimus*, inquit Gelasius, 5 sæculo S. Pontifex, (*Ep. 9, c. 26*) *tantum divinarum rerum subiisse despectum, ut fœminæ sacris altaribus ministrare ferantur......* & sæculo 13 Innocentius IV. (*Epist. 10, ad. Othob. Cardin. cap. 4*) *Mulieres*, inquit, *servire ad altare non audeant, sed ab illius ministerio omnino repellantur*; idemque sæpius decretis & canonibus Ecclesiæ confirmatum. Ergo &c.

QUÆSTIO SEPTIMA.

De sacrificii Eucharistici efficacia & effectibus.

Sequitur de virtute & efficacia sacrificii magni momenti quæstio, quam ut perspicue explicemus, agemus 1 de subjecto sacrificii: 2 de effectibus: 3 de virtute quam ad illos producendos habet. Unde sit

CAPUT PRIMUM.

De subjecto sacrificii Eucharistici.

Subjectum sacrificii dicimus, personas omnes pro quibus offerri potest; itaque tam late difficultas præsens, quam genus ipsum humanum patet: de omnibus enim quotquot sunt, aut unquam fuere hominibus, sive mortalem vitam degant, sive e vivis excesserint, sive intus in Ecclesia sint, sive foris oberrent; sive in cœlis cum Christo regnent, seu purgatorii pœnas luant, seu denique iverint in ignem æternum, moveri controversia potest, utrum iis applicari, & pro illis offerri meritum sacrificii valeat? quia vero speciales habet quælibet harum quæstionum nodos ac difficultates, distinctis paragraphis enucleabuntur. Sit itaque

§. PRIMUS.

Pro omnibus fidelibus offerri potest ac debet sacrificium Eucharisticum.

Pro omnibus enim Christi fidelibus, sive pro toto ejus corpore mystico institutum est; ut nimirum per illud veram Deo latriam exhiberet, supremum ejus Dominium recognosceret, pro acceptis beneficiis gratiam referret, nova in dies beneficia impetraret, & denique peccatorum remissionem reciperet: pro omnibus ergo offerri potest. Hinc statim ab initio canonis sic orat Sacerdos: *Te igitur clementissime Pater, per Jesum Christum Filium tuum Dominum*

num

num nostrum supplices rogamus ac petimus, uti accepta habeas & benedicas, hæc dona, hæc munera, hæc sancta sacrificia illibata: in primis quæ tibi offerimus pro Ecclesia tua sancta Catholica, quam pacificare, custodire, adunare, & regere digneris toto orbe terrarum, una cum famulo tuo Papa nostro N. & Antistite nostro N. & Rege nostro N. & omnibus orthodoxis, atque Catholicæ, & Apostolicæ fidei cultoribus.

Deinde: Pro iis omnibus offerri Eucharisticum sacrificium potest, qui unum cum Christo sacrificium sunt; atqui Ecclesia tota, fidelium omnium societate compaginata, unum cum Christo sacrificium est: *Tota ipsa redempta civitas*, ait S. Aug. (*de civit. lib.* 10, *cap.* 6) *hoc est congregatio societasque sanctorum, universale sacrificium offertur Deo per Sacerdotem magnum, qui etiam seipsum obtulit in passione pro nobis, ut tanti capitis corpus essemus, secundum formam servi.... hoc est sacrificium Christianorum, multi unum corpus sumus in Christo: quod etiam Sacramento altaris fidelibus noto frequentat Ecclesia; ubi ei demonstratur, quod in ea oblatione quam offert, ipsa offeratur.* Ergo &c.

§. SECUNDUS.

Pro omnibus omnino hominibus, Gentilibus, Hæreticis, Schismaticis, & excommunicatis Eucharistia offerri potest.

Nam, qui possunt ad agnitionem veritatis, errore repudiato venire & fieri redemptionis Christi participes, ab Eucharistici sacrificii oblatione non excluduntur; atqui nemo homo est, qui non possit, quandiu vivit, ab errore ad veritatem, ab infidelitate ad fidem, ad unitatem a schismate, ab impietate ad pietatem, gratia operante venire, nullius sic est salus desperata, quin possit Sanguinis Christi, ejusque infinitæ redemptionis fieri particeps.

Hinc Apostolus, *Obsecro*, inquit, (*Tim.* 1, *cap.* 2, *v.* 1 & *seq.*) *primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus, pro regibus & omnibus qui in sublimitate sunt: ut quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & sanctitate: hoc enim bonum est & acceptum coram Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*: cum enim dicat velle se, ut gratiarum actiones, orationes, & postulationes pro omnibus hominibus fiant, neminem profecto excludit, & non fideles tantum, verum etiam quomodolibet infideles præscriptione hanc comprehendit: nam ut observat *S. Joannes Chrysost.* (*hom* 6 *in* 1 *Ep. ad Tim.*) quando scripsit hanc Ep. S. Paulus, reges non erant Christiani, neque verum Deum colebant: sed in infidelitate quam a suis majoribus infeliciter acceperant, permanebant; itaque pro ipsis etiam infidelibus sacrificium Eucharisticum debere offerri, præcepto Apostolico docti sumus: hanc enim ejus sententiam *S. Aug.* Ep. *ad Paulinum*, (*alias* 59) *Theophil. Œcumenius*, & alii passim scripturarum interpretes, exponunt de precibus quæ a Sacerdotibus in celebratione mysteriorum Deo funduntur: & ita exponunt, ut in eo quod dicitur: *Pro omnibus hominibus*, nullam exceptionem admittant.

Hoc ipsum confirmat perpetua praxis Ecclesiæ, quæ iis ipsis temporibus quibus crudelissima persecutio sæviebat, pro affligentibus se Regibus & Imperatoribus vota duplicavit, nedum ab officio precandi destiterit: affero, præter cæteros quos commemorare promptum esset, hujus rei testem unum fide dignissimum *Tertullianum* in *Apolog.* (*c.* 30) sic loquentem: *Nos pro salute Imperatorum, Deum invocamus æternum, Deum verum, & Deum vivum, quem & ipsi Imperatores propitium sibi præter cæteros malunt.... illuc suspicientes Christiani manibus expansis, quia innocuis, capite nudo, quia non erubescimus, denique sine monitore, quia de pectore oramus, precantes sumus omnes semper pro omnibus Imperatoribus, vitam illis prolixam, Imperium securum, domum tutam, exercitus fortes, senatum fidelem, populum probum, orbem quietum, & quæcumque hominis & Cæsaris vota sunt: hæc ab alio orare non possumus, quam a quo scio me consecuturum, quoniam & ipse est qui solus præstat, & ego sum, cui impetrare debetur, famulus ejus, qui eum solum observo, qui ei offero optimam & majorem hostiam, quam ipse mandavit, orationem de carne pudica, de anima innocenti, de Spiritu Sancto profectam.... sic itaque nos ad Deum expansos ungulæ fodiant, cruces suspendant, ignes lambant, gladii guttura detruncent, bestiæ insiliant: paratus est ad omne supplicium ipse habitus orantis Christiani: hoc agite boni præsides: extorquete animam Deo supplicantem pro Imperatore: hic erit crimen, ubi veritas, & Dei devotio est.* (*v. lib. ad Scapulum c.* 2, *item Origenem cont. Celsum lib.* 8, *Arnobium cont. Gentil. lib.* 4 &c.)

Vide S. Aug. Ep. 107, aut 217 ad *Vitalem*: & alibi sæpe: & S. Thomam in 4 sent. dist. 18, qu. 2, a. 1.

Accedit liturgiarum auctoritas, in quibus pro Ecclesiæ hostibus, eorumque conversione quam-

quamplures orationes leguntur: quorsum enim vero pro illis sacrificium non offerretur, pro quibus Christus e Cruce pendens orare non est dedignatus?

Proponuntur quædam objectiones.

Opponitur: non licet pro excommunicatis offerre sacrificium. Ergo &c.

℟. Nego ant. nec enim est dubitandum quin jam pro excommunicatis possit salutaris victima immolari, ut deposita contumacia, laxatisque vinculis quibus detinentur, ad gremium Ecclesiæ redeant: nam quemadmodum excommunicatis non est deneganda admonitio, increpatio, veritatis & pœnitentiæ prædicatio: ita nec subtrahi oratio debet, cujus merito prædicationis & correptionis proventus a Deo conceditur, qui solus potest dare Verbo Evangelico incrementum, ut docet Apostolus: (1 *Cor.* 3, 7) deinde pro iis omnibus, ut prædiximus, offerri sacrificium potest, quorum salus non est penitus desperata; atqui excommunicatorum, quamdiu vivunt, salus non est penitus desperata. Ergo &c. ita docet præter cæteros S. Thomas: *Pro excommunicatis*, inquit, (*in* 4, *dist.* 18, *q.* 2, *art.* 1, *quæstiuncula* 2) *orari potest, quamvis non inter orationes quæ pro membris Ecclesiæ fiunt: & tamen fructum orationis non participant, quamdiu in excommunicatione manent; sed oratur, ut detur eis spiritus pœnitentiæ, ut ab excommunicatione solvantur.*

Inst. 1. probando ant. pro iis offerri Missæ sacrificium non potest, qui Ecclesiæ suffragiis absolute privati sunt, nullamque habent cum illa Communionem; atqui hoc ipso privatur aliquis Ecclesiæ suffragiis, quod ab ejus Communione præscinditur. Ergo &c.

℟. Concessa maj. dist. min. excommunicati privantur Ecclesiæ suffragiis & orationibus communibus, quæ nimirum pro corpore totius Ecclesiæ fiunt, conc. privantur etiam iis quæ generatim pro infidelium conversione funduntur, n. min. & conseq.

E. ℟. Equidem hæc est terribilis excommunicationis pœna, quod a Communione Ecclesiæ, quæ ipsissima sanctorum Communio est, quam in symbolo profitemur, excommunicati præscindantur: unde consequens est, eos in orationibus quæ pro corpore Ecclesiæ fiunt, non habere partem: hoc tamen non impedit, quin in Ecclesia tum privatim tum publice orationes fundantur, quæ sicuti infideles, sic etiam ipsos excommunicatos comprehendunt: quando enim Ecclesia Deum precatur in oratione Dominica, ut *sanctificetur nomen ejus*, & *Regnum adveniat*, & *illius voluntas fiat*: non est dubitandum pro ipsis etiam excommunicatis generalia hæc Sanctæ Matris vota fundi, ut nimirum de eorum numero sint, a quibus Dei nomen sanctificatur, qui ad ejus pertinent regnum, & voluntatem adimplent: similiter quando orat Sacerdos in canone, ut Ecclesiam suam Deus adunare dignetur, ut populus ei serviens augeatur, & quandocumque generaliter orat pro peccatoribus, citra dubium est, in his precibus excommunicatos ipsos contineri.

Inst. 2. Atqui privantur excommunicati etiam iis suffragiis quæ fiunt pro infidelium conversione. Ergo &c. prob. subs. verbis S. Aug. (*de anima & ejus origine lib.* 1, *c.* 9) *quis offerat*, inquit, *sacrificium Corporis Christi, nisi pro iis qui sunt membra Christi?* atqui excommunicati non sunt membra Christi: Ergo &c.

℟. Nego subs. ad probationem:

℟. 1. Hoc argumento, si quid contra excommunicatos evinceret, probatum pariter foret, neque pro infidelibus, neque pro Hæreticis, aut Schismaticis, neque pro peccatoribus offerri posse Missæ sacrificium: hujusmodi enim homines, non secus ac excommunicati, membra Christi dici non possunt; itaque explicatione indigent verba S. Aug. quæ ut perspicue pateant:

℟. 2. Dist. maj. sacrificium Corporis Christi non potest offerri nisi pro iis qui sunt membra Christi, *vel actu, vel potestate*, conc. nisi pro iis qui sunt membra Christi, *actu*, n. maj. similiter dist. min. excommunicati non sunt membra Christi, *actu*, conc. *potentia*, n. min. & conseq.

E. ℟. Membrum Christi actu est, qui actu & revera per fidem, spem, & caritatem, aut saltem per fidem informem Christo unitur, ejusque mystico corpori vinculis externis connectitur, membrum potentia est, qui potest ad veritatis agnitionem venire, & Christum caput habere: jam vero dico excommunicatos non esse quidem membra Christi actu, id quod nomen ipsum excommunicationis, sive præcisionis significat: sed nego, etiam potestate non esse, quia possunt quamdiu vivunt, & ab errore corrigi, & a morbo separationis sanari: tam ergo pro illis potest offerri sacrificium; quam pro infidelibus & Paganis, qui actu non sunt membra Christi: ita S. Aug. interpretatur fidelissimus ejus discipulus, S. Thomas: *Intelligendum est*, inquit, (*in* 4, *dist.* 12, *q.* 2. *art.* 2, *quæstiunc.* 2, *ad* 4) *pro membris Christi offerri sacrificium Corporis Christi, quando pro aliquibus offertur, ut sint membra.*

3. Responderi potest, hoc testimonium nihil

hil facere contra nos: agit enim eo loci S. Aug. non de vivis, sed de defunctis, qui si actu membra Christi non sunt, nullatenus esse possunt, quia correctioni in altera vita locus non datur; adeoque merito affirmat S. Doctor sacrificium Corporis Christi pro illis offerri non posse.

Inst. 3. Atqui S. Augustini sententia est, excommunicatos nulla ratione esse membra Christi. Ergo &c. prob. subs. ex aliis ejus verbis: *Potens est Christus*, inquit, (*serm. 49 de verbis Dom.*) *etiam infirma membra sanare, dum tamen nimia impietate non præcidantur, sed hæreant corpori donec sanentur: quidquid enim adhuc hæret corpori, non desperatæ sanitatis est; quod autem præcisum fuerit, nec curari, nec sanari potest*. Hinc sequitur argumentum:

Ille censet excommunicatos nec potentia quidem esse membra Christi, qui nec sanari, nec curari posse affirmat; atqui ita S. Aug. Ergo &c.

℟. Nego subs. ad probat. admitto auctoritatem, & dist. maj. ille censet excommunicatos nec potentia quidem esse membra Christi, qui nec curari nec sanari posse pronuntiat, si *absolute* hoc dicat, conc. si dicat *hyperbolice*, ad ostendendum difficile esse, & raro contingere ut sanetur, n. maj. dist. pariter min. censet S. Aug. excommunicatos nec sanari posse, nec curari, hoc est, esse admodum difficile ut sanentur, conc. idest, absolute impossibile esse, n. min. & conseq.

E. ℟. Comparat eo loci S. Doctor membra corporis mystici, quod est Ecclesia, cum membris corporis naturalis: indeque infert, membra corporis mystici, si præcisa per excommunicationem fuerint, sanari & curari non posse: quomodo membra naturalia corpore semel avulsa, restitui & redintegrari penitus impossibile est: non ita tamen ad mentem ejus debet hæc comparatio accipi, ut integra sit & adæquata: sed ita ut quod una ex parte naturaliter repugnat, avulsa scilicet corporis naturalis membra restitui ex altera, ubi de corpore mystico agitur, difficillimum intelligatur: hanc enim legitimam interpretationem esse, certum est ex aliis ejus verbis, l. 1 *retract.* c. 19, ubi explicans quod alibi dixerat: (*lib. 1 de serm. Domini in monte, cap. 22*) *esse quædam peccata adeo gravia, ut pro illis non sit orandum*: hanc sententiam sic emollit: *Si tamen qui illa peccata perpetravit, in hac tam scelerata mentis perversitate finierit hanc vitam: quoniam*, inquit, *de quocumque pessimo in hac vita constituto, non est utique desperandum: nec pro illo imprudenter oratur, de quo non desperatur*. Hinc sic subsumo:

Atqui excommunicati, quamdiu vivit, salus non est desperata: cum e contrario ex intentione Ecclesiæ, ideo excommunicetur, ut majori facilitate sanetur, id quod Apostolus non obscure, ubi contra flagitiosum Corinthium, quem incestu vivere publico rumore acceperat sic decernit: (*1 Cor. 5, 3 & seq.*) *Ego quidem absens corpore, præsens autem spiritum, jam judicavi, eum qui sic operatus est, in nomine Domini nostri Jesu Christi, congregatis vobis, & meo spiritu, cum virtute Domini nostri Jesu Christi, tradere hujusmodi satanæ in interitum carnis, ut Spiritus salvus sit in die Domini nostri Jesu Christi*. Hanc enim traditionem hominis in satanæ potestatem, Latini interpretes communi consensu, de separatione a societate fidelium, idest excommunicatione intelligunt, qua de re vide *Estium*, commentario in hunc locum.

Deinde: comparationem inter membra corporis naturalis & mystici, adæquatam a S. Aug. nec fieri, nec vero posse, res est quotidiano experimento comperta: certum namque est, Hæreticos & Schismaticos ab Ecclesiæ corpore per excommunicationem esse præcisos; atqui quotidie in gremium Ecclesiæ plerique Hæretici & Schismatici redeunt, & redeundo sanantur; tuncque incipiunt Ecclesiam habere Matrem, cum Deum incipiunt habere Patrem, & Christo capiti, unde prius præcisi fuerant, inseruntur: ergo non hoc ipso quod præcisi sunt, sequitur insanabiles esse; adeoque pro ipsis orari in sacrificio potest: unde iterum sequitur, verba S. Doctoris quippe per exaggerationem dicta, non debere exigi ad summum rigorem.

Inst. 4 excommunicatio, judice *S. Aug.* (*lib. de corrept. & grat. cap. 25*) pœnarum omnium, quas inferre Ecclesia potest, gravissima est; ergo ab oratione fidelium, adeoque ab ipsa Eucharistici sacrificii oblatione omnimodam exclusionem importat.

℟. Concesso ant. n. conseq. nec enim debet aut potest Ecclesia, quod legis divinæ est ad libitum coercere; atqui generatim orandum pro omnibus, qui Dei misericordia indigent, officium est unicuique fideli lege Christi impositum; ergo licet fateamur, id quod res est, pœnarum omnium excommunicationem esse gravissimam: inde tamen non sequitur pro excommunicatis orari non posse: *Nec videtur Ecclesia*, inquit Estius, (*in 4 sent. dist. 18, §. 13*) *prohibere posse, quominus Sacerdos ad altare pro excommunicato oret & sacrificet, cum effectus incruenti sacrificii, sicut & cruenti, quoad causas & personas sit*

uni-

universalis, qui proinde humana prohibitione restringi non debet.

Inst. ultimo: Ecclesia in die parasceves pro Hæreticis, Schismaticis, Gentilibus, ipsisque Judæis orat: pro excommunicatis non orat; ergo non putat pro iis preces, & sacrificium fieri posse, *Viderint*, inquit S. Bernardus, (*Tract. de gradib. humilitatis cap. ultim.*) *in quanto periculo sint, pro quibus Ecclesia palam orare non audeat, quæ fidenter etiam pro Judæis, pro Hæreticis, pro Gentilibus orat: cum enim in parasceve nominatim oretur pro quibuslibet malis, nulla tamen mentio fit de excommunicatis*. Ita S. Doctor.

℞. Dist. ant. Ecclesia die Parasceves pro excommunicatis non orat, palam & publice, ut ait *S. Bernardus*, conc. non orat, neque occulte, n. ant. & conseq. equidem nominatim excommunicatos Ecclesia in suis precibus non appellat, pari ratione qua dicit: *Oremus pro Hæreticis & Schismaticis: Oremus & pro perfidis Judæis: Oremus & pro Paganis*: at eos tamen in suis orationibus tacite saltem includit quando dicit: *Oremus, dilectissimi nobis pro Ecclesia S. Dei, ut eam Deus noster pacificare, adunare, & custodire dignetur toto orbe terrarum . . . Oremus Deum Patrem Omnipotentem, ut cunctis mundum purget erroribus . . . Omnipotens sempiterne Deus mæstorum consolatio, laborantium fortitudo, perveniant ad te preces, de quacumque necessitate clamantium: ut omnes sibi in necessitatibus suis, misericordiam tuam gaudeant adfuisse*: &c. in his enim & similibus orationibus ipsos excommunicatos comprehendi est manifestum, neque negavit S. Bernardus, cum ibidem sic loquatur: *Absit a nobis, ut etiam pro talibus, etsi palam non præsumimus, in cordibus nostris orare cessemus . . . . etsi enim a communibus orationibus ipsi se excludunt: sed ab effectibus omnino non possunt*.

Quod si ratio quæratur, cur nominatim pro talibus non oret Ecclesia: duo quæ respondeamus occurrunt.

Primum: quia excommunicatio de se non culpa, sed pœna est: non crimen, sed animadversio criminis: quemadmodum itaque suspensos, & degradatos, quæ sunt pariter nomina pœnarum, in suis orationibus Ecclesia expresse non memorat; ita nec excommunicatos; ideo e contrario pro Judæis, Hæreticis, Schismaticis, & Paganis nominatim precatur, quia hæresis, schisma &c. gravissima seipsis peccata sunt.

Secundum: quia cum excommunicatio pœnarum quæ ab Ecclesia infligi possunt, extrema & gravissima sit; consequens est, ut licet a publicis orationibus excommunicati absolute non excludantur, eorum tamen nomen reticeatur; ut nimirum hoc disciplinæ rigore magis confundantur, ad mentem facilius redeant, culpam humiliter recognoscant, & denique iteratis supplicationibus petant, in gremium Ecclesiæ unde ejecti merito fuerant, denuo recipi.

§. TERTIUS.

Pro fidelibus defunctis in Domino necdum tamen plene expiatis Eucharisticum sacrificium offerri potest.

1. Enim non est minor virtus veritatis, quam figuræ; atqui in lege veteri, quæ præter umbram futurorum nihil habebat, rite sacrificia pro defunctis offerebantur, qua de re in *Machabæis* palmare habemus & præclarissimum testimonium: *Fortissimus Judas*, inquit author Sacer, (*Machab. 2, c. 12, v. 24, & seqq.*) . . . . *facta collatione, duodecim millia drachmas argenti misit Hierosolymam, offerri pro peccatis mortuorum sacrificium, bene & religiose de resurrectione cogitans: nisi enim eos qui ceciderant resurrecturos speraret, superfluum videretur & vanum orare pro mortuis: & quia considerabat, quod hi qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repositam gratiam: sancta ergo & salubris est cogitatio, pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur*; itaque multo magis in nova lege, quæ gratiæ & veritatis est, potest ac debet sacrificium pro requie defunctorum offerri.

2. Ejusdem veritatis certa, nec unquam ab Hæreticis expugnanda probatio petitur, ex antiquissimo & universali Catholicæ Ecclesiæ more: nam a primis usque temporibus semper & ubique Eucharistiam pro solatio mortuorum oblatam, constat ex omnibus Orientis & Occidentis liturgiis: sic apud Latinos: *Memento etiam Domine*, inquit Sacerdos, *famulorum, famularumque tuarum qui nos præcesserunt cum signo fidei, & dormiunt in somno pacis: ipsis Domine, & omnibus in Christo quiescentibus locum refrigerii, lucis & pacis ut indulgeas deprecamur: per eumdem Christum Dominum nostrum*: quorum similia in orientalium & Græcorum officiis, in liturgiis Marci, Jacobi, Basilii, Chrysost. aliisque ubique leguntur: nomina sane defunctorum ab ipsis Ecclesiæ incunabulis, in publicis tabulis (Diptycha dicebantur) describi, & intra Missarum solemnia solita recitari, res est unicuique notissima: *Usus antiquorum fuit*, ait Florus Magister in explicatione Missæ, (*v. Card. Bona rer. liturg. lib. 2, c. 14*) *sicut etiam usque*

que hodie Romana agit Ecclesia, ut statim recitarentur ex diptychis, idest tabulis, nomina defunctorum, atque ita post lectionem nominum subjungerentur verba sequentia: ipsis Domine, & omnibus in Christo quiescentibus &c. *Ipsis videlicet quorum nomina memorantur, & cæteris omnibus in Christo quiescentibus.*

Hinc vero exurgit invincibile argumentum, quod præscriptionis appellant: *Quod enim*, ut toties cum S. Aug. dictum est, (*Contr. Donat. lib. 4, cap. 24*) *universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate Apostolica traditum rectissime creditur*; atqui sacrificium Eucharisticum pro mortuis offerendum, tenet semperque tenuit universa Ecclesia; neque ab Hæreticis præscribi potest, qua primum ætate, quo Concilio, quo Decreto mos ille ante incognitus cœperit introduci; ergo velint, nolint, fateri coguntur, nonnisi auctoritate Apostolica traditum: id quod idem *S. Aug.* confirmans: *In Machabæorum libris legimus*, inquit, (*in lib. de cura pro mortuis gerenda, c. 1*) *oblatum pro mortuis sacrificium: sed etsi nusquam in scripturis veteribus omnino legeretur, non parva est universæ Ecclesiæ, quæ in hac consuetudine claret auctoritas, ubi in precibus Sacerdotis, quæ Domino Deo ad ejus altare funduntur, locum suum habet etiam commendatio mortuorum* . . . cui subscribens S. Joannes Chrysost. (*homil. 3 in c. 1 Ep. ad Philip.*) *non frustra*, inquit, *hæc Apostolicis sunt legibus constituta, ut in venerandis & tremendis mysteriis, memoria eorum fiat, qui decesserunt: noverant hinc multum ad illos lucri accedere: multum utilitatis: eo enim tempore quo universus populus stat manibus extensis: & chorus Sacerdotalis, venerationis plenum offert sacrificium, quomodo Deum non placabimus, pro illis orantes?* . . . . idemque alibi repetens: (*homil. 69 ad pop. Antioch.*) *Non temere*, ait, *ab Apostolis hæc sancita fuerunt, ut in tremendis mysteriis, defunctorum agatur commemoratio* . . . . & S. Isidorus Hispalensis: *Sacrificium*, inquit, (*lib. de off. Eccl. c. 18*) *pro defunctorum fidelium requie offerri, vel pro eis orari, quia per totum hoc orbem custoditur, credimus quod ab ipsis Apostolis traditum sit.*

3. Ejusdem dogmatis fidem faciunt Patres antiquissimi.

Tertullianus l. de Coron. militis, c. 3: *Oblationes pro defunctis*, inquit, *annua die facimus*. Et in libro de Exhort. castitatis, c. 11, de uxore defuncta loquens: *Pro cujus Spiritu*, inquit, *postulas, pro qua oblationes annuas reddis*. Et libro de Monog. c. 10: *offert annuis diebus dormitionis ejus.*

S. Cyprianus Ep. 66: *Episcopi antecessores nostri censuerunt*, inquit, *ne quis frater excedens, ad tutelam vel curam clericum nominaret, ac si quis hoc fecisset, non offerretur pro eo, nec sacrificium pro dormitione ejus celebraretur: neque enim apud altare Dei meretur nominari in Sacerdotum prece, qui ab altari Sacerdotes & ministros voluit avocare.*

S. Epiphanius Aerium Hæreticum refutans, (*Hæres. 75*) qui negabat pro defunctis sacrificium esse offerendum: *Erat autem*, inquit, *ipsi* (*Aerio*) *sermo furiosus magis, quam humanæ conditionis, & dicebat: qua ratione post mortem nominatis nomina mortuorum?*

S. Ambrosius in oratione funebri de morte fratris suis *Satyri*: *tibi nunc*, inquit, *omnipotens Deus, innoxiam commendo animam, tibi hostiam offero: cape propitius & serenus, fraternum munus, sacrificium Sacerdotis*: quorum similia repetit in orat. de obitu *Valentiniani* Imperatoris, & alibi sæpe inculcat.

S. Cyrillus Hierosol. catechesi 5 mystag. ita loquens: *Denique pro omnibus oramus, qui inter nos vita functi sunt, maximum esse credentes animarum juvamen, pro quibus offertur precatio Sancti illius & tremendi quod in altari positum est sacrificii.*

S. Augustini quæ de hac re mens fuerit ex paulo ante citatis verbis ejus compertum est: unum hic addidisse juvabit ejusdem praclarissimum testimonium, ubi de *S. Monicæ* Matris suæ obitu loquens: *Imminente die*, inquit, (*confess. lib. 9*) *resolutionis suæ, non cogitavit suum corpus sumptuose contegi, aut condiri aromatibus, aut monumentum electum concupivit, aut curavit sepulchrum patrium: non ista mandavit nobis: sed tantummodo memoriam sui ad altare tuum fieri desideravit, cui nullius diei prætermissione servierat, unde sciret dispensari victimam sanctam, qua deletum est chirographum quod erat contrarium nobis.... inspira, Domine meus, Deus meus, inspira servis tuis fratribus meis, filiis tuis, Dominis meis, quibus & voce, & corde, & litteris servio, ut quotquot hæc legerint, meminerint ad altare tuum Monicæ famulæ tuæ.*

Denique doctrinam hanc ad traditionem certissime pertinere, Patrum omnium & probatorum scriptorum confessio est, ad quorum mentem *Concilium Trid. Si quis dixerit*, inquit (*sess. 22, can. 3*) *Missæ sacrificium tantum esse laudis & gratiarum actionis, aut nudam commemorationem sacrificii in cruce peracti, non autem propitiatorium; vel soli prodesse sumenti: neque pro vivis & defunctis, pro peccatis, pœnis, satisfactionibus, aut aliis necessitatibus offerri debere; anathema sit.*

4. Tan-

4. Tandem hoc ipsum evincunt duo alia veritatis catholicæ inconcussa dogmata.

1. Est, existere ignem purgatorium, in quo fidelium animæ propter mortalis hujus conditionis peccata, ante exitum ab hoc sæculo necdum plene expiata, aliquanto tempore, divina sic exigente justitia, detinentur, ut inde, postquam purgatæ fuerint, liberatæ, in locum refrigerii, in sinum veri Abrahæ, hoc est in beatorum societatem recipiantur.

2. Animas nondum bene purgatas, viventium suffragiis adjuvari: hujus enim dogmatis veritas, etiamsi alia argumenta deessent, ex omnibus liturgiis, ut prædiximus, certissime probaretur, *in quibus*, inquit S. Aug. supra laudatus, *locum habet etiam commendatio mortuorum*: (*lib. de cura pro mortuis c.* 1) hujus autem Apostolicæ traditionis & Ecclesiasticæ consuetudinis, ratio hinc potissimum petenda, quia fidelium omnium, ubicumque sint, communio est, sive meritorum ab invicem derivata communicatio, per quam sibi reciproce consulunt; & pro sua singulorum salute solliciti sunt, tamquam ejusdem corporis membra: cum ergo ad illud Sanctorum corpus etiam illi sine dubitatione pertineant, qui pœnis purgatoriis affliguntur, justum est, piis viventium officiis & suffragiis adjuvari; ut impleatur quod ab Apostolo dictum est: (1 *Cor.* 12, 25 *& seq.*) *Pro invicem sollicita sunt membra . . . etsi quid patitur unum membrum compatiuntur omnia membra*: *sive gloriatur unum membrum*, *congaudent omnia membra*: *vos autem estis Corpus Christi*, *& membra de membro*; atque illud est fundamentum *Communionis Sanctorum*, quam in symbolo confitemur.

Certum itaque sit & constitutum, pro fidelibus defunctis in Domino, nondum plene expiatis, legitime Eucharisticum sacrificium celebrari: indeque manifesto pateat *Lutheranorum*, *Calvinistarum*, aliorumque perversitas, qui negando Evangelici sacrificii veritatem, scripturæ, traditionis, & Ecclesiæ auctoritatem, veritatemque purgatorii, & communionis Sanctorum necessaria errorum concatenatione convellere compelluntur.

Diluuntur Hæreticorum Objectiones.

Objiciunt: libri Machabæorum canonici non sunt: vanum ergo & imbecillum est, quod inde petitur argumentum.

℟. 1. Dato, & non concesso ant. nego conseq. *Etsi enim*, inquit S. Aug. supra laudatus (*lib. de cura pro mortuis cap.* 1) *nusquam in scripturis veteribus omnino legeretur*, (pro mortuis sacrificium offerendum) *non parva est universæ Ecclesiæ*, *quæ in hac consuetudine claret auctoritas*, *ubi in precibus Sacerdotis*, *quæ Domino Deo ad ejus altare funduntur*, *locum suum habet etiam commendatio mortuorum*.

℟. 2. Nego absolute ant. libros enim istos in divinarum scripturarum catalogo SS. Patres ab ipsis Ecclesiæ primordiis numerarunt. Hæc inquam fuit sententia

Origenis, l. 2 de principiis, c. 1, & commentario in c. 5 Ep. ad Romanos:

Tertulliani, libro contra Judæos cap. 4.

S. Cypriani, l. de exhort. Martyrii, c. 11, & l. 3 testimon. ad Quirinum:

S. Ambrosii, locis innumeris:

S. Hieronymi, l. 5 commen. in Isaiam:

S. Augustini, libro de cura gerenda pro mortuis, c. 1, l. 2 de doct. Christ. c. 8, l. 1 contra Gaudentium Donatistam, c. 31, & l. 18 de civ. Dei, c. 36, ubi sic loquitur, *Machabæorum libros*, *non Judæi*, *sed Ecclesia pro canonicis habet*.

Concilii Carthaginensis III, canone 47.

Innocentii I In Ep. ad Exuperium Episcopum Tolosanum:

Gelasii I In synodo Romana:

Et aliorum denique pene omnium, quorum nomina describere longum esset, ad quorum mentem sacrum Concilium Trid. recensitis libris canonicis, & in sacro numero, Machabæorum volumine comprehenso, sic statuit: (*sess.* 4) *Si quis autem libros ipsos integros*, *cum omnibus suis partibus*, *prout in Ecclesia Catholica legi consueverunt*, *& in veteri vulgata Latina editione habentur*, *pro sacris & canonicis non susceperit*: *anathema sit*.

Monitum.

Varia quæ contra libros Machabæorum opponi solent ab Hæreticis argumenta resolvere, præsentis instituti non est: consulantur Scriptores Ecclesiastici qui libros canonicos ex professo vindicarunt, atque inter cæteros, *Melchior Canus*, de locis Theologicis l. 2, c. 10 & 11, & *Natalis Alexander* in historia veteris testamenti.

Inst. 1. ut sacrificium Eucharisticum pro defunctis legitime offerretur, deberet aliquod esse peccatum remissibile post hanc vitam; atqui nullum tale est. Ergo &c.

℟. Concessa maj. n. min. equidem peccata mortalia post hanc vitam non dimittuntur, quia expiari sine prævia pœnitentia non possunt, cujus agendæ spatium vitæ præsentis limites non excedit: sed leviora sive venialia peccata, etiam in altera vita iis sine dubio dimittuntur, qui quoniam in justitia & caritate defuncti sunt quam peccata hujusmodi non extinguunt, meruerunt dum viverent, ut sibi post

mortem condonarentur: *Ipsius Ecclesiæ*, inquit S. Aug. (*de civit. Dei l.* 21, *c.* 24) *vel quorumdam piorum exauditur oratio, sed pro his quorum in Christo regeneratorum, nec usque adeo vita in corpore male gesta est, ut tali misericordia judicentur digni non esse: nec usque adeo bene, ut talem misericordiam reperiuntur necessariam non habere ... neque enim de quibusdam veraciter diceretur, quod non eis remittentur neque in hoc sæculo neque in futuro, nisi essent quibus, etsi non in isto, tamen remitterentur in futuro*. Quod autem aliqua sint peccata, nec in præsenti, nec in futuro sæculo dimittenda, testantur Christus in Evangelio ita loquens: (*Matth.* 12, 32) *Quicumque dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei: qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei neque in hoc sæculo, neque in futuro*. Hinc enim non *S. Aug.* tantum, sed & alii communiter Patres inferunt existentiam purgatorii: sic inter cæteros *S. Bernardus* quorumdam sui temporis Hæreticorum insaniam refutans: *Si non credunt*, inquit, (*serm.* 66 *in Cant.*) *ignem purgatorii restare post mortem, quærant ab eo qui dixit, quoddam peccatum esse, quod neque in hoc sæculo, neque in futuro remittitur: quærant, inquam, cur hoc dixerit, si nulla manet in futuro remissio, purgatione peccati?*

Inst. 2. Quidquid pœnarum pro peccatis erat luendum, Deo per pœnitentiam placato, in præsenti vita est condonatum; ergo inutiliter pro defunctis sacrificium offertur.

℞. Nego ant. nam

1. Non omnem pœnam peccato debitam semper in hac vita remitti, probant invincibiliter preces quas Ecclesia pro defunctis, ab ipsa Apostolorum ætate, in ipsa sacrificii oblatione ad Deum direxit: contra hanc veritatem tanta gentium omnium & sæculorum consensione testatam, hæreticorum cavilli nil faciunt: quia contra Ecclesiam, in petra, idest Christi fide fundatam, portæ inferi numquam prævalebunt.

2. In hac vita vere pœnitentibus semper quidem remittit Deus æternæ pœnæ reatum, qui cum amicitia & gratia ejus stare non potest: sed quoniam debet supremus Judex dignitatem suam & jura tueri, pœnam æternam cum temporali commutat, quæ vel in hac vita congruis satisfactionis operibus, vel in altera pœnis purgatoriis est luenda, quod enim pœnæ debitum non semper cum culpa plene remittatur, probant verba Prophetæ *Nathan* ad *David* ... *Dominus*, inquit, (2 *Reg.* 12, 13, *& seq.*) *transtulit peccatum tuum, non morieris: verumtamen quoniam blasphemare fecisti inimicos Domini ... filius qui natus est tibi, morte morietur*; itaque culpam condonari, pœna manente, negare, si quid in scriptura divina sapiunt, non possunt Hæretici: hinc *Concilium Trid. Si quis dixerit*, inquit, (*sess.* 6, *can.* 30) *post acceptam justificationis gratiam, cuilibet peccatori pœnitenti, ita culpam remitti, & reatum æternæ pœnæ temporalis exsolvendæ, vel in hoc sæculo, vel in futuro, in purgatorio, antequam ad regna cœlorum aditus patere possit: anathema sit*: idemque multo ante declaraverat *Florentinum*, definiendo, *vere pœnitentes, si in Dei caritate decesserint, antequam dignis pœnitentiæ fructibus, de commissis, & omissis satisfecerint, eorum animas pœnis purgatoriis post mortem purgari: & ut a pœnis hujusmodi releventur, prodesse eis fidelium vivorum suffragia, Missarum scilicet sacrificia, orationes & eleemosynas, & alia pietatis officia, quæ a fidelibus pro aliis fidelibus fieri consueverunt, secundum Ecclesiæ instituta*.

§. QUARTUS.

Pro aliquibus in speciali vivis & defunctis sacrificium offerri potest.

Quamquam enim, ut ex ante dictis constat, universale sit, & ad omnes causas, personasque pertingat divinum sacrificium, nec ulla possit intentionis limitatione constringi: hoc tamen non impedit, quominus ex officio, debito, & caritate pro aliquibus specialiter offeratur, pro parentibus scilicet, cognatis, amicis, benefactoribus, offerentibus, imo & nominatim pro inimicis, ut impleatur quod a Christo præceptum est: *Orate pro persequentibus vos: benefacite his qui oderunt vos:* (*Matth.* 5, 44) hinc in Latina liturgia, quando vivorum & mortuorum memoria fit per hæc verba: *Memento Domine famulorum famularumque tuarum ... memento etiam Domine famulorum famularumque tuarum, qui nos præcesserunt cum signo fidei, & dormiunt in somno pacis*: admonetur Rubricis Sacerdos, ut oret aliquantulum pro iis vivis & defunctis, pro quibus orare intendit: eademque est consuetudo Græcorum & Orientalium: hinc etiam a primis usque sæculis nominatim pro aliquibus vivis & defunctis liturgia sacra peracta est: sic enim *S. Ambrosius* in orationibus de obitu *Theodosii*, & *Valentiniani* Imperatorum, & *Satyri* fratris sui, se pro eorum animabus sacrificaturum promittit: similiter *S. Gregorius* M. in Sacrament. hanc orationem pro uno defuncto recitari præcipit: *Absolve Domine animam famuli tui N. ab omni vinculo delictorum, ut in resurrectionis gloria inter Sanctos*

tuos

tuos resuscitatus respiret: eodemque pertinent pleraque Patrum, quæ paragraphis præcedentibus descripsimus, testimonia.

§. QUINTUS.

Pro damnatis sacrificium offerri non potest.

Illis enim sacrificium aut quodvis aliud suffragium Ecclesiæ prodesse non potest, qui neque actu, neque potestate sunt membra Christi; atqui damnati neque actu neque potestate sunt membra Christi: non quidem actu, cum divinæ gratiæ sint absolute expertes: sed neque etiam potestate, quia a Christi Corpore in æternum præcisi sunt, nec possunt fieri communionis sanctorum participes. Ergo &c.

Deinde: si damnatis Eucharisticum sacrificium prodesse aliquatenus posset, vel hoc esset ad peccatorum remissionem, vel ad condonationem & relaxationem pœnarum; atqui neutrum vera Theologia admittit: non primum, quia cum extra viam sint constituti, pœnitentiæ jam non habent locum, quæ debuerat in hac vita fieri: *Sed ira Dei manet super illos*, ut Scriptura loquitur: nec etiam secundum, quia pœnæ damnatorum ex immutabili & justissimo Dei decreto æternæ sunt, prout Christus suprema veritas attestatur: *Tunc dicet Rex*, inquit, (*Matth.* 25, 41, 46) *his qui a sinistris erunt: discedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & Angelis ejus .... ibunt hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam*. Ergo &c. Hinc S. Aug. *Noli*, inquit (*lib.* 3 *de orig. animæ c.* 12) *credere, nec dicere, nec docere, sacrificium Christianorum, pro iis qui non baptizati de corpore exierint, offerendum, si vis esse Catholicus ....* Et alio in loco: (*de civit. Dei lib.* 21, *c.* 24) *Nunc propterea pro eis orat Ecclesia, quos in genere humano habet inimicos, quia tempus est pœnitentiæ fructuosæ: nam quid maxime pro eis orat, nisi ut det illis Deus, sicut dicit Apostolus*, (2 *Timot.* 2, 25 *& seqq.*) *pœnitentiam, & resipiscant de diaboli laqueis, a quo captivi tenentur, secundum ipsius voluntatem? ... si qui autem usque ad mortem habebunt cor impœnitens, nec ex inimicis convertentur in filios; numquid jam pro eis, idest pro talium defunctorum spiritibus orat Ecclesia? cur ita? nisi quia jam in parte diaboli computantur, qui dum essent in corpore, non sunt translati ad Christum?*

Diluuntur Objectiones.

Opponitur: Legitime pro illis sacrificium offertur, qui possunt liberari a pœnis inferni; atqui damnati possunt liberari a pœnis inferni. Ergo &c.

℟. Concessa maj. n. min. illi enim ordinaria Dei potentia (nec enim quid absolute possit in præsenti investigamus) non possunt ab inferni suppliciis redimi qui supremo & irrevocabili judicio æternis pœnis addicti sunt; atqui reprobi decreto irrevocabili æternis pœnis damnati sunt; ut constat ex Evangelio: *Ite maledicti in ignem æternum* &c. hinc nullam in inferno esse redemptionem, in suis orationibus Ecclesia confitetur. Ergo &c.

Inst. 1. probando min. ex auctoritate liturgiæ: Sacerdos enim in offertorio Missæ pro defunctis, suo & Ecclesiæ nomine Deum precatur: *Domine Jesu Christe Rex gloriæ, libera animas omnium fidelium defunctorum de pœnis inferni, & de profundo lacu: libera eas de ore leonis, ne absorbeat eas tartarus, ne cadant in obscurum* &c. Hinc sic eruitur argumentum:

Non in vanum preces fundit Ecclesia, ad orandum ab ipso Christo edocta: unde debemus illud possibile confiteri, quod suis orationibus postulat: nam ut tradit Sum. Pontifex S. Cœlestinus, *lex supplicandi, regula credendi est*; atqui petit Ecclesia pro defunctis, ut de pœnis inferni, & de profundo lacu liberentur; ergo possunt damnati ab inferni suppliciis liberari.

℟. Admitto auctoritatem: ad argumentum concessa maj. dist. min. petit Ecclesia pro defunctis ut de pœnis inferni & de profundo lacu liberentur, & his vocibus purgatorii pœnas intelligit, conc. ignem æternum diabolo & Angelis ejus præparatum intelligit, n. min. & conseq.

E. ℟. Pœnæ inferni, lacusque profundus, duplici possunt ratione usurpari: 1 pro igne æterno diabolo & Angelis ejus, reprobisque hominibus divinitus præparato: 2. pro pœnis temporariis quas justi ab hoc sæculo ante plenam expiationem abrepti, in altero patiuntur, priusquam admittantur in regnum cœlorum, quo nihil inquinatum, ut scriptura docet, intrabit: hoc posito dicimus hanc Ecclesiæ supplicationem, non ad ignem æternum pertinere, unde nullam esse liberationem, contra *Origenem*, ejusque sectatores contendit; sed ad pœnas purgatorii, quas temporarias esse, & viventium suffragiis remitti posse, fide certa profitetur; itaque nihil habet hoc argumentum difficultatis: quod si cui responsio hæc non arrideat:

℟. 2. Dist. eamdem min. petit Ecclesia pro defunctis, ut de pœnis inferni, & lacu profundo liberentur, idest, ut non sint socii dæmonum, conc. idest, ut ab illis pœnis, si in illas

illas infeliciter incurrerint, eximantur, n. min. & conseq.

E. ℟. Hæc precantis Ecclesiæ verba ad illud referuntur instans, quo animæ migrant a corporibus: rogat nimirum pia mater ut qui e corporis ergastulo exeunt, non sint de numero reproborum, sed in sinum veri Abrahæ admittantur: cum enim in tanto morientium numero nesciat, qui sint prædestinati, qui reprobi, nihil mirum, si quod omnibus vehementer optat, pro omnibus sine discrimine postulet: *Si enim*, inquit S. Aug. (*lib. 21 de civ. cap. 24*) *de aliquibus ita Ecclesia certa esset, ut qui sunt illi etiam nosset, qui licet adhuc in hac vita sunt constituti, tamen prædestinati sunt in æternum ignem ire cum diabolo: tam pro eis non oraret, quam nec pro ipso: sed quia de nullo certa, orat pro omnibus.... nec tamen pro omnibus exauditur*.

Inst. 2. Pro hominibus dudum vita functis eædem funduntur preces; ergo non ad illud referuntur instans, quo migrant animæ a corporibus.

℟. Dist. ant. pro hominibus dudum vita functis preces illæ funduntur, in memoriam obitus eorum, conc. quasi speret Ecclesia revera ab inferni pœnis solvendos, si sint de numero damnatorum, nego ant. & conseq.

E. ℟. Harum Ecclesiæ precum idem est sensus, ac aliarum quas in diversis mysteriorum solemnitatibus fundere solet, quasi revera in præsenti adimplerentur, quæ dudum peracta sunt: sic enim *adventus* tempore, antiqua justorum vota memorans, tamquam etiamnum expectaretur Messias: *Rorate*, inquit, *cæli desuper, & nubes pluant justum: aperiatur terra, & germinet Salvatorem*; & in Natali Domini: *Præsta quæsumus omnipotens Deus, ut natus hodie Salvator mundi, sicut divinæ nobis generationis est auctor, ita & immortalitatis sit ipse largitor*: & die sacro Paschatis: *Deus qui hodierna die per unigenitum tuum æternitatis nobis aditum, devicta morte reserasti* &c. quemadmodum itaque recoluntur ista mysteria, velut præsentia forent etiamsi jam a multo tempore præterierint; ita nihil impedit quominus dudum peractæ defunctorum exsequiæ, tamquam in præsenti fierent, ab Ecclesia memorentur: præsertim cum hæ preces ad pœnas ignis purgatorii, ut prædiximus, respiciant, quibus forte etiamnum pro quibus orat animæ cruciantur.

Inst. 3 Hoc ipso demonstratur aliquid esse possibile, quo factum aliquando constiterit: ab actu enim ad posse, ut schola loquitur, valet consequentia; atqui constat aliquos pœnis inferni damnatos, prece fidelium esse liberatos. Ergo &c.

℟. Concessa maj. n. min. pro illis enim qui sunt a Communione sanctorum extorres, quique nec actu, nec potestate membra sunt Christi, preces omnino fundi non possunt, neque si fusæ fuerint, prosunt: idemque de sacrificio cum Ecclesia dicimus: *Quis enim*, ait S. Augustinus supra laudatus, (*lib. 1 de orig. animæ c. 9*) *offerat Corpus Christi*, nisi pro his qui sunt membra Christi? atqui damnati tum nihil ex se meriti habent, tum ab omni bonorum spiritualium Communione alienissimi sunt, tum membra Christi, ut sæpe notavimus, neque actu, neque potestate dici non possunt. Ergo &c.

Inst. 4. Probando min. narrat *Joannes Diaconus* (*l. 2 de vita Greg. M. c. 44*) *S. Gregorium* Sum. Pontificem, mansuetudinis *Trajani*, quondam Imperatoris memorem, tamdiu in S. Petri Basilica super illius errore flevisse, quo usque Responsum de cœlo sequenti nocte acceperit, se pro Trajano fuisse exauditum. Ergo &c.

℟. Dist. ant. sic narrat *Joannes Diaconus* falso & sine fundamento, conc. vere & cum fundamento, nego aut. & conseq.

E. ℟. Ita quidem Joannes narrat, sed fabulam narrat, quod multis momentis invicte probatur. Nam

1. In probatis actis vitæ *S. Gregorii*, quæ in Scriniis Romanæ Ecclesiæ antiquitus magna diligentia servabantur, nihil simile occurrebat, ut *Joannes* ipse fatetur: scribit enim eodem loci, se hanc liberationis *Trajani* historiam ab obscuris quarumdam Angliæ Ecclesiarum monumentis hausisse, quibus hac in parte non credebat Romana Ecclesia, quia exploratum ei erat, cum ipsa *S. Gregorii* doctrina pugnare.

2. Si tantam, tamque hactenus inauditam gratiam Sanctissimus Pontifex impetrasset, de ea in suis scriptis penitus non siluisset, ubi alia multa consignavit, non ita sane digna quæ posteritati commendarentur; atqui de liberatione *Trajani* altum in omnibus ejus scriptis silentium est: quis ergo facile *Joanni Diacono* credat, trecentis post obitum *Gregorii* annis, ex obscuris nescio quibus monumentis ineptam fabulam excitantis?

3. Sed esto præ humilitate favorem hunc silentio prætermittere modestissimus Pontifex statuisset: non debuerat certe in suis libris principia ponere, cum hoc miraculo aperte pugnantia; atqui S. Gregorius in suis passim operibus principia posuit *Trajani* ab inferis liberationi fidem penitus derogantia.

1. Enim cum universa Ecclesia credidit. pœnas inferni pro omnibus sine exceptione damnatis æternas fore: non putavit ergo ullius re- pro-

ptobi liberationem, cujusquam hominis precibus concedendam: adeoque nec pro *Trajano* orare præsumpsit: quod autem ea S. Doctoris sententia fuerit, ex verbis ejus est manifestum: *Si quando finienda sunt supplicia reproborum*, inquit, (*lib.* 34 *moral. cap.* 16) *quandoque finienda sunt ergo & gaudia beatorum: per semetipsam namque veritas dicit: ibunt hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam: si igitur hoc verum non est, quod minatus est, neque illud verum est quod promisit... & quis hanc eorum vesaniam toleret, qui dum promissionibus suis reproborum supplicia finiri asserunt, assertione sua etiam electorum præmia, remunerationesque confundunt? quis hanc eorum vesaniam toleret, qui conantur astruere verum non esse quod veritas de æterno igne minata est: & dum satagunt Deum perhibere misericordem, non verentur prædicare fallacem?.... ad supremi ergo judicis justitiam pertinet, ut numquam careant supplicio, quorum mens in hac vita numquam voluit carere peccato, & nullus detur iniquo terminus ultionis, qui quamdiu valuit, habere noluit terminum criminis.... Omnipotens Deus, quoniam Pius est, miserorum cruciatu non pascitur: quia autem justus est, ab iniquorum ultione in perpetuum non sedatur*.

2. Nedum putaverit S. Doctor, posse vel debere justos orare pro reprobis in infidelitate & impietate defunctis, irritas e contra illicitasque hujusmodi supplicationes contendit; ibidem enim refutat quorumdam opinionem, qui hinc inferebant Sanctos pro inimicis suis damnatis in extremo judicio oraturos, quia in Evangelio dictum est, pro inimicis orandum: *orant*, inquit, *Sancti pro inimicis suis, eo tempore quo possunt ad fructuosam pœnitentiam eorum corda convertere. Quid enim aliud pro inimicis orandum est, nisi hoc quod Apostolus ait, ut det illis Deus pœnitentiam, & resipiscant a Diaboli laqueis, a quo captivi tenentur? & quomodo pro illis tunc orabit, quando jam nullatenus poterunt ad justitiæ opera ab iniquitate commutari? eadem itaque causa est, cur non oretur tunc pro hominibus æterno igne damnatis, quæ nunc etiam causa est, ut non oretur pro Diabolo, angelisque ejus æterno supplicio deputatis: quæ nunc etiam causa est, ut non orent Sancti homines pro hominibus infidelibus impiisque defunctis*. Ita S. Gregorius in hac quæstione quomodo in cæteris S. Augustino plane consentiens: credibile itaque non secum ipso pugnans pro Trajano Imperatore, ejusque ab inferis liberatione orare præsumpserit.

6. Denique ad plenam ejusdem fabellæ confutationem sic argumentor: legem generalem divinitus constitutam nefas est ulla exceptione restringere, quæ auctoritate verbi divini non adstruatur: ejusdem enim est sancire legem, & a lege eximere quem voluerit; atqui ex Scriptura & traditione certum est:

1. Eos qui baptizati non fuerint, a Regno Cœlorum in perpetuum repellendos: *nisi quis renatus fuerit ex aquâ & Sp. Sancto*, ait Christus, (*Joan.* 3, 5) *non potest introire in Regnum Dei*... (*Marc.* 16, 16) *qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur*.

2. Nec minus est certum, impios in sua perversitate morientes, in æternum damnandos, & igne inextinguibili esse torquendos: *ite maledicti in ignem æternum*, &c. Jam sic subsumo:

Atqui ab his legibus factam alicui immunitatem, nec leviter quidem in Scripturâ aut traditione innuitur. Ergo sine temeritate dici non potest, *Trajano* quingentis postquam obierat annis, *Sancti Gregorii* precibus impetratam, maxime cum fuerit ille homo flagitiosissimus, Ethnicorum superstitionibus implicatus, persecutor Christianorum atrocissimus, omnique libidini deditus, ut Scriptores ipsi profani testantur.

Inst. 5. Non debet facile historia rejici virorum præstantissimorum testimonio comprobata; atqui *Trajanum* S. Gregorii precibus ab inferno liberatum, Scriptores omni exceptione majores affirmant.

1. Quidem ita sensit *S. Joannes Damasc.* in orat. de fidelibus Defunctis sic loquens: *prodeat in medium Gregorius antiquioris Romæ Episcopus: hic cum aliquando iter faceret... pro peccatorum Trajani remissione preces ad misericordem Dominum fudit; statimque vocem hujusmodi divinitus emissam audivit: preces tuas exaudi, Trajano ignosco; tu vero in posterum cave, ne mihi pro impiis supplices. Quodque istud verum sit, atque ab omni mendacio alienum, oriens totus atque occidens testantur*.

2. Euchologii Græcorum suffragatur auctoritas, ubi eadem historia in quadam pro Defunctis oratione (*c.* 96.) sic legitur: *quemadmodum Trajanum per ferventem servi tui Gregorii intercessionem flagro solvisti; exaudi etiam nos te orantes non pro idolorum cultore, sed pro fideli servo tuo, qui te propter imbecillitatem ad iracundiam provocavit*.

3. In revelationibus S. *Brigittæ*, (*lib.* 4, *cap.* 13) & S. *Mechtildis*, (*lib.* 6, *cap.* 6) hoc ipsum utrique legimus divinitus revelatum.

4. Assentitur S. Thomas acerrimi, quod nemo negat, judicii Scriptor. Ille vero in suppl. 3 partis, qu. 71, a. 5, cujus titulus est: *utrum*

utrum suffragia viventium prosint existentibus in Inferno? istud sibi quinto loco argumentum objicit: *S. Damascenus narrat, quod Gregorius pro Trajano orationem fundens, audivit vocem sibi divinitus dicentem: vocem tuam audivi: Trajano indulgeo. Cujus rei, ut Damascenus ibidem dicit, testis est Oriens omnis & Occidens; sed constat Trajanum in inferno fuisse, quia multorum martyrum necem amaram instituit. Ergo suffragia Ecclesiæ valent, etiam in inferno existentibus.*

Argumentum ita solvit S. Doctor: *ad 5 dicendum*, inquit, *quod de facto Trajani hoc modo potest probabiliter æstimari, quod precibus B. ati Gregorii ad vitam fuerit revocatus, & ita gratiam consecutus sit, per quam, remissionem peccatorum habuit, & per consequens immunitatem a pœna: sicut etiam apparet in omnibus illis, qui fuerunt miraculose a mortuis suscitati, quorum plures constat idololatras & damnatos fuisse: de omnibus enim talibus similiter dici oportet. Quod non erant in inferno finaliter deputati, sed secundum præsentem propriorum meritorum justitiam. Secundum autem superiores causas, quibus prævidebantur ad vitam revocandi, erat aliter de iis disponendum: vel dicendum secundum quosdam, quod anima Trajani non fuit simpliciter a reatu pœnæ æternæ absoluta, sed ejus pœna fuit suspensa ad tempus, scilicet usque ad diem judicii.*

5. Denique accedit multorum, qui deinceps secuti sunt, ad hoc ipsum affirmandum consensio: hæc enim sententia fuit *S. Antonini*: (*1 p. Chron. tit. 7, cap. 3, §. 2*) *Vincentii Bellovacensis*: (*Specul. Historial. l. 10, c. 68*) *Joannis Gersonii*: (*in ser. ad Regem Franc. pro pace consid. 4*) & aliorum quos enumerare longum foret. Igitur a primo ad ultimum sequitur, liberationem *Trajani* ab inferis, remesse gravissimorum authorum testimonio confirmatam.

℟. 1. generatim distinguendo maj. principalis argumenti: non debet facile historia rejici, quæ virorum præcellentium judicio & assensione probatur; si auctoritatem ipsi certam ex Scriptura aut traditione, quam sequerentur, habuerint, conc. secus, n. maj. Eademque exceptione ad min. facta, n. conseq.

E. ℟. Quantalibet Patribus & Scriptoribus Ecclesiasticis reverentia debeatur, non eo tamen usque ferenda, ut eos numquam putemus esse deceptos: fuerunt illi equidem rerum divinarum scientia supra cæteros illustrati: at homines tamen fuerunt, adeoque errori obnoxii. Quocirca non ideo aliquid affirmantibus est credendum, hac sola ratione, quia dixerunt; sed accurate expendendum, utrum suæ sententiæ attulerint certum & irrefragabile ex Scriptura aut traditione argumentum: *solis exceptis Scriptoribus Canonicis, quos constat a Spiritu Sancto esse afflatos, ita debemus erga alios esse affecti*, inquit S. Aug. (*Ep. ad S. Hieron. 10*) *ut quantalibet sanctitate doctrinaque præpolleant, non ideo verum aliquid putemus, quia ipsi ita senserunt, sed quia nobis vel per auctores Canonicos, vel probabili ratione, quod a vero non abhorreant, persuadere potuerunt... veritati enim*, ait apposite Tertullianus, (*l. de Veland. Virgin. c. 1*) *nemo præscribere potest, non spatium temporum, non patrocinia personarum, non privilegia regionum*. Jam sic subsumo:

Atqui potuisse Trajanum ab inferis per preces alicujus hominis liberari, neque ex Scriptura, nec ex traditione colligi potest, cum in contrarium utraque doceat, *pœnas inferni esse æternas, nullam ibi esse redemptionem, neminemque posse salvari, qui non fuerit ex aqua & Sp. Sancto renatus*. Deinde vero a lege generali quemquam fuisse aut futurum immunem, numquam fuit Ecclesiæ revelatum. Quantolibet itaque numero Scriptores qui contrarium assererent, proferrentur, credendum tamen eis, cum bona eorum pace, non esset, quippe contra Regulam fidei sententibus.

℟. 2. dist. eamdem maj. Non debet facile historia rejici, multorum auctoritate ac judicio approbata, quando nemo qui contradixerit reperitur, transeat: si plures alii contra senserint, melioribus rationibus, & firmioribus momentis innixi, n. maj. Eademque distinctione ad min. facta, n. conseq.

E. ℟. Esto sane quod si nemo sentiret contrarium, non deberet facile historia rejici, quæ narratur a pluribus: temerarium namque videri posset, sententiæ multorum non acquiescere: at longe aliter res in præsenti se habet. Nam prætensam *Trajani* liberationem, velut anilem sine capite fabulam, plerique alii magnæ auctoritatis Scriptores rejiciunt, quorum eo solidius saniusque judicium est, quod Scripturæ & traditionis auctoritate, Romanæ Ecclesiæ antiquioribus de vita *B. Gregorii* monumentis, ipsiusque *S. Gregorii* & pari cum illo ætatis Scriptorum silentio innititur. Qua de re legi possunt *Baronius Cardinalis*: (*Annal. tom. 8 ad an. 604*) *Bellarminus*: (*lib. 2 de purgat. cap. 8*) *Dominicus Soto*: (*in 4 dist. 45, qu. 2, art. 2*) *Melchior Canus*: (*de loc. Theol. lib. 11, c. 2*) & alii pene innumeri.

℟. 2. Sigillatim ad singula.

Ad 1. Quidem nego suppositum argumenti, nego, inquam, illius *de Fidelibus Defunctis* orationis, *S. Joannem Damasc.* genuinum esse authorem. Nam præter cætera quæ critici afferunt

ferunt argumenta, hoc unum, meo quidem judicio, convincens est, quod hujus orationis Scriptor vero *Damasceno* contrarius sit, l. 2 de fide Orthodoxa c. 4 sic loquenti: *illud etiam scire debemus, quod hominibus mors est, hoc Angelis lapsum fuisse. Post lapsum enim præclusa jam est illis omnis resipiscendi facultas, quemadmodum & hominibus, postquam ex hac vita migrarunt.* Itaque teste S. Doctore hominibus statim atque ultimum obierunt diem, omnis resipiscendi facultas præclusa est; atqui vere hoc affirmare non posset, si crederet *Trajanum* post mortem *S. Gregorii* precibus ab inferis liberatum: venia enim peccatorum & gloria nisi resipiscenti non datur. Ergo &c.

Ad 2. ex quodam Græcorum Euchologio petitum sic respondeo: narratur ibi *Trajanum* a pœnis inferi liberatum, & hoc contra Doctrinam & fidem Ecclesiæ dicitur, conc. secus, n. ant. & conseq.

Non levis *Jacobi Bilii*, aliorumque est conjectura, fabulam hanc ex *Pseudo-Joannis Damasceni* oratione in Euchologium, quorumdam græculorum ignorantia, vel certe schismaticorum aut Hæreticorum malitia irrepsisse. Itaque nihil hæc facienda auctoritas, quia communi Ecclesiæ fidei & speciatim aliis Orientalium Euchologiis adversatur. Nam Euchologium editum a *Jacobo Goario* in officio funereo Sacerdotis sic habet: (*pag.* 570) *non est in inferis pœnitentia, nulla ibi relaxatio, ibi vigilans vermis, tenebrosa terra, Chaos caliginosum......* (*pag.* 573) *judicium ibi plurimum, nec ullus inferno eripitur....* (*p.* 578) *intoleranda intemperanter viventibus videtur mors: ibi dentium strider, luctus a consolatione alienus, densa caligo, tenebræ exteriores, vigilans vermis, infructuosæ lacrymæ, & judicium absque misericordia.* Quomodo vero Trajani potest liberatio asseri, si nullus inferno eripitur, si judicium ibi sine misericordia exercetur, si infructuosæ sunt lacrymæ, si denique luctus ab omni consolatione alienus?

Ad 3 conc. ant. n. cons. Ut enim hoc argumentum convincens esset, deberent hujusmodi revelationes esse certæ & ab Ecclesia probatæ; atqui in contrarium fidem eis Ecclesia, & jure merito derogat. Nam quæ privatis sive viris, sive mulieribus quantalibet sanctitatis opinione floruerint, revelata dicuntur, nec auctoritatem, nec pondus habent, quando cum dogmate ubique recepto pugnare deprehenduntur: alioquin enim Sp. Sanctus secum ipso committeretur, si privatis personis revelasse aliquid crederetur, quod esset revelationibus toti Ecclesiæ factis contrarium. Cum itaque prætensæ hæ revelationes adversentur verbo Dei scripto & tradito, & aliunde Ecclesiæ approbatione destituantur; cavendum viris Theologis, ne fidem illis temerario adhibeant, ne scilicet dum *Brigittæ*, *Mechtildi*, aut alteri cujusvis homini nimis honor defertur, Spiritus ipse Sanctus qui Ecclesiæ locutus est, contemnatur.

Ad 4 sic respondemus. Consentit S. Thomas *Trajanum* ab inferis, prece *S. Gregorii* liberatum, hoc est permissive se habet, utrum vera *Damascenus* narraverit, non discutiendo, concedo: illud, inquam, de suo affirmat, quasi hanc ipse sententiam teneat, nego ant. & conseq.

E. ℟. In hoc ipso articulo qui opponitur, totus noster est Angelicus Doct. Probat enim ib. in *Corp.* damnatis vivorum suffragia non prodesse, quia ad viæ terminum pervenerunt, omnisque caritatis expertes sunt. Quando itaque in resp. ad 5 videtur concedere *Trajanum* ab inferis prece *Gregorii* liberatum, de suo hoc non affirmat; sed supposita auctoritate *S. Joannis Damasc.* cui plurimum deferebat, quatenus possit hæc *Trajani* liberatio cum communi de non redimendis damnatis fide conciliari probabilem, non ex professo, sed quasi in transitu causam affert: eoque responsio hæc cuilibet in S. Thomæ lectione versato plausibilior apparebit, quod certum sit Doctorem Angelicum facta historica non solitum, sicut quæstiones Theologicas Scholastica methodo pertractare. Itaque quando ei hujusmodi argumenta ab historicis factis petita occurrunt, hypothetice, non absolute respondet: quod exemplis aliquibus, si res postularet, ostendere in promptu esse.

Jam vero quantum Angelicæ Doctrinæ principiis præsumpta *Trajani* liberatio contraria sit, non est difficile demonstrare.

1. Enim S. Doctor: *ea*, inquit, (3 *p. q.* 1, *art.* 3) *quæ ex sola Dei voluntate præveniunt supra omne debitum creaturæ, nobis innotescere non possunt, nisi quatenus in sacra Scriptura traduntur, per quam divina voluntas nobis innotescit.* Hoc inquam Præceptoris Angelici universale ac certissimum principium est: unde sic argumentum instauro: atqui liberatio alicujus damnati ab inferis, si aliquando contigeret, in solam Dei voluntatem refundi posset, supra omne creaturæ debitum miserentis. Ergo nobis innotescere, nisi Deo revelante, non posset. Cum itaque nulla hujusmodi revelatio neque in Scriptura, neque in traditione contineatur, imo contrarium ex verbo Dei tam scripto, quam tradito habeatur; consentanee ad S. Doctoris principia est dicendum, a pœnis inferni neminem unquam liberatum nec liberandum.

2. S. Thomas de Christo sit loquitur: (3 p. q. 52, *art.* 6) *Christus descendens ad inferos, operatus est in virtute suæ passionis: & ideo ejus descensus ad inferos, illis solis liberationis contulit fructum, qui fuerunt passioni Christi conjuncti per fidem caritate formatam, per quam peccata tolluntur. Illi autem qui erant in inferno damnatorum, aut penitus fidem passionis non habuerunt, sicut infideles; aut si fidem habuerant, nullam conformitatem habebant ad caritatem Christi patientis: unde nec a peccatis suis erant mundati: & propter hoc descensus Christi ad inferos non contulit eis liberationem a reatu pœnæ infernalis.* Hinc sic argumentor:

Putare non potuit S. Thomas, S. Gregorium prece sua obtinuisse, quod ne ipse quidem Christus virtute passionis suæ est consecutus; atqui nullum ex inferis damnatum eripuit Christus quando descendit ad inferos. Ergo a fortiori credere non potuit, S. Doctor, *Trajanum* Gregorii precibus a pœnis Tartareis liberatum.

Præceptor Angelicus in hoc ipso articulo qui opponitur, refutat quosdam de schola Theologos, qui putabant vivorum suffragia prodesse damnatis, non quidem per diminutionem pœnæ, vel per interruptionem, sed per confortationem patientis. Hanc autem opinionem dicit esse, *præsumptuosam, utpote Sanctorum dictis contrariam & vanam, nulla auctoritate fultam, & irrationalem; tum quia damnati in inferno sunt extra vinculum caritatis, secundum quam opera vivorum continuantur defunctis; tum quia totaliter ad viæ terminum pervenerunt, recipientes ultimam pro meritis retributionem, sicut & Sancti qui sunt in Patria ... unde tutius est*, inquit, *simpliciter dicere, quod suffragia non prosunt damnatis, nec pro eis Ecclesia orare intendit*. Hinc sic argumentor.

De mente S. Thomæ magis est judicandum ex iis quæ in corpore articuli dogmatice tractat & disserit, quam ex iis quæ hypothetice & quasi per concessionem in responsionibus ad argumenta admittit; atqui in corpore articuli absolute pronuntiat, suffragia viventium nullatenus prodesse damnatis, neque intendere Ecclesiam pro illis orare: Hinc ergo vera ejus sententia, non ex fluctuante ad argumentum responsione judicari debet.

Ad 5. Denique, concesso ant. n. conseq. Non enim, ut sæpius dictum est, ideo doctrinam aliquam sequimur, quia multis probata est, sed quia cum veritate & majorum sententia convenit. Nam si ideo est aliqua opinio propugnanda, quia eximios habuit defensores, nullum fere erit, quantumvis absonum paradoxum, quod non teneamur admittere; quia vix unum aliquod hujusmodi occurrit, cui virorum aliunde præcellentium auctoritas non patrocinetur; itaque licet in cæteris *S. Antonini*, *Vincentii Bellovacensis*, *Gersonii*, aliorumque nomina plurimi, uti par est faciamus; in hac tamen parte ab illorum opinione recedimus, quia ipsi quod verum erat non tenuerunt, & a Scripturæ ac traditionis (quod sine cujusquam injuria dictum volumus) tramite recesserunt.

Inst. 6. Ea potissimum de causa negamus *Trajanum* ab inferno S. Gregorii precibus liberatum, quia posse quemquam ab inferno gradum revocare, Scripturæ & traditioni repugnat; atqui gratis hoc videtur, & absque solido fundamento dici: Multi namque etiam Catholici putaverunt, non in æternum damnatorum pœnas duraturas, sed aliquando tandem, Deo misericorditer indulgente, & Sanctorum preces exaudiente finiendas: id quod ipsa quoque Scriptura non obscure insinuat. Sic enim Vates Regius supremam Dei misericordiam prædicans: (*Ps.* 76, 8, & *seqq.*) *numquid*, inquit, *in æternum projiciet Deus: aut non apponet ut complacitior sit adhuc? aut in finem misericordiam suam abscindet, a generatione in generationem? aut obliviscetur misereri Deus, aut continebit in ira sua misericordias suas?* quando itaque legimus reprobos in æternum comburendos; verba Scripturæ sic emolliri debemus, ut *æternum* idem intelligamus ac *diuturnum*: aut certe ut ideo vera sint, quia ea quæ dixit homines esse passuros, pati digni sunt, non quia passuri sunt. Donabit enim eos Deus precibus sanctorum suorum, vel in hac vita sacrificium Corporis Christi, & bona opera offerentium; vel saltem in extremo judicio tanto magis orantium pro inimicis suis, quanto erunt utique sanctiores, eorumque efficacior erit oratio, & exauditione Dei dignior, jam nullum habentium omnino peccatum. Ergo damnatos numquam ab inferni doloribus liberandos, non ita ut diximus ex Scriptura & traditione certum est.

R. Concessa maj. n. min. ad probat. dist. ant. Multi putaverunt non duraturas perpetuo damnatorum pœnas, eaque de causa a fide Catholica deviarunt, & ab Ecclesia damnati sunt, conc. ita putaverunt, consentanee ad fidem Ecclesiæ, nego.

E. ℟. Argumentum hoc late prosequitur, & ut solet in cæteris, solidissime refutat S. Aug. l. 21, de Civ. Dei a c. 17, ad 27. Quoniam vero quæcumque hic præclare dixit exscribere tum longius foret, tum a nostro proposito alienum: ea tantum afferemus quæ satis futura sunt ad ostendendum, 1, sentire con-

contra fidem Catholicam, quisquis putat damnatorum pœnas non in æternum esse mansuras: 2 huic opinioni Scripturam ex Ps. allegatam nulla ratione favere.

Ad 1 quidem quod spectat sicut loquitur S. Doctor: (*lib.21 de Civ.cap.17*) *nunc jam cum misericordibus nostris agendum esse video, & pacifice disputandum, qui vel omnibus illis hominibus, quos justissimus judex dignos gehennæ supplicio judicabit, vel quibusdam eorum nolunt credere pœnam sempiternam futuram, sed post certi temporis metas, pro cujusque peccati quantitate, longioris sive brevioris, eos inde existimant liberandos: qua in re misericors . . . profecto fuit Origenes, qui & ipsum Diabolum atque Angelos ejus post graviora pro meritis & diuturniora supplicia ex illis cruciatibus eruendos, atque sociandos Sanctis Angelis credidit: sed illum & propter hoc, & propter alia nonnulla, & maxime propter alternantes sine cessatione beatitudines & miserias, & statutis sæculorum intervallis, ab istis ad illas, atque ab illis ad istas itus ac reditus interminabiles, non immerito reprobavit Ecclesia: quia & hoc quod misericors videbatur amisit, faciendo sanctis veras miserias, quibus pœnas luerent, & falsas beatitudines, in quibus verum ac securum, hoc est, sine timore certum sempiterni boni gaudium non haberent: longe autem aliter isto cum misericordia humano errat affectu, qui hominum illo judicio damnatorum miserias temporales; omnium vero qui vel citius vel tardius liberantur æternam felicitatem putant: quæ sententia si propterea bona & vera, quia misericors est, tanto erit melior & verior, quanto misericordior fuerit. Extendatur ergo ac profundatur fons hujus misericordiæ usque ad damnatos Angelos, saltem post multa atque prolixa quantumlibet sæcula liberandos. Cur usque ad universam naturam manat, & cum ad angelicam ventum fuerit, mox arescit? non audent tamen se ulterius miserando porrigere, & ad liberationem ipsius quoque diaboli pervenire. Verum si aliquis audeat, vincit nempe istos, & tamen tanto invenitur errare deformius, & contra recta Dei verba perversius, quanto sibi videtur sentire clementius*. Ita S. Doctor: eo itaque judice contra fidem Catholicam & contra recta Dei verba perverse sentit, quisquis damnatorum pœnas aliquando finem habituras existimat; neque potest misericordiæ titulo opinio illa defendi: alioquin enim ad dæmones ipsos misericordia extendi deberet, adeoque pro ipsis non secus ac pro reprobis hominibus sacrificium Eucharisticum, & pietatis opera offerri possent, quod est a vera fide penitus alienum.

2. Scripturam huic tam absurdæ Origenis & sequacium ejus opinioni esse contrariam, Doctor excellentissimus sic ostendit: *nec alia causa*, inquit, (*ib. cap. 23*) *nec justior, nec manifestior inveniri potest, cur verissima pietate teneatur fixum & immobile, nullum regressum ad justitiam vitamque Sanctorum, Diabolum & Angelos ejus habituros, nisi quia Scriptura quæ neminem fallit, dicit eis Deum non pepercisse, & sic ab illo esse inter impios prædamnatos, ut carceribus caliginis inferni retrusi traderentur servandi, atque ultimo judicio puniendi, quoniam eos æternus ignis accipiet, ubi cruciabuntur in sæcula sæculorum. Quod si ita est, quomodo ab hujus æternitate pœnæ, vel universi, vel quidam homines, post quantumlibet temporis subtrahentur, at non statim enervabitur fides, qua creditur sempiternum dæmonum futurum esse supplicium? si enim quibus dicetur*: discedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & Angelis ejus: *vel universi, vel aliquid eorum non semper ibi erunt; quid igitur causæ est, cur Diabolus & Angeli ejus semper ibi futuri esse credantur? an forte Dei sententia, quæ in malos & Angelos & homines proferetur, in angelos vera erit, in homines falsa? ita plane hoc erit, si non quod Deus dixit, sed quod suspicantur homines plus valebit. Quod fieri quia non potest, non argumentari adversus Deum, sed divino potius dum tempus est, debent parere præcepto, qui sempiterno cupiunt carere supplicio. Deinde quale est, æternum supplicium pro igne diuturni temporis existimare, & vitam æternam credere sine fine, cum Christus in eodem ipso loco, in una eademque sententia dixerit, utrumque complexus*: ibunt hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam? *si utrumque æternum, profecto aut utrumque cum fine diuturnum, aut utrumque sine fine perpetuum debet intelligi: par pari enim relata sunt; hinc supplicium æternum, inde vita æterna: dicere autem in hoc uno eodemque sensu, vita æterna sine fine erit, supplicium æternum finem habebit, multum absurdum est: unde quia vita æterna sanctorum sine fine erit, supplicium quoque æternum quibus erit, finem procul dubio non habebit*.

Quam bene vero cum Scriptura novi Testamenti Psalmista cohæreat, paulo post demonstrat invictissimus Catholicę veritatis defensor: *cum dictum fuerit a judice vivorum atque mortuorum*, inquit, (*ib. cap. 24*) venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis Regnum a constitutione mundi; *& aliis e contrario*: discedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & Angelis

ejus; & : ibunt isti in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam : *nimiæ præsumptionis est, dicere, cuiquam eorum æternum supplicium non futurum, quos Deus ituros in supplicium dicit æternum, & per hujus præsumptionis persuasionem facere, ut de ipsa quoque vita vel desperetur, vel dubitetur æterna: nemo itaque sic intelligat Psalmum canentem*: numquid obliviscetur misereri Deus, aut continebit in ira sua miserationes suas? *ut opinetur, de hominibus bonis veram, de malis, falsam; aut de bonis hominibus & malis angelis, veram, de malis autem hominibus, falsam Dei esse sententiam, hoc enim quod ait Psalmus, ad vasa misericordiæ pertinet, & ad ipsos filios promissionis, quorum erat unus etiam ipse propheta, qui cum dixisset*: numquid obliviscetur misereri Deus, aut continebit in ira sua miserationes suas? *continuo subjecit*: (*ib.v.11*) & dixi, nunc cœpi, hoc est inmutatio dexteræ excelsi : *exposuit profecto quid dixerit* : numquid continebit in ira sua miserationes suas? *ira enim Dei est, etiam ista vita mortalis, ubi homo vanitati similis factus est, & dies ejus velut umbra prætereunt, in qua tamen ira non obliviscetur misereri Deus ... quoniam in hac ipsa ærumnosa vita, quæ ira Dei est, vasa misericordiæ mutat in melius . . . cum ergo isto modo compleatur divini hujus cantici veritas, non est eam necesse etiam illic intelligi, ubi non pertinentes ad Civitatem Dei sempiterno supplicio punientur. Sed quibus placet istam sententiam usque ad illa impiorum tormenta protendere, saltem sic intelligant, ut manente in eis ira Dei, quæ in æterno est prænunciata supplicio, non contineat Deus in hac ira sua miserationes suas, & faciat eos non tanta, quanta digni sunt pœnarum atrocitate cruciari, non ut eas pœnas vel nunquam subeant, vel aliquando finiant; sed ut eas mitiores quam merita sunt eorum levioresque patiantur. Sic enim & ira Dei manebit, & in ipsa ira sua miserationes suas non continebit*.

Illud denique quod in argumento subjiciebatur, precibus Sanctorum, vel in hac vita, vel in extremo judicio, misericordia Dei, damnatos esse donandos, ostendit S. Doctor (*ib.cap.* 24) prorsus esse ridiculum: *cur ergo*, inquit, *eadem perfectissima sanctitate, & cuncta impetrare valentibus mundissimis & misericordissimis precibus, etiam pro angelis non orabunt, quibus paratus est ignis æternus, ut Deus sententiam suam mitiget & reflectat in melius, eosque ab illo igne faciat alienos? ... hæc igitur causa quæ fit, ut nunc Ecclesia non oret pro malis Angelis, quos suos esse novit inimicos: eadem ipsa causa est, qua fiet, ut in illo tunc judicio, etiam pro hominibus æterno igne cruciandis, quamvis perfecta sit sanctitate, non oret. Nunc enim propterea pro eis orat, quos in genere humano habet inimicos, quia tempus est pœnitentiæ fructuosæ : nam quid maxime pro eis orat, nisi ut det illis Deus, sicut dicit Apostolus, pœnitentiam, ut resipiscant de Diaboli laqueis, quo captivi tenentur, secundum ipsius voluntatem? denique si de aliquibus ita Ecclesia certa esset, ut qui sunt illi, etiam nosset, qui licet adhuc in hac vita sint constituti, tamen prædestinati sunt in æternum ignem ire cum diabolo; tam pro eis non oraret, quam nec pro ipso; sed quia de nullo certa est, orat pro omnibus dumtaxat hominibus inimicis suis in hoc corpore constitutis, nec tamen pro omnibus exauditur. Pro his enim solis exauditur, qui etsi adversantur Ecclesiæ, ita tamen sunt prædestinati, ut pro eis exaudiatur Ecclesia, & filii efficiantur Ecclesiæ. Si qui autem usque ad mortem habebunt cor impœnitens, nec ex inimicis convertentur in filios, numquid jam pro eis, idest, pro talium defunctorum spiritibus orat Ecclesia? cur ita? nisi quia jam in parte diaboli computantur, qui dum essent in corpore, non sunt translati ad Christum? eadem itaque causa est, cur non oretur tunc pro hominibus æterno igne puniendis, quæ causa est, ut neque nunc neque tunc oretur pro angelis malis: quæ itidem causa est, ut quamvis pro hominibus nunc vivis oretur, etiam malis; tamen jam nec nunc oretur pro infidelibus impiisque defunctis*.

Hæc quoniam maluimus Augustini verbis explicare, quam nostris, paulo longius duci oportuit. Quod si quis ad argumenti gravitatem attenderit, brevitatem, speramus, magis reprehendet, quam prolixitatem: verum hæc, ut prædixi, de pœnarum inferni duratione quæstio præsentis instituti non est.

Inst. ultimo. Esto pro damnatis ab inferno liberandis sacrificium offerri non debeat; negare saltem non possumus, pro aliquo ipsis impetrando solatio posse offerri; sic enim sentire videtur S. Aug. in Enchir. c. 110. *Cum ergo*, inquit, *sacrificia sive altaris, sive quarumcumque eleemosynarum pro baptizatis defunctis offeruntur . . . quibus prosunt, aut ad hoc prosunt, ut sit plena remissio; aut certe, ut tolerabilior fiat ipsa damnatio*. Ergo &c.

℟. nego ant. Illa enim opinio, inquit S. Thomas supra laudatus, (3 *p.q.*71, *art.* 5, *in c.*) *est præsumptuosa, sanctorum dictis contraria, vana, nulla auctoritate fulta, & irrationalis*. Et vero si crederet Ecclesia damnatis ad qualecumque pœnarum solatium prodesse vivorum suffragia, sacrificium & preces pro illis fieri

non

non prohiberet. Prohibet porro, ut constat ex Concilio *Triouriensi*, Can. 31, ex *Bracarensi* 1, Can. 17, & aliis quamplurimis decretis. Ergo &c.

Quod ad S. Aug. spectat, nihil est in ejus allegato testimonio difficultatis: ibi enim non loquitur de inferno, sed de igne purgatorio, & damnationis nomine pœnam eorum intelligit, qui postquam plene fuerint expiati, cœlo ad quod prædestinati sunt potientur: patet ex ipso verborum ejus contextu veritas responsionis, *cum ergo*, inquit, *sacrificia sive altaris, sive quarumcumque eleemosynarum pro baptizatis omnibus defunctis offeruntur; pro valde bonis, gratiarum actiones sunt; pro non valde malis, propitiationes sunt: pro valde malis, etiamsi nulla sint adjumenta mortuorum, qualescumque vivorum consolationes sunt. Quibus autem prosunt, aut ad hoc prosunt, ut sit plena remissio, aut certe ut tolerabilior fiat ipsa damnatio.*

§. SEXTUS.

Pro Sanctis in cœlo regnantibus sacrificium Eucharisticum, non ad eorum subsidium, sed in gratiarum actionem Deo offertur.

Sanctis enim qui Deo fruuntur, nihil superest expiandum, quippe in illud regnum admissis, quo nihil inquinatum, teste veritate, intrabit: deinde viatores amplius non sunt, nec peregrinantur a Domino, sed cœlesti patria in æternum & cum plena securitate potiuntur; ergo neque ad culpæ aut pœnę remissionem, neque ad impetrationem gratiæ, neque ad gloriæ sive consecutionem sive augmentum, sacrificio indigent. Hinc S. Aug. *injuria est*, inquit, (*Serm. al.* 17, *nunc* 159, *de verbis Apost.*) *pro martyre orare, cujus nos debemus orationibus commendare*: restat itaque ut dicamus sacrificium in sanctorum commemorationem offerri, ut Deo pro meritis eisdem collatis, & propter fidem eorum quæ vicit mundum condignas gratias rependamus. Deo, inquam: huic enim soli grates exhibemus, cui soli sacrificando litamus: atqui licet Sanctorum, inter solemnia sacrificii memoria fiat, soli tamen Deo sacrificium offertur: *non enim eisdem*, inquit S. Aug. (*lib. 8 de civ. cap.* 27) *templa, sacerdotia, sacra, & sacrificia constituimus, quoniam non ipsi, sed Deus eorum nobis est Deus: honoramus sane memorias eorum, tamquam sanctorum hominum Dei, qui usque ad mortem suorum corporum pro veritate certarunt, ut innotesceret vera religio falsis religionibus fictisque convictis. . . . . quis autem audivit aliquando fidelium, stantem Sacerdotem ad altare etiam super Sanctum Corpus martyris, ad Dei honorem cultumque constructum, dicere in precibus: offero tibi sacrificium Petre vel Paule, vel Cypriane; cum apud eorum memorias offeratur Deo, qui eos & homines & martyres fecit, & sanctis suis angelis cœlesti honore sociavit, ut ea celebritate, & Deo vero de illorum victoriis gratias agamus, & nos ad imitationem talium coronarum atque palmarum, eodem invocato in auxilium, ex eorum memoriæ renovatione adhortemur?* ita S. Doctor, quorum similia vide l. 20 contra Faustum. Ergo &c.

Enodantur quædam difficultates.

Objicies. In Missa de S. Leone Sum. Pontifice, secundum antiquos codices oratio secreta sic habet: *annue nobis Domine, ut animæ famuli tui Leonis hæc prosit oblatio*. Ergo ad aliquod adjumentum Sanctorum potest sacrificium offerri.

℞. concesso ant. dist. conseq. Potest aliquid per sacrificium impetrari pro Sanctis, quod ad illorum honorem & gloriam externam atque accidentalem pertineat, conc. quo eorum essentialis gloria augeatur, n. conseq. Sic respondet *Innocentius III* Pontifex max. cujus hæc sunt verba: (Extra: *de celebratione Missarum cap.* cum Martha) *quod in plerisque orationibus continetur:* prosit, vel proficiat huic sancto talis oblatio ad gloriam & honorem: *ita debet intelligi, ut ad hoc prosit, quod magis ac magis a fidelibus* glorificetur in terris.

Eodemque sensu *S. Thomas* (*in* 4 *sent. quæst.* 2, *art.* 1, *quæstiunc.* 3) hanc precandi formulam explicans: *simpliciter loquendo*, inquit, *hoc est, quantum ad essentiam gloriæ, sacrificium Eucharisticum non auget in beatis gloriam; sed secundum quid, scilicet quantum ad accidentale præmium auget.*

Objicitur iterum. In Missa *Mozarabum*, idest Hispanorum Arabibus permixtorum, (quo tempore Arabes pene totam Hispaniam occupabant, Christiani *Mixtarabes*, & corrupto vocabulo *Mozarabes*, dicti sunt,) postquam Beatissimæ Virginis, S. Joannis, & aliorum Sanctorum Apostolorum, Evangelistarum ac Martyrum memoria facta est; sequuntur nomina SS. *Hilarii*, *Athanasii*, *Martini*, & aliorum sub hoc titulo: *item pro spiritibus pausantium*; atqui *Hilarius*, *Athanasius*, *Martinus*, & alii, Sanctorum Catalogo adscribuntur. Ergo pro Sanctis ad aliquod eis subsidium procurandum, sacrificium offerri potest.

℞. concessa maj. dist. min. Hilarius, Athanasius, & alii, in SS. numero reponuntur, modo,

modo, conc. reponebantur eo tempore, quo hæc pro ipsis oratio fundi cœpta est, n. min. & conseq.

E. R. Rem sic explicat sæpe laudatus, nec umquam pro merito satis laudandus, *Eminent. Cardinalis Eona*: *quia*, inquit, (*Rer. liturgic. l. 2, cap. 14, n. 4*) *inter defunctos pro quibus sacrificia offerri dicuntur, illi etiam enumerantur, quas Catholica Ecclesia Sancti Sp. infallibili magisterio edocta, cum Beatis æternæ patriæ civibus veneratur; legentium scrupulo occurrendum est, ne mores antiquos ex præsentis ævi usu æstimantes; in suspicionem erroris trahant, quod a Sanctis & orthodoxis Patribus institutum fuit. Tempora igitur distinguenda sunt, ut omnis offensionis occasio præcidatur. Quamvis enim tempus præcisum ignoremus, quo a Sanctis Hispaniæ Episcopis hæc missa instituta fuit; credimus tamen ejus originem illi ævo adscribendam, quo solis martyribus publicus & solemnis cultus concedi solebat: reliqui autem, præsertim Episcopi, qui in pace Ecclesiæ, etiam cum opinione sanctitatis decedebant, sacris defunctorum tabulis inscribi, eorumque nomina promiscua legi consueverant: ita ut nullum discrimen esset inter illos, qui postea Sancti nuncupati sunt, quales fuerunt Hilarius, Athanasius, Martinus, Ambrosius, Aug., Fulgentius, Leander, Isidorus, & ceteros quibus hic titulus numquam tributus fuit. Cum igitur eo tempore utrorumque par causa esset, nec ulla Ecclesiæ declaratione constaret, quemquam ex illis Dei visione perfrui, & consequenter viventium non indigere suffragiis, pro omnibus indiscriminatim preces & sacrificia offerebantur: eadem prorsus ratione qua nunc solemus pro singulis defunctis orare, tametsi aliqui ex illis cum opinione sanctitatis decesserint: nec tamen erramus, quia donec a sum. Pontifice Sanctorum numero adscripti sint, certo scire non possumus, in quo statu reperiantur: Ecclesia autem per Sacerdotem ministrum suum, sacrificium offert pro mortuis intentione conditionata, ut siquidem eo indigent, illis prosit; alioquin aliis indigentibus applicetur.*

Objicitur insuper auctoritas S. Cypriani, affirmantis, non pro cæteris tantum justis & sanctis, sed & pro ipsis martyribus sacrificium offerri solitum esse: *qui palmas a Domino*, inquit, (*Ep. 34*) *& coronas illustri passione meruerunt, sacrificia pro eis semper, ut meministis, offerimus*. Ergo &c.

℟. Dist. ant. simul & S. Doctoris mentem aperio: pro eis offerimus, eorum videlicet triumphos & gloriam memorando, conc. pro eis orando, ut beatitudine & felicitatis requie potiantur, n. ant. Hunc porro S. martyris sensum esse, tum ipse qui opponitur textus declarat, quando dicit; *martyres palmas a Domino, & coronas illustri passione meruisse*: unde sequitur quod ad illas obtinendas prece nostra non indigent; tum alibi expresse affirmat, (*Ep. 37*) ubi præcipit, *dies eorum qui in vinculis & carceribus pro Christo decesserant, diligenter annotandos, ut*, inquit, *commemorationes eorum inter memorias martyrum celebrare possimus. . . . & celebrentur a nobis oblationes & sacrificia, ob commemorationes eorum.*

Objicitur 4. Missæ quæ decurrente anno celebrantur, magna ex parte titulum Sanctorum præferunt, quorum festivi dies occurrunt: quomodo dicitur *Missa S. Petri, S. Augustini*, &c. Ergo aliquod ex Eucharistico sacrificio emolumentum percipiunt.

℟. Concesso ant. n. conseq. Non enim ut Sanctis aliquid utilitatis adveniat, sed ut nobis metipsis consulamus, memoriam eorum in sacrificio facimus: *per hanc enim celebritatem*, ait S. Aug. supra laudatus (*lib. de civ. cap. 27*) *& Deo vero de illorum victoriis gratias agimus, & nos ad imitationem talium coronarum atque palmarum, eodem invocato in auxilium, ex eorum memoriæ renovatione adhortamur.* Quod si quis ad gloriam SS. hanc commemorationem quidquam conducere asseveret, nihil moramur, modo non de essentiali, quæ beatitudo ipsa est, hoc intelligat, sed de accidentali & extrinseca, quæ est, clara cum laude notitia, uti a Philosophis definitur: *magnus namque honor est*, ait S. Joannes Chrysost. (*hom. 21 in Actus Apost.*) *nominari Deo præsente, dum mors Christi incruenta perficitur, & horrendum sacrificium, & ineffabilia Sacramenta offeruntur.*

Objicitur 5. Si honor aliquis per missæ sacrificium Sanctis exhibetur; aliqua ergo ratione dici poterit offerri Sanctis, quod principiis superius statutis repugnat.

℟. nego conseq. Licet enim festivitates SS. sint celebrandæ, & in eorum honorem ac memoriam altaria construenda; nulli tamen eorum, quomodo nec ipsis Angelis, sed soli Deo sacrificare debemus. Nec enim ipsi sancti vel Angeli, ut superius dictum est, exhiberi sibi volunt, quod uni Deo per latriam deberi apprime norunt. Unde *Paulus & Barnabas* cum audivissent, aliquos miraculis a se perpetratis commotos, sacrificare sibi decrevisse; *conscissis tunicis suis*, ait author Sacer, (*Act. 14, 13 & seq.*) *exilierunt in turbas, clamantes, & dicentes: viri quid hæc facitis? & nos mortales sumus similes vobis homines?* & sicut in Apocalypsi legitur; Angelus a Joanne adorari recusavit: *cecidi*, inquit ipse, (*Apoc. 19, 10*)

19, 10) *ante pedes ejus, ut adorarem eum, & dixit mihi: vide ne feceris: conservus tuus sum, & fratrum tuorum, habentium testimonium Jesu: Deum adora*. Sanctos itaque in solemnitate sacrificii honoramus, caritate, non servitute, colimus ut imitemur, non ut adoremus: *vide Concilium Trid. Sess.* 22, *cap.* 3.

Objicitur ultimo. Antiquus mos obtinet, ut altaria in honorem SS. dedicata, magno apparatu ornentur, muneribusque & donariis cumulentur. Quin ætate sua consuevisse fideles ad loca martyrum deferre epulas suas, narrat S. Aug. idemque plerique alii attestantur; atqui hi honores naturam veri sacrificii redolent. Ergo &c.

℟. Concessa maj. n. min. *quæcumque enim*, ait S. Aug. (*lib.* 8 *de civ. cap.* 27) *adhibentur religiosa obsequia in martyrum locis, ornamenta sunt memoriarum, non sacra vel sacrificia mortuorum tamquam deorum: quicumque etiam epulas suas eo deferunt, (quod quidem a Christianis melioribus non fit, & in plerisque terrarum nulla talis est consuetudo:) tamen quicumque id faciunt, quas cum apposuerint, orant & auferunt ut vescantur, vel ex eis etiam indigentibus largiantur: sanctificari ibi eas volunt per merita martyrum, in nomine Domini martyrum: non autem ista esse sacrificia martyrum novit, qui novit unum quod Deo illic offertur sacrificium Christianorum. Nos itaque martyres nostros nec divinis honoribus, nec humanis criminibus colimus*. Sequitur

CAPUT SECUNDUM.

De effectibus Eucharistici Sacrificii.

Effectus Eucharistici sacrificii id omne est, quod per illud obtinemus, sive possumus obtinere; itaque justitia, augmentum ejus, peccatorum & pœnarum remissio, & denique gratiæ omnes quas tum ad vitam præsentem juste & pacifice transigendam, tum ad declinandum a malo & perseverandum in bono, tum ad obtinendam a pœnis purgatorii liberationem, ipsamque fruendam beatæ vitæ perennitatem consequi homo potest, debent in ejus effectibus numerari. Neque credendum hæreticis, qui etsi aliquatenus concedere videantur, Eucharistiam esse sacrificium laudis & gratiarum actionis; mordicus tamen contendunt, propitiatorium dici non posse, neque pro vivis & defunctis, pro peccatis, pœnis, satisfactionibus, aut ullis denique necessitatibus offerri debere; sed simpliciter acquiescendum Ecclesiæ universalis doctrinæ, quæ invariata traditione tenet, semperque tenuit, sacrificium incruentum Christi, non secus ac cruentum vere propitiatorium esse.

„ Quoniam in divino hoc sacrificio quod „ in missa peragitur, *inquiunt Patres Trident.* „ (*Sess.* 22, *cap.* 2) idem ille Christus con„ tinetur, & incruente immolatur, qui in „ ara crucis semel se ipsum cruente obtulit; „ docet S. Synodus sacrificium istud vere pro„ pitiatorium esse, per ipsumque fieri, ut si „ cum vero corde & recta fide, cum metu „ & reverentia, contriti ac pœnitentes ad „ Deum accedamus, misericordiam conse„ quamur, & gratiam inveniamus in auxi„ lio opportuno: hujus quippe oblatione pla„ catus Dominus, gratiam & donum pœni„ tentiæ concedens, crimina & peccata etiam „ ingentia dimittit. Una enim eademque est „ hostia, idem nunc offerens Sacerdotum mi„ nisterio, qui se ipsum tunc in cruce obtu„ lit, sola offerendi ratione diversa: cujus „ quidem oblationis, cruentæ, inquam, fru„ ctus per hanc uberrime percipiuntur; tan„ tum abest ut illi per hanc quovis modo „ derogetur: quare non solum pro fidelium „ vivorum peccatis, pœnis, satisfactionibus, „ & aliis necessitatibus; sed & pro defunctis „ in Christo, nondum ad plenum purgatis, „ rite juxta Apostolorum traditionem offer„ tur. “

Quoniam itaque ex prædictis est manifestum, Eucharisticum sacrificium posse & debere pro omnibus omnino hominibus in hac vita degentibus, & pro defunctis in purgatorio detentis offerri: necessario sequitur, non laudis tantum & gratiarum actionis, sed & propitiatorium esse; atque hinc facile intelligitur, qui & quales sint victimæ salutaris effectus. Unde in Catholici dogmatis defensione non amplius immorabimur, tantumque hic Trid. Canonem quo hæc veritas confirmata est, describemus: *Si quis dixerit*, inquit, (*ibid. Can.* 3) *Missæ sacrificium tantum esse laudis, & gratiarum actionis, aut nudam commemorationem sacrificii in cruce peracti, non autem propitiatorium; vel soli prodesse sumenti, neque pro vivis & defunctis, pro peccatis, pœnis, satisfactionibus, & aliis necessitatibus offerri debere*: *anathema sit*.

CAPUT TERTIUM.

Quam vim ad suos effectus obtinendos Eucharisticum sacrificium habeat.

Paulo est ista quæstio intricatior, quam more solito propositis quibusdam dubiis, pro modulo explicare conabimur.

Q. 1.

Q. 1. Utrum Eucharisticum sacrificium valeat, quatenus hominis opus est?

R. Negative. Non enim ideo est efficax, quia hominis, sed quia opus est Christi, se ipsum Sacerdotis ministerio offerentis. Ille enim solus in sacrificio operatur, qui solus verus est mediator, merito suo nos reconcilians Deo; atqui solus Christus verus est mediator, solus ille est pax & reconciliatio nostra.

Deinde in tantum Eucharisticum sacrificium virtutem & efficaciam habet, in quantum est oblatio Deo facta, ejusdemque participatio; atqui non est oblatio Sacerdotis, sed Christi; neque est participatio corporis Sacerdotis, sed Corporis Christi. Ergo quemadmodum baptismus remittit peccata, nosque Dei filios efficit, non quia hominis est opus, sed Christi qui intus baptizat, nobisque pretium sui Sanguinis applicat; idem de sacrificio est dicendum.

Præterea. Eucharisticum sacrificium cruenti incruenta repetitio est, & ejusdem oblatio victimæ, quæ fuit in cruce mactata; atqui sacrificium cruentum se ipso efficax fuit, neque ab ullo homine præter Deum hominem Christum, quidquam est virtutis & efficientiæ mutuatum. Ergo a pari in sacrificio incruento Sacerdos præter manum, & externum ministerium nihil præbet; totumque quod operatur; est summo veroque Pontifici Christo tribuendum: *quoniam*, inquit S. August., (*de Trin. l.* 4, *cap.* 14) *quatuor considerantur in omni sacrificio, cui offeratur, a quo offeratur, quid offeratur, per quibus offeratur: idem ipse unus verusque mediator, per sacrificium pacis reconcilians nos Deo, unum cum illo manet, cui offert; unum in se facit, pro quibus offert; unus ipse est, qui offert, & quod offertur.*

Q. 2. Plus ne valeat sacrificium a bono, quam a malo Sacerdote oblatum?

R. Ex præjactis principiis, & ex Angelici præceptoris doctrina cum distinctione: *Dicendum*, inquit, (3 *p.q.* 82, *a.* 6, *in corp.*) *quod in missa duo est considerare, scilicet ipsum Sacramentum, quod est principale; & orationes quæ in missa fiunt pro vivis & mortuis. Quantum ergo ad Sacramentum, non minus valet missa Sacerdotis mali, quam boni, quia utrobique idem conficitur Sacramentum.*

Oratio etiam quæ fit in missa, potest considerari dupliciter: uno modo in quantum habet efficaciam ex devotione Sacerdotis orantis: & sic non est dubium quod missa melioris Sacerdotis magis est fructuosa: alio modo, in quantum oratio in missa profertur a Sacerdote in persona totius Ecclesiæ, cujus Sacerdos est minister: quod quidem ministerium etiam in peccatoribus manet, sicut supra dictum est: (art. præced. in c.) *unde etiam quantum ad hoc est fructuosa non solum oratio Sacerdotis peccatoris in missa; sed etiam omnes ejus orationes, quas facit in Ecclesiasticis officiis, in quibus gerit personam Ecclesiæ: licet orationes ejus privatæ non sint fructuosæ, secundum illud Proverbiorum:* (*Prov.* 28, 9) qui declinat aures suas ne audiat legem, oratio ejus erit execrabilis.

Ita S. Doctor, cujus principiis insistendo dicimus; sacrificium si spectetur quatenus Corporis & Sanguinis Christi oblatio est, & quatenus publica est oratio a Sacerdote, nomine totius Ecclesiæ facta, æqualem, a quocumque ministro sive bono, sive malo offeratur habere virtutem: tum quia ut prædiximus, non est opus Sacerdotis, sed Christi: tum quia Ecclesia, sive per bonum, sive per malum ministrum oret, nihilominus sancta est in se, & in membris suis vivis, ubique orantibus; adeoque vere hujus columbæ suspiria & gemitus semper a cœlesti sponso exaudiuntur. Quod si ejus respectus habeatur qui offert, missam boni Sacerdotis, propterea quod ad altare majorem afferat devotionem, meliorem esse non dubitamus. Si enim bonum addatur bono, quod ex utroque exurgit, profecto est melius: eoque sensu ab *Alexandro* Sum. Pontifice dictum, ut legitur in *Gratiani* Decreto: (*de consec. q.* 1, *c.* 1) *ipsi Sacerdotes pro populo interpellant, & peccata populi comedunt, quia suis precibus ea delent atque consumunt: qui quanto digniores fuerint, tanto facilius in necessitatibus pro quibus clamant exaudiuntur*... & a Patribus Concilii Toletani IV (*Can.* 20), *abstineamus ergo nos Sacerdotes ab omni opere malo, ut mundi corpore, purgati mente, possimus ad sacrificium Christi digne accedere, & Deum pro delictis omnium deprecari.*

Q. 3. Utrum valor Eucharistici sacrificii sit infinitus?

R. Sufficientia infinitum, efficacia esse finitum.

Est, inquam, infinitus sufficientia: eadem enim victima ibi offertur, quæ in cruce pro nostris & totius mundi peccatis oblata est; idem Sacerdos, idem denique sacrificium, sola, ut loquuntur *Trid.* Patres, offerendi ratione diversum; atqui victima in cruce oblata, fuit infiniti valoris ac meriti, & ad innumerabilium hominum redemptionem plenissime sufficiens. Idem ergo de Sacrificio Eucharistico est dicendum.

Quod autem efficientia sit finitum, vel inde patet quia licet pro omnibus, ut prædiximus, offeratur, non omnes tamen ejus virtute salvantur. Deinde, sacrificium Eucharisticum Christus instituit, ut per illud nobis applica-

retur

retur virtus sacrificii in ara Crucis modo cruento oblati; atqui sacrificium Crucis non fuit efficientia infinitum, idest, effectum infinitum non habuit, licet sufficientiam infiniti valoris habuerit. Ergo multo magis hoc est dicendum de sacrificio incruento; præsertim cum ideo fuerit institutum, ut in Ecclesia quotidie sine intermissione celebraretur.

Quantum vero differant, sufficientia & efficientia causæ, quoniam ex Philosophia notissimum est, ipsoque sensu compertum, necesse non est explicare. Sic enim, exempli causa, sol ad irradiandum infinitam aliquatenus virtutem habet, quia possunt luce ejus infiniti propemodum homines, & sine numero animalia perfundi: est tamen lux solis finita quantum ad efficientiam, quia nec ad infinitos homines, nec ad omnes, quam diffuse potest, pertingit.

Q. 4. Quæ causa sit, cur Sacrificii Eucharistici virtus secundum efficientiam sit finita?

℟. Ex mero Christi beneplacito esse petendum: poterat enim summus Sacerdos per unam sacrificii oblationem quælibet bona a Deo, & pro quolibet impetrare, quod nemo, opinor, negabit. Ergo quod ad certam mensuram meritorum ejus per sacrificium applicatio ac distributio fiat, debet ab ejus suprema voluntate causa desumi: *quamvis virtus Christi, quæ continetur sub Sacramento Eucharistiæ sit infinita*, inquit S. Thomas, (*in dist.* 45, *q.* 2, *art.* 4, *quæstiuncula* 2, *ad* 2) *tamen determinatus est effectus ad quem illud Sacramentum ordinatur. Unde non oportet quod per unum altaris sacrificium tota pœna eorum, qui sunt in purgatorio, expietur: sicut etiam nec per unum sacrificium quod aliquis homo offert, liberatur a tota satisfactione debita pro peccatis.*

Parique sensu *Joannes de Pecham* Cantuariensis Archiepis. *licet*, inquit, (*in constit. Synod. c.* 2) *ipsum quod est Christus, sit infinitæ virtutis; non tamen in sacrificio, suæ immensitatis summam plenitudinem operatur: alioquin enim pro uno mortuo numquam oporteret nisi unam missam dicere: operatur enim in hujusmodi mysteriis, distributione certa suæ plenitudinis, quam ipse eisdem lege infallibili alligavit.*

Quod si importune, cur ita voluerit scisciteris?

℟. Cum S. Aug. in causa simili; *penes ipsum est.*

Deinde dici potest ita voluisse: tum ut ejusdem sacrificii cultu sæpe repetito, memoria mortis ejus frequentius fieret, prout ab ipso est imperatum: *hoc facite in meam commemorationem:* tum ut alterum ejus mandatum impleremus, quo præcipit, sine intermissione orandum; sacrificii enim oblatio, excellentissima procul dubio oratio est: tum denique ut hoc frequenti exercitio nostra magis erga Deum caritas excitaretur & effervesceret.

Q. 5. Unde petenda sit applicatio sive quantitas fructus, ex Eucharistico Sacrificio provenientis?

℟. 1. Ex Dei beneplacito principaliter dependere: quem enim quisque fructum inde perciperet, ipse, ut prædiximus, suprema sua voluntate præscripsit; nec voluit ab humano merito absolute pendere: id quod in hominibus impiissimis, in peccato obstinatis, &c. de sua conversione nequidem cogitantibus aliquando experitur Ecclesia: hujusmodi enim hominibus sæpe contingit fructum sacrificii applicari, per quem dolere incipiunt de peccatis, & amare justitiam; atqui mutatio hæc dexteræ Excelsi manifestissime est, & in solum Dei beneplacitum, ejusque prævenientem gratiam refundi potest. Ergo &c.

℟. 2. Etiam ab intentione ministri, Ecclesiæ nomine offerentis, & a devotione personæ pro qua specialiter offertur, etsi minus principaliter, peti debere.

Probatur 1 pars. Ministri sacrificium offerentis intentio, oratio quædam est, & ad orationis genus ipsa sacrificii oblatio pertinet; atqui specialis oratio magis prodest, quam communis, ut patet, tum exemplo Christi, qui pro Petro specialiter oravit: *Simon, Simon*, inquit, (*Luc.* 22, 31) *ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum, ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua.* Tum ex Actibus Apost. ubi de eodem in carcerem Herodis jussu detruso sic legitur: (*Act.* 12, 5) *Petrus quidem servabatur in carcere: oratio autem fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad Deum pro eo:* tum denique ex antiquissima Ecclesiæ universalis consuetudine, quæ speciales numquam pro ullius necessitatibus preces fudisset, nisi persuasum habuisset, earum apud Deum aliquod proprium & speciale meritum esse: hinc in *Concilio Constant.* hæc *Joannis Wicleffi* propositio, numero 19 damnata est: *speciales orationes applicatæ uni personæ per Prælatos vel Religiosos, non plus prosunt eidem quam generales.* Ergo &c.

Probatur 2 pars. Oblatio Eucharistici Sacrificii, ut sæpius dictum est, ad instar orationis & suffragii operatur. Ergo quo erit major illius devotio, pro quo sacrificium offertur, eo fructum ex illo comparabit uberiorem: hanc porro Catholicæ Ecclesiæ doctrinam esse, certo evincunt Canonis verba, quando Sacerdos orando pro vivis: *memento Domine* inquit, *famulorum famularumque tua-*

rum N. N. & omnium circumstantium, quorum tibi fides cognita est, & nota devotio, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis: ut quid enim adstantium fidei & devotionis mentio fieret, nisi ad percipiendum fructum sacrificii conducere crederetur: hinc S. Thomas, *Eucharistia*, inquit, (3 *p. q.* 79, *art.* 5, 17, *corp.*) *in quantum est sacrificium, habet vim satisfactivam; sed in satisfactione magis attenditur affectus offerentis, quam quantitas oblationis: unde & Dominus dicit*, (*Luc.* 21, 3) *de vidua quae obtulit duo æra: quod plus omnibus misit. Quamvis ergo hæc oblatio ex sui quantitate sufficiat ad satisfaciendum pro omni pœna; tamen fit satisfactoria illis pro quibus offertur, vel etiam offerentibus, secundum quantitatem suæ devotionis.*

Q. 6. Utrum iis solis prosit Eucharisticum sacrificium pro quibus specialiter offertur?

℟. Negative. Iis enim omnibus prodest, aut saltem prodesse potest, pro quibus ejus oblatio fit; atqui licet specialis aliquorum memoria in sacrificio fiat, generaliter tamen, offertur pro omnibus. Omnibus ergo prodesse potest; immo plerumque, vel ita volente Deo, vel habita ratione devotionis contingit, ut plus illi prosit, pro quo generali intentione offertur, quam illi cujus specialis mentio facta a Sacerdote fuerit.

Quantum ad aliquid tamen magis iis prodest, pro quibus specialiter per modum satisfactionis offertur: rem sic explicat S. Thomas: „ valor suffragiorum, *inquit*, (*in* 4, *dist.* 45, „ *q.* 2, *art.* 4) potest pensari ex duobus: valent enim uno modo ex virtute caritatis, „ quæ facit omnia bona communia: & secundum hoc verum est, quod magis valent ei, „ qui magis caritate est plenus, quamvis pro „ eo specialiter non fiant: alio modo suffragia valent, ex hoc quod per intentionem „ unius alteri applicantur: & sic satisfactio „ unius alteri computatur: & hoc modo non „ est dubium, quod magis valent ei pro quo „ fiunt; immo sic ei soli valent: satisfactio „ enim proprie ad pœnæ dimissionem ordinatur: unde quantum ad dimissionem pœnæ, „ præcipue valet suffragium ei pro quo fit „.

Q. ultimo. Utrum sacrificium ex opere operato valeat ad peccatorum remissionem?

℟. Vel opus operatum intelligitur cum exclusione meriti Sacerdotis; vel cum exclusione omnium dispositionum ab iis pro quibus offertur.

Si primo sensu quæstio accipiatur, dicimus sacrificium ex opere operato ad peccatorum remissionem, & aliarum quarumlibet gratiarum consecutionem valere. Nisi enim effectus suos ex opere operato consequeretur, penderet virtus ejus a persona & operatione Sacerdotis, adeoque sacrificium non Christi, sed meri hominis opus esset: atqui absurdum & impium est fiugere, sacrificium a persona & ministerio Sacerdotis expectare virtutem suam. Non enim in altari attenditur, cujus ministerio fiat, sed quid, quolibet homine præbente exterius ministerium, offeratur. Porro Sacerdos non suum Sanguinem offert, sed Christi, nec suo nomine hostiam præbet, sed Christi, nec suum meritum Deo repræsentat, sed Christi. Quamobrem sicut nihil refert, calidus sit an frigidus qui ignem accendit; sic in sacro faciendo non plurimum interest, cujus meriti sit Sacerdos, nec a bono administro major, nec a malo minor effectus provenit, quia iis pro quibus offert, non suum, sed Christi meritum applicat: *non ergo*, inquit *Innocentius III* Summus Pontifex (*de sacro altar. myst. lib.* 3, *cap.* 5) *Sacerdotis iniquitas effectum impedit Sacramenti, sicut nec infirmitas medici virtutem medicinæ corrumpit. Quamvis igitur opus operans aliquando sit immundus; semper tamen opus operatum est mundum.*

Deinde. Si Eucharistici Sacrificii virtus penderet a merito hominis, nec à Christi passione tota proflueret, consequens esset in homine spem nostram esse ponendam; ingrati enim animi foret, in illo spem & fiduciam non collocare, a quo beneficium maximum expectares; atqui quam absona hæc opinio sit, & a vera fide aliena tum alibi demonstravimus, (*lib.* 1, *de Sacr. in gen. quæst.* 5, *cap.* 2, & 3) tum Scriptura aperte clamat: *maledictus homo*, inquit, (*Jerem.* 17, 5, & *seqq.*) *qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum: benedictus vir qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia ejus*. Fatendum itaque virtutem Eucharistici sacrificii ab illo solo pendere, qui est agnus immaculatus, cujus Sanguine redempti sumus, qui tollit peccata mundi, qui solus est advocatus, mediator, reconciliator noster, cujusque nomine quidquid a Patre petierimus, ut testatur ipse in Evangelio, fiet nobis.

Quod si secundo sensu *opus operatum* intelligatur, scilicet cum exclusione omnium dispositionum in iis, pro quibus incruenta oblatio fit: dicimus, nec culpam nec pœnam ex opere operato, sed ex opere operantis remittere.

Sacrificium enim via impetrationis operatur, & ad genus orationis reducitur: atqui efficientia quæ est per modum impetrationis, non est ex opere operato, sed ex opere operantis; neque alia vis orationis est, nisi ut mediate peccatorum veniam obtineat. Fatendum ergo Eucharisticum sacrificium non operari cum exclusione

sione omnium dispositionum in iis pro quibus offertur. Eaque *Concilii Trid.* sententia est: „ Docet S. Synodus, *inquit*, (*sess.* 22, *cap.* 2) „ sacrificium istud vere propitiatorium esse, „ per ipsumque fieri, ut, si cum vero corde, „ & recta fide, cum metu & reverentia, con„ triti ac pœnitentes ad Deum accedamus, „ misericordiam consequamur, & gratiam in„ veniamus in auxilio opportuno: hujus quip„ pe oblatione placatus Dominus, gratiam & „ donum pœnitentiæ concedens, crimina & „ peccata etiam ingentia dimittit ".

Atque hinc manifestum est calumniari Hæreticos, quando ajunt nos dicere, per Eucharistiæ sacrificium condonari culpam, & pœnam, etiam sine bono ullo motu utentis: „ Falsum est, *inquit* Hosius Cardinalis, (*in* „ *conf. fidei c.* 89) quod filii desertores de ma„ tre quondam sua Ecclesia commenti sunt, „ quasi prædicatum in illa fuerit, valere co„ ram Deo sacrificium Sacerdotis ex opere o„ perato, sine bono motu utentis; cum Ec„ clesiæ doctrina cum isto commento pugnet „ ex diametro. Nam valere sacrificium sine „ bono motu utentis, vel Sacerdotis vel po„ puli, non modo docuit in Ecclesia nemo; „ verum illud uno ore potius affirmarunt o„ mnes, nisi quis per fidem, animique devo„ tionem, fructum illius in se transferre co„ natus esset, exitio potius illi futurum sa„ crificium, quam utilitatis aliquid allaturum, „ Quorsum autem admoneret populum Sacer„ dos, ut sursum corda erigeret; si valere sa„ crificium sine bono motu utentis persuasum „ haberet "? Hactenus Hosius.

Cuidam difficultati occurritur.

Objicies. Si ad peccatorum remissionem, ex opere operato sacrificium valeat; superfluit ergo pœnitentiæ Sacramentum: poterit enim unusquisque post baptismum lapsus, dummodo sacrificio cum vera fide intersit, a peccato quolibet expiari: eoque lubentius homo peccator remedium hoc adhibebit, tum quod unicuique promptissimum, tum etiam quod facillimum sit, confessionis scilicet pudorem non habens, & ab omni satisfaciendi debito liberans: atqui repugnat hæc illatio fidei qua credimus, pœnitentiam esse secundam post naufragium tabulam, neminique post baptismum lapso, ad gratiam & salutem patere aditum posse, nisi eorum se ministerio ultro subjecerit, quibus dictum est: (*Joan.* 20, 23) *quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* Ergo &c.

℞. Dist. maj. Superfluit pœnitentiæ Sacramentum, si ad peccatorum remissionem ex opere operato, & *immediate* sacrificium valeat, conc. si *remote* tantum & *mediate*, n. maj. & concessa min. n. conseq.

E. ℞. Peccata in duplici genere sunt: alia, quia caritatem dissolvunt, & spiritualem animæ mortem inferunt, mortalia appellantur; alia cum etiam in amicis reperiantur, nec sint caritati contraria, venialia vere dicuntur & sunt: de venialibus dubium nullum est, per sacrificium altaris, ex opere operato & immediate dimitti. Nec enim minoris virtutis est, incruenta Corporis & Sanguinis Christi oblatio, quam oratio Dominica, aqua benedicta, aut similia religionis opera, per quæ peccata hujusmodi proxime & immediate remitti, scholarum omnium totiusque Ecclesiæ consensio est.

Quod autem ad mortalia pertinet, verissime in argumento supponitur, immediate per sacrificium Eucharisticum non remitti; alioquin enim dicendum foret, frustra Sacramentum pœnitentiæ institutum: Sacerdotes enim sine cognitione causæ, & sine prævia confessione peccantium, culpas universas, oblato videlicet sacrificio, solverent. Quod sane si possent, disciplina pœnitentiæ tota rueret, nec jam causam Ecclesia ullam haberet, pœnitentiæ & confessionis præceptum urgendi. Quis enim adeo esset inconsideratus, tamque parum sui amans, ut non magis eligeret peccata gravissima, promptissimo juxtaque facillimo sacrificii remedio, quam diuturnis & difficillimis pœnitentiæ laboribus expiare?

Quæ tanta ergo, inquies, vis sacrificio inest, ad peccata mortalia expianda? magnam nimirum, ut prædiximus, etiamque ex opere operato habet; remotam tamen & mediatam, quæ videlicet in actum, nisi per Sacramentum pœnitentiæ, vel in re vel in voto susceptum, fuerit determinata & applicata, numquam erumpet: & sane cum incruentum altaris sacrificium, sacrificii cruenti Christi continuatio sit, ab eoque virtutem omnem derivet, non aliter propitiatorium debet existimari, quam mysterium ipsum crucis fuerit; atqui sacrificium cruentum Christi, licet ex opere operato vim redimendi, & peccata omnia expiandi habuerit, & etiam num habeat; manet tamen sine effectu, omnique fructu vacuum, nisi per Sacramenta, quibus veluti canalibus gratiæ fons derivatur, virtus ejus hominibus applicetur. Idem ergo multoque magis de sacrificio Eucharistico est dicendum: eaque *Concilii Trid.* in verbis non semel citatis expressa doctrina est: *docet S. Synodus*, inquit, (*vide Bona rer. Liturg. lib.* 1, *c.* 12) *sacrificium istud vere propitiatorium esse, per ipsumque fieri, ut, si cum vero corde & recta fide,*

cum metu & reverentia, contriti ac pœnitentes ad Deum accedamus, misericordiam consequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno: hujus quippe oblatione placatus Dominus, gratiam & donum pœnitentiæ concedens, crimina & peccata, etiam ingentia, dimittit. Hoc posito?

1. Facile erit, pleraque Patrum testimonia explicare, quibus affirmant peccata omnia per sacrificium Eucharisticum deleri & expiari. Cum enim iidem Sancti Doctores necessitatem Sacramenti pœnitentiæ ad obtinendam reconciliationem, juxta fidem Catholicam vindicaverint; proclive est judicare, eos Eucharistico sacrificio non nisi mediatam & remotam virtutem ad peccata abolenda, quæ nimirum egeat applicatione Sacramentorum, tribuere.

2. Intelliget, quisquis attendet, sacrificium Eucharisticum, etsi peccata deleat ex opere operato; Sacramentum tamen in se, quatenus distinguitur a sumptione, non esse: non enim ideo præcise est res aliqua novæ legis Sacramentum, quia gratiam ex opere operato & peccatorum remissionem producit; sed quia ex opere operato, proxime, & immediate confert. Sequitur

QUÆSTIO OCTAVA.

De variis missarum generibus.

Missæ nomen, si pro incruenta Corporis & Sanguinis Christi oblatione accipiatur, nec generis, nec speciei multiplicationem admittit; quia sacrificium novæ legis unum est, in una numero hostia consecratum, prisca Sanctorum, eademque varia & multiplicia sacrificia singularitate sua adimplens; itaque vel ex veritate rituum, qui possunt in celebratione sacrificii adhiberi; vel ex multiplici ejusdem offerendi occasione & causa; vel ex majore aut minore solemnitate, vel denique ex impropria vocis *Missa* & æquivoca significatione a Scriptoribus Ecclesiasticis introducta, missarum petenda diversitas est.

De Ritibus Liturgicis, quam varii olim in Oriente & Occidente fuerint, hodieque sint, nihil attinet dicere in præsenti; hujus enim difficultatis explicandæ proprius erit in quæstione ultima locus, ubi Liturgiarum antiquitas & auctoritas vindicabitur. Restat ergo ut cætera breviter percurramus, unde missarum nata est multiplicitas. Sit itaque

§. PRIMUS.

Missarum multiplex genus ex diversis offerendi sacrificii causis occasionibusque adstruitur.

Causa Eucharistici sacrificii offerendi generalis & præcipua, una eademque ubique est, quacumque die, quocumque loco sacra Liturgia fiat. Semper enim & ubique intendit Ecclesia, per incruentam Corporis & Sanguinis Christi oblationem supremum Dei dominium recognoscere, grates ei pro acceptis beneficiis exhibere; nova in dies impetrare, eumque peccatis propitium reddere: hæc, inquam, generalis Ecclesiæ & necessaria intentio est, habens in ipsa natura sacrificii fundamentum, quæ nec perversitate ministrantium, nec intentionis limitatione potest ullatenus defraudari: quoniam vero sæpe recurrentes Mysteriorum & Sanctorum solemnitates, & vivorum atque mortuorum peculiares necessitates, sacrificandi officium postulant: hinc orta missarum distinctio multiplex: quædam enim *de tempore*, quædam *de Sanctis*, aliæ *feriales*, aliæ *votivæ*, pro *vivis* illæ, pro *defunctis* istæ sunt appellatæ.

Quoniam vero distinctionem hanc risu excipere solent hæretici, (neque mirum cum ipsum sacrificium inveterata malitia & cœca improbitate subsannent;) nostrum est, ab eorum dicteriis consuetudinem Ecclesiæ, dudumque probatas ab illa voces, auctoritate & ratione defendere.

Et 1 quidem quæro, quid tandem in hac appellationum diversitate, dignum reprehensione reperiant homines, suo judicio multum sapientes, nostro certe stultissimi? Recolitur hodie memoria Dominicæ Resurrectionis, Nativitatis, Epiphaniæ &c. recurrit Sancti cujusdam martyris, aut Confessoris solemnitas: defuncti cujuspiam vel exequiæ fiunt, vel die obitus anniversaria memoratur; instat publica aut privata mali cujusdam deprecandi necessitas: nec licebit mihi, immo nec fas erit Ecclesiæ, sacrificium hodiernum, missam *resurrectionis* &c. Missam de *S. Martyre aut Confessore*, missam pro *defuncto*, missam *votivam* appellare?

At, inquis, tantam nominum specierumque diversitatem, indivisibilis & singularis sacrificii natura non patitur: at, quisquis tandem es, qui ita morosum te præbes, nodum in scirpo quæris, & rem intellectu facillimam mala obstinatione confundis. Sacrificium unum est, hocque contra te qui præfracte negas sacrificii veritatem, cum Ecclesia Catholica fide simplici, & cum anathematis denuntiatione con-

contendo; sed etsi sacrificium unum est, una ubique terrarum oblatio munda; non una tamen hujus faciendæ causa & occasio proxima est: quemadmodum itaque in lege Mosaica, alia erant sacrificia pro peccato, alia pacifica, alia holocausta, alia solemnitatum, (*v. Levit. c.* 23) alia pro votis implendis, (*v. in Lev. passim*) alia denique pro peccatis mortuorum: (2 *Machab.* 12, 23) quid mirum si sacrificium novæ legis per hæc tam multa figuratum & commendatum, diversa hæc nomina pro diversis occasionibus sortiatur, maxime cum unum idemque manens vere hæc omnia præstet, quorum figuræ antiqua sacrificia fuerant?

Quid vero opus est ratione cum heterodoxis contendere, cum missarum diversitatem antiqua consuetudo Ecclesiæ approbet, contra quam Lutheri ejusque similium nova machinatio nihil potest? Nam

1. Diversis mysteriorum solemnitatibus propria missarum officia, vel ab Apostolis, vel ab eorum proximis successoribus assignata, antiqua traditio est, Patrum veterum, & librorum ritualium testimonio roborata: etsi enim eadem semper oblatio esset, non eadem tamen erat lectio Scripturarum, nec eædem ubique preces, nec idem sacrorum rituum apparatus. Ideo autem quæ missæ *de tempore* dictæ sunt, tum quia diversis annis temporibus, mysteriorum recurrentes solemnitates respondent; tum quia annus Ecclesiasticus cum diversis anni solaris temporibus habet quandam analogiam & proportionem: *tempus enim hyemis & deviationis*, inquit Gulielmus Durandus, (*Rational. lib.* 6, *cap.* 1) *in quo mors regnavit, repræsentat Ecclesia a septuagesima usque ad Pascha, recolens casum & pœnam primorum parentum, propter eorum culpam .... tempus veris & renovationis repræsentat in adventu Domini, per quem omnia renovata sunt, usque ad Natale .... tempus æstatis & reconciliationis repræsentat ab octava Paschæ usque ad octavam Pentecostes, quia per Paschalem agnum reconciliamur Deo ... tempus denique autumni & peregrinationis repræsentat ab octavis Pentecostes usque ad adventum Domini; quia nobis reconciliatis non restat, nisi ut nos peregrinos reputemus, cum Psalmista dicente*: (*Ps.* 38, 33) advena ego sum & peregrinus: sicut omnes Patres mei. Cum itaque nobis tempora, præcipuorum Christi mysteriorum anniversaria commemoratione ac celebritate decurrant; nihil incongruum est, ut quæ unoquoque Paschatis, Pentecostes, Natalis, Epiphaniæ, &c. die missæ præscribuntur, *de tempore* appellentur, parique ratione *feriales* dicantur, quæ per quadragesimam, certasque per annum ferias sunt notatæ: qua de re consuli præter cæteros possunt doctissimus *Cardinalis Bona*, (*Rer. Liturg. lib.* 1, *cap.* 15) & *Gulielmus Durandus* in rationali divinorum officiorum.

2. Missarum *de Sanctis* apertissima, ut prædiximus, in Scriptoribus priscæ ætatis mentio est: *populus Christianus*, inquit S. Aug. (*lib.* 20 *cont. Faustum*) *memorias martyrum religiosa solemnitate concelebrat, & ad excitandam imitationem, & ut meritis eorum consocietur, atque orationibus adjuvetur. ita tamen ut nulli martyrum, sed ipsi Deo martyrum sacrificemus, quamvis in memorias martyrum constituamus altaria. Quis enim antistitum in locis Sanctorum corporum assistens altari, aliquando dixit: offerimus tibi Petre, aut Paule, aut Cypriane? sed quod offertur, offertur Deo, qui martyres coronavit, apud memorias eorum quos coronavit*: idemque longe ante *Tertullianus, & Cyprianus* attestati fuerant: ille quidem in libro *de Cor. militis* c. 3 ita loquens: *oblationes pro natalitiis annua die facimus*: iste vero in ante citatis Ep. (*quæst.* 7, *cap.* 1, §. 6). Hoc ipsum confirmant pene innumerabilia quæ in historicis monumentis occurrunt exempla Synaxeon quæ in honorem martyrum die anniversaria magno populi fidelis concursu, magnaque celebritate fiebant.

Objectio.

Unus hic (nec enim dissimulabimus) opponi scrupulus potest, quod videlicet prodigiose numerus missarum in honorem SS. excreverit. Antiquitus enim ut ex *S. Aug. & Cypriano* modo cit. constat, solis martyribus hic honor deferebatur, ut eorum passio anniversaria die inter sacrificii ipsius solemnia, quam magna fieri poterat pompa celebraretur. Quod vero in hujus honoris consortium admissi fuerint Confessores, Monachi, Virgines, & alii quos sanctitatis opinio commendabat, serius hoc, adulta Ecclesiæ ætate est institutum: tantumque postmodum prava consuetudo invaluit, ut jam omnia pene tempora Sanctorum celebritas occupet, & recolendis Christi mysteriis pars anni minima sit relicta. Quod quid aliud fuit, quam vero Dei cultu neglecto, superstitionem inducere?

℟. Concedo, id quod res est, primis temporibus, non aliorum quam SS. Martyrum solemnitates in Ecclesia celebratas: cujus rei causa potest, præter cæteras, duplex afferri. Prima, quia tum temporis sæviente ubique rabie dæmonum & nascentem Ecclesiam Tyrannis per omnes mundi partes vexantibus, idem pene erat, Christi discipulum, quod martyrii candidatum se profiteri; vixque alia ad sanctitatem, præter sanguinis effusionem, & passio-

siones pro Christi nomine toleratas via patebat; itaque de solis martyribus fiebat beata illa ætate, in sacrificio Christi memoria, quia præter martyres, nullos pene quos honoraret Ecclesia Sanctos habebat. Secunda, quod in missæ sacrificio, per quod repræsentatur passio Christi, nullorum rectius fieri posse memoria putaretur, quam martyrum, qui sanguinem pro Christo fundendo, facti sunt veri passionis ejus imitatores.

Sed nego, primo, ita ut in argumento jactatur, Sanctorum Confessorum cultum esse recentem. S. enim Martinus Episcopus & Confessor, magna statim post obitum, (obiit vero juxta *Baronii* calculum anno 402.) cœpit per universum Occidentem populorum devotione honorari, in ejusdem solemnitate specialis Deo missa dicata est. Cujus rei fidem certam facit vetustissimum *Mozarabicum* Missale, de S. Martino propriam missam habens, in qua hæc verba leguntur: *hunc virum quem ætatis nostræ tempora protulerunt, jubeas auxilium nostris ferre temporibus*: quod autem majores nostri non martyres solum, sed & Sanctos Confessores cultu publico dignos censerent, ex hac ipsa missa fit manifestum, in cujus præfatione, hoc B Martini habetur elogium: (*vide Bona rer. Liturg. lib.* 1, *c.* 12) *dignum & justum est, nos tibi gratias agere, Domine Sancte, Pater æterne, omnipotens Deus, in depositione anniversariæ commemorationis S. Martini Episcopi & Confessoris tui. Quem pro pietate tua, servitute sua, tam beatum labore, quam munere, inter Sanctorum omnium florentissimas legiones, ac felicissimos martyrum Choros, & illustres eminentium seniorum Cathedras dextri ordinis, locum tenere confidimus .... quid enim minus est, crucem ferre per tempora, quam mortem subire per vulnera? quid inferius est, mundum vincere, quam gladium non timere? cum plus luctaminis habeat diuturnitas crucifixi, quam celeritas interempti. Quid supereminet affectus martyrii consummatus, quam diutius custoditus? .... pugnam sustinere sine defectu, an coronam rapere sine metu? propositum non mutare sub spatio, an implere desiderium sub momento? ...... percussor deest fidei, non confessor: voluit triumphare dum militat, qui militare non destitit dum consummat*, &c. nec vero B. Martini tantum, sed & aliorum Confessorum antiquitus legimus memoriam in sacra Liturgia solemniter celebratam: *Frontonis* enim Calendarium, ab annis circiter mille de scriptum præter *Martinum* Turonensem SS. Pontifices *Sylvestrum*, *Leonem*, & *Gregorium* M. peculiariter & cum magna laude appellat pro merito; itaque falso Hæretici dicunt missas in honorem confessorum ævi esse recentioris: dumque Latinam Ecclesiam, eidemque consentientem Orientalem redarguunt, quid aliud nisi supinam ignorantiam livori malo conjunctam produnt?

Secundo quod ajunt, hanc missarum in honorem Sanctorum augmentationem fieri sine mysteriorum Christi detrimento non potuisse, tantumque de cultu Dei esse detractum, quantum Sanctis ejus honoris accrevit; hoc quia ex antedictis est refutatum, nova reprehensione non eget. Sacrificium enim non sanctis, sed Deo Sanctorum offertur, idque inter sacratissima Religionis mysteria, quæ diebus singulis in incruentæ victimæ oblatione memorantur. Numquid enim vero superstitio est, Deum in Sanctis suis gloriosum & magnificum prædicare? numquid Moyses superstitionis peccatum incurrit, quando pro rebelli populo intercedens, Patrum memoriam interposuit, *recordare*, inquiens, (*Exod.* 32, 15) *Abraham, Isaac, & Israel, servorum tuorum, quibus jurasti per semetipsum?* quod si vere dici posset, Deo ipso judice superstitio probaretur: ait enim ib. Scriptor Sacer: (*Ib. v.* 14) *placatusque est Dominus, ne faceret malum quod locutus fuerat adversus populum suum*: numquid accusandus Azarias in veteri Testamento sic orans: (*Dan.* 3, 34, *& seq.*) *ne quæsumus ..... auferas misericordiam tuam a nobis, propter Abraham dilectum tuum, & Isaac servum tuum, & Israel sanctum tuum* &c. numquid hoc est divini cultus sanctitatem violare, quod est offerre sacrificium in unitate & communione Sanctorum de quibus Apostolus dicit: (*Exod.* 2, 19, *& seqq.*) *estis cives Sanctorum & domestici Dei, superædificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu: in quo omnis ædificatio constructa crescit in templum Sanctum in Domino: in quo & vos coædificamini in habitaculum Dei in Spiritu?* hoc enim nullibi magis quam in sacrificio altaris impletur, ubi Ecclesia militans ad offerendam laudis hostiam, cum Ecclesia triumphante vota conjungit, & utraque simul pro Ecclesia patiente Deum misericordiarum precatur, vere ut dictum ab eodem Apostolo fuerit: (1 *Cor.* 10, 17) *unus panis, unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus.*

3. Quia Eucharisticum sacrificium generale est, ad omnes, ut sæpe dictum est, causas personasque pertingens; hinc ab initio Ecclesia intellexit, non pro publicis tantum & communibus, sed & pro privatis cujusvis necessitatibus posse missas fieri, quas *votivas* ideo libuit appellare, quod vel ex voto ministrantium, vel ad eorum pro quibus offerebantur, po-

postulationem consecrarentur: neque mirum quod harum missarum numerus multum creverit, cum innumerabilibus pene miseriis, ac necessitatibus, tum spiritualibus tum corporalibus humanam fragilemque naturam premi, quotidiano probemus experimento: hinc in antiquissimis missalibus libris hos titulos legimus: *missa pro salute fidelium vivorum*: *pro iter agentibus*: *in tribulatione*: *in Natali Presbyteri*: *tempore mortalitatis*: *pro mortalitate animalium*: *pro sterilitate mulierum*: *in benedictione viduæ quæ castitatem professa sit*: *in consecratione virginis*: *tempore belli*: *pro Regibus*: *contra judices male agentes*: *contra obloquentes*: *pro irreligiosis, ut convertantur*: *pro reddita sanitate*: *pro incolumitate familiæ*: *pro monachis*, &c. tædiosum enim fuerit omnes describere, quos Latini Græcique Scriptores collegerunt: poteram ego quidem ad vindicandam missæ votivæ antiquitatem plurima ex historiæ scriniis exempla proferre. Unum ex S. Aug. afferre sufficiat: *vir tribunitius Hesperius*, inquit, (*de Civit. Dei lib.* 22, *c.* 8) *qui apud nos est, habet in territorio Fussalensi fundum Cubedi appellatum: ubi cum afflictione animalium & servorum suorum, domum suam spirituum malignorum vim noxiam perpeti comperisset, rogavit nostros, me absente, Presbyteros, ut aliquis eorum illo pergeret, cujus orationibus cederent. Perrexit unus, obtulit ibi sacrificium Corporis Christi, orans quantum potuit, ut cessaret illa vexatio: Deo protinus miserante cessavit.*

Quod si quis *missas votivas* ideo resecandas existimet, quia plerumque non pro spiritualibus, sed pro bonis temporalibus obtinendis offeruntur; næ ille se veræ religionis ignarum ostendet, quæ non pro illis tantum, sed & pro istis etsi minus præcipue, orandum docet, ad exemplum Christi qui inter petitiones orationis quam discipulis tradidit, etiam istam posuit: *panem nostrum quotidianum da nobis hodie*: quique se non pro malis animi tantum, sed & pro corporalibus avertendis orari permisit: non enim peccatores solum supremus medicus ad frugem meliorem revocavit, sed & cœcos, & claudos, & paralyticos, & febricitantes sanavit, suamque tam in temporalibus, quam in spiritualibus gratiis largiendis, ut ex Evangelio notissimum est, potestatem exercuit. Hinc Ecclesia divina institutione formata, statim ab initio, bona quidem spiritualia principaliter, sed etiam temporalia, licet secundario, in sacrificio postulavit: qua de re supra attulimus eximium *Tertulliani* in Apolog. testimonium: (*supra quæst.* 7, *cap.* 1, §. 2) *Tertulliano* concinunt alii priscæ ætatis Scriptores: *nostra scripta*, inquiebat Arnobius (*lib.* 4 *cont. gent.*) *cur ignibus meruerunt dari? cur immaniter conventicula dirui, in quibus summus oratur Deus, pax cunctis & venia postulatur, Magistratibus, exercitibus, Regibus, familiaribus, inimicis, adhuc vitam degentibus, & resolutis corporum vinctione?* ... & Origenes: (*contra Celsum lib.* 8) *laboramus pro imperio Romano, dum juste viventes, vota pro eo facimus*: nec minus expresse Dionysius Alexand. (*apud Euseb. lib.* 7 *hist. c.* 11) *nos*, inquit, *unum Deum rerum omnium opificem, qui Valeriano & Gallieno sacratissimis Augustis imperium tradidit, colimus & adoramus: huic continuas preces offerimus pro imperio illorum, ut stabile & inconcussum permaneat.* Ergo pro bonis vitæ præsentis vota facere, antiquum in Ecclesia est: idque perspicue agnoscet, quisquis præter testimonia allegata, Patrum scripta, & Liturgias disciplinæ testes evolvet.

At, inquis, plerique in Ecclesia sunt, qui de æterna salute aut nihil aut parum solliciti, more Judæorum, pro solis commoditatibus & bonis vitæ præsentis, vota emittunt, missasque celebrari postulant: contra Salvatoris præscriptum: (*Matt.* 6, 33) *quærite primum regnum Dei & justitiam ejus: & hæc omnia adjicientur vobis.* Ne ergo simus Gentilibus similes, *qui ea*, ut ait ibidem Christus, *inquirunt*, satius fuerit missas votivas penitus resecare.

℟. Esto ant. & n. conseq. Numquid enim ideo quia rei bonæ malus plerumque est usus, res ipsa bona tollenda est? atqui bonum est, etiam res temporales, moderate & cum fiducia postulare ab eo, quem scimus esse bonorum omnium largitorem: non enim ait Christus: *quærite solum*, sed *quærite primum Regnum Dei*; itaque Deo ipsi injuriam faciunt, qui negant missas pro impetrandis vitæ præsentis facultatibus, & malis avertendis legitime fieri. Quos autem opponunt & exaggerant heterodoxi abusus, bene novit, & quantum potest corrigit S. mater Ecclesia, quæ sicut eodem semper spiritu regitur, sic eamdem semper fidei & disciplinę regulam tenet: *cum igitur*, inquiunt Patres Trid. (*Sess.* 22, *in decr. de observandis & evitandis in celebr. Missæ*) *multa jam sive temporum vitio, sive hominum incuria & improbitate irrepsisse videantur, quæ a tanti sacrificii dignitate aliena sunt; ut ei debitus honor & cultus, ad Dei gloriam, & fidelis populi ædificationem restituatur, decernit S. Synodus; ut ordinarii locorum Episcopi ea omnia prohibere, atque e medio tollere sedulo curent ac teneantur, quæ vel avaritia, idolorum servitus, vel irreverentia ... vel superstitio, veræ pietatis falsa*

falsa imitatrix, *induxit* ... *hæc igitur omnia quæ summatim enumerata sunt*, *omnibus locorum ordinariis ita proponuntur*: *ut non solum ea ipsa*, *sed quæcumque alia huc pertinere visa fuerint*, *ipsi pro data sibi a Sacrosancta Synodo potestate*, *ac etiam ut delegatis sedis Apostolicæ*, *prohibeant*, *mandent*, *corrigant*, *statuant*, *&c.*

4. De missis votivis, quas *vivorum & mortuorum* appellant, quoniam superius dictum est, (*quæst.* 7, *cap.* 1) tractare iterum superfluum fuerit: tantum hic notandum, non ideo aliquas *vivorum* esse dictas, quasi ab earum oblatione *mortui* excludantur, & vice versa; omnes enim & vivos & defunctos sacrificium ubivis celebretur, complectitur, ut constat ex Canone: sed quia in illis, vivorum aut mortuorum peculiaris memoria fit. Sequitur

§. SECUNDUS.

Major, *minorve sacrificii offerendi solemnitas Missarum diversitatem induxit.*

Diversitatem, inquam, accidentalem: ut enim ante diximus, magisque constabit ex iis quæ quæstione sequenti dicturi sumus, ad sacrificii essentiam nihil interest, sive publice & cum magna ministrantium, adstantiumque solemnitate; sive privatim & nemine, aut certe paucis præter Sacerdotem præsentibus immoletur.

Equidem negare non possumus, ideo principaliter institutum, ut palam & publice, multisque hostiæ sacræ communicantibus fieret. Hoc enim priscæ ætatis disciplina, & Patrum testimonia, ipsæque Liturgiæ preces invincibiliter adstruunt. At, hæc conditio non necessaria sacrificii, minime vero essentia est. Nam etiam ab initio temporum missarum privatim, & fere sine arbitris celebratarum exempla occurrunt: eoque occurrunt succedente ætate frequentius, quod, hinc quidem fidelium tepescente fervore, eorum illinc numerus prodigiose adauctus sit, multoque plures quam primitus facti fuerint Sacerdotes. Inde enim secutum est, ut missæ non possent pari ubique & semper solemnitate celebrari.

Itaque dudum recepta est missarum, in publicam, solemnem, privatam, & solitariam distinctio: quæ voces quatenus notione ac sensu differant, paucis aperio.

1. *Publicam* dixerunt, non quæ in loco patenti & publico fieret (sæviente enim persecutione etiam in abditissimis recessibus, & subterraneis cæmeteriis sæpe habitam synaxim, ex historia Ecclesiastica certum est:) sed ad quam plebs adunata pastoribus conveniret, quæque populi offerentis & communicantis frequentia splendidior redderetur: præclarissimum hujus missæ specimen repræsentat *Justinus Martyr*, in Apologia secunda pro Christianis sæpe laudata; ubi postquam præmisit, ætate sua, die Dominico ad fundendas communes preces, populum universum cum Presbyteris & ministris solitum convenire: *finitis vero precibus*, inquit, *mutuis nos invicem osculis salutamus. Deinde ei qui Fratribus præest, offertur panis*, *& poculum aquæ & vini*: *quibus ille acceptis*, *laudem & gloriam rerum universarum Patri*, *per nomen Filii & Sp. Sancti offert*, *& Eucharistiam sive gratiarum actionem*, *pro eo quod nos donis suis dignatus sit*, *prolixe exequitur*; *atque ubi ille preces & gratiarum actiones absolvit*, *populus qui adest omnis*, *fausta approbatione acclamat dicens*: Amen, *amen autem voce Hebræa*, fiat, *significat*: *præsidens vero postquam gratiarum actionem perfecit*, *& populus universus apprecatione læta eam comprobavit*, *qui apud nos vocantur Diaconi atque ministri*, *distribuunt unicuique præsentium*, *ut participet eum quo gratiæ actæ sunt*, *panem*, *vinum*, *& aquam*, *& ad absentes perferunt*: ita Justinus. Unde constat, a sæculo viguisse morem ab Apostolis institutum, & a primis fidelibus observatum, de quibus dicitur, (*Act.* 4, 2) *quod erant perseverantes in doctrina Apostolorum*, *& communicatione fractionis panis*, *& orationibus*.

2. Missam solemnem appellant, quæ licet sine populi conventu fiat, magno tamen cantus & cæremoniarum splendore, ministris assistentibus, & inferiorum Sacerdotio ordinum munia exercentibus, celebrari consuevit: eamdemque *Conventualem*, *Canonicam*, *capitularem*, *majorem*, *& præcipuam*, nominibus unum idemque significantibus vocare solent. Unde patet quod licet quæ publica missa est, eadem sit & solemnis, non tamen vice versa, missa quælibet solemnis est publica. Nam decantare solemnes missas, in usu antiquitus Monachi habuerunt, & habent etiamnum ii ipsi qui in locis ab omni hominum commercio dissitis solitariam vitam colunt: iisdem tamen missas publicas agere, sum. Pontificum & conciliorum decretis vetitum est. Ita *S. Gregorius M.* in Ep. ad Castorium Ariminensem Episcopum data, (*lib.* 4, *Epist.* 43) missas publicas fieri in Monasterio prohibet, *ne*, inquit, *in servorum Dei secessibus occasio præbeatur popularibus conventibus*, *& simpliciores ex hoc animas plerumque*, *quod absit*, *in scandalum trahat*. Idemque sequentibus Ep. sæpe confirmat: (*v. lib.* 5, *Ep.* 46, *lib.* 7, *indict.* 1, *Ep.* 6, *& indict.* 2, *Ep.* 72, *lib.* 8, *Ep.* 3) *Gregorii* vesti-

vestigiis insistens *Innocentius III* directe prohibet ne diœcesanus Episcopus in Monasterio *Carraffensi* cujus privilegia confirmat, (*lib.* 2 *Regesti* 14, *Ep.* 18) missas publicas celebret. Ergo missæ *solemnis*, *a publica* discrimen aliquod est agnoscendum: eidem distinctioni adstipulatur *Concilii Lateran.* sub *Callixto II*, an. 1122 celebrati Canon his verbis conceptus: *interdicimus Abbatibus & Monachis pœnitentias dare, & infirmos visitare, & unctiones facere, & missas publicas cantare*.

3. Missæ privatæ dicuntur, quæ nec publicæ sunt nec solemnes, quæ videlicet privatim sine cantu, uno tantum sive clerico, sive laico ad ministrandum assistente, seu in Ecclesia, seu in Domestico ac peculiari oratorio, fiunt: earum quoniam a pluribus sæculis usus frequentissimus esse cœpit, ideo quotidianæ vocatæ sunt. Validas autem & legitimas esse quæstione seq. contra *Lutherum*, aliosque sectarios ostendetur.

4. Demum missas solitarias appellarunt, quas nemine, ne ad ministrandum quidem præsente facere aliquando in usu fuit: harum originem & antiquitatem, & diversa de iis Scriptorum Ecclesiasticorum judicia, supra notavimus (*v. quæst.* 6, *c.* 2, §. 2) neque quid novi dicamus occurrit. Sit itaque

§. TERTIUS.

De missis æquivoce dictis.

Quas paragraphis præcedentibus recensuimus missarum diversas species, unius naturæ sunt, & univocæ, ut cum schola loquamur, conveniunt, quia novæ legis sacrificii essentiam plene & ex integro habent, nec aliter nisi penes accidentia differunt. Est enim missa consentientibus Theologis, divinum officium, a Christo, pridie quam moreretur, sancitum, a Patribus, diversis ritibus auctum & ornatum, & ab Ecclesia fieri solitum, in quo S. Eucharistiæ consecratio, oblatio, & consumptio fit; atqui in Missis prædictis hæc omnia ritu legitimo fiunt, omnemque quam inter se differentiam habent, mere accidentaliter habent. Ergo &c.

Restat ut de aliis dicamus, quas a *dimittendo*, missas dixerunt, quæque licet cum cæteris commune nomen sortitæ sint; recedunt tamen a notione veri sacrificii quam longissime; in hoc numero ponimus, 1 *Missam* Catechumenorum: 2 *Missam* præsanctificatorum: 3 *Missas*, quas siccas, seu nauticas appellarunt: 4 plurium Epistolarum, Evangeliorum, memoriarum, &c. in unum collatam & consarcinatam congeriem, quorumdam Sacerdotum avaritia introductam, qua fiebat, ut uno oblato sacrificio, plures celebrasse missas videri vellent, & pro memoriarum rituumque sacrum Canonem præcedentium numero, plures eleemosynas, abusu intolerabili, e fidelibus extorquerent.

1. Prisca Ecclesiæ ætate, quando ingens ubique erat adultorum baptisma petentium numerus, Catechumeni antequam sacro fonte expiarentur, non privatim tantum divinam legem edocebantur, sed & ad publicos fidelium conventus admittebantur, ut Episcoporum sermonibus, Scripturarum expositionibus, & precibus sacrificio præviis interessent. Quibus persolutis, jamque instante sacrificii tempore, Diacono alta voce intonante: *Recedant Catechumeni*, a templo dimittebantur, quod quamobrem fieret, alibi sæpe est dictum: hinc *Missa catechumenorum* nomen habuit: poterat pariter, pœnitentium, energumenorum, Gentilium, Judæorum, Hæreticorum Missa vocari: ii namque omnes una cum catechumenis ad publicas catecheses admittebantur. Hinc in Concilio Cartag. 4, can. 84, constitutum legimus, *ut Episcopus nullum prohibeat ingredi Ecclesiam, & audire verbum Dei, sive Gentilem, sive Hæreticum, sive Judæum, usque ad Missam catechumenorum*.

2. Græci & orientales, accepta a majoribus disciplina, per solemnes quadragesimalis jejunii dies, Dominica tantum & Sabbato sacrificium offerunt, diebus reliquis sola Communione contenti: sic enim in *Laodiceno Concilio* can. 49 sancitum: *Non oportere in quadragesima panem offerre, nisi Sabbato, & Dominicis tantum*; itaque die Dominica sex consecrant panes, unum quidem die ipsa, quinque vero reliquos, sequentibus totidem feriis, usque ad Sabbatum, consumendos: mox diebus singulis sub tempus vespertinum conveniunt in Ecclesiam, ibidemque Psalmis gradualibus & reliquis precibus absolutis, divinæ Eucharistiæ antea consecratæ, & mystica benedictione sanctificatæ participes fiunt: unde hoc officium, *Missam præsanctificatorum*, sive, *ante consecratorum* appellant: qua de re *Concilium Trullanum* vetus edictum confirmans: *in omnibus*, inquit, (*can.* 52) *Sanctæ quadragesimæ jejunii diebus, præter quam Sabbato & Dominica, & Sancto annuntiationis die, fiat sacrum præsanctificatorum ministerium*. De diversis porro hujus officii ritibus consuli possunt *Leo Allatius*, in dissertatione ad *Bartoldum Nibusium*: (*in fine operis de consensu utriusque Eccl.*) & *Jacobus Goarius* in Euchologio (*Pag.* 187, & *seq.*).

Simile quid in die *Parasceves* Latini ex veteri instituto observant: hac enim die Sacerdos ho-

hostiam pridie consecratam, in publico fidelium consessu consumit, sicque sine sacrificio Missa fit: cur autem in Parasceve sacrificium non celebretur, causam affert convenientem S. Thomas: „ Veniente veritate, *inquit*, (3 *p.* „ *q.* 83, *art.* 2, *ad* 2) cessat figura: hoc autem Sacramentum est figura quædam & exemplum Dominicæ passionis; & ideo in die quo passio ipsa Domini recolitur, prout realiter gesta est, non celebratur consecratio hujus Sacramenti: " parique sensu Hugo a S. Vict. *hodie*, inquit, (2 *Codice Miscellan. lib.* 5) *non sacrificamus . . . non sacrificant amici, dum trucidant inimici.*

3. Missa sicca nomine ipso ostendit, quantum sit a ratione veri sacrificii aliena: in illa namque nec panis nec vini oblatio & consecratio est, sine qua Evangelicum sacrificium esse nequit: unde sicca est appellata, nihilque præter orationes communes ab officio Missæ excerptas, quasque ipsi laici fundere possunt, importat: de illa *Gulielmus Durandus* in *rationali* sic loquitur: „ Missa sicca „ dicitur, *inquit*, (*Ratio. lib.* 4, *c.* 1, *num.* 23) „ quoniam si Sacerdos non potest conficere, „ quia forte jam celebravit, vel ob aliam causam, potest accepta stola Epistolam & Evangelium legere, & dicere orationem Dominicam, & dare benedictionem: quin imo si ex devotione, non ex superstitione velit totum officium Missæ, sine sacrificio dicere accipiat omnes vestes Sacerdotales, & Missam suo ordine celebret, usque ad finem offerendæ, dimittens secreta, quæ ad sacrificium pertinent: præfationem vero dicere potest, licet in eadem videantur Angeli invocari ad consecrationem Corporis & Sanguinis Christi: de canone vero nihil dicat, sed orationem Dominicam non prætermittat: quæ ibi sequuntur sub silentio dicenda, non dicat: calicem vel hostiam non habeat: nec de his quæ super calicem seu Eucharistiam dicuntur vel fiunt, aliquid dicat vel faciat: potest etiam dicere: *Pax Domini sit semper vobiscum &c.* & exinde officium suo ordine peragat: melius est tamen alia omittere. "

Ita *Durandus* desinentis sæculi 13 scriptor, unde palam est, larvatam hanc & umbratilem Missam, ea ætate usu communi receptam: sed & ejusdem meminit, centum pene annis antiquior *Petrus Cantor*: (*in verbo abbreviato, c.* 29) quin & ab antiquissimis ipsis temporibus haud incongrue ejus origo peti potest, quando scilicet in pastorum absentia, & Sacerdotibus ubique ad necem quæsitis, fideles, ut poterant, aut privatis in domibus, aut in conventibus publicis, ac qualecumque fidei & pietatis exercitium, divina mysteria imitabantur ac recolebant: quo sensu alibi diximus, (*lib.* 1, *de Sacr. in Gen. q.* 5, *c.* 1) intelligi & explicari posse *Tertullianum*, libro de Exhor. castitatis c. 7 sic loquentem: *Ubi Ecclesiastici ordinis non est consessus, & offers, & tingis, & Sacerdos es tibi solus: sed ubi tres, Ecclesia est, licet Laici.*

De hac porro Missa scriptorum Ecclesiasticorum diversa fuere judicia: quibusdam vehementer displicuit, aliis e contrario, modo superstitio abesset, probata est: & vero, quantum in ipsa est, omni superstitionis suspicione carere probat, tum sanctitas precum quæ in ejus celebratione fundebantur, tum exemplum Sanctorum qui eam in casu saltem necessitatis fieri sæpe procurarunt: sic enim de Religiosissimo Francorum Rege *Sancto Ludovico*, narrat *Gulielmus de Nangiaco*, (*in lib. gestorum S. Ludovici*) quod cum e Transmarinis partibus in Galliam remearet, Corpus Christi in navi decentissime collocari, ibidemque divina officia, & Missam excepto canone quotidie celebrari fecerit; eam sane communem hac ætate fuisse, probat tum *Gulielmi Durandi* paulo ante citata auctoritas, tum aliud ei *Navalis* sive *Nauticæ* inditum nomen, *quia*, inquit Joannes Stephanus Durandus, (*de Ritib. Eccl. Cath. lib.* 2, *c.* 4) *in mari & fluminibus celebrari solet, quibus in locis propter motum & agitationem fluctuum, Missæ sacrificium celebrandum est*: quin addit ibidem, Missam hanc *Tolosæ* dum post prandium defuncti sepulturæ mandabantur, suo tempore fieri solitam: idemque in lib. de *Apostolica Liturgia*, Genebrardus attestatur, affirmans capite trigesimo, se *Taurini* anno 1587. in exsequiis viri cujusdam nobilis, qui vespere sepeliebatur, Missæ hujusmodi, solemniter, cum Diacono & Subdiacono decantatæ interfuisse: illam ergo putabant Episcopi & Pastores ob omni vanæ Religionis specie & suspicione immunem: alias communiter non permissuri ut superstitio grassaretur: equidem in posterum, Antistitum cura ubique abrogata est *Missa sicca*, nec ullibi, quod quidem sciamus, modo celebratur: at inde non sequitur, quod superstitiosa putata sit: pleraque enim quotidie abrogantur, vel hac sola ratione, quod necessaria non videntur.

4. Non ita sane censemus de portentosis his, quas prædiximus, in unum collectis Missis, quas Sacerdotum quorumdam prava cupiditas introduxerat, quasque voce barbara, *Bifaciatas*, & *trifaciatas*, propterea quod multiplicem faciem haberent, appellitabant: illas ita describit *Gulielmus Durandus* loco paulo ante cit. (*Ratio. lib.* 4, *cap.* 1, *n.* 24) „Quidam, *inquit*,

„ *quit*, incipiunt Missam de die, celebrantes „ illam suo ordine, usque ad offerendam, „ (*offertorium*:) postea incipiunt aliam Missam, & eam cantant usque ad eumdem locum: & idem faciunt pluries, si volunt: & „ incœpta Missa vivorum, incipiunt quandoque Missam mortuorum, eam prosequentes „ usque ad eumdem locum: & exinde procedentes, dicunt tot secretas quot Missas incœperunt, semel tantum canonem dicentes, & consecrantes, & in fine tot orationes dicunt, quot officia Missæ incœperunt: „ sed hoc tamquam detestabile improbamus": nec minus acriter contra illas invehitur *Petrus Cantor*, (*in verbo abbreviato cap.* 29) & merito quidem: quid enim hoc aliud erat, quam sub specie pietatis, rem omnium sanctissimam in lucrum turpissimum vertere, & ipsum Christi Sanguinem nundinari? merito itaque abusum hunc ubique Ecclesia detestata est. Sequitur

QUÆSTIO NONA.

Utrum ita sit necessarium, solemniter & publice celebrari Missam; ut Missæ quas privatas dicunt, illicitæ & illegitimæ sint?

DE Missæ nomine jam constat, quam variis modis accipi possit: redeo nunc ad Missam privatam, quam novi Hæretici maligno dente dilacerant, omnium vero impudentissime Lutherus, qui de illa abroganda librum pestilentissimum edidit, in quo conscribendo diabolum habuit præceptorem, ut gloriatur ipse, *Libro de Missa privata, & unctione Sacerdotum*: (*Edit. Wittemb. tom.* 7, *pag.* 228) maluit nimirum Spiritui tenebrarum & Patri mendacii credere, quam Sp. Sancto per Ecclesiam loquenti.

Est vero hic quod sæpe monuimus inculcandum, & principii loco ponendum, Eucharisticum sacrificium, sive solemniter & præsente fidelium multitudine, sive amotis omnibus præter ministrum testibus celebretur, si stricte & proprie loqui velimus, privatum nullum dici debere: sed unumquodlibet, commune & publicum esse, ut Patres Concilii Trid. sess. 22, cap. 6 significant. Nam

1. Missa semper offertur in gratiarum actionem pro morte Christi, & redemptione per ipsum facta, quæ sane publicum beneficium est.

2. Pro omnibus fidelibus ad Corpus Christi pertinentibus celebratur.

3. Omnes generatim homines, infideles, Hæreticos, Schismaticos, peccatores, ipsosque excommunicatos complectitur.

4. Offertur a ministro Ecclesiæ, qui nimirum auctoritate publica, & ex solemni Dei institutione, ad liturgiam sacram est deputatus.

5. Offertur, quomodo Christus Summus Sacerdos offerendum constituit.

6. Tandem ab ejus participatione nemo, qui velit & dignus sit, impeditur: blasphemat ergo Lutherus, quando Missas de quibus agimus, occultas & angulares per risum vocat: non enim alia ratione privatæ sunt & dicuntur, nisi quia carent externa mereque accidentali solemnitate. Jam ut ad rem veniamus, sit

§. PRIMUS.

Ostenditur Missas privatas, licitas ac legitimas esse.

Ita a Concilio Trid. sub pœna anathematis definitum: „Si quis dixerit, *inquit*, (*sess.* 22, „ *can.* 8) Missas in quibus solus Sacerdos Sacramentaliter communicat, illicitas esse, „ adeoque abrogandas: anathema sit: & *ib.* „ (*cap.* 6): optaret quidem sacrosancta synodus, ut in singulis Missis fideles astantes, „ non solum spirituali affectu, sed Sacramentali etiam Eucharistiæ participatione communicarent, quo ad eos sanctissimi hujus „ Sacrificii fructus uberior proveniret: nec tamen si id non semper fiat, propterea Missas illas in quibus solus Sacerdos Sacramentaliter communicat, ut privatas & illicitas „ damnat; sed probat, atque adeo commendat: siquidem illæ quoque Missæ vere communes censeri debent, partim quod in iis „ populus spiritualiter communicet, partim „ vero quod a publico Ecclesiæ ministro, non „ pro se tantum, sed pro omnibus fidelibus, „ qui ad corpus Christi pertinent, celebrentur".

PROBATIO PRIMA.

Ex scripturarum silentio.

Argumentum 1 sic informatur. Eatenus vere dici posset, non alias nisi solemnes Missas esse probandas, quatenus constaret a Christo esse præceptum, ut Sacerdos nonnisi in publico & solemni conventu, populoque ipso communicante, sacrificium offerret, eoque propositio hæc Lutheranis, aliisque sectariis certior videri debet, quod velint solam scripturam, judicem controversiarum, & dogmatum divinorum regulam esse; atqui nullibi legimus a Christo præceptum, ut Sacerdos nonnisi in publico & solemni cœtu fidelium, plebeque universa communicante, divinam litur-

giam faceret: de hujusmodi namque mandato silet Evangelium, silent denique cæteri Apostoli: voluit ergo Christus Sacerdotibus esse liberum, sacrificium quotidie, si vellent offerre, etiam absque congregatione & Communione fidelium: quid enim si laici non quotidie, sed raro, ut plerumque fit, & certis tantum dierum ac temporum intervallis communicent; numquid ideo tenebuntur Sacerdotes, a divino cultu cessare, & sacrificium prætermittere? si populus Dei sabbata & festivitates observare neglexerit: numquid ideo tota Ecclesia feriabitur, & prædictum a Prophetis, atque institutum a Christo juge sacrificium auferetur? absit.

PROBATIO SECUNDA.

Ex eo quod naturam veri sacrificii habeat Missa privata.

Deinde: pro legitimo habendum est sacrificium, quod veri sacrificii naturam habet; atqui Missa sive sit solemnis, sive privata, veri nihilominus sacrificii naturam importat: est enim sacrificium, oblatio externa, soli Deo facta, quia in recognitionem supremi ejus Dominii, a legitimo ministro, res aliqua sensibilis & permanens, ritu mystico consecratur & mutatur; atqui definitio hæc tam convenit Missæ privatæ, quam solemni: sive enim in conventu publico, & multis communicantibus: sive privatim, & nemine præter Sacerdotem communicante perficiatur: nihilominus est sacrificium Corporis & Sanguinis Domini nostri Jesu Christi, ab ipso Christo & ab Ecclesia Sacerdotum ministerio, sub speciebus panis & vini Deo oblatum: nec multorum communio, & præsentia requiritur, ut conditiones illæ subsistant, quomodo in lege veteri, plurima sacrificia erant, quorum particeps nemo præter Sacerdotes fiebat. Ergo &c.

PROBATIO TERTIA.

Ex perpetua Ecclesiæ consuetudine.

Denique: quod in Ecclesia usu perpetuo frequentatum est, damnari sine manifesto ejus contemptu non potest; atqui constat, Missæ privatæ perpetuum in Ecclesia usum fuisse: quod multis certissimisque exemplis probare in promptu est. Sic enim

1. *Tertullianus* affirmat licitum esse, noctu & privatim sacrificium offerre: *Si colligere interdiu non potes*, inquit (*lib. de fuga in persecut. cap.* 14) *habes noctem, non potes discurrere per singulos? sit tibi & in tribus Ecclesia.*

2. Tempore persecutionis, fugatis undique & dispersis fidelibus, pastores ut poterant, & ferebat iniquitas temporum, privatim in dominibus & tuguriis sacrificium peragebant; *cum ab omnibus fugaremur, atque opprimeremur*, ait apud Eusebium (*hist. lib.* 7, *cap.* 22) Dionysius Alexand. *nihilominus tunc quoque festos egimus dies: quivis locus, in quo varias ærumnas sigillatim pertulimus, ager, inquam, solitudo, navis, stabulum, carcer, instar templi ad sacros conventus peragendos fuit*; atqui ibi Missæ solemnis, qualem absolute nec necessariam Lutherani commenti sunt, nec umbra, nec levis imago est: quos enim *Conventus* Dionysius dicit, non de multorum, sed paucissimorum sane congregatione debere intelligi, textus ipse aperte significat, ubi *in solitudine, in stabulo*, sacra mysteria celebrata fuisse dicit.

3. Missam in carceribus eodem persecutionis tempore celebratam, acta martyrum passim attestantur: memorabile de hac re affert exemplum *Metaphrastes* in vita *S. Luciani* presbyteri, & martyris, qui die Theophaniæ rogatus a discipulis, in carcere sacrificium obtulit: cumque altare ibi non esset, nec advehi commode metu persecutorum posset: *Mensa nobis erit pectus meum*, ait S. Martyr, *non futura Deo minus honesta, ea quæ fit ex inanimi materia: templum vero Sanctum vos mihi eritis, me omni ex parte circumdantes; sacro igitur cœtu eum in orbem circumstante, sacrum egit, seque primum, & alios mysteriorum participes effecit*: (*v. Nicephorum hist. lib.* 8, *cap.* 31) non raro autem hoc, sed communiter contigisse: ut in secretioribus carcerum recessibus Eucharistiæ oblatio fieret, palmare ex *S. Cypriano* argumentum habemus in *Ep.* 5, ubi clericos hortatur, ne turmatim confluant ad martyres in carceribus visitandos; simulque præscribit, ut presbyteri, qui illic apud confessores offerunt, singuli cum singulis diaconis ad præcludendas Gentilium suspiciones alternent: quis vero dixerit, in tanta obscuritate celebratas Missas, solemnitatem hanc habuisse, sine qua sacrificium stare non posse heterodoxi contendunt?

4. *De Constantino* Imperatore narrat *Eusebius* in ejus vita (*lib.* 4, *c.* 45) quod statim baptismo suscepto oratorium in palatio extrui fecerit, itemque portatile altare habuerit, cum ad bellum proficiscebatur, ne videlicet in castris careret Missæ sacrificio: quod ejus exemplum nobiles Palatinos secutos, ibidem affirmat.

5. *S. Gregorius Nazian.* in oratione funebri

bri Patris sui, eum in cubiculo suo sacris operatum testatur, & in Oratione in laudem sororis suæ *Gorgoniæ*, domesticum altare habuisse affirmat.

6. De *S. Ambrosio* sic narrat Paulinus presbyter in ejus vita: „ Per idem tempus cum „ trans tyberim apud quandam clarissimam invitaretur, ut sacrificium in domo ejus offerret, quædam balneatrix, quæ paralitica „ in lecto jacebat, sellula ad eamdem domum „ portari se fecit, & osculatis ibidem sancti „ viri vestimentis sanata est ".

7. *S. Paulinus* Nolanus Episcopus ante lectulum suum parare sibi altare jussit: ibique instante morte sacrificium obtulit, ut testatur *Uranius* in ejus vita.

8. Concilium Agathense anno 506 habitum, Can. 21 privata oratoria in agris permittit, in quibus Missa etiam festis diebus haberi possit, exceptis diebus Paschæ, Natalis Domini, Epiphaniæ, Ascensionis, Pentecostes, & aliis majoribus solemnitatibus.

9. *S. Gregorius M.* (*lib.* 5, *Ep.* 43) Joanni Syracusano Episcopo præcipit, ut in domo *Venantii* Patricii Missas celebrari permittat: idemque l. 4 Dial. c. 56: „ Cassius Narniensis Episcopus, *inquit*, quotidianum offerre consueverat Deo sacrificium, seque in lacrymis, „ inter ipsa sacrificii arcana mactabat ".

10. *Theodulphus* Aurelianensis Episcopus in suo capitulari, ad annum circiter 797 edito, c. 45 decernit, *ut Missæ peculiares, quæ diebus Dominicis celebrantur, non ita fiant in publico, ut per eas populus a Missarum solemnibus, quæ hora tertia canonice fiunt, abstrahatur*.

11. Non leve hujus veritatis argumentum hinc petitur, quod in uno eodemque templo altaria plurima, more antiquo exstructa fuerint: inde enim sequitur, plures die quolibet in eadem Ecclesia Missas esse habitas, quæ sane non poterant pari solemnitate celebrari: extat de hac re præclarum *S. Gregorii M.* testimonium in Epistola *ad Palladium Santonensem* Episcopum (*lib.* 5 *Ep. Epist.* 50, *vel* 1) ubi, " veniens, *inquit*, Lator præsentium, „ insinuavit nobis fraternitatem vestram Ecclesiam construxisse, atque illic tredecim „ altaria collocasse, ex quibus quatuor necdum „ dedicata comperimus remansisse ".

Nec est, quod Græcorum mos contrarius opponatur, in singulis Ecclesiis unicum altare habentium, nec fas esse putantium, intra ambitum ejusdem templi, uno eodemque die sacrificium iterari: hoc enim concedimus: sed non negabunt, opinor, Hæretici, nisi volent inficiari rem certissimam, a Græcis ipsis attestatam, habere eos diversa oratoria vel sacella (Ecclesias vocant) vel Ecclesiis proxima, soloque muro disjuncta, vel per ambitum parœciarum ac monasteriorum brevi ab invicem intervallo locata, in quibus Missas pro festis diebus privatim agunt. (*vid. Goar. in notis ad Euchol. & Leonem Allatium in Epist. ad Joan. Morinum de Græcorum templis*).

12. (Ne obtendat aliquis, quas hactenus recensuimus Missas, privatas quidem dici posse defectu solemnitatis, non ideo tamen quia in illis nemo præter Sacerdotem communicaverit:) sane sacrificia, quorum solus Sacerdos particeps esset, olim in usu fuisse, testantur sæpissime Sancti Patres: ita S. Joannes Chrysost. *Frustra est*, inquit, (*hom.* 3 *in Ep. ad Ephes.*) *quotidianum sacrificium, frustra adstamus altari: non est qui participet* . . . & alio in loco, (*hom.* 3 *in Ep.* 1 *ad Timoth.*) postquam mala indigne communicantibus impendentia enumeravit, in eorum persona objicit sibi: *Quomodo ista perpetimur, cum semel tantum per annum ea Sacramenta sumamus?*

S. *Ambrosius* (*serm.* 34) hortatur populum, ut in quadragesima, die saltem Dominico offerat & communicet: ac idem tamen omnes admonet, ut qui non fuerit legitime impeditus, quotidiano sacrificio intersit; ergo sine Communione populi quotidiana Missa Mediolani fiebat.

S. Augustinus fidelem populum Dominicis saltem diebus Eucharistiæ participem fieri consulit, (*Ep. ad Bonif. alias* 118, *nunc* 56) at idem tamen sæpe testatur sacrificium quotidie immolari.

Concilium Agathense (an. 506) can. 2 præcipit Laicis, ut die Dominico Missam audiant: Eucharistiam vero sumere non jubet, nisi diebus Nativitatis Domini, Paschatis, & Pentecostes.

Concilium Toletanum 12, can. 5, statuit quidem Sacerdotibus toties esse communicandum, quoties sacrificium incruentum obtulerint, quotidianam vero Communionem non imperat plebi.

Constat itaque perpetuum in Ecclesia Catholica Missarum privatarum fuisse usum; atque adeo perperam a Lutheranis aliisque Hæreticis velut illegitimum subsannari: quod ut amplius constet, ad eorum argumenta mox respondebimus. Unde sit

§. SECUNDUS.

Solvuntur Hæreticorum objectiones.

Opponunt: in lege veteri, de Paschate celebrando lex ista fuit: *Loquimini ad universum* ce-

cœtum filiorum Israel, ait Deus ad Moysen & Aaron, (*Exod.* 12, 3, *& seq.*) *& dicite eis. decima die mensis hujus, tollat unusquisque agnum per familias & domos suas: sin autem minor est numerus, ut sufficere possit ad vescendum agnum, assumat vicinum suum qui junctus est domui suæ, juxta numerum animarum quæ sufficere possunt ad esum agni*: Inde sic inferunt argumentum:

Figura debet respondere veritati, qua nimirum accedente impletur; atqui in antiquo testamento cautum erat, ut agnus Paschalis a multis comederetur: igitur ut figuræ conveniat veritas, Christus qui vere noster est agnus, & Pascha nostrum, quoties mystice immolatur, participari debet a multis; adeoque illegitima est Missa privata.

℟. Admitto auctoritatem: ad argumentum dist. maj. figura debet respondere veritati, *in aliquibus*, conc. *in omnibus*, ita ut ad litteram omnia in veritate perfici debeant, quæ in umbra præcesserunt; n. maj. & concessa min. nego conseq. vel distinguo: Christus quoties immolatur participari debet a multis, *spiritualiter*, conc. *Sacramentaliter*, nego.

E. R. Licet figura impleatur per veritatem, non tamen est necessarium, ut per omnia respondeat veritati: alioquin inter utramque discrimen nullum agnosceretur: id quod in agno Paschali evidens est: nam ab Hebræis, omnibus & singulis agnus integer non comedebatur, immo nec poterat comedi: unde ad hoc convivium plures fuit necessarium convenire: e contra in Eucharistia totus & integer Christus ab omnibus, & singulis communicantibus sumitur, nec sumptus tamen consumitur, ut secundum fidem Catholicam Ecclesia canit; itaque dicendum, figuræ & veritatis convenientiam aliquam, sed non omnimodam esse debere: alias enim plurima forent in Eucharistiæ celebratione servanda, quæ ne *Lutherani* quidem ipsi & *Calvinistæ* admittunt: deinde ut plene figura adimpleatur, satis est quod Christus vel Sacramentaliter, vel spiritualiter percipiatur a multis; atqui sacrificio cuilibet, sin minus Sacramentaliter, saltem spiritualiter societas fidelium toto orbe diffusa communicat. Ergo &c.

Inst. 1. Atqui ut vere Eucharisticum sacrificium celebretur, debet a multis etiam Sacramentaliter participari. Ergo &c. prob. subs. ex ipsa institutione cœnæ Dominicæ, in qua Christus omnibus qui præsentes aderant, corpus suum & sanguinem, ut manducarent & biberent tradidit, idemque in perpetuum faciendum esse præscripsit his verbis: *hoc facite in meam commemorationem*. Unde sic disputant.

In Eucharistiæ celebratione debet hoc necessario fieri, quod Christus fecit, & faciendum constituit; atqui Salvator Eucharistiam instituens panem fregit, deditque discipulis, ut manducarent, pariterque benedictum calicem porrexit, ut biberent: & hoc ipsum fieri in perpetuum commendavit, prout a tribus Evangelistis, & Beato Paulo diligenter notatum est. *Ergo*, inquit Lutherus, (*in lib. di abrog. Missa privata*) si hoc in Eucharistiæ celebratione non observetur, Chrhtiana Missa non erit, nec cum institutione Christi ulla ratione conveniet.

℟. Nego subs. ad probat. admitto auctoritatem, & concessa maj. n. min. in his enim quæ Christus Eucharisticum sacrificium & Sacramentum instituendo observavit, duo diligenter veniunt distinguenda, quorum alterum ad substantiam sacræ actionis & Sacramenti pertinet, alterum non pertinet.

Ac 1 quidem gratias agere, benedicere, consecrare, offerre, & de oblatis Sacerdotem ipsum participare, de substantia sacrificii hæc sunt, adeoque in perpetuum ad Christi imitationem tenenda.

2. Certo tempore & loco, privatim aut publice, paucis aut multis præsentibus, solo Sacerdote, vel multis cum ipso communicantibus Eucharistiam facere: ista, inquam, substantiam Sacramenti & sacrificii non attingunt, unde sive fiant sive non, integrum nihilominus sacrificium, & suis numeris absolutum consistet: in hoc itaque gravis hæreticorum hallucinatio est, quod verba Christi ad summum rigorem exigenda, sacrificium, nisi plures adsint & communicent, fieri omnino non posse contendant: nam si deberet id omne necessario & ad litteram observari, quod Christus fecit legem sanciendo, consequens foret nou posse Eucharistiam celebrari, nisi præmissa lotione pedum, nisi ad vesperam, nisi duodecim spectatoribus, nec pluribus nec paucioribus accersitis, nisi omnibus qui præsentes adsunt sub utraque specie communicantibus, nisi pane azimo ad sacram liturgiam usurpato &c. quæ ne ipsi quidem Lutherani & Calvinistæ admittunt.

Inst. 2. De ipsa fractione & distributione dixit Christus: *hoc facite in meam commemorationem*. Ergo &c.

℟. Nego ant. & dico Hæreticos Christi mandatum quod tanta ostentatione jactitant, ne intelligere quidem multoque minus implere; quod præcipit Christus his verbis, sacrificium ipsum est, in hostiæ consecratione, oblatione, & consumptione consistens, sacrificium, inquam, quod ipsi impiissime sustulerunt, & eripere Ecclesiæ nefario conatu moliti sunt: com-

communio porro adstantium, ut prædiximus, ad sacrificii rationem absolute non pertinet, neque est a Christo absolute & sine exceptione præcepta, sed pro loco, tempore, & personis, si nimirum sacrificio intersint, qui velint, & digni sint tanti participatione mysterii: uno verbo, sine multorum Communione, memoria Christi plenissima in incruento sacrificio fit, quod non aliud est nisi cruentæ ejus immolationis incruenta continuatio: sine multorum Communione, habet Missa plenam & integram sacrificii definitionem: ubi vero definitio est, naturam esse oportet, quod vel ipsi unius diei Philosophi norunt: denique sine multorum Communione, ad finem propter quem instituta est, certo Missa dirigitur: nam & supremo numini cultus vere latriæ exhibetur, & redduntur pro acceptis beneficiis gratiæ, & nova impetrantur, & hostia placabilis immolatur; ergo etiamsi sacrificii nemo præter Sacerdotem particeps fiat, legitime tamen & vere perficitur: eoque certior hæc sententia est, quod Hæretici neque ex antiquis Pontificum aut Patrum decretis, neque ex Conciliorum Canonibus, nec ex historiæ Ecclesiasticæ scriniis verbum ullum proferre possint, quo declaratum fuerit irritas esse & illegitimas Missas, quarum nemo præter Sacerdotem fieret particeps: cum e contrario exemplis innumeris demonstretur, Missas privatas Ecclesiæ semper fuisse probatas.

Inst. 3. Atqui tum ex scriptura, tum ex traditione certum est, sine Sacramentali multorum Communione sacrificium constare non posse. Ergo &c. probant subs. & primo quidem ex Apostolo sic loquente: (1 *Cor.* 11, 20) *Convenientibus ergo vobis in unum, jam non est Dominicam cœnam manducare: unusquisque enim cœnam suam præsumit ad manducandum*. Inde sic arguunt.

Apostolus eo loci Dominicam cœnam opponit privatæ: asserit nempe, eum qui privatim manducat, non celebrare Dominicam cœnam. Ergo ex mente beati Pauli irritum & illegitimum sacrificium est, in quo nemo præter Sacerdotem communicat.

℟. Nego subs. ad probat. admitto auctoritatem, & dist. ant. Apostolus cœnæ privatæ opponit Dominicam, & hoc nomine convivium quoddam ab Eucharistia diversum intelligit, in memoriam cœnæ Dominicæ, primis temporibus celebrari solitum conc. Eucharistiam ipsam intelligit, n. ant. & conseq.

E. R. Quam hic cœnam Dominicam appellat Apostolus, quamque, uti conqueritur, unusquisque præsumebat ad manducandum, non debemus si vere volumus scripturas interpretari, de Eucharistia ipsa accipere, sed de communi quodam convivio, in quo promiscue accumbentes pauperes ac divites, sine discrimine reficiebantur, quodque beatis illis Ecclesiæ nascentis exordiis ritu solemni celebrari solitum erat, tum ad cœnæ illius repræsentationem, quam Christus antiquum phase adimplens, postremam cum discipulis habuit, antequam novum Pascha in suo corpore & sanguine institueret: tum ad fovendam caritatem fraternitatis, quo factum est, ut ejusmodi convivia græco vocabulo ἀγάπαι idest, caritates, appellarentur.

De Sanctis his epulis non infrequens apud antiquos mentio est: *Cœna nostra*, inquit Tertullianus, (*Apolog.* 39) *de nomine rationem suam ostendit: vocatur ἀγάπη id quod dilectio penes græcos est: quantiscumque sumptibus constet, lucrum est pietatis nomine facere sumptum: si quidem inopes quosque refrigerio isto juvamus .... si honesta causa est convivii, reliquum ordinem disciplinæ æstimate, quod fit de Religionis officio, nihil utilitatis nisi modestiæ admittit: non prius discumbitur, quam oratio ad Deum prægustetur, editur, quantum esurientes capiunt, bibitur quantum pudicis est utile: ita saturantur, ut qui meminerint, etiam per noctem adorandum Deum sibi esse: ita fabulantur, ut qui sciant Dominum audire ... æque oratio convivium dirimit: inde disceditur .... ad eamdem curam modestiæ & pudicitiæ, uti qui non tam cœnam cœnaverint, quam disciplinam*.

Pari sensu S. Joannes Chrysost. *statis diebus* inquit, (*hom.* 27 *in* 1 *Ep. ad Cor.*) *mensas faciebant communes, & peracta synaxi, post Sacramentorum Communionem omnes commune inibant convivium, divitibus quidem cibos adferentibus, pauperibus autem & qui nihil habebant, etiam vocatis, & omnibus communiter vescentibus* .... quorum similia habent *Œcumenius*, & alii in hunc locum: immerito itaque hoc testimonio abutuntur Hæretici, ut Missas privatas redarguant.

Inst. 4. Gratis conficta illa responsio est: non est itaque admittenda.

℟. Nego ant. quam enim solida sit, & scopo Apostoli consentanea, ita planum est ex verbis ejus, ut mirum sit ab hæreticis, qui volunt videri in scripturarum interpretatione admodum perspicaces, tanta audacia impugnari. Sic enim eo loci loquitur S. Paulus: (*a v.* 18, *ad* 22) *Convenientibus vobis in Ecclesiam, audio scissuras esse inter vos, & ex parte credo ...... convenientibus ergo vobis in unum, jam non est Dominicam cœnam manducare: unusquisque enim cœnam suam præsumit ad manducandum: & alius quidem esurit,*

rit, alius autem ebrius est: numquid domos non habetis ad manducandum & bibendum? aut Ecclesiam Dei contemnitis, & confunditis eos qui non habent? quid dicam vobis? laudo vos? in hoc non laudo. Ecce tibi integrum, de quo in præsenti controvertitur, Apostoli textum.

Jam si hæc verba de cœna quadam, a sumptione Eucharistiæ differente accipiantur, plana & cohærentia sunt, nec quidquam habent difficultatis; *Convenientibus vobis in Ecclesiam*, inquit, *audio scissuras esse inter vos*: contentiones scilicet & dissidia, de loco recumbendi, de tempore cœnæ inchoandæ, de cibo ac potu, de convivarum delectu, maxime inter divites & pauperes, quorum isti despiciuntur ab illis.

Et ex parte credo: idest, cum ad aures meas, probabilibus testimoniis, horum dissidiorum fama pervenerit, quamquam suspicor malum aliquatenus exaggeratum: veri tamen aliquid arbitror rumorem publicum, de vestris contentionibus attulisse.

Convenientibus ergo vobis in unum, iam non est Dominicam cœnam manducare. Quotquot scilicet hæc jurgia & intestina bella movetis, neque divinæ Eucharistiæ, quæ est Sacramentum pacis & unitatis, qua par erat præparatione communicastis, nec cœnæ Dominicæ memoriam in sequentibus epulis vere recolitis: Christus enim omnes sine discrimine discipulos ad cœnam legalem admisit: Vos vero cum pauperes repellatis, longe ab ejus exemplo receditis.

Unusquisque enim suam cœnam præsumit ad manducandum: nimirum, plerique vestrum, nedum cœnam Dominicam imitentur, ad quam omnes promiscue Apostoli invitati sunt: suos quique cibos domi paratos, & in Ecclesiam allatos, quos debebant in commune impendere, sibi solis apponant, exclusis minimeque expectatis pauperibus.

Et alius quidem esurit, alius autem ebrius est: quo fit, ut fame premantur pauperes qui ad communes epulas conferre symbolum præ indigentia nequeunt: divitibus interim laute epulantibus, ciboque ac potui supra modum indulgentibus.

Numquid domos non habetis ad manducandum & bibendum? quæ cum ita sint, cum cœnam non velitis communem facere, sed privatam, quin potius in vestris quisque ædibus bibitis ac comeditis? sua enim cuique domus, locus est privatæ refectionis.

Aut Ecclesiam Dei contemnitis, & confunditis eos qui non habent? quasi diceret: convivia vestra in publico fidelium conventu fastu nimio, & intemperanter agitando, Ecclesiam Dei in ludibrium vertitis, quia non comessationis & ebrietatis, sed orationis est locus, & eos qui nihil attulerunt, eo quod non habuerint quid conferrent, probro & pudore afficitis, dum vobis splendide convivantibus, fame & siti tabescunt.

Quod si e contrario de Eucharistia locutus putetur Apostolus, in ejus sententia nec pes, nec caput futurum est: nam, quæso, quomodo in Eucharistiam quadrare hæc verba possunt: *Unusquisque cœnam suam præsumit ad manducandum?* cum nemo nesciat, Eucharistiam omnibus qui præsentes aderant, statim pro Sacerdotis Communione fuisse uno tenore temporis a Diaconis distributam? quomodo item hæc alia: *alius quidem esurit, alius autem ebrius est*? non enim mystica Corporis & Sanguinis Christi mensa ad hoc apponebatur, ut venter satiaretur, sed ut mens gratia impleretur: nec poterant aliqui in hoc sacro convivio sic ingurgitari, ut ebrii dicerentur; cum a ministris non pleni calices, nec sæpe hauriendi, sed modica sacri liquoris portio, singulis semel sumenda porrigeretur: quomodo rursum hæc alia: *numquid non habetis domos ad manducandum & bibendum*? nam si illa verba Eucharistiam significant, vel de sacrificio ipso debent intelligi; atque ita Hæretici privatas Missas adstruunt, quas impugnant, nec enim publicum dici potest, quod intra domesticos parietes fit: vel de Communione ipsa: quod sine manifesta falsitate dici non potest, cum neminem lateat, Eucharistiam non in privatis domibus, sed in conventu fidelium, inter sacrificii solemnia fuisse administratam: quid denique dicam de verbis sequentibus: *aut Ecclesiam Dei contemnitis, & confunditis eos qui non habent*? quæ sane ad Eucharistiæ sensum converti non possunt, nisi ab eo qui sensum omnem exuerit: fatendum itaque, verba Apostoli, non de Eucharistia debere intelligi, sed de convivio celebrari a fidelibus solito in memoriam & repræsentationem postremæ cœnæ in qua Christus agnum legalem cum discipulis comedit.

Inst. 5. Statim post verba in objectione proposita, Apostolus sic prosequitur: (*ib. v. 23 & seqq.*) " Ego enim accepi a Domino quod „ & tradidi vobis, quoniam Dominus Jesus, „ in qua nocte tradebatur accepit panem, & „ gratias agens, fregit & dixit: accipite & „ manducate, hoc est corpus meum.... similiter & calicem postquam cœnavit, dicens: hic calix novum testamentum est in „ meo sanguine &c. " hinc sic disputant:

In hoc testimonio sequentia cum præcedentibus connectuntur; atqui evidens est, quæ sequuntur, de Eucharistico convivio debere intel-

intelligi: idem ergo sensus est præcedentium, *convenientibus vobis in unum* &c.

℟. Admitto auctoritatem: ad argumentum dist. maj. in hoc testimonio, sequentia cum præcedentibus connectuntur, ordine narrationis & temporis quo fieri hæc duo, tametsi diversa, solebant, conc. sensu ipso connectuntur, quasi subsequentium & præcedentium una & simplex significatio sit, n. maj. & concessa min. n. conseq. explicatione responsio illa non indiget: neminem namque latet, uno tenore sermonis res plerumque diversissimas enuntiari: id quod in præsenti fateri cogimur, nisi velimus cum ratione ipsa pugnare: hæc namque verba, *Ego enim accepi a Domino* &c. de sola Eucharistia intelligi possunt: quæ vero præcedunt, unde hæretici occasionem cavillandi arripiunt, non in Eucharistiam, sed in alteram longe differentem cœnam quadrare ostensum est; atque in hoc sensu boni omnes & probati interpretes unanimi voce conveniunt: tantum de tempore quo agapæ fierent, inter eos discrimen est, volentibus aliis post Communionem, aliis affirmantibus ante sumptionem Eucharistiæ esse factas: pro hac postrema sententia stat S. Thomas: (*comment. in hunc locum*) *Quilibet eorum*, inquit, *portabat ad Ecclesiam fercula præparata, & comedebat quilibet seorsum, antequam sumeret sacra mysteria*... aliter sentiunt Patres ante laudati: *Peracta synaxi*, ait S. Joannes Chrysost. *post Sacramentorum Communionem, omnes commune inibant convivium*.... cui concinens Œcumenius: *Post sacrorum mysteriorum participationem*, ait, *agebantur communes cœnæ*.... & auctor commentariorum in 1 Epist. ad Cor. sub Hieronymi nomine: *Post Communionem*.... *illic in Ecclesia communem cœnam comedebant*: ejusdemque sensus verba Tertulliani esse videntur: (*Apologet. cap.* 39) *Non prius discumbitur, quam oratio ad Deum prægustetur*. Quidquid porro de his sententiis sit, quas discutere otii nostri non est, certum est neutram favere hæreticis.

Inst. 6. ex traditione: quidquid de sensu Apostoli sit, certum sane videtur ex omnibus tum Orientis tum Occidentis liturgiis, Missam non fuisse primitus institutam, nisi ut plures sacris participarent mysteriis: orationes namque omnes quæ durante actione sacra funduntur, non unius, sed multorum nomine fiunt, qualia sunt ista: „ Dominus vobiscum..... „ Oremus..... Orate fratres.... sursum „ corda..... gratias agamus Domino Deo „ nostro... supplices rogamus ac petimus.... „ hanc igitur oblationem servitutis nostræ, sed „ & cunctæ familiæ tuæ... offerimus præclaræ majestati tuæ de tuis donis ac datis..., „ ut quotquot ex hac altaris participatione sacrosanctum filii tui Corpus & Sanguinem „ sumpserimus omni benedictione cœlesti & „ gratia repleamur..... memento omnium „ circumstantium, quorum tibi fides cognita „ est, & nota devotio, prò quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc sacrificium „ laudis.... quod ore sumpsimus Domine „ pura mente capiamus.... satiasti Domine „ familiam tuam muneribus sacris... repleti cibo „ potuque cœlesti, &c." ergo contra institutionem Eucharistiæ, & traditionem pugnant qui Missas privatas pro legitimis haberi volunt.

℟. 1. Hoc argumento premi Hæreticos, non Catholicos: inde enim invicte probatur veritas Eucharistici sacrificii, quod illi impiissime sustulerunt: nec minus certo evincitur existentia externi & visibilis Sacerdotii, quod Ecclesiæ Catholicæ eripere, diabolica machinatione moliti sunt: adstruitur pariter precum Ecclesiæ, totiusque liturgici officii sanctitas, quod ausu nefario & inaudito præteritis sæculis abrogarunt, cœnam, ut vocant, non aliter in suis synagogis agendo, quam præmissa historica Eucharistiæ institutionis narratione: qua vero fronte per Deum immortalem, audent contra nos jactare liturgias, quas omni data occasione velut spurias, abominabiles, & idololatriæ plenas dilacerant? vel ergo si quid sapiunt, abstineant ab hoc argumento: vel si volunt, uti res est, magnum pondus esse liturgiarum, earum auctoritati ad admittendum sacrificium, & Sacerdotium, & Christi in Eucharistia per transubstantiationem præsentis mysterium, cedant tandem & acquiescant.

℟. 2. Dist. antec. ex liturgiis omnibus certum videtur, Missam non fuisse institutam, nisi ut plures in ejus celebratione fierent divinorum mysteriorum participes, *necessario*, ita ut aliter irritum & malum sacrificium esset futurum, n. nisi ut plures communicarent, *vulgo*, subdist. *vel spiritualiter vel sacramentaliter*, conc. *Sacramentaliter tantum*, n. ant. & conseq.

E. R. Hoc argumentum quo summopore Hæretici delectantur, quasi magnam vim habeat, futile tamen ac vanum est: hoc enim unum probat, quod ultro concedimus, scilicet sacrificium ideo principaliter institutum, ut adstante offerente, communicante clero & populo, publice ac solemniter fieret: nec tamen hinc sequitur debere abrogari Missas privatas, cum certum sit, veri sacrificii naturam habere, & ab Ecclesia usu perpetuo approbatas.

Inst. 7. Saltem Sacerdos privatim celebrans, deberet omnia reticere, aut in singularem numerum

merum vertere, quæ plurali numero in Missis solemnibus dici solent: ne scilicet reus esset mendacii, dum pluribus tribuit, quod ab uno tantum peragitur: sic non deberet dicere: *Dominus vobiscum*; sed: *Dominus tecum*: pariter quando nemo circumstat, deberet hoc prætermittere: *& omnium circumstantium*: quando nemo communicat, ab hac deberet abstinere oratione: *Satiasti Domine familiam tuam*; & in locum ejus sic dicere: *Satiasti me Domine*. Et sic de cæteris quæ percurrere longum foret. Ergo &c.

℞. Nego ant. ut enim in ipso quæstionis limine admonuimus, si stricte loquamur & proprie, Eucharisticum sacrificium, sive in frequenti auditorio, sive privatim celebretur, publicum & commune, propter rationes ibidem allatas, totius Ecclesiæ opus est: nulla ergo, nec levissima incurritur violatæ veritatis suspicio, si multorum nomine fieri affirmetur, quod revera pro multis, imo pro tota Ecclesia fit: neque est mendacii accusandus Sacerdos, quando dicit: *Satiasti Domine familiam tuam* &c. cum enim universalis Ecclesia, familia Christi sit, & in omnibus mundi partibus sacrificium offeratur: hac & aliæ similes orationes ad omnes pertinent, qui ubique gentium, sive Sacramentaliter, sive spiritualiter sacrificio incruento participant: idem enim, & quidem titulo meliori, de orationibus liturgicis est dicendum, ac de aliis quæ in Breviario continentur; atqui clericus Breviarium sine socio recitans, nihilominus omnium nomine Deum laudat atque precatur, quia preces ejus publicæ sunt ad totam Ecclesiam pertinentes; unde non dicit: *Converte me Deus salutaris meus*; sed: *Converte nos Deus salutaris noster*: non dicit: *Te Deum laudo*; sed: *te Deum laudamus*: non dicit: *jam lucis orto sidere, Deum supplex deprecor*; sed: *Deum precemur supplices*, &c. ergo a pari &c.

Inst. 8. Si validum sit sacrificium cui solus Sacerdos participat, etiam eo non communicante validum erit: falsum conseq. ergo & antecedens.

℞. Nego conseq. & paritatem. Disparitas est:

1. Quia si nemo communicaret, ratio sacrificii integra non constaret; ejus enim essentia, ut qu. 5 probatum est, in consecratione & oblatione consistit, quatenus ad consumptionem oblatorum, tamquam ad terminum & finem extrinsecum ordinem dicit.

2. Quia Ecclesia ad mentem divinæ institutionis & traditionis Apostolicæ præcipit, ut Sacerdos quoties sacrificium incruentum obtulerit, toties communicet; quotidianam vero Communionem plebi non imperat.

Inst. Denique, quasi triumphum canendo opponunt quandam Patris Seraphici *S. Francisci*, ad sui Ordinis Sacerdotes Epistolam, ubi, *Moneo*, inquit, *& exhortor in Domino, ut in locis in quibus morantur fratres una tantum Missa celebretur in die, secundum formam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ: si vero in loco plures fuerint Sacerdotes, sit per amorem caritatis alter contentus audita celebratione Sacerdotis alterius*. Ergo, inferunt, secundum formam Romanæ Ecclesiæ, una, eaque solemnis, debet in die missa celebrari: adeoque qui privatas facere missas præsumunt, ab Ecclesiæ praxi & more teste viro Dei recedunt.

℞. Missis de hac Epistola diversis scriptorum judiciis, quorum alii falsam & suppositiam esse contendunt, alii explicant de missa solemni & conventuali, alii ad feriam quintam hebdomadæ majoris restringunt, conc. ant. & n. conseq. duo in hac Seraphici Patris præscriptione notanda: 1 hortatur fratres, ut diebus singulis unius missæ celebratione, in locis ubi morantur contenti sint: hocque singularis beati Francisci humilitatis, qua a sacerdotio ipse abstinuerat, argumentum est: noverat enim quantum & quam grave sacri ministerii pondus sit, adeoque volebat ut filii quos præformabat, sui, quoad poterat fieri, similes essent, & ad exemplum veterum monachorum, in unoquoque cœnobio, una missa fieret, & cui omnes interessent. 2 Præcipit missam *secundum formam Romanæ Ecclesiæ celebrari*, *quod*, inquit Cardinalis Bona (*Rerum liturgic. lib.* 1, *c.* 14), *de ritu servando in ipsa celebratione exponi & intelligi debet, neque trahendum ad unicam celebrationem, ac si ea foret Romanæ Ecclesiæ institutio: optime enim noverat, plures in die fieri oblationes: sed sicut in regula præcipit, ut fratres officium recitarent, secundum morem Romanæ Ecclesiæ; ita hic monet, ut secundum formam ejusdem Ecclesiæ agantur missæ*.

Addiderim, de missa publica hæc S. Francisci verba nullatenus intelligi posse: missa namque publica est, ut superius observavimus, (*qu.* 8, §. 2) ad quam plebs adunata pastoribus convenit, quæque populi offerentis & communicantis frequentia splendidior redditur: atqui tale nihil præcipit sanctissimus Patriarcha, nec præcipere poterat, quippe alienum ab instituto cœnobitarum: quin ne ipsis quidem fratribus quotidianam communionem commendat, ut ex verbis eius est manifestum: nihil itaque causæ est, cur de hac Epistola hæretici glorientur.

¶ His adnectere lubet, quæ Sum. Pontifex feliciter regnans Benedictus XIV novissime,

hoc

hoc est an. 1648 statuit circa quæstionem in quibusdam Italiæ Dioecesibus subortam, an nempe Sacerdos privatim missam celebrans Laicis petentibus Eucharistiam distribuere teneatur. In litteris ergo Apostolicis ad Italiæ Episcopos datis plura tradit ad quæstionem dirimendam opportuna: primo nempe, Missas, quas *privatas*, sive *solitarias* appellant, in quibus solus Sacerdos Sacramentaliter communicat, jure ac merito celebrari, quemadmodum in Concilio Trid. definitum est, & pluribus argumentis superius ostensum. Tradit præterea convenire veteri disciplinæ, juxta quam fideles Missis astantes, de Sacrificio altaris participabant, atque etiam institutioni, ac exemplo Christi, quod fideles, nedum spirituali affectu, sed etiam Sacramentali Eucharistici panis perceptione communicent, ut uberiorem recipiant sacrificii fructum. Addit ulterius non esse necessario servandam veterem disciplinam, sed cuncta in Ecclesia ita disponenda, ut ex una parte minime fidelium pietas fraudetur: ex alia vero quælibet vitetur occasio perturbationis, ac scandali. Postremo concludit nullam injuriam fieri pietati fidelium, si juxta disciplinam, quæ modo viget, & in qua facilior est, quam olim fuerit, ad participationem Sacramentorum accessus, in tanta multiplicitate Missarum non semper communio ministretur, atque adeo importune insistendum non esse, ut in iis ministretur loci, temporis, ac personarum circumstantiis, quas Ecclesiarum Pastores excipiendas esse decernant. Ex quibus satis aperte dirempta est controversia. Sequitur.¶

QUÆSTIO DECIMA.

Utrum & quo tempore teneantur fideles Sacrificio Eucharistico interesse?

TEneri quandoque, immo etiam crebro fideles Augustissimo Eucharistiæ Sacrificio interesse, multa certo probant argumenta: nam

1. Ad genus orationis Sacrificium pertinet, & omnium, ut ante ostendimus, excellentissima est: atqui tenentur omnes orare Deum, & in spiritu ac veritate adorare: ergo &c.

2. Non oratio qualiscumque est missæ sacrificium, sed solemnis & publica, ad totam Ecclesiam pertinens: atqui tenentur fideles hoc ipso quod Christi & Ecclesiæ membra sunt, matri suæ publice oranti conjungi: tum quia promisit Christus, se specialiter iis affuturum, qui in nomine suo ad orandum convenirent: *ubi sunt*, inquit, (*Matth.* 18, 20) *duo vel tres congregati in nomine meo*, *ibi sum in medio eorum*: tum quia alioquin turbarent pacem & unitatem caritatis, quæ præcipue in orationum consensione posita est: hinc de primis fidelibus legitur, (*Act.* 2, 42) *quod erant omnes perseverantes in doctrina Apostolorum*, *& communione fractionis panis*, *& orationibus*, ergo &c.

3. Hoc ipsum probant Eucharistici Sacrificii proprietates: per illud enim, ut sæpius dictum est, omnes veterum oblationum figuræ implentur: quo fit, ut simul latreuticum sit, Eucharisticum, impetratorium, & propitiatorium. Latreuticum, inquam, quia Deo servitutem perfectissimam exhibet, Eucharisticum, id est, gratiarum actionis pro beneficiis acceptis; impetratorium, ad novos favores obtinendos; pro peccatis & pœnis peccato debitis propitiatorium: atqui tenentur fideles omnes adorare Deum, & illi soli servire: tenentur pro bonis acceptis rependere gratias, eoque magis, quo plura receperint: tenentur pro novis impetrandis orare, quia Dei protectione & adjutorio, tum in temporalibus, tum in spiritualibus perpetuo indigent: tenentur denique Deo offenso reconciliari; ergo ex consequenti tenentur missæ sacrificio, quam fieri potest diligentissime interesse, ut una cum Christo & Ecclesia immaculatam tantæque virtutis victimam Deo offerant.

4. Hoc idem finis sacrificii persuadet: ideo enim est institutum, ut passionis Christi in perpetuum memoria celebretur, & mors ejus annuncietur donec veniat: atqui debent omnes passionis Christi frequentem habere memoriam, & mortem ejus, per quam vita nobis est restituta, sine intermissione recolere; ergo de hoc officio quod omnibus impositum sit, nulla potest dubitatio remanere. Sed

Quæritur 1. Quo potissimum tempore sit implendum?

℟. Omnes & singulos, nisi sint legitime impediti, ad hoc teneri diebus dominicis & festivis.

Habet ista responsio fundamentum,

1. In jure divino quo præcipitur religiosa, sabbati observatio: *memento*, inquit Deus (*Exod.* 20, 8) *ut diem sabbati sanctifices*: quemadmodum itaque Hebræi die sabbati, ab omni servili opere abstinendo, tenebantur sacrificia offerre Deo, ita in lege gratiæ Christiani tenentur incruento Christi sacrificio interesse, & conjunctis cum Ecclesia votis offerre: quod autem de Dominica dictum est, quæ sabbato Judæorum respondet, debet de festivis diebus pari ratione intelligi: quemadmodum enim præter sabbatum voluit Deus in lege veteri dies aliquos sibi specialiter consecrari; sic in lege nova, præter diem Dominicum, di-

versas anno decurrente solemnitates esse celebrandas, traditione Apostolorum accepimus, quarum augere, aut minuere numerum Christus penes Ecclesiam esse voluit.

2. In jure Ecclesiastico, quod ab ipsis Ecclesiæ primordiis originem habet: nam

1. In Actibus Apost. insinuatur, Apostolos singulis pene diebus, & festivis præcipue sacrificium obtulisse, *quotidie*, inquit S. Lucas, (*Act.* 2, 46) *perdurantes unanimiter in templo, & frangentes circa domos panem, sumebant cibum cum exultatione, & simplicitate cordis* .... pauloque superius, (*ib. v.* 42) de tota Ecclesia legitur: *erant autem perseverantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus*; nam per fractionem panis divinam Eucharistiam significari, tum textus ipse satis aperte declarat, tum ex communi patrum interpretatione certissimum est.

2. Hoc ipsum testatur *S. Justinus martyr* 2 sæculi scriptor; *illo die*, inquit, (*Apol.* 2) *quem solis diem appellant, omnium qui vel in oppidis, vel ruri degant, in eumdem locum conventus fit: & commentaria Apostolorum, aut scripta prophetarum, quoad tempus fert, leguntur: deinde lectore quiescente præsidens orationem habet, qua populum instruit, & ad imitationem tam pulchrarum rerum adhortatur, post hæc consurgimus communiter omnes, & precationes profundimus, & sicuti dictum est precibus peractis, panis offertur, & vinum, & aqua; & præsidens quantum pro virili sua potest, preces & gratiarum actiones undit, & populus fauste acclamat, dicens: Amen. Et distributio communicatioque fit eorum, in quibus gratiæ sunt actæ, cuique præsenti*, absentibus autem per diaconos mittitur.

3. Sequentibus sæculis ita fuit in diversis Conciliis constitutum. Sic enim Synodus *Agathensis* can. 4: (*ann.* 506) *missas*, inquit, *die Dominico a sæcularibus totas teneri, speciali ordinatione præcipimus*; idemque *Concilio Carthagin.* 4 sancitum.

4. Hoc synodorum decretum universalis Ecclesia usu perpetuo confirmavit, adeoque vim habet legis fideles omnes ubique & generaliter obligantis: unde præceptum Missam audiendi diebus Dominicis & festivis, in Ecclesiasticis constitutionibus locum habet, quæ infringi sine peccato mortali non possunt.

Q. 2. Qui dicendi sint legitime impediti, adeoque a præcepto implendo immunes?

℟. In eo numero esse:

1. Generaliter omnes, qui impotentia morali aut physica detinentur, qua fit ut vel omnino, vel saltem sine gravi periculo nequeant sacrificio interesse.

2. Eos qui vacant exercitio caritatis, ut si quis opem ægrotanti ferat, &c.

3. A debito audiendi Missam officium aliquando liberat, si hic & nunc ad bonum familiæ, aut Reipublicæ fuerit necessario exercendum: sic miles e. c. qui dum celebratur sacrificium, excubias agit, legitimam dispensationis causam habet: idem dicendum de Pastoribus, quorum loco alii non possunt substitui, qui curam pecoris habeant.

In his & similibus casibus, qui persæpe occurrunt, legitima excusatio est: monendi tamen a Parochis, qui corpore præsentes esse non possunt, ut voluntate & Spiritu adsint, seque ipsi Ecclesiæ divinam rem operanti mente conjungant, si velint tanti beneficii participes fieri.

Q. 3. Ubinam debeat præceptum impleri? Sensus quæstionis est, utrum non alibi quam in suis Parochialibus Ecclesiis possint fideles præcepto de Missa audienda satisfacere?

R. Sive in propria Parochia, sive in Ecclesiis regularium Missa audiatur, præcepto Ecclesiæ satisfieri.

De Parochia unicuilibet assignata nemo ambigit esse locum idoneum.

Quantum vero ad Ecclesias Regularium, probatur responsio ex constitutione *Leonis X Pontificis Max.* data Romæ die 13 Novemb. an. 1517: *Intelleximus*, inquit, *quosdam in dubium revocare, & proinde timoratis conscientiis scrupulum injicere, si Christifideles qui Dominicis & festis diebus extra Ecclesias suas Parochiales, Missas audiunt in Ecclesiis Fratrum Ordinum Mendicantium, Ecclesiæ præcepto de Missa audienda satisfaciant: nos enim ambiguitatem hujusmodi penitus tollere volentes, ut cum sinceriori conscientia fideles quique Deo creatori suo serviant, auctoritate Apostolica, tenore præsentium notum facimus, omnes Christifideles utriusque sexus, qui non contempto proprio Sacerdote Parochiali, in Ecclesiis fratrum ordinum mendicantium, Dominicis & festis diebus Missas audiunt, satisfacere præcepto Ecclesiæ de Missa audienda, nec in aliquam labem peccati mortalis, pœnamve incurrere.*

Quam declarationem confirmavit S. Pontifex *Pius V* diplomate dato Romæ 17 Kal. Septem. an. 1567: *Christifideles*, inquit, *audiendo Missas & alia divina officia in Ecclesia fratrum hujusmodi, diebus Dominicis aut festivis, præcepto Ecclesiæ de illis audiendis, satisfecisse censeantur.* Ergo &c.

Q. 4. Utrum teneantur fideles, proprias Parochias frequentare?

℟. Cum Concilio Trid. affirmative: sic enim sess. 22 in decreto de observ. & vitandis

in

in celebr. Missæ statutum legimus: *Ordinarii locorum Episcopi moneant populum, ut frequenter ad suas Parochias, saltem diebus Dominicis, & majoribus festis accedant*: & sess. 24 de Ref. c. 4: *Moneat Episcopus populum diligenter, teneri unumquemque Parochiæ suæ interesse, ubi commode id fieri potest, ad audiendum verbum Dei* .... & ib. c. 7: *Episcopi curabunt ut Parochi inter Missarum solemnia, aut divinorum celebrationem, sacra eloquia, & salutis monita, vernacula lingua, singulis diebus festis vel solemnibus explanent: eademque in omnium cordibus, postpositis inutilibus quæstionibus, inserere, atque fideles in lege Domini erudire studeant.*

Ita Patres Trid. ad quorum mentem clerus Gallicanus in Generali conventu an. 1700 sequentes propositiones damnavit:

Nullus in foro conscientiæ Parochiæ suæ interesse tenetur, nec ad audiendum verbum Dei, divinam legem, fidei rudimenta, morumque doctrinam, quæ ibi in catechesibus annuntiantur & docentur.

Talem legem in hac materia, nec Episcopi, nec Concilia Provinciarum, nec nationum sancire, nec delinquentes aliquibus pœnis, aut Ecclesiasticis censuris mulctare possunt.

Plebs virtute Concilii Trid. cogi non potest censuris, & pœnis Ecclesiasticis, ut ad suam Parochiam ad audiendam Missam Parochialem veniat.

De his, inquam, propositionibus Reverendissimus & Illustrissimus ordo sic judicavit: *Harum propositionum doctrina falsa est, temeraria, scandalosa, jam a Clero Gallicano graviter condemnata, sacris canonibus, Concilio Tridentino, & Apostolicæ traditioni contraria, dicente Apostolo*: (*Hebr.* 10, 25) *non deserentes collectionem nostram, sicut consuetudinis est quibusdam.*

Q. 5. utrum hæc lex sit adeo necessaria, ut nemo qui contra egerit, valeat excusari?

R. Negative. Excusantur enim,

1. Qui non contempto proprio Sacerdote, neque spreta Parochiali Ecclesia, alia templa tum ad Missam audiendam, tum ad verbum Dei percipiendum adeunt.

2. Excusantur fideles in iis locis, ubi commode non possunt omnes Parochiali officio interesse: si e. c. civitas aliqua ita ampla sit, aut ita angustum curiale templum, aut ita exiguus numerus Parochiarum, ut non possint omnes propriis Ecclesiis interesse.

3. Excusantur, qui causa legitima impediuntur.

Q. 6. Qui censendi sint proprium Parochum, & templum curiale contemnere?

℟. 1. Eos omnes esse, qui dissidia & contentiones in Parochiis excitant, qui Pastoribus lites injustas intentant, qui eos vel odio habent, vel parvi faciunt, eaque de causa a propriis Ecclesiis abstineut.

2. Eos esse, qui ut promptius ab audiendæ Missæ debito liberentur, Parochiale officium deserunt, & in alio quovis templo Missam privatam furtim ac præcipitanter venantur, ut quidquid temporis die Dominico aut festivo superfuerit, in otio, & mundanis oblectationibus trausigant.

3. Eos omnes generatim esse, qui sine causa legitima, tribus continuis Dominicis a propria Parochia absunt: antiquum illud Ecclesiæ Decretum est, in *Concilio Burdigalensi* (*ann.* 1583, cap. 5, renovatum: *Vetus illud decretum*, inquiunt Patres, *identidem Pastores denuncient, quo proposita excommunicationis pœna præcipitur, ne quis tribus continuis Dominicis a Parochialis Missæ celebratione absit, quod ut accuratius adbuc observetur, sciscitentur confessarii a pœnitentibus, an huic officio satisfecerint: & peccati gravitatem, ut ab eo in posterum arceantur, ipsis proponant.*

Q. 7. Utrum ubi commode non potest propria Parochia frequentari, ab hoc officio fideles absolute & toto vitæ decursu immunes sint?

℟. Negative: eatenus enim excusantur, quatenus abest contemptus: sed qui tempore diuturno a suis Parochiis abstinent, hoc ipso in contemptus culpam incurrunt, ut ex prædictis facile colligitur. Ergo &c.

Q. 8. Cum audiendæ Missæ debito, in Ecclesiis Regularium, ut ante diximus, satisfiat; quæ tanta potest esse frequentandæ Parochiæ causa?

℟. Plures & gravissimas esse.

1. Enim memores esse debent fideles mandati ab Apostolo intimati: (*Hebr.* 13, 17) *Obedite Præpositis vestris, & subjacete eis: ipsi enim pervigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri: ut cum gaudio hoc faciant, & non gementes: hoc enim non expedit vobis*: nam, quæso, quomodo obedire præpositis suis, eisque subjacere putandi sunt, qui ne audire quidem dignantur, vixque eos nomine norunt? quid prodest vigilantes habere pastores, si oves a pastoribus longe recedant, & renuant sequi vocantes? quomodo cum gaudio hoc facient, & amabunt Parochianos (secundum hominem loquor) a quibus se non modo non redamari, sed etiam despici, magno suo mœrore intelligunt? quomodo tandem supremo Pastori Christo, pro animabus sibi commissis, reddent in die judicii rationem, quibus hoc unum forte supererit, ut cum Propheta conquerantur: (*Isai.* 65, 2) *Tota die expandimus*

dimus manus nostras ad populum non credentem, & contradicentem?

2. Ingrati animi est, Ecclesiam illam toto vitæ cursu deserere, quæ in Christo te genuit, ubi sacro fonte expiatus, in numerum filiorum Dei es cooptatus, quæ adhuc parvulum lacte Evangelii enutrivit, & primis fidei rudimentis instruxit: ubi pro te diebus singulis sacrificium Eucharisticum specialiter, etiam te non petente, offertur; unde denique quando ad vitæ finem perveneris, sacrum viaticum, unctionem extremam, & necessaria in ultimo agone subsidia, si vere es Christianus, expectas; atqui hæc insignia beneficia sunt, quæ in sua quisque Parochia, a proprio Pastore tum accepit hactenus, tum accepturum tempore venturo confidit: par ergo est, ut unde accepta est spiritualis in Christo nativitas, unde ejusdem vitæ incrementa venerunt, unde denique in ultima vitæ mortalis periodo, contra insultus dæmonum protectio expectatur, ibi vigeat frequens exercitatio pietatis & vitæ Christianæ: nec magis excusari possunt, qui hoc tantum officium negligunt, quam qui præceptum legis naturæ de parentibus honorandis infringunt.

3. Hoc ipsum probant gravia detrimenta, quæ ex frequenti ab Ecclesia Parochiali absentia necessario sequuntur: cum enim in templis curialibus, prout est ab Ecclesia institutum, festis Dominicisque diebus sacra eloquia & monita salutis a Pastoribus explicentur: cum ibidem jejuniorum indicantur & abstinentiæ dies: & per hebdomadam occurrentes solemnitates denuntientur, quibus, ab omni servili opere quiescendum est: cum illic fiant matrimoniorum contrahendorum, & clericorum ordinandorum solemnes proclamationes, ut si quis impedimentum aliquod esse cognoverit, de eo Ecclesiam moneat: cum denique ibidem alia hujus generis multa publicentur, quæ sciri ab omnibus convenit; consequens est eos, qui sine honesta & rationabili causa ab Ecclesia Parochiali frequenter absunt, harum rerum incurrere ignorantiam, quæ cum voluntaria sit & affectata, tum ipsa peccatum est, tum multarum radix & origo culparum.

Non itaque in rebus indifferentibus proprie Ecclesiæ frequentatio est ponenda: optandum igitur, imo a confessariis stricte præcipiendum, ut ex unaquaque familia, saltem aliqui singulis Dominicis & festis diebus officio Parochiali intersint, qui audiant diligenter verba Pastorum, ut cum in suis quique domos redierint, cæteris Ecclesiæ jussa, & quæ fuerint per hebdomadam observanda significent.

Jam si ad eamdem responsionem stabiliendam auctoritas quæritur, multiplex sane non deerit: nam præter decreta Concilii Trid. relata superius, hoc ipsum in antiquioribus canonibus, & synodalibus decretis legimus constitutum.

Memini, inquit Magnus ille Osius, in Concilio Sardicensi, c. 14, *in superiore Concilio Fratres nostros constituisse, ut si quis Laicus in ea, in qua commoratur civitate, tres Dominicos dies, idest, per tres septimanas non celebrasset conventum, Communione privaretur.*

Admonendus est populus, ait 8 sæculo Theodulphus Aurelianensis, (*in capitulari c. 46*) *ut ante publicum peractum officium, ad cibum non accedat, & omnes ad S. Matrem Ecclesiam, Missarum solemnia, & prædicationem audituri conveniant, & Sacerdotes per oratoria nequaquam Missas, nisi tam caute ante secundam horam celebrent, ut populus a publicis solemnitatibus non abstrahatur: sed sive Sacerdotes, qui in circuitu urbis, aut in eadem urbe sunt, sive populus, in unum ad publicam Missarum celebrationem conveniant.*

Parochianus existens in Parochia, ajunt statuta synodalis Ecclesiæ Rothom. (*ann.* 1344) *si tribus diebus Dominicis continuis ad Missam non venerit, excommunicetur ... item inquirat specialiter* (Sacerdos) *a pœnitentibus Parochianis, si venerint diebus Dominicis & festivis, ad suam Matrem Ecclesiam Parochialem: cum ad hoc teneantur tam de jure divino, quam humano, tam naturali, quam positivo: & quod non sint deterioris devotionis quam Judæi & Saraceni, qui in suis solemnitatibus sabbatinis, in suis conveniunt synagogis: quod si non venerint prout tenentur, ipsam taliter in prosperitate contemnendo; debent merito formidare, ne ipsa sua Parochialis Ecclesia, ipsos vel suos liberos despiciat in adversitate, utpote in suis infirmitatibus, vel in morte.*

Accedit synodorum, quæ Concilium Trid., vel paulo præcesserunt, vel proxime sunt secutæ, judicium: (*Senonen.* 1524, *Carnotensis* 1526, *Parisiensis* 1557, *Narbonensis* 1551, *Rothomag.* 1582, *Burdigalensis* 1583, *Turonensis* 1583) singularum verba describere longius fuerit: non præteribo tamen *S. Caroli* in 4 Mediol. concilio verba, quibus, & suos ad Parochiam frequentandam Pastorali sollicitudine adhortatur, & mala deplorat quæ ex hujus officii negligentia oriuntur: *Hinc enim*, inquit, *in plerisque sæpe fidei articulorum, & Dei sanctæque Matris ecclesiæ præceptorum, quæ ad salutem consequendam Christianum hominem nosse oportet, imperitia, festorum dierum cultus neglectus: debita Christianæ pietatis opera non exculta, non cognita Christi vinc familiarum institutio: languescens Sacerdotum & Parochorum omne officium: eorum aliquis contemptus: sanctissi-*

ctissimorum institutorum & sacrorum canonum violatus usus: hinc denique de Ecclesiis Parochialibus instaurandis, ornandis, sartis tectisque habendis cura multis ex partibus neglecta, in illisque nulla aut pene exigua Ecclesiastica, ad divina officia obeunda, supellex.

Nec vero quemquam aliquod, quod vel ex Parochialis Ecclesiæ aliqua distantia, vel ex pluvia, frigore, æstu, temporumve vicissitudine existit incommodum, ab hoc officio deterreat; imo vero ad illud diligentius exequendum, prout in Domino confidimus, se quisque eorum accendat necesse est, qui salutis suæ memores, hujus rei gravitatem, eorum quæ commemorata sunt ratione perpendent, quique aliquando secum animo reputabunt, non solum Parochialem Ecclesiam sibi datam esse, in qua primum baptismo suscepto, Christo Domino renati, aliis Sacramentis aluntur ad perpetuam salutem, sed Parochum etiam Sacerdotem sibi loco parentis esse debere, quem diligant, colant, atque observent: hoc sibi proponentes, illum pro fidelibus sibi commissis, apud Deum, internuncium ac deprecatorem esse, divinæ legis interpretem, dispensatorem mysteriorum Dei, Christianæ vitæ & morum disciplinæ magistrum, a quo omne petant pie recteque agendi consilium, ac denique ministrum omnium fere quæ ad salutem eis necessaria sunt, &c.

Q. ultimo, utrum qui cum peccati mortalis affectu sacrificio interest, audiendæ Missæ debito satisfaciat?

℟. Negative: non enim divina lex actus solummodo exteriores, sed internos potissimum imperat, quibus vera Religio continetur. Sed qui Missæ sacrificio cum affectu peccati mortalis assistit, ab officiis veræ Religionis, fide scilicet viva, fiducia, reverentia Numinis, ejusdemque in spiritu & veritate adoratione longissime distat, quod nemo negabit, qui naturam peccati mortalis, quantaque ex ejus affectu sequatur pernicies, intellexerit. Ergo &c.

Deinde hinc non potest Deo satisfieri, nec ejus mandatum impleri, unde magis offenditur & incitatur ad iram: sed qui cum affectu peccati mortalis sacrificio interest, hoc ipso Deum offendit gravissime, & ejus iracundiam provocat: mendax enim est, hypocrita, & divinæ majestatis derisor: mendax, inquam; preces enim liturgicæ quas non suo tantum, sed & adstantium omnium nomine fundit Sacerdos, quæque peccati detestationem & veram cordis pœnitentiam undique spirant, contra mentem ejus eduntur, quippe qui interius, propter obstinatam in affectu peccati voluntatem, iisdem precibus repugnet ac contradicat: unde sequitur quod hypocrita sit, & in Deum contumeliosus, de eorum numero de quibus ait in Evangelio Christus: (*Matt.* 15, 8) *Populus hic labiis me honorat; cor autem eorum longe est a me*. Violator ergo non observator mandati est: ut enim vere Deo serviatur, non quæritur quid fiat exterius, sed quo intus animo fiat, hucque faciunt apertæ scripturarum sententiæ: *Qui declinat aures suas, ne audiat legem*, ait Sapiens, (*Prov.* 28, 9) *oratio ejus erit execrabilis*. Et apud Isaiam: (*Isa.* 1, 1, 15) *Cum extenderitis manus vestras*, inquit Deus, *avertam oculos meos a vobis: & cum multiplicaveritis orationem, non exaudiam: manus enim vestræ sanguine plenæ sunt*.

Præterea: qui Missæ sacrificio interest, si vere vult hoc tantum officium implere, debet sin minus sacramentaliter, spiritualiter saltem ejusdem fieri particeps; atqui cum affectu peccati mortalis, prorsus impossibile est, ut hostiæ sanctæ communicare valeat: alioquin enim mensæ Domini, & mensæ demoniorum simul esset particeps, quod repugnat: quemadmodum itaque præcepto Paschatis faciendi per Communionem sacrilegam nemo satisfacit: ita nec præceptum audiendæ Missæ, cum affectu peccati mortalis adimplet.

Objectio.

Quorsum ergo, inquies, Ecclesia peccatoribus præcipit, ut sacrificio intersint?

℟. Ita præcipiendo, simul admonere ut affectum peccati deponant, & Spiritum fidei, humilitatis, compunctionis, & pœnitentiæ vel jam habeant, vel saltem habere desiderent, & a Deo enixe petant: hinc in ipso Missæ introitu generalis peccatorum, non a Sacerdote tantum, sed & ab iis omnibus qui præsentes adsunt confessio facienda præscribitur, alioquin enim si corda scrutaretur Ecclesia, & in eorum numero qui sacrificio præsentes adsunt, cognosceret aliquem in malitia obstinatum, templi foribus sine dubitatione exterminaret: sed cum de internis non judicet, id quod potest præcipit, ut nimirum fideles exteriori habitu ad pietatem composito, interioris fidei, reverentiæ, & compunctionis signa exhibeant: hinc Patres Concilii Trid. sic decernunt: (*sess.* 22 *in decr. de observ. & vitandis in celebr. Mis.*) *Ordinarii locorum Episcopi ... neminem qui publice & notorie criminosus sit, aut Sancto altari ministrare, aut sacris interesse permittant: neve patiantur ... sanctum hoc sacrificium a sæcularibus aut regularibus quibuscumque peragi, nisi prius, qui intersunt, decenter composito corporis habitu declaraverint, se mente etiam ac devoto cordis affectu, non solum corpore adesse*.

AP-

APPENDIX

AD PRÆCEDENTES QUÆSTIONES

De Missarum stipendio.

Q. 1. Quid sit stipendium, sive honorarium Missæ?

R. Esse speciem quandam voluntariæ oblationis, quæ fit a fidelibus ad sustentationem ministrorum Ecclesiæ.

Q. 2. Unde originem habeat?

R. Esse petendam ab oblationibus quæ olim in pane & vino ad sacrificii celebrationem fieri consueverant: nam primis temporibus Christianorum mos fuit, ut qui ad Missarum solemnitatem conveniebant, de suis quisque ad sacrificium facultatibus contribuerent. Cumque non posset totum quod offerebatur, ad Eucharistiæ consecrationem impendi (tantum enim panis & vini mystica benedictione transmutabatur, quantum ad Sacerdotis, ministrorum, & adstantis populi Communionem sufficeret:) quod reliquum erat, ad alendos ministros & pauperes reservabatur.

Q. 3. Quo jure nitatur Missarum stipendium?

R. Inniti jure antiquo quo divinitus in lege Mosaica cautum erat, ut partem victimarum ad proprios usus Sacerdotes & Levitæ reciperent; itemque primitias frumenti, vini, & olei, prout in Deuter. legitur (*c.* 18) ad alimoniam vindicarent: quam legem inculcans Apostolus, *Nescitis*, inquit, (*1 Cor.* 9, 13, *& seq.*) *quoniam qui in sacrario operantur quæ de sacrario sunt, edunt? & qui altari deserviunt, cum altari participant? ita & Dominus ordinavit iis qui Evangelium annunciant, de Evangelio vivere.*

Q. 4. Quamobrem pene abolita sit antiqua consuetudo panem & vinum ad altare offerendi, & in ejus locum introducta fuerit oblatio pecuniæ, ante vel post sacrificium?

R. Non alteri causæ mutationem hanc adscribendam, quam rariori communioni fidelium: primis enim temporibus, ut prædiximus, numquam sacrificium offerebatur, quin multi simul adstarent, & Sacramentaliter communicarent: *Sciendum est*, inquit Micrologus (*de Ecclesiast. observationibus cap.* 51.) *juxta antiquos Patres, quod soli communicantes divinis mysteriis interesse consueverant: unde & ante oblationem jubebantur exire catechumeni, & pænitentes, videlicet qui nondum paraverant se ad communicandum: hoc quoque ipsa Sacramentorum innuit confectio, in qua Sacerdos non pro sola sua oblatione & communicatione, sed & aliorum rogat, & maxime in oratione post Communionem, in qua pro solis communicantibus orare videtur.*

Cum itaque beata illa ætate omnes qui ad synaxim conveniebant, vellent mysteriorum Sacramentaliter esse participes: suas singuli oblationes ad altare conferebant, quæ etiam sacrificia dicebantur: extat de hac re *S. Cypriani* præclarissimum testimonium, (*lib. de operib. & eleemosyna*) ubi divitem Matronam redarguit, quod ad liturgiam faciendam de suo nihil afferret: *Locuples es*, inquit, *dives es, & Dominicum celebrare te credis, quæ in Dominicum sine sacrificio venis, quæ partem de sacrificio quod pauper obtulit, sumis?*

Quin & nonnullæ etiamnum extant in Missali orationes, in quibus antiqui moris vestigium, & certissima testificatio est: qualis est, præter cæteras, oratio secreta Dominicæ quintæ post Pentecosten, his verbis concepta: *Propitiare Domine supplicationibus nostris, & has oblationes famulorum famularumque tuarum benignus assume, ut quod singuli obtulerunt ad honorem, singulis proficiat ad salutem.*

Cum vero, ut prædiximus, non omnis quæ offerebatur quantitas panis & vini ad sacrificium esset necessaria, quidquid residuum erat, ad ministrorum & pauperum alimoniam seponebatur: hocque tum temporis erat loco illius quod modo Missarum stipendium & Sacerdotum honorarium appellamus. Sed postquam ruente in pejus ætate, multorum refriguit caritas, & rarissima cœpit esse divini alimenti communio: tum vero cessante causa, cessavit panis & vini quæ fieri ante consueverat magna quantitate oblatio: eaque fidelibus occasio fuit:

1. Ut denarios Sacerdotibus, vel ante vel post Missam, ad alimentum præberent.

2. Ut prætextu eleemosynæ quantumvis exiguæ, Missas peculiares exigerent.

3. Ne quid dissimulem, fuit illud magnum & iniquissimum avaritiæ incentivum, illinc quidem Laicis, de constituendo Missarum pretio, non secus ac de vilissimis mercimoniis contendentibus, istinc vero Sacerdotibus quibusdam, contra Christi & Ecclesiæ mentem, sanctuarium Dei in officinam mutantibus, & de numero Missarum pro numerata pecunia paciscentibus.

Q. 5. Utrum Sacerdos qui debet celebrare pro pluribus, eumque in finem eleemosynam sive honorarium a multis accepit, muneri suo satisfaciat, pro omnibus unum sacrificium offerendo?

R. Nedum satisfaciat, peccare gravissime, & ad restitutionem teneri: qui enim eum in finem honorarium persolvunt, ut specialiter

pro

pro se Missa offeratur, applicari sibi volunt fructum respondentem intentioni & debito Sacerdotis, quod nimirum spontanea eleemosynæ acceptatione, & reciproca promissione contraxit; atqui fructus sacrificii ea ratione spectatus finitus est, ut constat ex dictis quæstione septima, capite tertio; atque adeo quo in plures dividitur, eo minor ad singulos pervenit: justa ergo petitione, suoque jure fraudantur, qui Sacerdoti stipendium contulerunt, si Missa una & eadem aliis specialiter applicetur, qui soluto stipendio sacrificium pro se offerri pariter postularunt: verbo dixerim, & illi & isti ab improbo ministro deluduntur, quod singulis ex integro promiserat, ex parte tantum tribuente.

Deinde Missæ stipendium, ut paulo ante dicebamus, est voluntaria quædam oblatio, loco ejus substituta, quæ primitus de pane & vino fiebat: quemadmodum itaque priscis temporibus diurna oblatio proprium ac peculiare sacrificium exigebat; ita tenetur in præsenti Sacerdos tot sacrificia celebrare, quot celebraturum se promisit oblata honoraria acceptando: alioquin justitiæ leges infringit, datam fidem violat, turpisque lucri convincitur, divinum & inæstimabile sacrificium in vilem mercaturam convertendo.

Hinc sacra Cardinalium Concilii Trid. interpretum congregatio sic decrevit: (*anno* 1625, *die* 21 *Junii*) *Ubi pro pluribus Missis, etiam ejusdem qualitatis, celebrandis stipendia quantumcumque incongrua & exigua, sive ab una sive a pluribus personis collata fuerunt, aut conferentur in futurum Sacerdotibus, Ecclesiis, capitulis, hospitalibus, societatibus, monasteriis, conventibus, congregationibus, domibus, ac locis piis quibuscumque, tam sæcularibus, quam regularibus, sacra congregatio sub obtestatione divini judicii mandat ac præcipit, ut absolute tot Missæ celebrentur, quot ad rationem attributæ eleemosynæ præscriptæ fuerint: ita ut alioquin ii ad quos pertinet suæ obligationi non satisfaciant, quin imo graviter peccent, & ad restitutionem teneantur: id vero ut deinceps observetur exactius, Sacra Congregatio eadem auctoritate revocat privilegia & indulta omnia quibusvis personis Ecclesiasticis, ac locis piis, tam sæcularibus, quam regularibus, cujuscumque ordinis, congregationis, & instituti, quamcumque ob causam concessa, quibus indulgetur, ut certarum Missarum vel anniversariorum celebratione, aut aliquibus collectis, seu orationibus, plurium Missarum oneribus in futurum suscipiendis satisfiat.*

Confirmatur responsio ex decreto *Alexandri VII* Pontificis Max., quo inter alias corruptæ moralis propositiones, quas, ut minimum tamquam scandalosas damnavit, (*ann.* 1665, *die* 24 *Sept.*) hæc ordine 10 est: *Non est contra justitiam, pro pluribus sacrificiis stipendia accipere, & sacrificium unum offerre: neque etiam est contra fidelitatem, etiamsi promittam promissione, etiam juramento firmata, danti stipendium, quod pro nullo alio offeram.*

Objectiones.

In contrarium opponitur: fieri potest, imo plerumque contingit, ut Missæ stipendium ita sit tenue, ut ad Sacerdotis alimentum non possit sufficere: cum itaque altari serviens, de altari vivere debeat, jure suo facit, quando pro multis a quibus oblationes accepit, unum sacrificium offert.

℞. Concesso ant. nego conseq. qui enim a Sacerdotibus Missas postulant, diurnam illis sustentationem ex toto non debent: cum non ideo tantum presbyteri constituantur ut Missas celebrent, sed ad pleraque officia teneantur, pro Ecclesiæ membris omnibus persolvenda, id quod facile assentietur, qui sciverit antiquitus neminem, nisi quatenus Ecclesiæ necessitas postularet, ad sacrum ministerium fuisse promotum, & unicuique, pro gradu diverso quem obtinuerat, ad vitam temporalem decenter agendam, de facultatibus Ecclesiæ ac fidelium eleemosynis fuisse provisum: nihilque magis priscis moribus repugnare, quam vagos illos presbyteros, qui cum nec patrimonium temporale, nec Ecclesiasticum beneficium habeant, de solo sacrificio victitant, & ad turpia plerumque coguntur: hinc Sacrum Concilium Trid. disciplinam veterem, quoad licuit, renovans, sic decrevit: (*sess.* 21, *in decr. de Reformat. cap.* 2) *Cum non deceat, eos qui sacro ministerio adscripti sunt, cum ordinis dedecore mendicare, aut sordidum aliquem quæstum exercere, compertumque sit, complures plerisque in locis ad sacros ordines nullo fere delectu admitti, qui variis artibus ac fallaciis confingunt, se beneficium Ecclesiasticum, aut etiam idoneas facultates obtinere: statuit sancta synodus, ne quis deinceps clericus sæcularis, quantumvis alias sit idoneus moribus, scientia, & ætate, ad sacros ordines promoveatur, nisi prius legitime constet eum, beneficium Ecclesiasticum, quod sibi ad victum honeste sufficiat, pacifice possidere ... patrimonium vero vel pensionem obtinentes ordinari posthac non possint, nisi illi, quos Episcopus judicaverit assumendas pro necessitate, vel commoditate Ecclesiarum suarum: eo quoque prius perspecto, patrimonium illud vel pensionem vere ab eis obtineri, taliaque esse, quæ eis ad vitam sustentandam satis sint; atque illa deinceps sine licentia Episcopi alienari, aut extingui, vel remitti nullatenus possint,* do-

donec beneficium Ecclesiasticum sufficiens sint adepti: vel aliunde habeant, unde vivere possint: antiquorum canonum pœnas super his innovando.

Itaque diurnæ sustentationis stipendium ex Missarum celebratione Sacerdotibus expectandum non esse, censuerunt Patres Tridentini.

Inst. 1. Missæ sacrificium infiniti valoris est: ergo tam potest pro multis singulatim stipendium persolventibus, quam generatim pro omnibus, etiam non solventibus applicari.

℟. 1. Concesso ant. n. conseq. imo vero quia valoris infiniti est sacrificium; ideo liberali animo offerendum, omnique cura cavendum ne mercenario ac sordido modo tractetur. Sed qui putant pro pluribus stipendiis posse unico sacrificio satisfacere, non jam illi operam suam & ministerium locant, sed Sanguinis Christi fructum meritumque divendunt: quasi nimirum pecunia æstimari posset gratia Dei, seu verius Christus ipse, in cujus comparatione omne aurum, quid aliud, si quid est, nisi arena exigua est? quasi liceret tremendum ministerium, ad explendam avaritiam, exercere, de quo dictum a Christo: (*Matth.* 10, 8) *gratis accepistis, gratis date*: quasi non esset quæ fit a fidelibus oblatio voluntaria, sed coacta: quasi denique liceret sacerdotibus in tam gravi negotio fidem frangere, quam ne in minimis quidem pactionibus impune violare, etiam laicis, lege civili permittitur.

R. 2. Dist. ant. sacrificium Eucharisticum infiniti valoris est, quantum ad sufficientiam, habita ratione Christi primarii sacerdotis, & hostiæ quæ offertur, con. quantum ad efficientiam, & fructus applicationem, n. ant. & conseq. solutio patet ex dictis qu. 7, c. 3.

R. 3. Dist. conseq. tam potest pro multis singulatim solventibus, quam pro non solventibus applicari, intentione & applicatione generali, conc. intentione stricta, qualem exigit stipendii persolutio, nego.

E. R. Sacrificium quodlibet, ut sæpius dictum est, solemne & publicum est, quia pro tota Ecclesia & omnibus ejus membris, velit nolit sacerdos, offertur: atque adeo privatis quibuslibet intentionibus non potest generalis illa intentio coarctari: itaque si sacerdos in uno eodemque sacrificio eorum omnium memoriam faciat, a quibus stipendia accepit, non in hoc erit culpandus, imo eo impensius suo officio defungetur, sed non erit propterea a sacrificio singulatim pro omnibus offerendo immunis: tum quia singulatim cuilibet fidem dedit se oblaturum; tum quia oratio pro una speciali persona applicata, plus prodest eidem quam generalis, ut contra *Wicleffum* in concilio generali *Constant.* est definitum. *Valor suffragiorum*, inquit S. Thomas, (*in* 4, *dist.* 45, *qu.* 2, *art.* 4) *potest pensari ex duobus: valent enim uno modo ex virtute caritatis, quæ facit omnia bona communia .... alio modo valent ex hoc, quod per intentionem unius alteri applicantur: & sic satisfactio unius alteri computatur: & hoc modo non est dubium, quod magis valent ei pro quo fiunt; imo sic ei soli valent: satisfactio enim proprie ad pœnæ dimissionem ordinatur: unde quantum ad dimissionem pœnæ præcipue valet suffragium ei pro quo fit.*

Inst. 2. Non est dubium quin Sacerdoti sacrificium celebranti fructus aliquis specialis, & novus gratiæ gradus adveniat: atqui potest fructum illum sibi proprium alteri applicare: ab illo ergo pariter poterit eleemosynam accipere: adeoque nemini facit injuriam stipendia duplicando.

R. Data majore, nego min. nam

1. Specialis hic Sacrificii fructus sacerdoti proveniens, beneficium est personale, adeoque alteri incommunicabile: non enim ab homine, sed a Deo totius gratiæ fonte in hominem gratia derivatur.

2. Sacerdoti non licet ita salutis suæ & spiritualis profectus esse negligentem, ut propter vilissimi pretii comparationem, augmento gratiæ, remissioni pœnæ, novis gratiæ auxiliis, quæ possèt per sacrificium impetrare, tanta facilitate renuntiet: hinc sacra Congregatio Cardinal. Concil. Trid. interpretum, opinionem hanc maturo præmisso examine proscripsit, declarando, (*ann.* 1659, *die* 25 *Jan.*) *nulli Sacerdoti licitum esse, præfata ratione sive prætextu, aliam eleemosynam accipere, præter illam quam accepit ab eo, pro quo missam offerre tenetur: ac proinde casum hunc esse comprehensum in decretis, alias per eamdem Sacram congregationem Concilii editis, quibus prohibetur, ne duplex stipendium pro unica missa recipiatur.*

Dixi: data majore: est namque in præsenti casu falsissima: nedum enim sic affectus sacerdos possit sacrificii spiritualem sibi fructum aliquem vindicare, dum avaritiæ ita servit, quæ Apostolo judice idololatria est, thesaurizat sibi iram in die iræ & revelationis justi judicii Dei, qui tanti delicti atrocitatem impunitam non relinquet.

Inst. 3. Ad Episcopos sive locorum ordinarios pertinet, præscribere eleemosynas congruas ad missarum celebrationem, juxta qualitatem locorum, personarum, ac temporum: poterit ergo sacerdos si honorarium minus acceperit, ad arbitrium duplicare stipendia, & pro pluribus uno sacrificio satisfacere.

R. Con-

R. Concesso ant. n. conseq. tenetur enim fidem liberare suam, tot sacrificia offerendo, quot se oblaturum spopondit, quantumvis exigua eleemosyna sit: *præcipitur Sacerdotibus*, inquit Urbanus VIII Sum. Pontifex: (*in Bulla: cum sæpe contingat &c.*) *ubi pro pluribus missis plura stipendia, quantumcumque incongrua & exigua collata fuerunt, ut tot missæ ab iis celebrentur, quot ad rationem attributæ eleemosynæ præscriptæ fuerint; etiam si Ordinarius præscripserit eleemosynam congruam, juxta qualitatem loci, personarum, ac temporum: ita ut alioquin ii ad quos pertinet, suæ obligationi non satisfaciant, quin immo graviter peccent, & ad restitutionem teneantur.*

Q. 6. Utrum sacerdos qui missam celebrandam cum certa eleemosyna suscepit, possit eamdem alteri celebrandam committere, parte eleemosynæ sibi retenta; modo tamen illi justum & consuetum honorarium persolvat.

R. Negative: eleemosyna enim tota quanta est, ad missam celebrandam collata fuit: illi ergo prorsus indebita est, qui non celebrat, adeoque si partem ejus aliquam sibi arroget, non solum turpis lucri, sed & furti notam incurrit, & ad restituendum tenetur: ita responsum a sacra Congregatione Cardinal. Concilii Trid. interpretum, Ecclesiæ clavum tenente *Urbano VIII* Pontifice Max. (*ann.* 1625): *omne damnabile lucrum ab Ecclesia removere volens*, inquit, *prohibet sacerdoti qui missam suscepit celebrandam cum certa eleemosyna, ne eamdem missam alteri, parte ejusdem eleemosynæ sibi retenta, celebrandam committat:* cumque ad omnem evellendum scrupulum ab eadem sacra congregatione, non multo post quæsitum esset, *an sacerdotes quibus aliquando offertur eleemosyna major solita, pro celebratione missæ, debeant dare eamdem integram eleemosynam iis, quibus missas celebrandas committunt? an vero satis sit, ut dent celebrantibus eleemosynam consuetam?* Sacra congreg. respondit: *debere absolute integram eleemosynam tribuere sacerdoti celebranti, nec ullam illius partem sibi retinere posse.*

Accedit *Alexandri VII* Urbani successoris auctoritas, qui novo edito decreto præcedens judicium confirmavit, & quorumdam moralis corruptorum repressit audaciam, a quibus, præter cæteras, propositio ista dictata erat: *post decretum Urbani potest sacerdos cui missæ celebrandæ traduntur, per alium satisfacere*, collato illi minore stipendio, & alia parte stipendii retenta.

Q. 7. Utrum liceat anticipato missas, pro iis qui forte eleemosynas in posterum largientur, celebrare?

℟. Abusum hunc esse prorsus intolerabilem: tum quia, ut evidens est, non aliunde quam ex prava cupiditate & abominabili avaritia proficisci potest: tum quia jus & æquitas postulat, ut qui largitur stipendium sciat pro se missam esse celebrandam, ut ad sacrificii fructum percipiendum, conjunctis cum sacerdote votis, ferventiori pietatis sensu accedat: tum quia cum missa ad genus orationis pertineat, & oratio debeat finem certum, causamque præsentem habere; inutile & iniquum videtur pro eo sacrificium anticipare, quem ne nomine quidem nosti, & pro quo quid postulare a Deo debeas prorsus ignoras; tum denique, quia qui sic agunt, mendacii culpam non effugiunt, illud in posterum promittentes, quod jam esse confectum impie & temerario putant; merito nam suspicantur, fideles a largiendis pro missarum celebratione eleemosynis retrahendos, si offerenti sibi stipendium rotunde, ut a bonis fit, responderent, se in antecessum postulationi ejus satisfecisse: quamobrem sacra congregatio Cardinal. Concilii Trid. interpretum, auctoritate *Pauli V* Pontificis Max. anticipatam hanc missarum persolutionem prohibuit (*anno* 1605, *die* 15. *Nov.*) ac damnavit, *tamquam pluribus nominibus periculosam, fidelium scandalis & offensionibus obnoxiam, atque a vetusto Ecclesiæ more nimium abhorrentem.*

Q. 8. Utrum Sacerdos, quibus diebus tenetur missas celebrare ratione beneficii, capellæ, legati, ut stipendii, si eleemosynas pro aliis missis recepit, possit utrique debito simul satisfacere?

R. negative. Sacerdos enim ut supra dictum est, si stipendium a multis acceperit ad sacrificium offerendum, non satisfacit, missam unam pro omnibus celebrando; atqui illi a quibus fundata beneficia, aut capellæ dotatæ sunt, ea intentione præsumuntur bona temporalia in Ecclesiam contulisse, ut pro se specialiter certis diebus sacrificium offerretur. Perperam ergo faciunt, qui stipendia adventitia, cum reddito capellæ aut beneficii sic conjungunt; ut uno eodemque sacrificio, diversa hæc debita adæquari sibi persuadeant: ita respondit sacra congregatio Cardinalium Concilii Trid. interpretum (*ann.* 1616).

Unde consequens est, Parochos diebus Dominicis & festivis, non debere nec licite posse stipendia missarum a personis privatis recipere, quia illis diebus, ratione beneficii tenentur pro suis Parochianis sacrificium offerre: illudque debitum præcepto divino inniti, Concilii Trid. Doctrina est: *cum præcepto Divino*, inquit, (*Sess.* 23, *in decret. de reform. cap.* 1) *mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agno-*

scere, pro his sacrificium offerre, verbique divini prædicatione, Sacramentorum administratione, ac bonorum omnium exemplo pascere . . . . Sacrosancta Synodus eos admonet & hortatur, ut divinorum præceptorum memores, factique forma gregis, in judicio & veritate pascant & regant.

Q. ultimo. Utrum possit Sacerdos pro missis celebrandis stipulari, & de honorario accipiendo pacisci?

℟. negative: *non potest Sacerdos*, inquit S. Thomas, (*in opusc. de officio Sacerdotis*) *illa intentione celebrare, ut ex hoc pecuniam consequatur; quia peccaret mortaliter . . .* & alio in loco: (*in 4 sent. dist. 25, qu. 3, art. 2*) *dicendum quod facere pactionem de missa celebranda, est Simoniacum semper: si tamen Sacerdos non habet alios sumptus, & non tenetur ex officio missam cantare; potest accipere denarios . . . . non quasi pretium missæ, sed quasi sustentamentum vitæ.*

De hoc quorumdam Sacerdotum infami mercimonio graviter 14 sæculo querebantur (*anno 1324*) Patres Synodi Toletanæ c. 6: *multa mentis amaritudine concitamur*, inquiebant, *gravisque doloris aculeus effodit mentem nostram, intelligentes quod aliqui Presbyteri, detestanda & abominabili ambitione excæcati, pro missis per eos celebrandis pecuniam exigunt; & super hoc, quasi vellent vendere rem propbanam, impudenter mercantur . . . verum cum dictum Sacramentum super omnia pretiosum, sit liberaliter, sicut cætera Sacramenta celebrandum, districtius probibemus, ne aliquis Presbyter pro missis celebrandis pecuniam exigat, vel rem aliam temporalem; sed grate accipiat, si aliquid per facientem missas celebrari oblatum sibi caritative fuerit, absque pacto & conventione quacumque. Qui vero in contrarium fecerit, a celebratione missæ per annum noverit se suspensum, & aliis pro tam gravi excessu, ad arbitrium proprii Episcopi puniendum.*

Idemque multo ante deplorans S. Bernardus: (*in Ps. 90*) *ipsa quoque*, aiebat, *Ecclesiasticæ dignitatis officia, in turpem quæstum, & tenebrarum negotium transire, nec in his salus animarum, sed luxuria quæritur divitiarum; propter hoc tondentur, propter hoc frequentant Ecclesias, missas celebrant, Psalmos decantant.*

Merito itaque Tridentini (*Sess. 22, in decret. de observ. & evitand. in celebr. mis.*) injungunt Episcopis, ut e medio tollant quidquid avaritia contra reverentiam sacrificii tremendi induxit: *atque in primis cujusvis generis mercedum conditiones, pacta, & quidquid pro missis novis celebrandis datur; nec non importunas atque illiberales eleemosynarum exactiones potius, quam postulationes, aliaque hujusmodi, quæ a Simoniaca labe, vel certe a turpi quæstu non longe absunt, omnino probibeant.*

QUÆSTIO UNDECIMA.

De cæremoniis Missæ.

Multis, iisdemque augustissimis ritibus Missæ Sacrificium ornatur ac circumvestitur, quos inanes putare aut superfluos, hæreticorum insania est: eo enim spectant omnes, tum ut sacræ oblationi dignitas, quoad fieri potest, & majestas externa concilietur; tum ut his veluti adminiculis ad rerum divinarum contemplationem, magis ac magis fidelis anima excitetur: nec quemquam movere debet cæremoniarum quæ in missa observantur diversitas. (Græcorum enim a Latinis, ut norunt omnes, immo & Græcorum inter se, Latinorumque non mediocris, ut plurimum, discrepantia est.) Quamquam enim sint ritus diversi, quia tamen ad unum quod ubique offertur, sacrificium pertinent, contrarii dici non possunt: nec aliunde eorum petenda diversitas, quam quia disciplina ipsa, cujus partem constituunt, mutationi obnoxia est: *de his*, inquit S. Aug. (*Ep. 63, vel 86, ad Casulanum*) *si disputare voluerimus, & ex aliorum consuetudine alios improbare; orietur interminata luctatio*: unde apud eumdem S. Aug. (*Ep. 14, aliis 518*) S. Ambrosius: *ad quam forte Ecclesiam veneris*, inquit, *ejus morem serva, si cuiquam non vis esse scandalo, nec quemquam tibi.*

Cæremoniæ porro omnes in duplici ordine continentur: aliæ ad apparatum sacrificii exterius pertinent: aliæ sunt cum actu ipso sacrificandi, & officio divino conjunctæ. De utrisque in præsenti dicturi sumus, parce tamen ac breviter, tum quia parvam habet difficultatem earum intelligentia; tum quia innumerabiles pene libros & commentarios a viris piissimis & doctissimis de hac materia exaratos Theologiæ studiosi in promptu habent.

CAPUT PRIMUM.

De Cæremoniis ad apparatum Sacrificii exterius pertinentibus.

Dicendum hic de loco & tempore sacrificii offerendi: tum de templorum, altarium, & ministrorum ornatu. Sit itaque

§. PRI-

§. PRIMUS.

De loco Sacrificii offerendi?

Q. 1. Utrum sit aliquis locus ad sacrificium peragendum, necessario & ex natura determinatus?

℟. Negative. Hæc enim necessitas, vel a Deo cui sacrificatur, vel ab homine sacrificante veniret; atqui neutrum dici potest.

Non primum, quia mundus universus templum est Dei, loca omnia majestate sua & immensitate replentis: *qui cœli & terræ cum sit Dominus*, inquit Scriptura, (*Act.* 7, 48, 17, 24) *non in manufactis templis* (ex indigentia) *habitat*: cavendum itaque ne putemus, Deo locum aliquem ad vota mortalium suscipienda esse necessarium: hoc enim idem foret, ac ejus immensitatem tollere, & majestatem ubique præsentem limitibus coarctare.

Nec secundum. Idem namque de sacrificio, ac de adoratione & oratione debet esse judicium; quia ut millies dictum est, in sacrificio cultus Dei præcipuus, & oratio excellentissima continetur; atqui locus omnis ad cultum Deo exhibendum, homini, ex natura, est opportunus; quia Deo ubique præsente, homo ubicumque est, indiget, eumque ubique tenetur, sine locorum differentia, revereri. Hinc Apostolus: *volo*, inquit, (1 *Tim.* 2, 8) *viros orare in omni loco*, *levantes puras manus*.... *similiter & mulieres &c.* Nullus ergo locus est, ad offerendum sacrificium specialiter & necessario designatus.

Hocque fuit Apostolis, & iis qui proxime secuti sunt Antistibus persuasum: de Apostolis quidem legitur, (*Act.* 2, 46) *quod frangerent circa domos panem*: quæ verba de sacrificio ejusdemque communione debere intelligi, interpretes plerique omnes consentiunt. Proximis vero Apostolicæ ætati temporibus, quando contra nascentem Ecclesiam immanis ubique persecutio sæviebat, & Pastores simul ac populi ad necem dirissime quærebantur, sacrificium in quovis loco fuisse indifferenter oblatum, ex historia Ecclesiastica certum est: quam in rem paulo ante attulimus *Dionysii Alexandrini* præclarissimum testimonium: *cum ab omnibus fugaremur atque opprimeremur*, inquit, (*apud Eusebius histor. liber* 7) *nihilominus tunc quoque festos egimus dies: quivis locus, in quo varias ærumnas sigillatim pertulimus, ager, inquam, solitudo, navis, stabulum, carcer, instar templi ad sacros conventus peragendos fuit.*

Q. 2. Utrum conveniens fuerit, loca aliqua ad incruentum sacrificium specialiter designari?

℟. Affirmative. *Periculum est male obiti mandati*, ait Magnus Basilius, (*lib. de Bapt. cap.* 8) *si loci rationem neglexerimus, maxime si Sacerdotii mysteria in locis profanis celebraverimus: propterea quod ea res indicium haberet contemptus in celebrante, offendiculum quoque generaret*.... cui consentiens S. Cyrillus Alex. *donum sive oblatio*, inquit, (*lib. contra Antropomorphitas, cap.* 12) *quam mystice celebramus, in solis Orthodoxorum Sanctis Ecclesiis offerri debet, neque alibi omnino. Qui secus faciunt, aperte legem violant.*

Intellexerunt itaque, inspirante Deo, majores nostri, non indiscriminatim in omni loco (sublato casu necessitatis) sacrificium offerri debere, sed in sanctuariis sive templis Deo specialiter consecratis, quo nimirum decentius majorique reverentia mysteria tremenda celebrarentur: quam eorum persuasionem auxit dubio procul & confirmavit exemplum legis Mosaicæ, in qua non ubique indifferenter, sed in solo templo sacrificia offerre, & victimas mactare fas erat, in hoc tamen Christiana Ecclesia Synagoga veteri longe præcellit, quod ante Christum unicum esset ad sacrificia templum, idque Hierosolymis, veri Dei cultoribus assignatum; *ad locum quem elegerit Dominus Deus vester*, ait Deus ipse, (*Deut.* 12, 5) *de cunctis tribubus vestris*.... *venietis: & offeretis in loco illo holocausta & victimas vestras, decimas & primitias manuum vestrarum, & vota atque donaria*: at in lege nova quæ per omnes mundi partes extenditur, templa ubique erigi, & altaria consecrari oportuit, ut impleretur quod prædictum a propheta erat, (*Malac.* 1, 11) *ab ortu solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus: & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum est nomen meum in gentibus: dicit Dominus exercituum.*

Q. 3. Utrum dicare Deo altaria, & templa extruere, antiquum in Ecclesia sit?

℟. Ab ipsis Apostolis hunc morem descendere: de altari siquidem mentionem facit S. Paulus (1 *Cor.* 10, 21) *non potestis*, inquit, *mensæ Domini participes esse, & mensæ dæmoniorum*.... & alibi: (*Hebr.* 13, 10) *habemus altare, de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deserviunt*: nec minus expresse meminit templi sive loci quo fideles ad faciendam Liturgiam concurrebant: *convenientibus vobis in Ecclesiam*, inquit, (1 *Cor.* 11, 18 & *seqq.*) *audio scissuras esse inter vos*.... *numquid domos non habetis ad manducandum & bibendum, aut Ecclesiam Dei contemnitis?* hic enim privatas domos opponit Ecclesiæ in quam conveniebant Corinthii.

thii. Jam tum itaque erant loca quædam ad Liturgiam & sacros conventus agendos peculiariter consecrata: nec aliter hunc textum Patres & interpretes communiter explicant. Sic præter cæteros S. Aug. (*quæst.* 57 *in Levit.*) *Ecclesia*, inquit, *dicitur locus quo Ecclesia congregatur: nam Ecclesia homines sunt, de quibus dicitur*: (*Eph.* 5, 27) ut exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam: *hanc tamen vocari etiam ipsam domum orationum, idem Apostolus testis est, ubi ait*: numquid domos non habetis ad manducandum & bibendum? an Ecclesiam Dei contemnitis? *& hoc quotidianus loquendi usus obtinuit, ut ad Ecclesiam prodire, aut ad Ecclesiam confugere non dicatur, nisi qui ad locum ipsum, parietesque prodierit, vel confugerit, quibus Ecclesiæ congregatio continetur.*

Sed etsi de genuino Apostoli sensu difficultas aliqua remaneret, innumeris primævæ ætatis testimoniis tolleretur, quibus constat tam esse antiquam hanc disciplinam, quam Ecclesia ipsa est. Sic enim

1. Certum est, de evertendis Christianorum Ecclesiis & Altaribus, edicta ab Imperatoribus Ethnicis sæpe promulgata fuisse: unde manifesto evincitur, jam ante ædificatas Ecclesias, & altaria consecrata: (*Euseb. hist. Eccl. lib.* 8, *cap.* 2) prius enim est, aliquid esse, quam destrui.

2. Constat, priscis illis temporibus, hæreticos & Schismaticos contra Catholicam Ecclesiam impotenti rabie actos, nihil plerumque antiquius habuisse, quam ut templa quo orthodoxi conveniebant, solo æquarent, & altaria sacra demolirentur: qua de re extat *Optati Milevitani* Donatistarum impietatem describentis, locus insignis: (*lib.* 6 *cont. Donatistas*) *quid est*, inquit, *tam sacrilegum quam altaria Dei, in quibus & vos aliquando obtulistis, frangere, radere, removere? in quibus vota populi, & membra Christi portata sunt: quo Deus omnipotens invocatus sit: quo postulatus descendit Spiritus Sanctus: unde a multis pignus salutis æternæ, & tutela fidei, & spes resurrectionis accepta est: altaria, inquam, in quibus fraternitatis munera non jussit Salvator poni, nisi quæ essent de pace condita:* depone, *inquit*, (*Matth.* 5, 23 & *seq.*) munus tuum ante altare, & prius concorda cum fratre tuo, ut possit pro te sacerdos offerre: *quid est enim altare, nisi sedes Corporis & Sanguinis Christi? hæc omnia furor vester aut rasit, aut fregit, aut removit... si livoris judicio nos vobis sordidi videbamur, quid vobis fecerat Deus, qui illuc invocari consueverat? quid vos offenderat Christus, cujus illic per certa momenta Corpus & Sanguis habitabat? quid vos offendistis etiam vos ipsi, ut illa altaria frangeretis, in quibus ante nos per longa temporum spatia, sancte, ut arbitramini, obtulistis? dum impie persequimini manus nostras illic, ubi Corpus Christi habitabat, feristis & vestras: hoc modo Judæos estis imitati: illi injecerunt manus Christo in cruce, a vobis percussus est in altari: si Catholicos illic insectari voluistis, vel vestris illic antiquis oblationibus parceretis.* Ita Optatus, cujus verba in Lutheranos & Calvinianos eo magis quadrant, quod veteres Donatistas & rabie æquarint, & infidelitate superaverint, non altaria tantum, sed & ipsum sacrificium abolendo.

3. Ab ipsis Apostolis erecta altaria, & Ecclesias consecratas, ex historia Ecclesiast. notum est. Sic *Nicephorus* (*hist. lib.* 2, *c.* 3) domum illam in qua Christus sacrificium instituit, & quo Spiritus S. visibiliter die Pentecostes advenit, tamquam primam Christianorum Ecclesiam, a B. Jacobo primo Hierosol. Episcopo consecratam, ibidemque 7 Diaconos ordinatos, *Evodii* qui B. Petro in Antiochena Sede successit, auctoritate confirmat. Romæ pariter ab Apostolis, eo tempore quo fidem ibi annunciare cœperunt, Ecclesias dedicatas, multis momentis probatur (*v. Baronium ad an.* 57, *n.* 100 & *Cardin. Bona, Rer. Liturg. lib.* 1, *cap.* 19) ab Annalium Sacrorum Scriptoribus.

4. Hoc idem antiquitas sacrificii persuadet: ut enim ante probavimus a Christo est institutum, ab Apostolis observatum, & deinceps sine intermissione celebratum; atqui ubi sacrificium est, altare esse oportet: deinde cum sacrificium sit actio solemnis & publica, ad omnes pro quibus offertur, sine discrimine pertinens, oportet in loco aliquo peculiari omnium nomine immolari, ergo altarium & Ecclesiarum usus antiquissimus est.

5. Patres primæ ætatis de Altari & Ecclesia, tamquam de re pervulgata, & nemini non nota loquuntur: *Solemnior erit statio tua*, inquit Tertullianus, (*lib. de orat. c.* 14) *si & ad aram Dei steteris*..... Et alibi: (*lib.* 1 *ad uxor. c.* 7) *aram Dei mundam proponi oportet*: de Ecclesia vero: *Tota die*, ait, (*lib. de Idololat. c.* 7) *ad hanc partem zelus fidei perorabit, ingemens Christianum ab idolis in Ecclesiam venire, de adversarii officina in domum Dei.* Et lib. de virgin. velandis, c. 13. *Virginitatem suam*, inquit, *in Ecclesia abscondant, quam extra Ecclesiam celant: timent extraneos, vereantur & fratres: aut constanter audeant & in vicis Virgines videri, sicut audent in Ecclesiis.*

S. Cyprianus: (*Ep.* 66) *Neque enim*, inquit,

quit, *apud altare Dei meretur nominari in Sacerdotum prece, qui ab altari Sacerdotes & ministros voluit avocare.*

Altaris & Ecclesiæ, *Ireneus & Origenes* presse meminerunt: ille quidem lib. 4 contra hær. c. 20 & 34, iste hom. 11 in Numeros.

SS. *Basilii, Cyrilli Alexand. & Optati Milevit.* testimonia paulo ante descripsimus, quibus ex eodem *Optato* addere juvat, quod L. 2 observat, Donatistas Romæ in tantum fidelium odium incurrisse, ut *inter quadraginta & amplius Basilicas locum hic ubi colligerent, non habuerint*, idest, *ubi sacrificium offerrent*.

Nec prætermittendum quod narrat Eusebius, (*hist. lib. 6, c. 34*) *Philippum* Christianum Imperatorem, (qui 50 & amplius annis *Diocletianum* præcessit) cum Ecclesiam in pervigilio Paschæ ingredi vellet, ab ejus aditu ob scelera perpetrata exclusum ab Episcopo fuisse, neque aute admissum quam pœnitentiam egisset.

6. Non desunt ad ejusdem veritatis confirmationem extraneorum testimonia: narrat *Lampridius* Ethnicus, Christianos cum locum aliquem, qui publicus ante fuerat, occupassent, & in eo Ecclesiam construere vellent, propinarii autem pro eo obtinendo contenderent; *Alexandrum Imperatorem*, Christianis litem adjudicasse, supremaque auctoritate rescripsisse, melius esse, quomodocumque illic a Christianis coli Deum quam dari propinariis. . . . *Philo Judæus* in lib. de vita contemplativa, ubi, si Eusebio (*hist. L. 2, c. 17*) & S. Hieronymo (*lib. de scriptor. Ecclesias.*) credimus, primorum Christianorum vitam describit, sacrorum sacellorum meminit, in quibus mysteria peragebant: *Lucianus* quoque Ethnicus, sive quivis alius Apostolorum ætati, nemine diffitente, æqualis, Christianorum Deo dedicatum templum repræsentat. (*in Philopatre*) Ergo &c.

Objectio.

Dices: Primis Ecclesiæ temporibus Gentiles præter cætera quæ contra Christianos convicia effundebant, nihil in ore habebant frequentius, quam quod Atheorum & irreligiosorum hominum secta hæc esset: illud vero in primis inde probabant, quod nulla Christiani templa haberent; atqui licet tetram Atheismi calumniam omni, ut par erat, conatu depellerent Ecclesiæ defensores, *Arnobius, Minutius Felix, Lactantius, Clemens Alex.* & alii: nulla tamen Christianis esse templa ingenue fatebantur, nec ulla contendebant veris cultoribus esse debere: qua de re elegantissime, ut solet, Lactantius: " Sit nobis, *inquit*, (*in* „ *fine libri de ira Dei*) Deus non in templis, „ sed in corde nostro consecratus: destructi„ bilia sunt omnia quæ manu fiunt: munde„ mus hoc templum, quod non fumo, non „ pulvere, sed malis cogitationibus sordida„ tur: quod non cereis ardentibus, sed cari„ tate ac luce sapientiæ illuminatur: in quo „ si Deum semper crediderimus esse præsen„ tem, cujus divinitati secreta mentis patent; „ ita vivemus, ut & propitium semper habea„ mus & numquam vereamur iratum ": ita Lactantius: indeque vis argumenti augetur non mediocriter, quod inter primitivæ Ecclesiæ scriptores, nec unum reperias, qui ad loca significanda quo Christiani Religionis causa conveniebant, templi nomen usurpaverit: templis ergo Ecclesia Dei, primis temporibus caruit.

℟. Concessa maj. dist. min. fatebantur Patres, nulla Christianos habere templa, more & sensu Gentilium, conc. nulla absolute habere, n. min. & conseq.

E. R. Gentiles in extruendis idolorum delubris, ideo omnem ponebant industriam, & sumptus quos poterant magnificentissimos impendebant, quod putarent iis veluti Domiciliis divinitatem concludi, victimarum sanguine & adipe satiari, thuris adustione delectari, & denique unius ædiculæ angustiis majestatem Numinis circumscribi: quibus sane opinionibus nihil sceleratius neque absurdius esse poterat: merito itaque primi, nominis Christiani, Apologistæ cum Apostolo affirmabant, Deum nec coli humanis manibus, tamquam aliquo indigeret, nec in manufactis templis habitare; sed proprium ejus templum, vel corda credentium, vel totam Ecclesiam esse, in æternum a Christo fundatam: quo sensu Lactantius: (*Inst. lib. 4, cap. 14*) *Apparet*, inquit, *Prophetas omnes denuntiasse de Christo, fore aliquando, ut ex genere David corporaliter natus, constitueret æternum templum Deo, quod appellatur Ecclesia; & universas gentes ad Religionem Dei veram convocaret; hæc est domus fidelis, hoc immortale templum, in quo si quis non sacrificaverit, immortalitatis præmium non habebit: cujus templi & magni & æterni quoniam Christus fabricator fuit; idem necesse est habeat in eo Sacerdotium sempiternum: nec potest nisi per eum qui constituit templum, ad aditum templi, & ad conspectum Dei perveniri.*

Quod si nomine templi, non sacrilega delubra Gentilium, non dæmonum fana, sed loca Deo vero sacrata intelligantur, in quibus congregari fideles solebant, ut Deum precarentur, sacra mysteria celebrarent, & alia Religionis officia exercerent, nemo, nisi in vete-

veterum lectione hospes & peregrinus dixerit, eos aliquando confessos esse, Christianos templa hujusmodi non habere: jam vero ut templi nomine abstinerent, causa fuit tum ne cum Judæis confunderentur, propter recentem templi Hierosolymitani & sacrificiorum ibidem oblatorum memoriam, tum ut non solum a ritibus Ethnicorum, sed etiam a vocabulis se abhorrere significarent.

Q. 4. Ædium sacrarum quæ fuerint antiquitus & modo sint nomina?

℟. Pleraque esse & fuisse.

1. Ædes sacra, *Ecclesia* dicta est: ἐκκλησία namque græce non modo multitudinis concionem publicumque conventum, sed & locum ipsum significat ubi solent plures, tum ad tractanda negotia, tum ad exercenda religionis officia congregari: id quod Patrum, ipsorumque profanorum scriptorum testimoniis certissimum est; consentit & scripturæ auctoritas, quæ nomen Ecclesiæ pro concione, & loco ipso concionis indifferenter usurpat: sic enim quod in *Actibus Apost.* legitur: (*c.* 19, *v.* 32, & 39) *Erat Ecclesia confusa, & plures nesciebant qua ex causa convenissent ... si quid alterius rei quæritis, in legitima Ecclesia poterit absolvi*, de congregatione dicitur: quod autem ait Apostolus: (1 *Cor.* 11, 22) *Numquid Domos non habetis ad manducandum & bibendum? aut Ecclesiam Dei contemnitis?* de ipso loco quo fideles conveniebant, debere intelligi, superius S. Aug. auctoritate monstratum est, cui addi poterant, S. *Basilius* (*qu.* 310) S. *Ambrosius*, *Hieronymus*, *Chrysost. Theophilactus*, *Œcumenius*, & plures alii, commentario in hunc locum: occurrit alter ex veteri Testamento locus ad idem probandum admodum opportunus: *convocatus est*, inquit, (*Judit.* 6, 21) *omnis populus, & per totam noctem intra Ecclesiam oraverunt, petentes auxilium a Deo Israel*.

2. *Domus Dei*, οἶκος τοῦ Θεοῦ, est appellata: nec immerito; etsi enim Deus sit ubique per immensitatem & omnipotentiam præsens; in sacris tamen ædibus suo cultui consecratis specialiter habitare fatendum est: hinc Christus vendentes & ementes de templo ejiciens: *domus mea*, inquit, (*Matt.* 21, 23, *Marc.* 11, 17, &c.) *domus orationis vocabitur*. Est illa vox in litteris veteris & novi Testamenti frequentissima, nec inusitata Patribus: *tota die*, ait *Tertullianus* supra laudatus (*lib. de Idololat. cap.* 7), *ad hanc partem zelus fidei perorabit, ingemens Christianum ... de adversarii officina in domum Dei venire*.

3. Græci κυριακὸν, *Dominicum* Latini dixerunt: quemadmodum enim eam hebdomadæ diem, quæ specialiter cultui divino dicata est, *Dominicam* appellamus; ita locum Domino sacrum, *Dominicum* dicere convenientissimum est; *in Urbibus ac Pagis*, inquit Eusebius de Magno Constantino sermonem habens, (*Orat. de laudib. Constant. cap.* 17) *in agris ac desertis barbarorum locis fana ac delubra in honorem unius omnium Regis ac Domini dedicavit: unde etiam Domini vocabulo honorata sunt, non ab hominibus, sed ab ipso omnium Domino cognomentum sortita; ab eo quippe Dominica appellantur*. Eodem sensu Laodicena Synodus: (*Can.* 28) *non decet*, inquit, *Agapas in Dominicis*, ἐν τοῖς κυριακοῖς, *facere*.

Observandum tamen hanc vocem plerumque substantive, pro ipsa sacrificii oblatione sive missa, a Sacris Scriptoribus, ut ante diximus, usurpari. Quo sensu S. Cyprianus: (*Ep.* 63, *ad Cæcilium*) *numquid ergo*, inquit, *Dominicum post cœnam celebrare debemus?* & alibi: (*lib. de oper. & eleemos.*) *locuples es, dives es, & Dominicum celebrare te credis, quæ in dominicum sine sacrificio venis, quæ partem de sacrificio, quod pauper obtulit, sumis ....* & S. Aug. (*in Breviculo collationis* 3 *diei*) *sicut*, inquit, *ipsis gestis martyrum monstrabatur, qui confitebantur in passionibus suis, se collectam & Dominicum egisse*.

4. Βασιλικὴ, Regia videlicet domus (est enim Βασιλεὺς, Latine, Rex) a Patribus frequentissime, & quidem merito nuncupatur. Nam si Regum suorum Palatia, Basilicas Ethnici appellarunt; quanto magis hoc digna est nomine ædes sacra, in qua Regi omnium Deo, cultus & sacrificia offeruntur?

5. Postquam depulsa gentilitatis caligine, & Judæorum superstitione devicta, ubique fuit vera Religio triumphatrix, ipsisque probata Principibus; tum demum ædibus sacris *templi* nomen, a quo antea, ut prædiximus, Patres abstinuerant, est communiter attributum: plane veteres Patres, saltem a *Constantini* temporibus, promiscue & communiter Ecclesias *templa* appellasse, testatur S. *Hilarius* antiquus sane Scriptor, comment. in Ps. 126, his verbis: *conventus quidem Ecclesiarum, sive templi, quos ad secretam Sacramentorum Religionem, ædificiorum septa concludunt, consuetudo nostra vel domum Dei solita est nuncupare, vel templum*: idemque ex *Eusebio*, *Ambrosio*, *Hieronymo*, *Aug.* aliisque apparet, quibus admodum familiaris hæc appellatio fuit.

6. A Græcis Εὐκτήρια, sive προσευκτήρια, a Latinis *Oratoria* dicta sunt, ab officio orandi, quod in locis sacris præcipue exercetur, hoc tamen volunt aliqui oratorium, a Basilicis sive templis esse discrimen, quod *Oratorium*, angustius privatumque sacellum; *Basilica* vero, sive *templum*, ædes ampliores & au-

augustiores significaret, publicis fidelibus conventibus destinatas.

7. Eorum habita ratione, in quorum memoriam ædes sacra extruebatur, nomina diversa sortita est: *μαρτύριον* euim, sive Latine, *confessio*, in qua martyr; *Apostolium*, in qua Apostolus; *Propheteum*, in qua propheta præcipue coleretur, est appellata: hinc templum Hierosolymis, in Calvariæ loco a *Constantino* ædificatum, teste *Eusebio*, (*lib.* 4 *de vita Constant. cap.* 40) *Magnum Martyrium* dictum est, ea sane ratione quia in hoc loco Christus caput Martyrum passus est: idemque *Eusebius* de Religiosissimo Imperatore scribit, (*ib. lib.* 3, *c.* 48) Constantinopolim maximis ab eo *martyriis*, id est, Ecclesiis, ornatam nobilitatamque fuisse: in actis Concilii Œcumenici Chalcedonensis sæpe memoria fit *Martyrii*, *Sanctissimæ & pulchræ victricis martyris Euphemiæ*, id est Basilicæ in ejus honorem Deo dicatæ: *Apostolii* pariter & *prophetei*, in Scriptoribus antiquis mentio est: *Rufinus consularis*, ait Sozomenus (*hist. lib.* 8, *c.* 17) *in suburbio Chalcedonis magnam Ecclesiam in honorem Petri & Pauli extruxit*, & Apostolium *ab ipsis appellavit*: & Theodorus Lector, (*l.* 1) *reliquiæ S. Samuelis*, inquit, *in ejus propheteo sunt positæ*.

Nec vero putandum hunc morem habere aliquid veræ Religioni ac pietati contrarium; quamquam enim templa extruere, ad cultum pertineat quem soli Deo deberi non ignoramus; est nihilominus consonum pietati, Sanctorum nominibus ac memoriis Basilicas adornare; tum quia Deus iis in locis, ministerio Sanctorum, illustria quædam supremæ suæ potestatis opera præstitit; tum quia illi sanguinis effusione, & testificatione veri numinis, loca illa Deo sacrarunt; tum quia ibidem eorum Reliquiæ reconditæ sunt; tum denique quia præcellentes Sanctorum virtutes ad Dei gloriam ibidem celebrare vere Christiana æmulatione gestimus, qui scimus Deum in sanctitate magnificum, etiam in Sanctis suis gloriosum esse atque laudandum: *honoramus reliquias martyrum*, ait S. Hieronymus, (*Ep.* 53) *ut eum cujus sunt martyres adoremus: honoramus servos, ut honor servorum redundet ad Dominum*, *qui ait*: qui vos suscipit, me suscipit: & S. Aug. (*lib.* 8 *de Civit. cap.* 27) *non nos martyribus* inquit, *templa*, *Sacerdotia*, *sacra*, *& sacrificia constituimus*, *quoniam non ipsi*, *sed Deus eorum nobis est Deus: honoramus sane memorias eorum*, *tamquam Sanctorum hominum Dei*, *qui usque ad mortem suorum corporum pro veritate certarunt*, *ut innotesceret vera Religio*, *falsis Religionibus fictisque convictis* . . . *quæcumque igitur adhibentur Religiosorum obsequia in martyrum locis*, *ornamenta sunt memoriarum: non sacra*, *vel sacrificia mortuorum*, *tamquam deorum*.

§. SECUNDUS.

De Templorum & Altarium apparatu.

Nostri non est instituti, quæ ad hanc materiam pertinent universa, minutim & per capita explicare: præscriptos namque fines tractatio ista longe excederet, si de ædium sacrarum extructione, forma, situ, partibus, tum de earum, deque altarium variis ornamentis dicere sigillatim aggrederemur. Possunt qui hoc studio delectantur, *Gulielmum Durandum*, (*in rationali divin. offic.*) *Stephanum Durantum*, (*de ritib. Eccl.*) *Cardinalem Jo. Bona*, (*in oper. de Reb. Liturg.*) & alios sacrorum rituum, & divinorum officiorum expositores consulere; nobis satis fuerit, quæ ad sacrificium proxime pertinent, delibare. Itaque

Quæritur 1. Quamobrem Ecclesiæ consecrentur?

R. Hujus ritus varias a Sanctis doctoribus causas afferri.

1. Est, ut Deo in perpetuum dedicentur, nec in profanos usus converti possint: *quidquid enim semel fuerit* consecratum, ait scriptura (*Levit.* 27, 28) *Sanctum Sanctorum erit Domino*.

2. Et 3. Est, inquit S. Thomas (3 *p. q.* 83, *art.* 3, *ad* 2) *tum ad repræsentandam sanctificationem*, *quam Ecclesia consecuta est per passionem Christi*, *tum etiam ad significandam sanctitatem quæ requiritur in his qui Sacramentum altaris suscipere debent*.

4. Ut quod in templis visibiliter colitur, in nobis invisibiliter compleatur. *Templum enim Dei sanctum est*, inquit Apostolus, (1 *Cor.* 3, 17) *quod estis vos* . . . . *Quando*, ait S. Bernardus (*Serm.* 1 *in dedic. Ecclesiæ*) *domus ista per manus Pontificum dedicata est domino*, *propter nos sine dubio factum est*, *non solum qui præsentes sumus*, *sed & quicumque usque in finem sæculi Domino sunt in hoc loco militaturi*: *in nobis proinde spiritualiter impleri necesse est*, *quæ in parietibus visibiliter præcesserunt*.

5. Ad fugandos dæmones: quod illustri exemplo probat S. Gregorius M. narrans, (*lib.* 3 *dialog. c.* 30) *quod cum quædam Ecclesia ab Arianis ante occupata*, *& fidelibus restituta consecraretur*, *illucque S. Sebastiani*, *& B. Agathæ reliquiæ delatæ fuissent*, *populus ibi congregatus*, *porcum repente inter pedes*, *huc illuc*, *discurrere senserunt*, *qui fores Ecclesiæ re-*

repetens a nullo videri potuit, omnesque in admiratione commovit, quod idcirco dominus ostendit, ut cunctis patefieret, quod de loco eodem immundus habitator exiret.

6. Ut omnes qui ib. ex quacumque tribulatione deprecaturi conveniunt, consolationis divinæ beneficia consequantur, quæ in locis Deo sacris facilius obtinentur: hinc *Salomon* facta templi dedicatione, *Respice*, inquit, (3 Reg. 8, 28) *ad orationem servi tui, & ad preces ejus, Domine Deus meus; audi hymnum & orationem, quam servus tuus orat coram te hodie: ut sint oculi tui aperti super domum hanc nocte ac die: super domum, de qua dixisti:* (*Deut.* 12, 21) erit nomen meum ibi: *ut exaudias orationem, quam orat in loco isto ad te servus tuus ut exaudias deprecationem servi tui, & populi tui Israel, quodcumque oraverint in loco isto &c.*

Q. 2. Utrum Ecclesiæ aliquid gratiæ Spiritualis ex consecratione suscipiant?

R. Negative: *dicendum*, inquit S. Thomas, (3 p. q. 83, *art.* 3, *ad* 3) *quod Ecclesia & altare, & alia hujusmodi inanimata consecrantur, non quia sint gratiæ susceptiva, sed quia ex consecratione adipiscuntur quamdam spiritualem virtutem, per quam apta redduntur divino cultui, ut scilicet homines quamdam devotionem exinde percipiant, ut sint paratiores ad divina, nisi hoc propter irreverentiam impediatur: unde & 2 Machab.* 3, *v.* 38, *& seq. dicitur*: vere Dei virtus quædam est in loco: nam ipse qui habet in cœlis habitationem, visitator & adjutor est loci illius.

Q. 3. Ecclesiarum dedicatio unde initium duxerit?

R. Morem hunc ab antiqua lege descendere, & in Ecclesiam Christianam Apostolica auctoritate inductum: de antiqua lege nemo dubitat. Moyses enim auctore & præcipiente Deo Tabernaculum consecravit: *tulit*, inquit Scriptura, (*Levit.* 8, 10, *& seqq.*) *unctionis oleum, quo linivit tabernaculum cum omni supellectili sua: cumque sanctificans aspersisset altare septem vicibus, unxit illud & omnia vasa ejus, labrumque cum basi sua sanctificavit oleo.* Salomon pariter, quod imperante Deo extruxerat templum magnificentissimum, solemniter dedicavit, *dedicaverunt*, ait autbor sacer, (*Reg.* 3, 8, 63, *& seq.*) *templum domini Rex & filii Israel, in illa die sanctificavit Rex medium atrii, quod erat ante domum Domini: fecit quippe holocaustum ibi, & sacrificium, & adipem pacificorum: fecit ergo Rex Salomon in tempore illo festivitatem celebrem, & omnis Israel cum eo . . . coram Domino Deo nostro, septem diebus, & septem diebus &c.* de Juda Machabæo legitur quod contaminatum a gentibus templum expiaverit, quod altare novum erexerit, ejusdemque dedicationem octo diebus continuis, cum magna populi lætitia celebraverit (1 *Machab.* 4, 41, *& seq.*). Si igitur illi qui umbræ legis deserviebant, hoc faciebant, quanto magis nos quibus veritas patefacta est, debemus templa Domino ædificare, & prout melius possumus ornare, atque ea divinis precibus & sanctis unctionibus, cum altaribus & vasis, vestibus quoque, & reliquis ad divinum cultum implendum necessariis utensilibus, devote ac solemniter consecrare?

Ita sane ab Apostolis, etsi non publice, privatim tamen & clanculum, prout exigebat conditio temporis, observatum, quamquam expresse in monumentis primævæ ætatis non legamus; plurima tamen argumenta certo persuadent.

1. Est quod statim ab initio, Christiani Ecclesias & altaria propria habuerint, ut paulo ante probavimus, quæ ab Episcopis, Mosaicæ legis exemplo, & Apostolica institutione edoctis, divino cultui certis cæremoniis consecrata, nemo certe negabit, cui perspecta fuerit in rebus etiam minoris momenti illorum temporum disciplina.

2. Afferunt communiter Theologi plerique ad hoc probandum, S. *Clementis* Romani, *Evaristi*, & aliorum primæ ætatis Pontificum decreta, quæ licet apocrypha, iisque, quorum nomina præferunt, falso attributa peritiorum criticorum judicio sint, in hoc tamen non contemnenda, quod priscum referant morem, quem nemo prioribus sæculis negavit ab Apostolis institutum.

3. Illudque meo quidem judicio validissimum hinc petitur, quod *Maximino* imperatore e vivis sublato, & *Constantino* Christianæ Religioni adscripto, redditaque Ecclesiæ tamdiu exoptata pace, ubique gentium dedicationum festivitates, gestientibus lætitia populis, summo splendore celebratæ fuerint; qua de re Eusebius: (*hist. lib.* 10, *c.* 3) *post hæc*, inquit, *votivum nobis ac desideratum spectaculum præbebatur, dedicationum scilicet festivitas per singulas urbes, & oratoriorum recens structorum consecrationes: ad hæc Episcoporum conventus peregrinorum ab externis & procul dissitis regionibus concursus, populorum mutua inter se caritas ac benevolentia, cum membra corporis Christi in unam compagem coalescerent ..... jam vero Antistitum absolutissimæ cæremoniæ, & accurata Sacrificia sacerdotum, & divini quidam augustique Ecclesiæ ritus, hinc psalmos canentium, & reliquas nobis traditas voces auscultantium, illic divina & arcana obeuntium ministeria.* Idemque alibi (*lib.* 4 *de vita*

ta Constantini c. 40, *& seqq.*) dedicationem Ecclesiæ Hierosolymorum, quæ magnum martyrium appellata est, late describit: ex his enim & similibus historiæ monumentis bene perpensis sequitur, Sanctos Antistites ædes sacras consecrando, non novum aliquid hoc tempore attentasse, sed id quod antehac, metu tyrannorum, clanculum & minori pompa fiebat, data tandem Ecclesiæ pace, majestate & solemnitate maxima celebrasse.

4. Nec minus convincens hinc petitur, quod tantæ religionis hoc ipso sæculo Ecclesiarum consecratio fuerit, ut impius peneque sacrilegus putaretur, si quis in Ecclesia nondum consecrata synaxim facere præsumpsisset: hanc enim ob causam *Ariani S. Athanasium* accusarunt, quod conventum populi in Ecclesia nondum dedicata fecisset: antiquum ergo erat, & ab omni retro memoria constitutum ædes sacras magno cæremoniarum apparatu Deo dicare.

Q. 4. Utrum ita sit necessarium Ecclesiam consecrari, ut antequam dedicata fuerit, in illa sacrificium offerre non liceat?

R. Satis olim fuisse, & esse etiamnum, ut Ecclesia a locis profanis distincta sit, & divino cultui designata, maxime si quædam necessitas urgeat: cujus assertionis certum suggerit argumentum, hoc ipsum quod modo insinuavimus *S. Athanasii* factum, quod quidem non ita excusavit S. Antistes, quasi in Ecclesia nondum consecrata sacrificium celebrare semper licitum esse contenderet; sed quia propter aliarum Ecclesiarum angustiam, & maximum populi concursum, ita facere, pene invitus, coactus esset. *Festum erat Paschæ*, inquit, (*in Apologia ad Constantinum Imperat.*) *& tanta vis populorum aderat, quantum Christianorum in urbe esse, christicolæ principes optarint: cum igitur Ecclesiæ paucæ, parvæque essent, magnoque tumultu posceretur, ut in magna Ecclesia conventus celebrarentur, atque ibidem preces pro tua salute fierent, (quod & factum est:) egoque reniterer adhortationibus, ut rem aliquo usque differrent, & potius quomodocumque liceret, etiam cum compressione & afflictione in aliis Ecclesiis cœtus agerent: mibi neutiquam obtemperatum est: quin potius urbe egredi parati erant, ut in desertis locis, & sub dio conventus facerent; melius esse laborem itineris ferre, quam cum luctu festum celebrare .... Beatæ memoriæ Alexander, cum alia loca angusta essent, in Ecclesia majore Theonæ nuncupata, quam ædificabat, Synaxes celebrari voluit: id enim jubebat hominum frequentia, nec in cogendo populo respexit, eam nondum exædificatam esse. Hoc & Treviris, & Aquilejæ fieri vidi: nam & illic diebus festis, ob multitudinem, cum adhuc templa ædificarentur, collectas habebant: quin imo frater tuus beatæ memoriæ, in hujusmodi templo, cum Aquilejæ synaxis haberetur, ipse quoque eo se contulit: ita nimirum & ego quoque feci: nec tamen celebrata sunt a nobis Encænia, sed tantummodo precationum synaxis habita est.*

Q. 5. A quo, & quo ritu debeat Ecclesia consecrari?

R. ad 1. A solo Episcopo Ecclesiæ consecrationem fieri posse: sic enim sacris canonibus cautum est, nec usquam simplici presbytero licuit hoc officium usurpare: hujus autem sanctionis causam affert convenientem Durandus: (*Ration. lib.* 1, *c.* 6, *n.* 2) *Quoniam*, inquit, *Pontifex gerit imaginem & figuram Summi Pontificis Christi, spiritualiter dedicantis, sine quo nihil possumus in Ecclesia stabilire.*

R. ad 2. Hoc ritu Ecclesiam consecrari:

1. Omnibus de Ecclesia ejectis, soloque ibidem Diacono incluso manente, Episcopus, assistente clero, præ foribus Ecclesiæ aquam cum sale benedicit.

2. Intereà in Ecclesia 12 luminaria ante 12 cruces depictas in parietibus accenduntur.

3. Sequente clero & populo Antistes Ecclesiam exterius circumeundo, parietes ejus cum fasciculo hyssopi in aquam benedictam immerso aspergit: idemque ter repetit.

4. Singulis vicibus ad januam Ecclesiæ veniens, paululum ibi consistit, & superliminare cum baculo pastorali percutit, dicens: *attollite portas, principes, vestras &c.* cui Diaconus de intus respondet: *quis est iste Rex gloriæ?* Pontifex vero: *Dominus fortis &c.*

5. Tertia vice, reserato ostio, Ecclesiam Pontifex, ministris aliquibus comitantibus, clero, & populo foris manente, ingreditur, dicens: *pax huic Domui*: & litanias recitat.

6. In pavimento Ecclesiæ cum cinere & sabulo crux delineatur, ubi græcis literis & latinis alphabetum totum describitur.

7. Aliam aquam cum sale & cinere & vino sanctificat, & altare consecrat.

8. Duodecim cruces in parietibus depictas chismate inungit.

9. Missæ Sacrificium solemniter celebratur.

Habent profecto hi ritus, eisque adjunctæ preces, magnos & mysticos sensus, eo ad pietatem magis conducibiles, quod quæcumque in templi materialis dedicatione visibiliter fiunt, symbola eorum sint quæ quisque fidelis præstare debet, ut templum invisibile & spirituale, animam videlicet, Deo consecret: atque ita Ecclesia Catholica ex vivis lapidibus adunata, in multis templis unum sit templum, fide fundatum, spe erectum, caritate consum-

matum: de his consulat vir Theologus *Gulielmum Durandum*, (*Ration. lib.* 1, *cap.* 6, *& seqq.*) *Stephanum Durantum*, (*de Ritib. Eccles. lib.* 1, *cap.* 24) & alios Rituum Sacrorum expositores.

Q. 6. Quid facto opus sit, si de aliqua Ecclesia, utrum fuerit consecrata, dubium emerserit?

R. Verbis S. Gregorii M. *De dedicationum vero Ecclesiarum dubitatione*, inquit, (*Epist. lib.* 12, *Epist.* 31) *super qua inter cætera nos consuluistis; hoc vos rite tenere debetis, quod nos ab Antecessoribus nostris traditum accepimus: id est, quoties tam de Baptismo aliquorum, vel de confirmatione, quam de Ecclesiarum consecratione dubitatio habetur, & nec scriptis nec testibus certa ratio habetur, utrum baptizati, vel confirmati, sive Ecclesiæ consecratæ sint, ut baptizentur tales, vel confirmentur, atque Ecclesiæ canonice dedicentur, ne talis dubitatio fidelibus ruina fiat: quoniam non monstratur iteratum, quod certis indiciis non ostenditur rite peractum*: idemque sæpius Sum. Pontificum decretis, & Synodorum Canonibus constitutum. (*S. Leo M. Ep.* 35 *ad Leonem Ravennatem*: *Conc. Carth.* 5, *Can.* 6, *Conc. quin. sexti Can.* 88 *&c.*)

Q. 7. Utrum Ecclesia semel consecrata quibusdam in casibus possit denuo consecrari?

R. Posse aliquando, imo & debere, si nimirum aliquis ex sequentibus casibus occurrerit.

1. Est, si parietes ejus absumpti incendio, vel in totum, aut majori saltem ex parte diruti fuerint.

2. Est, si fuerit violata Ecclesia: multis porro modis polluitur Ecclesia, ejusque Sanctitas violatur: nimirum per homicidium in ea voluntarie perpetratum: per enormem sanguinis effusionem, ex gravi & injuriosa percussione secutam: per Adulterium, & quamlibet voluntariam humani seminis effusionem: per consecrationem, ab Episcopo notorie hæretico, aut publice quavis de causa excommunicato, susceptam: (hæc enim non tam consecratio, quam exsecratio fuit:) per Sepulturam pagano homini, vel hæretico, vel excommunicato notorio intra ejus ambitum datam: in his, inquam, & similibus, si qui sint, casibus, potest & debet denuo Ecclesia consecrari; aut saltem a simplici sacerdote, annuente Episcopo ablui aqua benedicta, adhibitis ordinariis benedictionum precibus; donec ab ipso Pontifice consecretur.

De his quos recensuimus, & summario indicavimus casibus, quam late pateant, quibusve restrictionibus & conditionibus coerceantur, consulendi Canonistæ, & Rituum sacrorum expositores, ad quos proprie hæc materia pertinet.

Q. 8. Utrum præter Ecclesiæ consecrationem altaris ipsius consecratio sit ad sacrificium necessario præmittenda?

R. Affirmative: nam si templum, quo veluti tecto & propugnaculo altare concludi oportuit, ut ejus sanctitati prospiceretur, sacris debeat cæremoniis dedicari; quanto magis hoc de altari ipso dicendum est, in quo divina mysteria peraguntur? pari itaque, imo & majori Religione altaria antiquitus a majoribus nostris consecrata & cultui divino dicata sunt. *Altare hoc sanctum, cui adsistimus*, inquit S. Gregorius Nyssenus, (*Orat. in Bapt. Christi*) *Lapis est natura communis, nihil differens ab aliis crustis lapideis, quibus parietes nostri extruuntur, & pavimenta exornantur. Postquam vero Dei cultui consecratum atque dedicatum est, ac benedictionem accepit, mensa sancta est, altare immaculatum, quod non amplius ab omnibus promiscue tangitur, sed a solis Sacerdotibus, iisque venerantibus contrectatur*: extat de hac re *Concilii Agathensis* 6 sæculo celebrati decretum: *Altaria*, inquit, (*Can.* 14.) *placuit non solum unctione Chrysmatis, sed etiam Sacerdotali benedictione sacrari: ejusdemque ætatis Hormisdas* Pontifex Max. *nullus Presbyter*, ait, (*v. Gratian. de Consecr. dist.* 1) *in Ecclesia consecrata aliud altare erigat, nisi quod ab Episcopo loci sanctificatum est, vel permissum; ut sit discretio inter sacrum & non sacrum: nec dedicationem fingat, nisi sit. Quod si fecerit, si clericus est, degradetur; si vero laicus, anathematizetur.*

Q. 9. Quid si extra Ecclesiam, ut plerumque olim occasione persecutionis contingebat, & etiam sine persecutione, quando aliqua pietatis aut necessitatis urgebat ratio, sacrificium offeratur?

R. Et huic casui esse provisum: antiquum enim est altaria, ut vocant portatilia struere, Episcoporum manibus consecrata, quæ moveri facile, & de loco in locum transferri possunt, ut in his Ecclesiam, & in locis ab ea dissitis, sacrificium offeratur. Eorum mentionem facit *Venerabilis Beda* sæculi 7 Scriptor: (*Histor. lib.* 5, *c.* 11.) de iisdem ab *Hincmaro Remensi Archiepiscopo* sic statutum: (*in Capitulis editis anno* 12 *sui Episcopatus*) *nemo Presbyterorum in altario ab Episcopo non consecrato cantare præsumat: quapropter si necessitas poposcerit, donec Ecclesia, vel altaria consecrentur, & in capellis etiam quæ consecrationem non merentur, tabulam quisque Presbyter cui necessaria fuerit, de marmore, vel nigra petra; aut litio honestissimo, secundum suam possibilitatem, honeste affectatam habeat, & no-*

& nobis ad consecrandum afferat, quam secum cum expedierit, deferat, in qua sacra mysteria secundum ritum Ecclesiasticum agere valeat.

Q. 10. Utrum eumdem morem Græci habeant?

R. Altaria portatilia Græcos & Orientales non habere, sed eorum loco uti pannis quibusdam longo precum & cæremoniarum apparatu consecratis, quos super altaria non consecrata, quando ibidem sacrificium est celebrandum extendunt. Hinc *ἀντιμήνσια*, hoc est, *superaltaria* vocantur: *ideo reperta sunt ἀντιμήνσια* inquit Theodorus Balsamon, (*in expositione Can. 31 Trullani*) *& fiunt a Pontificibus, quo tempore celebrant dedicationem Ecclesiæ, ut ponantur in sacris mensis, quando permissu Antistitis oblatio Liturgiæ fit in oratorio*: de eisdem vide *Goarium* in Euchologio Græcorum. (*pag.* 648)

Q. 11. Quæ olim fuerit, hodieque sit altaris ædificandi materia?

R. 1. Primis Ecclesiæ temporibus, lignea an lapidea altaria fuerint, silentibus hujus ætatis Scriptoribus, non liquere. Crediderim tamen utramlibet in iis extruendis indifferenter usurpatam materiam. Eoque videtur opinio hæc ad veritatem magis accedere, quod ubicumque poterant synaxes Apostoli & viri Apostolici agerent: itaque erat illis mensa quælibet ad faciendum sacrificium opportuna, nec in tantis quibus premebantur angustiis eligendi habebant facultatem. Conjecturam auget quarti sæculi disciplina, secundum quam sive lapidea, sive lignea altaria forent, Patrum judicio nihil intererat: altaris enim vero lapidei meminit *S. Gregorius Nyssenus* paulo ante cit. (*orat. in Bapt. Christi*) *altare hoc Sanctum cui adsistimus*, inquit, *lapis est natura communis, nihil differens ab aliis crustis lapideis, quibus parietes nostri extruuntur, & pavimenta exornantur. Postquam vero* &c. Hoc ipso tamen sæculo altaria e ligno fabrefacta S. Athanasius commemorat: (*in Epist. ad Solitarios*) *cum rapuissent*, inquit, *subsellia, & Cathedram, & mensam* (*erant enim hæc lignea*) *& vela Ecclesiæ*, &c. nec desunt alia in utramque partem veterum testimonia: lapideorum enim *S. Joannes Chrysost.*, (*hom.* 20 *in* 2 *Epist. ad Corint.*) ligneorum vero *Optatus Milevit.* (*lib.* 6 *cont. Donat.*) mentionem facit.

℟. 2. Lapsu temporum constitutum, non aliter quam ex lapide debere altaria construi: *Altaria nisi sint lapidea*, inquit Epaunense Concilium 6 ineunte sæculo celebratum c. 26, *infusione Chrismatis non sacrentur*. Quis autem hujus decreti author primus fuerit, prorsus incertum. Quod enim ajunt aliqui, morem hunc a *S. Sylvestro* Sum. Pontifice primum invectum, quoniam, silente historia, sine teste idoneo proferunt, tanti sane non sunt ponderis ut fidem promereantur. Quidquid vero sit, certum tamen est hujus legis statuendæ, Ecclesiæ causam non defuisse convenientem: *hoc enim*, inquit S. Thomas, (3 *p. q.* 83, *art.* 3, *ad* 5) *competit significationi hujus Sacramenti: tum quia altare significat Christum: dicitur autem* 1 *Cor.* 10, *v.* 4: Petra autem erat Christus: *tum etiam quia Corpus Christi in sepulchro lapideo fuit reconditum: competit etiam quoad usum Sacramenti: lapis enim & solidus est, & de facili potest inveniri ubique &c.*

Q. 12. Quamobrem sine Reliquiis martyrum, Deo non consecrentur Altaria?

℟. Hujus ritus causam esse multiplicem.

Primam suggerit prisca consuetudo Christianorum, qui sæviente persecutione cum libere Christum profiteri & Deo servire aperte non possent, in cæmeteriis abditisque locis ubi martyrum corpora quiescebant, synaxim agebant; itaque tum temporis sine sacris reliquiis altaria & templa non erant. Postquam vero reddita pace, & errore undique profligato, cœpit Ecclesia respirare, tum vero Deo templa ubique dicata sunt, in iisque præsertim locis excitata, ubi antehac clanculum assueverant congregari: *indeque*, ait Cardin. Bona, (*Rer. Liturg. lib.* 1, *cap.* 19, *n.* 5) *originem traxisse mihi videtur, celeberrimus & inviolabilis ecclesiæ ritus, ut sine martyrum Reliquiis nullum templum, nullumve altare ædificetur.*

2. Hujus disciplinæ inde occasio sumpta est, quod scriptum legimus in Apocalypsi: (*cap.* 6, 9) *vidi subtus altare animas interfectorum propter verbum Dei* &c. Quod S. *Aug.* de ara visibili interpretans: *videte*, inquit, (*Serm.* 11 *de Sanctis, tom.* 5) *quem locum martyres apud homines mereantur, qui apud Deum locum sub Altario meruerunt: dicit enim Scriptura*: vidi sub ara Dei animas occisorum .... *recte sub altario justorum animæ requiescunt, quia super altare Corpus Domini offertur: nec immerito illic justi vindictam sanguinis postulant, ubi etiam pro peccatoribus Christi Sanguis effunditur.*

3. Hoc ideo constitutum, ut Ecclesiæ militantis cum Triumphante, quam profitemur in symbolo, communio significaretur. Dum enim ad sacrificium digne celebrandum, Sanctorum, quorum Reliquiæ præsentes adsunt, patrocinia imploramus, tum nostram indigentiam, tum eorum gloriam ac potentiam recognoscimus, qui Christo per altare significato, tamquam viva nec unquam interitura membra uniuntur, suntque apud illum de nostra salute solliciti; atque ita in nobis quod est ab

Apostolo dictum (*Eph.* 2, 19, *& seq.*) impletur: *jam non estis hospites & advenæ, sed estis cives Sanctorum & domestici Dei, superædificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu: in quo omnis ædificatio constructa crescit in templum Sanctum in Domino: in quo & vos coædificamini in habitaculum Dei in Spiritu.*

Quæritur 13. Quam antiquus sit ille ritus?

℟. Hujus initium, unde & a quo cœperit, non constare, adeoque omni retro memoria antiquiorem merito credi: de illo sane quarti sæculi Patres loquuntur, non tamquam de se noviter introducta, sed ubique communiter plenaque consensione recepta: *Cum Basilicam dedicare vellem*, ait S. Ambrosius, (*Epist.* 54, *ad Marcellinam sororem*) *mihi tamquam uno ore interpellare cœperunt, dicentes: sicut in Romana, sic Basilicam dedices. Respondi: faciam, si martyrum Reliquias invenero*: nefas ergo putabat S. Doctor, sine Reliquiis martyrum Ecclesias & altaria Romano more dedicare: nec ante petentium annuit votis, quam SS. *Gervasii & Protasii*, ut ibidem legitur, corpora invenisset: idemque alibi de SS. *Vitali & Agricola* sermonem habens: (*lib. de exhort. ad Virginitatem*) *Munera*, inquit, *salutis accipite, quæ nunc sub sacris altaribus reconduntur.*

S. Hieronymus Vigilantium refutans, qui ausus fuerat contra cultum Martyrum scriptis impiis declamare: *Male ergo*, inquit, (*lib. adversus Vigilantium*) *facit Romanus Episcopus, qui super mortuorum hominum Petri & Pauli, secundum nos, ossa veneranda, secundum te, vilem pulvisculum, offert Domino sacrificia, & tumulos eorum, Christi arbitratur altari.*

S. Augustinus hoc ipsum sæpe tum in libris *de civitate Dei*, tum aliis scriptis inculcat, sic in opere contra *Faustum Manichæum*: (*lib.* 20, *c.* 21) *nulli Martyrum*, inquit, *sed ipsi Deo Martyrum sacrificamus, quamvis in memoriis martyrum constituamus altaria.*

S. Paulinus Nolanus in Ep. 11 ad Severum: *De Sacris Sanctorum reliquiis*, inquit, *adornetur domestica Ecclesia tua . . . ad Basilicæ sanctificationem, & ad sanctorum cinerum cumulandam benedictionem mittimus vobis partem particulæ de ligno divinæ crucis, quod nobis bonum benedicta Melania ab Hierusalem munere Sancti Episcopi Joannis attulit.* Idem in Natali 9 S. Felicis:

Spectant de superis altaria tota fenestris,
Sub quibus intus habent Sanctorum corpora sedem.
Namque & Apostolici cineres sub cœlite mensa
Depositi, placitum Christo spirantis odorem
Pulveris inter Sancta sacri libamina reddunt.

S. Prudentius de Beato Martyre Hippolyto ita canit hymno 2:

Talibus Hippolyti corpus mandatur opertis,
Propter ubi apposita est ara dicata Deo.
Illa Sacramenti donatrix mensa, eademque
Custos fida sui martyris apposita.
Servat ad æterni spem Judicis ossa sepulchro,
Pascit item Sanctis Tybricolas dapibus.

Africani Concilii Canon 50 (*in codice can. Eccl. Afric.* 83) sic decernit: „ Placuit ut „ altaria, quæ passim per agros & per vias, „ tamquam memoriæ martyrum constituuntur, in quibus nullum corpus, aut reliquiæ „ martyrum conditæ probantur, ab Episcopis „ qui locis eisdem præsunt, si fieri potest, „ evertantur: si autem hoc per tumultus populares non sinitur, plebes tamen admoneantur ne loca illa frequentent, ut qui recte „ sapiunt, nulla ibi superstitione devincti teneantur: & omnino nulla memoria martyrum probabiliter acceptetur, nisi ubi corpus, aut aliquæ reliquiæ sunt, aut origo „ alicujus habitationis, vel possessionis, vel „ passionis fidelissima origine traditur: nam „ quæ per somnia & per inanes quasi revelationes quorumlibet hominum ubicumque constituuntur altaria, omnino improbentur ".

Synodus 7 Generalis can. 7 contra Iconomachos sic statuit: *Qui templum consecrat sine Sanctis Reliquiis, deponatur, ut qui Ecclesiasticas traditiones transgressus sit.*

Idem denique tradunt, *S. Gregorius Magnus*, *Gregorius Turonensis*, & plerique alii quos magno numero apud *Cardin. Bona* (*Rer. liturg. lib.* 1, *cap.* 19, *num.* 5) & cæteros sacrorum Rituum vindices, lector curiosus citatos reperiet: certum itaque est, tum disciplinam hanc esse antiquissimam, tum a vera fide *Lutheranos* & *Calvinistas* longissime exorbitasse, quando Ecclesiam Catholicam propter cultum SS. Reliquiarum superstitionis, invocationis, & in Deum irreverentiæ accusarunt.

Q. ultimo, sacrorum altarium apparatus quis esse debeat.

℟. Pleraque ad altarium ornatum requiri, quorum alia ad sacrificium necessario, alia ad ejus decorem & decentiam pertinent: quæ utriusque generis sunt, glomeratim & sine discrimine recensebimus; itaque in sacra altarium supellectile continentur; Calix, patena,

na, corporale, sive palla linea in qua Corpus Domini consecratur; Urcei aquam & vinum præparata ad sacrificium continentes, sudariolum sive purificatorium, quo tergitur calix, velum quo tegitur, aquamanile ad manus lavandas quoties in actione sacrificii opus est; liber liturgicus sive Missalis; Mappæ quibus altaria vestiuntur; anteriora amicula, quæ pallia & frontalia a recentioribus, ab antiquis vestimenta sacræ mensæ nuncupantur; candelabra cum cereis: crux in eorum medio collocanda: thuribulum in quo thura cremantur; Thecæ pretiosæ cum Sanctorum Reliquiis: vasa aurea & argentea, flores &c. horum omnium quam antiquus & Religiosus sit usus demonstrant auctores sæpe citati, (*vide Card. Bona de rebus liturg. lib.* 1, *cap.* 25, *Steph. Durant. de ritib. Eccl. Cath. lib.* 1, *&c.*) ad quos studiosum lectorem remittimus, nec enim his immorari otium vacat.

§. TERTIUS.

De tempore sacrificii offerendi.

De liturgicis, aliturgicisque diebus, quatenus in utraque, Orientali & Occidentali Ecclesia observari antiquitus consuevissent, & etiamnum observentur, superius dictum est: superest, ut de hora ipsa agamus, qua potest ant debet sacrificium celebrari. Itaque

Q. 1. Qua diei hora sacrificium a Christo institutum oblatumque fuerit?

℟. Ad Vesperam, soluta ex legis præscripto Paschali cœna, institutum, ac primario celebratum: agnus enim, ut norunt omnes, ante vesperam immolari ac comedi non poterat: (*Exod.* 12, 6) porro cœnæ legalis celebrationem, institutio & oblatio Eucharistiæ immediate secuta est. *Cœnantibus eis*, ait S. Matthæus, (*Matt.* 26, 26) *Accepit Jesus panem, & benedixit ac fregit, deditque discipulis suis, & ait* &c. idemque Marcus (*Marc.* 14, 22) & Lucas (*Luc.* 22, 14, *& seq.*) testantur, quibus consentiens Apostolus: *Ego*, inquit, (1 *Cor.* 11, 23, *& seq.*) *accepi a Domino, quod & tradidi vobis, quoniam Dominus Jesus in qua nocte tradebatur accepit panem, & gratias agens fregit, & dixit, &c. similiter & calicem postquam cœnavit, dicens* &c.

Q. 2. Utrum hoc facto suo Christus legem præscripserit, sacrificii nonnisi post cœnam in perpetuum offerendi?

℟. Negative: „ Neque enim, *inquit S. Aug.* „ (*Epist. ad Januar. olim* 118, *nunc* 54) quia „ post cibos dedit Dominus (*Eucharistiam*), „ propterea pransi aut cœnati fratres ad illud Sacramentum accipiendum convenire debent, aut sicut faciebant quos Apostolus arguit & emendat mensis suis ista miscere: „ namque Salvator quo vehementius commendaret mysterii illius altitudinem, ultimum „ hoc voluit arctius infigere cordibus & memoriæ discipulorum, a quibus ad passionem „ digressurus erat: & ideo non præcepit, quo „ deinceps ordine sumeretur, ut Apostolis quos „ per Ecclesias dispensaturus erat, servaret „ hunc locum: nam si hoc ille monuisset, ut „ post cibos alios semper acciperetur, credo „ quod eum morem nemo variasset: “ quamvis igitur Christus Summus Sacerdos Eucharistiam instituerit & obtulerit, non jejunus: non inde sequitur, esse pariter a Sacerdotibus offerendum: quin e contra certum est, non aliter quam a jejunis offerri & sumi posse.

Q. 3. Utrum jejunii ante celebrationem & perceptionem Eucharistiæ observandi antiqua lex sit?

℟. Antiquissimæ institutionis esse, & ex Apostolica traditione, ab initio ubique servatam: „ liquido apparet, *inquit S. Aug.* (*Ib.*) „ quando primum acceperunt discipuli Corpus „ & Sanguinem Domini, non eos accepisse „ jejunos: numquid tamen propterea calumniandum est universæ Ecclesiæ, quod a jejunis semper accipitur? & hoc enim placuit Sp. Sancto, ut in honorem tanti Sacramenti, in os Christiani prius Dominicum „ Corpus intraret, quam cæteri cibi. Nam „ ideo per universum orbem mos iste servatur. “

Eademque Patrum qui præcesserant Augustinum doctrina fuit: uno namque ore testantur, non nisi a jejunis Sacerdotibus Eucharistiam celebrandam, nec a fidelibus nisi jejunis percipiendam: sic Tertullianus: (*lib.* 2 *ad uxor. cap.* 5) *non sciet maritus*, inquit, *quid secreto ante omnem cibum gustes? etsi sciverit panem, non illum credit esse, qui dicitur* . . . & S. Cyprianus: (*Ep. ad Cæcilium* 63) *Christum*, ait, *offerre oportebat circa vesperam diei, ut hora ipsa sacrificii* (Mosaici) *ostenderet occasum & vesperam mundi: nos autem resurrectionem Domini mane celebramus* . . . S. Basilius: (*hom.* 1 *de jejunio*) *fieri non potest, ut absque jejunio quisquam sacris operari audeat*..... S. Gregorius Nazianz. (*orat.* 40) *Christus paschatis mysterium Discipulis incœnaculo tradidit, & post cœnam: nos in templis & ante cœnam* . . . S. Joannes Chrysost. calumnias sibi ab inimicis intentatas depellens: (*Ep.* 125, *ad Cyriacum Episc.*) *dixerunt*, inquit, *quod ad communionem non jejunos receperim: etsi quidem hocfeci, expun-*

gi-

gatur nomen meum ex albo Episcoporum, & non scribatur in libro fidei orthodoxæ: quoniam ecce etsi quid tale admisi, abjiciet me etiam Christus e regno suo. Ergo lex illa sic est antiqua, ut merito credatur ab Apostolis constituta.

Quæritur 4. Utrum ubique fuerit mos ille servatus?

℟. Negative. Nam

1. Aquarii, quos refellit *S. Cyprianus* in Ep. ad *Cæcilium* sæpe laudata, præter fictitium aut una saltem parte fraudatum sacrificium, quod matutinis horis in solo pane & aqua (ne videlicet a persecutoribus ex vini odore cognoscerentur) offerre, contra divinum institutum, præsumebant; horis deinceps vespertinis & cœna facta, quando a Gentilium insidiis tuti erant, sacrificium integrum, in pane, vino, & aqua perficiebant.

2. In quibusdam Ecclesiæ partibus, in Africa præsertim mos inoleverat, & ætate S. Augustini etiam perdurabat, ut a lege communi dies anniversaria cœnæ Dominicæ exciperetur, & missa post cœnam celebraretur: nec audet huic exceptioni contradicere S. Doctor: *quamvis enim*, inquit, (*Ep. ad Januar.* 54, *olim* 118) *Ecclesiæ more receptum sit, quod mysteria semper a jejunis celebrentur; nonnullos tamen probabilis quædam ratio delectavit, ut eo die quo cœna Domini recolitur, post cibum offerri & accipi doceat Corpus & Sanguinem Christi, tamquam in insigniorem commemorationem mysterii, ab ipso post legalem cœnam instituti:* extat de hac ipsa re Concilii Carthaginensis anno 397 habiti Canon: (*Can.* 41) *placuit*, inquit, *ut Sacramenta altaris non nisi a jejunis hominibus celebrentur, excepto uno die anniversario, quo cœna Dominica celebratur*. Idemque in Conciliis Galliæ *Altissiodorensi* & *Matisconensi* versus finem 6 sæculi legimus confirmatum.

3. Plerique in diversis Ecclesiæ locis, non anniversaria tantum cœnæ Dominicæ die, sed aliis plerisque per annum diebus, sumpto cibo sacrificium celebrandi abusum olim, pessimo sane exemplo, invexerant. Quo quidem vitio Ægyptios laborasse sacri historici attestantur: (*Socrates lib.* 5, *cap.* 21, *Sozomenus lib.* 7, *cap.* 19, *Nicephorus lib.* 12, *c.* 34) *Ægyptii*, inquit Socrates, *qui Alexandrinis finitimi sunt, & illi qui Thebaidem incolunt, sabbato synaxim exequuntur illi quidem, sed non ut mos fert Christianorum mysteria participant: nam ubi epulati sunt, & variis se cibariis saturarunt, sub vesperum oblatione facta mysteriis communicant*.

Eumdem in Hispania *Priscillianistis* hæreticis promoventibus, ineunte 6 sæculo irrepsisse abusum, testantur hujus ætatis synodi *Braccarenses* I, & II, ubi hæc corruptela describitur & damnatur (*Canonibus* 16, & 10).

Quin & in Galliam introductum, *Matisconensis Concilii* modo laudati acta significant, ubi (*Can.* 9) decernitur, *ut nullus presbyter confertus cibo, aut crapulatus vino sacrificia contrectare, aut missas privatis festisque diebus concelebrare præsumat: injustum est enim*, inquiunt Patres, *ut spirituali alimento corporale præponatur. Sed si quis hoc attentare curaverit, dignitatem amittat honoris: jam enim de tali causa & in Conciliis Africanis definitum est*.

4. In diversis pariter provinciis usus invaluerat, ut quando defunctorum exequiæ Vespertinis horis fiebant, aut sacrum viaticum ægrotanti cuipiam erat ministrandum, si hostiæ consecratæ non essent in sacra pyxide reservatæ, missa a Sacerdotibus non jejunis celebraretur: iniquum namque putabant & a caritatis officio alienum, si sepulturæ corpus defuncti, non ante præmisso, præsente cadavere, sacrificio, mandaretur, aut necessario viatico quispiam privaretur.

Q. 5. De hac re quæ sit hodierna Ecclesiæ disciplina?

℟. Veteres hos sive usus, sive abusus, velut universalis consuetudini contrarios, auctoritate Ecclesiæ penitus amputatos; nam *Aquarios* S. Cyprianus Ep. ad Cæcilium (63) refutavit: *Priscillianistas*, aliosque Galliarum presbyteros sacrificium post epulas irreverenter offerentes, synodi *Braccarenses* I, & II, itemque *Matisconense* Concilium condemnarunt: rescissa pariter conciliorum decretis (*Carth. an.* 397, *Can.* 4, *Braccar.* 2, *can.* 10, &c.) consuetudo, Sacrificium pro defunctis, aut periculose ægrotantibus, soluto jejunio celebrandi, & ne ipsam quidem Cœnæ Dominicæ anniversariam diem majores nostri, quocumque prætextu excipiendam duxerunt: *quod si illo die*, inquit Strabo, (*c.* 19) *post prandium communicare non licet, cui & exemplum Domini, & quorumdam assensus suffragari videbatur; multo minus aliis temporibus licet, quibus horum neutrum cognoscitur attributum*.

Tantum a necessitate jejunii ante communionem sacrificii observandi, duos casus excepit, & excipit etiam num generali consensione Ecclesia. Primus est, cum mortis periculum imminet, & sumendi Viatici necessitas urget: tunc enim etiam non jejuni divinæ Eucharistiæ participes fiunt; eaque est praxis Ecclesiæ ubique recepta. Secundus est, si Sacerdos dum sacram Liturgiam celebret repentino morbo corripiatur, neque sacrificium, sive morte interveniente, sive propter deliquium

ac

ac debilitatem possit absolvere. Tunc enim si consecratio a primo Sacerdote facta fuerit, alius etiam non jejunus vice ejus, sacrificium consummaturus, altare conscendit: "censuimus convenire, *ajunt Patres Concilii 7 Toletani*, *Can.* 2, ut cum a Sacerdotibus missarum tempore sancta mysteria consecrantur, si ægritudinis acciderit quilibet eventus, quo cœptum nequeat consecrationis explere mysterium, sit liberum Episcopo vel Presbytero alteri consecrationem exequi officii cœpti ..... ne tamen quod naturæ, languoris causa, consulitur, in præsumptionis perniciem convertatur, nullus post cibum potumque quam minimum sumptum, missas facere, nullus absque patentis proventu molestiæ minister vel sacerdos cum cœperit, imperfecta officia præsumat omnino relinquere: si quis hæc temere præsumpserit, excommunicationis sententiam sustinebit".

Q. 6. Qua diei hora olim debuerit, hodieque debeat sacrificium celebrari?

R. Ad 1 quæsiti partem, non unam eamdemque die quolibet ac tempore, celebrationi sacrificii horam primitus destinatam. Nam

1. Certum est, tyrannorum persecutione Ecclesiam agitante, fideles nocturnis plerumque horis ad sacrificium convenisse, quo nimirum & ejus dignitati, & suæ securitati consulerent: qua de re nota *Tertulliani* sententia: *Si colligere interdiu non potes, habes noctem*: (*lib. de fuga in persec.*....) itemque alio in loco: (*lib. 2 ad Uxor. cap. 4*) *quis nocturnis convocationibus, si ita oportuerit, a latere suo adimi* (uxorem) *libenter ferret?* Hocque ipsum probant disseminata ab Ethnicis contra christianos, occasione cœtuum antelucanorum dicteria: hac enim de causa, *latebrosa gens & lucifugax* dicebantur.

2. Nec minus constat, priscis illis temporibus aliquando bis in die, mane scilicet & vespere habitas synaxes, exemplo forsitan synagogæ, quæ matutinum & vespertinum sacrificium offerebat: utriusque meminisse videtur *Tertullianus* in lib. *de cor. militis*, c. 3, ita loquens: *Eucharistiæ Sacramentum & in tempore victus, & omnibus mandatum a Domino, etiam antelucanis cœtibus .... sumimus*: apertior vero de utroque apud *Sanctum Cyprianum* in Ep. 63 *ad Cæcil.* sæpe laudata mentio est, ubi Aquarios non ideo reprehendit, quod matutinum & vespertinum sacrificium celebrarent; sed quod mane, solam aquam, vespere, post cœnam offerrent, & jejunium necessarium violarent.

3. Certis anni diebus, scilicet in pervigilio Paschatis, in nativitate Domini, & singulis quatuor temporum Sabbatis, missas nocturnas habere, majoribus nostris solemne fuit: de Paschate meminit Tertullianus, *quis solemnibus Paschæ abnoctantem*, inquit, (*lib. 2 ad Uxor. cap. 4*) *securus sustinebit*? eumdemque morem ad traditionem apostolicam pertinere S. Hieronymus affirmat (*comm. in cap. 25 Matth.*): de eodem *Hugo Victorinus* sermonem habens: *antiqui*, inquit, (*lib. 3 de specialibus missæ observationibus c. 21*) *jam fere transacto die Sabbati officium hoc celebrarunt*: *sed modernorum debilitas ad epulas festinans tempus prævenit destinatum*. Missam natalis Domini nocturnam Gregorius M. ex antiquo Ritu *in lib. Sacramentali* præscribit: ad *Nicænum 1 Concilium* constitutionem hanc Græci plerique referunt. Quidquid sane sit, vetustissimum hunc morem esse, hodiernus ipse usus comprobat: de missis porro in Sabbatis quatuor temporum noctu celebrandis, ita præter cæteros testatur & præscribit S. Leo M. (*Ep. 81 ad Dioscorum Alexand.*) *quod a patribus nostris*, inquit, *propensiore cura novimus esse servatum, a vobis quoque volumus custodiri, ut passim diebus omnibus, Sacerdotalis vel levitica ordinatio celebretur, sed post diem Sabbati ejus noctis, quæ in prima Sabbati lucescit, exordia deligantur*: *quod ejusdem observantiæ erit, si mane ipso Dominico die, continuato Sabbati jejunio, celebretur* .... indeque factum est, ut notat Micrologus c. 29, ut quatuor Dominicæ, quæ quatuor hæc Sabbata proxime subsequuntur, in Libris Sacramentorum veteribus, *Vacantes* dicerentur, eo quod proprio officio carerent: *hæ Dominicæ*, inquit, *antiquitus ab officio vacabant, quia celebratio ordinationum, juxta decreta sanctorum patrum, tam sero fiebat in sabbato, ut potius Dominicæ, quam sabbato adscriberetur*. (*Vid. Durand. Ration. lib. 6, cap. 39*)

4. Reliquis anni temporibus pro ratione vel observandi, vel intermittendi jejunii, missa serius citiusve celebrabatur: diebus namque Dominicis & festivis, hora 3, diebus ferialibus, hora 6, diebus jejunii communis per annum, hora 9, diebus denique jejunii quadragesimalis, hora vespertina, ad incruenti sacrificii immolationem, vel auctoritate canonum, vel consuetudine ubique recepta, assignabatur. Horas autem astronomorum sensu hic sumimus, earum exordium ab ortu solis, finem ab occasu repetentes; itaque horam tertiam dicimus, cum quarta pars diei naturalis exacta est; sextam, cum meridies est; nonam, cum tres diei partes elapsæ sunt; vespertinam denique, quæ ad solis occasum accedit, ac diem claudit; nec aliter debent antiqua patrum decreta intelligi, quando suas quibusque tem-

temporibus horas ad Sacrificium celebrandum præstituunt: indeque argumentum eruitur, quanta olim religione jejunium ad Vesperam usque, quadragesimali potissimum tempore protraheretur.

Ad secundam quæsiti partem

Dico 1, Missas Vespertinas, partim desuetudine, partim auctoritate Ecclesiæ penitus abrogatas: earum usum, quam privatæ quædam Ecclesiæ retinuerant, missam nocturnam nativitatis Domini, in ejusdem pervigilio ad Vesperam celebrantes, *S. Pius V Pont. M.* auctoritate apostolica sustulit, (*constitutione* 4) revocatis omnibus privilegiis, pœnaque suspensionis iis, qui contrairent, imposita; equidem peculiaris una alterave Ecclesia, etiam nunc in antiquo more persistit: id quod ego propriis vidi oculis in Ecclesia *S. Andreæ Vercellensis*, Canonicorum Lateranensium observari; hic enim quotannis in vigilia Natalis ad solis occasum, hora ipsa italica vigesima quarta, nostra vero, plus uno circiter quadrante, quarta Vespertina, missa solemniter, magnoque confluxu populi canitur; verum hoc speciale privilegium est, contrarium Universalis Ecclesiæ morem confirmans potius quam infringens.

Dico 2, Missas nocturnas pariter, ea sola excepta quæ in nocte nativitatis Domini ubique celebratur, generali consensione abolitas: nam in sabbato quatuor temporum, eadem, quæ aliis diebus, hora sacrificio assignatur: missa Sabbati sancti quæ olim ad diei sequentis noctem differebatur, nunc circa meridiem aut etiam citius plerumque canitur; tantum antiquæ disciplinæ vestigia in hujus missæ orationibus remanserunt, quas Ecclesia intactas reliquit, & more antiquo recitat; in iis enim, noctis sæpe repetita mentio est; dicimus quippe in collecta; *Deus qui hanc sacratissimam noctem gloria Dominicæ resurrectionis illustras*; & in præfatione, *in hac potissimum nocte*; & in Canone: *communicantes*, *& noctem sacratissimam celebrantes*.

Dico 3, Dierum jejunii, a festivis, ferialibusque, quantum ad sacrificii horam vix ullum modo esse discrimen; relaxato namque prisco rigore jejunii, quod olim ad nonam usque horam, imo & ad vesperam tempore quadragesimali producebatur, & anticipato prandii tempore, *propter modernorum debilitatem ad Epulas festinantem*, ut loquitur Hugo Victorinus paulo ante citatus; consequens fuit ut pariter hora præverteretur sacrificio antiquitus destinata: hujus enim ad vesperam differendi non alia præter jejunium causa erat; quia non putabant patres rigorem pœnitentiæ jejuniique mœstitiam, posse cum lætitia sacrificii ac festivitate consistere: indeque contigit, ut horarum Ecclesiæ (quamvis retenta sint nomina) nulla prorsus ratio habeatur. Nec enim horam sextam ad meridiem, neque officium nonæ ad tertiam aut quartam post meridiem horam, nec vesperas in jejunio quadragesimæ, sole cadente psallimus: sed ante meridiem totum hoc officium cum sacrificio missæ absolvitur.

Quod si quis hujus tantæ mutationis Epocham quærat, respondeo cœpisse post sæculum duodecimum introduci, paulatimque ab una Regione in alteram, exemplo malo & prava æmulatione irrepsisse. Certum sane est, ætate *S. Thomæ*, sæculo scilicet decimo tertio jam adulto, antiquam adhuc de rigore jejunii, & missæ ad vespertinum tempus dilationem satis communiter viguisse: „ a nobis, „ *inquit*, (3 *p. q.* 83, *art.* 2, *ad* 3) celebratur „ hoc Sacramentum hora Dominicæ passionis, „ scilicet diebus festis in tertia, quando cru„ cifixus est linguis Judæorum, & quando Sp. „ Sanctus descendit super discipulos; vel die„ bus profestis, in sexta, quando crucifixus „ est manibus militum; vel diebus jejuniorum „ in nona, quando voce magna clamans emi„ sit Spiritum. Potest tamen tardari, maxi„ me quando sunt ordines faciendi, & præ„ cipue in Sabbato Sancto; tum propter pro„ lixitatem officii; tum quia ordines pertinent „ ad diem Dominicam, ut habetur *in decret.* „ (*dist.* 75, *cap.* quod a Patribus) ... *& paulo* „ *post:* (*ib. in resp. ad* 4) dicendum, *inquit*, „ quod regulariter missa debet celebrari in „ die, & non in nocte .... specialiter ta„ men in nocte Natalis Domini missa cele„ bratur, propter hoc quod Dominus in no„ cte natus est: & similiter etiam in Sabba„ to Sancto, circa noctis principium, propter „ hoc quod Dominus nocte surrexit, id est „ cum adhuc tenebræ essent, ante manife„ stum solis ortum. “

Idemque ejusdem temporis Sciptor *Gulielmus Durandus* testatur: „ Missa, *inquit*, „ (*Rat. lib.* 4, *c.* 1, *n.* 20) cantatur diebus Do„ minicis & festivis, hora tertia; in profe„ stis hora sexta, in quadragesima hora nona ... „ in Sabbatis vero jejuniorum quatuor tempo„ rum, sero potest celebrari, propter ordi„ nes sacros, qui ad Dominicam sequentem „ pertinere noscuntur; sed quia missa in je„ junio dici debet, ideo ne minus jejunent, „ post vesperam inchoatur, & sic usque ad „ noctem jejunium protelatur: *de Sabbato ve*„ *ro Sancto*: hæc dies, *ait*, (*ib. lib.* 6, *c.* 78, „ *n.* 2) nullum habet officium .... nam of„ ficium quod cantatur, est noctis diei Do„ minicæ, scilicet de resurrectione, non de „ Sabbato, sicut & contingit in sabbatis qua„ tuor

„ tuor temporum . . . . . unde antiquitus to- „ tum officium de nocte dicebatur, & adhuc „ in plerisque locis fit, &c. “

Dico 4, Secundum præsentem Ecclesiæ indulgentiam, magis quam disciplinam, missas quaslibet sive solemnes sive privatas debere ab aurora ad meridiem celebrari: de solemnibus rubricæ Missalis sic statuunt: (§. 15) „ Missa conventualis solemnis sequenti ordine „ dici debet: in festis duplicibus & semi-du- „ plicibus, in dominicis & infra octavas, di- „ cta in choro hora tertia; in festis simpli- „ cibus & feriis per annum, dicta sexta: in „ Adventu, quadragesima, quatuor tempori- „ bus, & vigiliis quæ jejunantur, post no- „ nam „: de privatis vero, in *Concilio I Mediolanensi* sub S. Carolo celebrato, sic constitutum: “ in Ecclesiis ubi plures missæ cele- „ brari solent, is ordo servetur, ut pro po- „ puli commoditate primo diluculo, reliquis „ deinceps debito intervallo distributis, po- „ strema quo tardius liceat, celebretur “. Cæterum ad universalem Ecclesiæ consuetudinem hæc statuta sic pertinent; ut intacta permaneant quarumdam Ecclesiarum, ad anticipandum vel prorogandum sacrificium privilegia, quæ vel tollere vel ampliare ab Episcoporum in suis quorumque diœcesibus, maxime vero a Sum. Pontificis arbitrio pendet. Excipiendus pariter casus necessitatis quæ legem vincit. Sic enim si administrandæ infirmo Eucharistiæ casus occurrat, nec habeatur hostia consecrata, citra dubium est missæ tempus præverti posse: unde in eodem *Concilio Mediolanensi I* sic statutum: *Missæ nec ante auroram, nec post meridiem, nisi ex causa jure permissa celebrentur.*

§. QUARTUS.

De ministrorum ornatu.

Reliquum est, ut de vestibus sacris dicamus, quas ad altare progressuri ministri sacrificii induunt. De quibus

Q. 1. Utrum ministrorum sacrificii conveniat peculiarem esse vestitum?

℟. Affirmative. Quidni enim conveniens in nova lege judicaretur, quod Deus in antiqua ad decorem Sacerdotii, majestatemque præceperat? atqui in veteri lege Deus peculiaribus indumentis Pontificem & Levitas vestiendos præceperat: „ applica ad te Aaron „ Fratrem tuum cum filiis suis de medio Fi- „ liorum Israel, *inquit ad Moysen*, (*Exod.* „ 28, 1, *& seq.*) ut Sacerdotio fungantur mi- „ hi . . . . faciesque vestem Sanctam Aaron „ Fratri tuo in gloriam & decorem: & lo- „ queris cunctis sapientibus corde, quos re- „ plevi spiritu prudentiæ, ut faciant vestes „ Aaron, in quibus sanctificatus ministret mi- „ hi . . . . porro filiis Aaron tunicas lineas „ parabis, & balteos, ac Tiaras in gloriam „ & decorem: vestiesque his omnibus Aaron „ Fratrem tuum, & filios ejus cum eo . . . . „ & utentur eis Aaron & filii ejus, quando „ ingredientur tabernaculum testimonii, vel „ quando appropinquant ad altare ut mini- „ trent in Sanctuario“. Ergo &c.

Deinde. Populorum omnium rerumque publicarum consensione receptum est, ut magistratus, & alii, qui judicia & civilia negotia administrant, peculiaribus infulis a plebe reliqua distinguantur; iisque quando publicas functiones exercent, ornati compareant: ea namque ratione major officio dignitas, & reverentia major conciliatur. Cum itaque sacrificandi ministerio nullum sanctius, nullum augustius sit, conveniens plane fuit, ut Sacerdotes sine vestitu peculiari Liturgiam sacram non facerent: adeoque quorumdam *Protestantium* intolerabilis summeque impudens audacia fuit, qui sacras, quoad poterant, cæremonias abolendo, nec ipsis sacris vestibus pepercerunt: *quorumdam*, inquam: non enim hæc omnium fuit insania. Nam in Anglia, qui Liturgiam Anglicanam sequuntur, itemque in Germania Lutherani, propria ministris suis indumenta servarunt.

Confirmat hanc responsionem, (si tamen hujusmodi probationibus indigemus) Gentilium ipsorum exemplum, qui sacrificulos suos sine proprio indumento sacris operari, ut ex profana historia notum est, non ferebant. Quamquam enim opus non habeat vera religio ad ritus suos vindicandos, Ethnicorum adjumento, inde tamen certo conficitur, Calvinistas ab omnium retro hominum opinione recessisse, quando non alio nisi vulgari indumento ministros suos in divinis functionibus uti permiserunt, eaque de causa litem Catholicæ Ecclesiæ intentarunt, quasi nimirum vestium in sacrificio singularitas haberet aliquid fidei sensuique communi repugnans.

Q. 2. Utrum Christus quando Eucharistiam instituit, & Apostoli quando *circa Domos*, uti in Scriptura habetur, (*Act.* 2, 46, *ibid.* 20, 7, 11) *frangebant panem*, peculiares ad sacrificandum vestes induerint?

℟. Ad 1 quæsiti partem negative. Nullibi enim, neque in Scriptura, neque in traditione legitur, quod Christus instituendo Eucharistiam, aliis quam propriis & quotidianis vestibus usus fuerit. Neque vero hoc ornamento opus habuit summus Sacerdos, speciosus forma præ filiis hominum, totamque in se gratiæ ple-

plenitudinem habens; quem licet in similitudinem hominum factum, & habitu inventum ut hominem Apostoli scirent; in forma nihilominus Dei, ejusdemque verum & consubstantialem filium esse certo cognoscebant.

Ad 2 quæstionis partem respondeo traditione constare, Apostolos, etsi formæ ejusdem, nitidiora tamen & soli huic usui destinata, ad sacrificium indumenta usurpasse: in hunc sensum plerique Apostolum explicant in Ep. ad Tim. (*cap. 4, v. 13*) sic loquentem: *penulam quam reliqui Troade apud Carpum, veniens affer tecum*: volunt enim *penulam*, proprium fuisse vestem sacrificantium. Quidquid sane de hac controversia sit, quæ eruditos hinc inde sæpe exercuit, quamque dirimere, nec pro tenuitate possumus, nec putamus admodum necessarium; certum tamen auctoritate antiquissima est, cujus initium Apostolis cum magno fundamento adscribitur, vestes peculiares ad sacrificium reservatas semper, summaque cura ad hoc officium custoditas fuisse; qua de re *S. Hieronymus* comment. in Ezechiel. (*in c. 44*) *per quæ discimus*, inquit, *non quotidianis, & quibuslibet pro usu vitæ communis pollutis vestibus nos ingredi debere in Sancta Sanctorum, sed munda conscientia & mundis vestibus tenere Domini Sacramenta..... Religio divina alterum habitum habet in ministerio, alterum in usu vitaque communi*. Parique sensu *Origenes* in c. 20 Levitici: (*hom. 11*) *vestimenta*, inquit, *quæ sancta nominantur, non jubentur intra domum usui deservire Pontificis, sed in templo esse, & inde numquam auferri, sed ad consecrata, ut eis Deo ministrans Pontifex induatur, & sint semper in templo: ad ceteros vero usus communes utetur communibus indumentis*: eodem pertinet vetus decretum sub *Stephani* I Sum. Pontificis nomine ab *Anastasio* in ejus vita, aliisque primævæ ætatis Scriptoribus (*Damaso Papa in lib. Pontif. Beda, Adone, Alcuino &c.*) *vestimenta vero Ecclesiastica, quibus Domino ministratur, cultusque divinus omni cum honorificentia & honestate a Sacerdotibus, reliquisque Ecclesiæ ministris celebratur, & sacrata esse debent & honesta, quibus, aliis in usibus, cum Deo ejusque servitio consecrata & dedicata sint, nemo debet frui, quam Ecclesiasticis & Deo dignis officiis: nec ab aliis debent contingi aut ferri, nisi a sacratis hominibus*: huc etiam pertinet Mitra Episcopalis, quam gestasse Joannem Evangelistam *Polycrates* Ephesiorum Antistes apud Eusebium narrat: (*hist. lib. 3, c. 31*) huc infulæ quarum apud *Tertullianum* mentio est: (*lib. de Monogam. c. 12*) huc vestis pretiosa quam ad Ecclesiam Hierosolymitanam cohonestandam, Imperator *Constantinus* Episcopo *Macario* dono dedit, ut ea amictus Sacrosancti baptismatis ministerium obiret; uti a *Theodoreto* refertur: (*hist. lib. 2, cap. 27*) huc tunica quam Presbyter *Nepotianus* morti proximus S. *Hieronymo* legato reliquit: *Nepotianus morti vicinus*, ait S. Doctor in ejusdem Epitaphio, (*Ep. 3 ad Heliodor.*) *apprehensa avunculi manu, hanc, inquit, tunicam, qua utebar in ministerio Christi, mitte dilectissimo mihi, ætate Patri, Fratri Hieronymo*. Huc denique ejusdem S. Doctoris contra Pelagianos querela: (*lib. 1 cont. Pelagian.*) *quæ sunt, rogo, inimicitiæ contra Deum, si tunicam habuero mundiorem? si Episcopus, Presbyter, Diaconus, & reliquus ordo Ecclesiasticus in administratione sacrificiorum candida veste processerint?*

Ex his, aliisque longe pluribus quæ lubens prætereo, sic enascitur argumentum. Certum est ex historia Ecclesiastica & Sanctissimis Patrum documentis, tertio & quarto sæculo ubique receptum, ut ministri sacri ad altare peculiares vestes deferrent, quas gestare communiter & ad profanos usus convertere nefarium peneque sacrilegum putabatur; atqui disciplinam hanc Patres non dicunt recenter invectam, quin e contrario ejus instituendæ caussam ab ipsa quæ debetur sacris mysteriis reverentia repetunt, quæ sane Apostolicis temporibus, quam ætatibus succedentibus, minor esse non potuit. Merito ergo numeratur in Apostolicis institutis: adeoque procul a veritate aberrant hæretici, quando ritum hunc veluti recentem irrident.

Objectio.

Dices. Ex concessis Apostoli ad sacrificium indumenta ejusdem formæ ac communia, etsi paulo nitidiora & huic solo usui destinata, habebant. Ergo Ecclesia ab Apostolico instituto recessit, quando non solum peculiares vestes sed etiam formæ a vulgaribus longe dissimilis, a Sacerdotibus in altari gestandas præcipit.

℟. Dato antec. neg. conseq. Inde enim hoc unum sequitur, quod ultro fatemur, ab Ecclesia antiquam vestium formam esse retentam, quam sæcularis & prophana inconstantia sæpe mutavit; neque mutandi finem facit, aut in posterum faciet. Numquid enim vero deceret, ut Ecclesia, prout in sæculo fit, novam quotannis vestimentorum formam ac rationem sacris ministris permitteret? non ita sane sponsa Christi lascivit, quæ ut simplicitatem in omnibus, ita & antiquitatem, quoad quidem fieri potest, sectatur. Non est itaque levitatis aut inconstantiæ accusanda: immo in ipsa sacrarum vestium singularitate, tam est ejus con-

constantia agnoscenda, quam in eo quod Latinam Græcamque Linguam in sacris Liturgiis, & divinis officiis, etsi vulgares esse desierint, prout priscis temporibus factum fuerint, inviolate retinuit.

Dices iterum: Multorum opinio est, Apostolos ad incruentum sacrificium celebrandum, vestes non nitore tantum, sed & forma a comunibus differentes induisse. Perperam ergo contrarium dicimus.

℟. Conc. ant. & n. conseq. Quantumlibet enim multorum, eorumque gravissimæ auctoritatis Scriptorum opinio illa sit; opinio tamen est, cui, salva eorum reverentia, non putamus necessario accedendum, donec solutæ fuerint quibus premitur, haud sane contemnendæ difficultates. 1 Enim notum omnibus est, Ecclesiam nascentem, & quasi in cunis adhuc jacentem summa rerum inopia laborasse. Quamquam enim ab iis qui ad Christum convertebantur, possessiones & prædia venderentur, & ad pedes Apostolorum deferrentur; nullibi tamen legimus in actis aut litteris eorum, ad alios usus, quam ad sublevandos egenos expensas esse pecunias. 2 Apostoli orbem universum terra marique ad propagandum Evangelium peragrantes, magnam ubique paupertatem, memores præcepti & exempli Dominici sectabantur: at iidem tamen quocumque divertebant, sacrificium offerebant. Quis vero facile crediderit eos in tantis itinerum incommoditatibus, in tanta commeatuum & rerum omnium indigentia, de loco in locum formæ peculiaris vestes, & tam diversa ad peragendum sacrificium ornamenta, vehere secum gestareque potuisse? 3 Etsi Christum libere, ab omnique hominum soluti formidine Apostoli prædicarent; minime tamen putandum ab iis Christianæ prudentiæ leges fuisse neglectas: immo pro certo tenendum, eos id omne summa cautione vitasse quod propagationi & progressui Evangelii impedimentum afferre posset. Cujus rei pleraque in *actis* eorum exempla occurrunt: porro quis non videt magnum prædicationi suæ præjudicium fuisse facturos, si formæ peculiaris vestes ad liturgiam faciendam, secum ubique circumtulissent? hac enim sua singularitate, semetipsos prodidissent, atque ita furorem Gentilium ac Judæorum contra nascentem Ecclesiam, sine causa necessaria concitassent.

Dices 3. Concilium Trid. inter cætera quæ pia Mater Ecclesia, in sacris liturgiis, ex traditione Apostolica adhibet, vestes ipsas recenset: (*sess.* 22, *c.* 21) ergo formæ peculiaris ipsis Apostolicis temporibus erant sacrificantium vestimenta.

℟. Conces. ant. n. conseq. quod enim ex Apostolico usu & traditione sacrarum vestium mos, forma, numerusque descendat, non hinc necessario sequitur, ipsis Apostolicis temporibus peculiaris formæ fuisse: quomodo ex eo quod vulgaris esse desierit lingua Græca aut Latina, quam Ecclesia in liturgiis antiquo usu retinuit, inde minime consequens est, non fuisse prisca ætate vulgarem.

Q. 3. Sacrorum ministrorum quæ sint propria indumenta?

℟. Diversa singulis in unoquoque ordine ac ministerio attributa: de quibus libro octavo, ubi de sacra ordinatione agetur, sigillatim Deo dante, dicturi sumus: interim curiosum lectorem monemus, ut de hac materia Rituum expositores, atque inter cæteros adeat Eminentissimi Cardinalis *Jo. Bona* de rebus liturg. l. 1, c. 24, ubi de Sacerdotum, Pontificum, ministrorum sacris indumentis summa diligentia disserit, eorumque & causas & sensus plena doctrinæ ubertate expendit. Sequitur

CAPUT SECUNDUM.

De cæremoniis cum actu ipso sacrificandi conjunctis.

Latissime quæstio ista de Missæ ritibus conjunctisque orationibus patet, quam si mens esset explicare per omnes partes, vix præcedentibus hujus libri quæstionibus volumen æquale sufficeret; itaque sat nobis erit generatim præcipuas deflorare difficultates: nec ideo tamen neglecti officii accusari poterimus: quæ enim de singulis in specie Missæ partibus quæri possunt, tum in decursu hujusce tractatus plurima occupavimus, tum a multis scriptoribus tanta fuerunt diligentia & perspicuitate digesta, nihil ut eorum lucubrationibus jam adjici possit. Itaque

Q. 1. Quot sint Missæ sive liturgiæ partes?

℟. Duas præsertim numerari.

1. Quam *Catechumenorum Missam* antiqui vocabant, id omne complectitur, quod ab ipso Missæ principio usque ad symbolum Apostolicum exclusive fieri solet aut recitari.

2. *Fidelium Missa* a majoribus dicta, ab Apostolorum symbolo ad usque liturgiæ finem omnia comprehendit quæ a Sacerdote dicuntur ac fiunt.

Q. 2. Cur prima liturgiæ pars, Missa catechumenorum dicta fuerit?

℟. Sic ideo dictam, quia ad illam catechumeni, ut prædiximus, admittebantur.

Q. 3. Utrum solis catechumenis huic Missæ parti adesse permitteretur?

℟. Negative: Præter catechumenos namque, infideles ipsi, Hæretici, Schismatici, energu-

nergumeni, & pœnitentes admittebantur, ut videlicet pabulo Evangelii quod in hac Missæ parte exponebatur nutriri possent, & Christianis veritatibus quas Christus annuntiari omnibus voluit, imbuerentur.

Q. 4. Finita catechesi & Evangelio recitato quid fieret?

℟. Catechumenos cæterosque, solis retentis fidelibus, e templo dimitti solitos, denuntiantibus alta voce Diaconis: *Sancta Sanctis, foris canes:* nec enim judicabat Ecclesia debere sacrificii alios esse testes, nisi qui ejusdem futuri essent participes: nec licitum sibi putabat Sanctissimum Christi mysterium indifferenter omnibus divulgare: ne nimirum mandatum Salvatoris infringeret: (*Matth.* 7, 6) *Nolite dare sanctum canibus*: *neque mittatis Margaritas vestras ante porcos*; atque ut quod est ab Apostolo Joanne prædictum impleret: (*Apoc.* 22, 15) *Foris canes, & venefici, & impudici, & homicidæ, & idolis servientes, & omnis qui amat & facit mendacium*.

Q. 5. In quo *Catechumenorum* Missa consistat?

℟. Confessionem, introitum, *Kyrie Eleyson*, doxologiam, sive, *Gloria in excelsis Deo*, collectam, Epistolam, Graduale, Evangeliumque complecti.

Q. 6. *Fidelium* Missa quid contineat?

℟. Id omne complecti quod ad finem usque in liturgia sequitur, scilicet Apostolicum symbolum, offertorium, manuum lotionem, orationes secretas dictas, præfationem, canonem, consecrationem, Dominicam orationem, fractionem hostiæ, *Agnus Dei*, osculum pacis, Communionem, & gratiarum actionem, sive postcommunionem.

Q. 7. Utrum hæc omnia ad Missæ sive sacrificii essentiam ex æquo pertineant?

℟. Negative: ut enim superius (*qu.* 5) est demonstratum, essentia sacrificii in sola consecratione consistit, quatenus ad consumptionem oblatorum tamquam ad finem & terminum extrinsecum ordinatur: reliqua vero ad integritatem sic pertinent, ut licet sacrificii essentiam non constituant, prætermitti tamen sine gravissimo peccato non possint.

Q. 8. Utrum Græcorum cum Latinis in ordine Missæ plena concordia sit?

℟. Affirmative: etsi enim aliqualis sit eorum, voce tenus, & quantum ad precum dispositionem discrepantia, in iis tamen plene consentiunt, quæ præcipua & necessaria sunt, scilicet in oblatione, consecratione, hostiæ fractione, oratione Dominica, Communione, commemoratione Sanctorum, oratione pro vivis & pro defunctis, lectione scripturæ sacræ, symboli recitatione &c.

Qui plura desiderat, legat doctissimi juxtaque piissimi Cardinalis *Jo. Bona*, vere aureum, & numquam laudatum satis de rebus liturgicis opus, toto l. 2.

QUÆSTIO DUODECIMA.

De auctoritate liturgiarum.

Liturgiarum nomine, ut sæpe dictum est, intelligimus officia seu rituales libros, publica Ecclesiarum auctoritate conscriptos, earumque usu probatos, quibus preces & ritus ad Eucharistiæ consecrationem & administrationem adhiberi soliti continentur. Ex his libris tamquam ex limpidissimis veritatis fontibus argumenta inconcussa derivant Catholici, ad præsentiam realem Christi in Eucharistia, transubstantiationem, Eucharistiæ adorationem, veritatem sacrificii, invocationem Sanctorum, veritatem purgatorii, & alia hujus generis plurima dogmata demonstranda. Volunt in contrarium Lutherani & Calvinistæ liturgias sat auctoritatis non habere, ut ex his nostrorum dogmatum certa possint erui argumenta. Contra illos sit

Conclusio. Summa est liturgiarum auctoritas ad dogmata Catholica vindicanda.

ARGUMENTUM PRIMUM.

Ex omnium Ecclesiarum consensione.

Prima hujus assertionis probatio sic informatur: horum rituum non potest non esse summa auctoritas, quos Christiani omnes ubique degentes summa consensione olim observarunt, & etiamnum retinent. *Quod enim apud multos unum invenitur, non est erratum, sed traditum;* atque ritus liturgicos summa olim consensione quotquot Christiano nomine gloriati sunt observarunt, & etiamnum retinent, præter Lutheranos & Calvinistas, qui non alia sane de causa liturgiis contrarii sunt, quam quia sacris dogmatibus contradicunt; ergo illorum summa auctoritas est: quæ enim quæso tam unanimis consensionis causa esse potuit, nisi quia in liturgiis agnoverunt Christiani omnes publicam Ecclesiæ vocem, & certissimum divinæ Apostolicæque traditionis monumentum?

ARGUMENTUM SECUNDUM.

Ex antiquitate liturgiarum.

Deinde: illorum rituum non potest auctoritas rejici, qui antiquissimis temporibus observati,

servati, summaque fuerunt omnium Religione retenti: *Quod enim universa tenet Ecclesia, nec conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate Apostolica traditum rectissime creditur;* atqui Ritus liturgici fuerunt ab antiquissimis temporibus observati, & summa reverentia ab omnibus custoditi. Nam

1. Liturgiarum antiquitatem convellere Hæretici hactenus, sæpe licet provocati, non potuerunt.

2. Quam sit antiquus usus liturgiæ, quæstione quarta probatum est, ex verbis Sancti Lucæ: (*Act.* 13, 2) *Ministrantibus autem illis Domino*, &c. quæ de sola sacrificii oblatione debere intelligi, eo loci est demonstratum.

3. Occurrit S. Justini sæculo 2 auctoritas in 2 pro Christianis Apologia, ubi ritus sacer liturgiæ accuratissime describitur.

4. De liturgiis, quæ SS. Marci, Jacobi, Clementis, &c. nominibus inscribuntur, quamquam non videatur omnino certum, ab iis exaratas fuisse quorum nomina præferunt; nemini tamen dubium est, quin antiquissima auctoritate præpolleant, & ritus ab initio in Ecclesiis Alexandrina, Hierosolymitana &c. observari solitos repræsentent.

5. Hoc ipsum invincibiliter probant liturgiæ SS. Basilio, & Chrysost. attributæ, quas constat ab iis ipsis 4 sæculo fuisse descriptas.

6. Occurrunt de hac re Patrum veterum testimonia, quæ nemo nisi a veritate alienus contemnit: sic inter cæteras Trullanæ synodi Patres SS. Basilii & Chrysost. liturgias citant, (*can.* 32) & ex illis probant vinum aqua mixtum esse in sacrificio offerendum.

7. Denique, ne Latinos prætereamus, Romana, Mediolanensis, Gallicana vetus, Mozarabica, aliæque longe plures liturgiæ, quod nemo nisi vel imperitus, vel contumax negat, primævæ sunt vetustatis. Ergo &c.

ARGUMENTUM TERTIUM.

Ex præscriptione.

3. Huc recurrit argumentum præscriptionis, quod nunquam eludent Hæretici: quando enim nati sunt Lutherus, Calvinus, & alii, suis Oriens & Occidens liturgiis pacifice, & per plura ante sæcula fruebatur: atqui quo primum tempore inducti sacri ritus fuerint, probare hactenus non potuerunt, nec unquam confidimus probaturos quod sint Evangelii publicatione recentiores; ergo omnium ætatum illa possessio est, adeoque legitima; unde iterum sequitur, certissima esse quæ inde petuntur argumenta; atque adeo perperam Lutheranos & Calvinistas agere, quando hæc sacra monumenta impugnant: non enim turbari potest aut convelli possessio publica, nisi illius vel novitas, vel alio quovis capite injustitia demonstretur.

Eliduntur quædam Hæreticorum objectiones.

Opponunt: non potest asseri liturgiarum auctoritas, quin simul ab iis scriptæ probentur, quorum nomina præferunt; atqui ostendi non potest, liturgias a SS. Marco, Jacobo, Basilio, Chrysostomo & aliis exaratas, quorum nominibus inscribuntur. Ergo &c.

℟. 1. Nego maj. ubi enim semel constat, ritum antiquissimum in sacris liturgiis exhiberi, a quibus scriptæ fuerint non valde curandum putamus; atqui liturgiæ ritum antiquissimum exhibent: sic liturgiam quæ S. Jacobi nomine circumfertur, olim in mysteriorum celebratione in usu fuisse testantur primævæ ætatis scriptores, S. Cyrillus Hierosolym. *in catechesibus*, Proclus Constantinop. 5 sæculi scriptor, in libro *de traditione divinæ Missæ*, Trullana synodus ad finem sæculi 7, & alii quamplures: similiter Alexandrina liturgia a S. Marco hujus Ecclesiæ fundatore nomen habuit, quia creditum est, in illa contineri ritus a S. Evangelista celebratos, & suæ Ecclesiæ commendatos: idemque de aliis dicimus: licet igitur liturgiarum incerti auctores sint, non nutat tamen illarum auctoritas, quam illis non nomen scriptoris, sed publica & constans Ecclesiæ conciliavit consensio.

R. 2. Transeat major, & dist. min. ostendi non potest liturgias ab iis, quorum nomina præferunt, scriptas esse, *syllabatim & manu propria*, conc. ostendi non potest, *ab iis fuisse traditas & Ecclesiæ relictas*, n. min. & conseq.

E. R. Quando dicuntur liturgiæ illos habere auctores quorum nominibus inscribuntur, non ita hoc debet intelligi, quasi syllabatim & propria manu fuerint exaratæ: quod nullo certo argumento ostendi potest: immo admodum probabile est priscos illos Evangelii præcones tempus in hujusmodi opere non insumpsisse; at nihilominus certum est, ordinem sacrificii celebrandi præscriptum ab illis fuisse, juxta exemplar a Christo relictum: & varias quæ in sacro ministerio fundi preces operæ pretium esset, traditas ab iisdem fuisse: hoc porro sufficit, ut sua liturgiis auctoritas constet.

Inst. 1. Arqui nulla ratione vindicari iis possunt, quorum nomina in fronte præfixa habent. Ergo &c. prob. subs. in liturgia Sancti Jacobi multa leguntur, quæ ætate ejus erant

prorsus incognita: sic inibi recensentur varii Ecclesiastici ordines: memoria fit Anachoretarum & confessorum: reperiuntur voces ὁμοούσιος & Θεοτόκος quæ 4, & 5 sæculo in Conciliis Nicæno & Ephesino, ad significandam Verbi consubstantialitatem, & divinam Mariæ maternitatem, primum introductæ fuerunt. Ergo &c.

R. Nego subs. ad probat. concesso ant. n. conseq. hinc enim hoc unum probatur quod non negamus, scilicet antiquis liturgiis multa progressu temporum adjecta fuisse quæ primitus non habebant: nec magis hoc argumentum convincit, quam si quis probare vellet e. c. S. Gregorii Pontificis Max. non esse Missam Romanam, quæ illius nomine circumfertur, eo quod Sanctorum quorum nomina contineat, qui multo post Gregorium ipsum vixerunt: aut si quis adstruere inde contenderet, veterem Gallicanam liturgiam antiquiorem S. Martino non esse, quia Missam in festo Sancti hujus Antistitis celebrandam præscribit & exhibet.

Inst. 2. Saltem primis temporibus nullæ erant scripto mandatæ liturgiæ; ergo summa illarum nec antiquitas nec auctoritas est.

Prob. ant. ex S. Basilio sic loquente: (*lib. de Sp. S. c. 27*) *Verba sacra invocationis in consecratione panis & calicis, quis sanctorum nobis scripto tradidit?* Deinde certum est, primis temporibus Patres mysteria summo silentio occultasse, ne videlicet divulgata vilescerent, & infidelium irrisioni exponerentur. Ergo &c.

℞. Dist. ant. primis temporibus nullæ erant litteris consignatæ liturgiæ, & nihilominus ad formam ab Apostolis, ipsoque Christo acceptam sacrificium offerebatur, conc. secus, n. ant. & conseq.

E. R. Ut constet liturgiarum auctoritas, non est necessarium ut ab ipsis Ecclesiæ incunabulis scriptæ fuerint: sed sufficit ut primis temporibus incruentum sacrificium ritu ab Apostolis accepto sit celebratum, & deinde juxta eamdem formam sint scriptæ liturgiæ; atqui hæc duo certissima sunt: nam S. Justinus 2 sæculi scriptor, ritum repræsentabat Eucharistiæ consecrandæ qualis sua ætate vigebat, quem ab Apostolis acceptum declarat; atqui hic ritus per omnia similis est liturgiis quæ deinde scriptæ fuerunt, & ab universali Ecclesia approbatæ.

Quod vero ex S. Basilio opponitur, validissimum illud est contra Hæreticos traditionem negantes: sed contra liturgias earumque antiquitatem nil facit: eoque minus quod Basilius ipse liturgiam quæ ejus nomen habet nemine diffitente, & juxta traditam a suis majoribus regulam scripserit.

Jam quod addunt, Patres primis temporibus divina mysteria silentio occultasse quis negat? sed numquid ideo mysteria non habebant, quia non divulgabant? numquid pariter dici debent sacrificio caruisse, quia forte ritus in eo servandos ne ad infidelium notitiam perveniret, publicis tabulis non consignaverant?

Inst. 3. Atqui nulla est liturgiarum, quibus tantopere Catholici fidunt auctoritas. Ergo &c.

Prob. subs. illorum librorum nulla auctoritas est, qui errores turpissimos continent ab Ecclesia profligatos; atqui veteres liturgiæ multis scatent sæpe ab Ecclesia damnatis erroribus: sic enim e. c. in Ægyptiorum Alexandrinorum liturgia expresse habetur hæresis Monophysitarum, qui unam tantum volebant in Christo esse naturam: similiter Nestoriana palam profitetur Nestorii hæresim, duas in Christo propugnantis esse personas, &c. nullius ergo sunt auctoritatis, atque adeo infirmum est quidquid ex illius testimonio Catholici emendicant.

R. Nego subs. ad probat. concessa maj. dist. min. liturgiæ multos errores continent, aliquæ, inquam, sed non omnes, conc. omnium liturgiarum hoc vitium est, n. min. & conseq.

E. R. Eatenus veteres audimus liturgias quatenus vocem Ecclesiæ resonant, *quæ loquitur omnium gentium linguis*, ut ait S. Aug. *quia in unitate est gentium:* unitas porro fidei illa est, quam ab Apostolis & eorum successoribus transmissam servaverunt omnes aut pene omnes Ecclesiæ: hinc quia non orthodoxos modo, sed Nestorianos, & Jacobitas, & alios cujusvis sectæ Hæreticos videmus perspicua voce, verbisque minime ambiguis, realem præsentiam, transubstantiationem, sacrificium Eucharisticum, multaque alia dogmata in suis liturgiis profiteri: in tam aperta Confessione agnoscimus Ecclesiæ fidem, quæ semper, ubique & ab omnibus est servata: aliunde vero si in liturgia Nestoriana, aut Alexandrina, Nestorianismi & Eutychianismi venenum deprehendimus, quia jam non audimus Ecclesiæ vocem, quæ una est in unitate omnium gentium: prava hæc dogmata cum execratione rejicimus: uno verbo damnamus Jacobitas, quia liturgiis suis hæresim sibi propriam immiscuerunt: similiter & alios cujusvis sectæ Hæreticos detestamur, a quibus liturgiæ suæ corruptæ sunt: Lutheranos vero & Calvinistas, (qui gloriosissimus est triumphus) Sacramenti, & sacrificii Eucharistici veritatem negantes, omnium gentium testimonio expugnamus: & contra illos testimonium *Cælestini* Pontificis Max. quanto auctoritatis,

tan-

tanto pondere veritatis urgemus: (*Cœles. S. P. in Ep. 8 Episc. Galliæ*) *Observationum Sacerdotalium Sacramenta respiciamus, quæ ab Apostolis tradita, in toto mundo atque in tota Catholica Ecclesia uniformiter celebrantur, ut legem credendi, lex statuat supplicandi.*

Dices: multi etiam Catholici, liturgias velut supposititias, erroneas, & apocryphas rejecerunt. Ergo &c.

R. Nego conseq. quod enim in hac materia aliqui Catholici scriptores decepti fuerint, nihil Catholicæ veritati eorum hallucinatione detractum est: sicut enim veritas a cujusvis privati hominis approbatione non pendet: ita nec quorumdam negantium cæspitatione incauta efficitur: quod si quis inconsiderate contenderet, cum nulla quantumvis aperta veritas sit, quæ non aliquos experta fuerit adversarios, in incertum omnia mitterentur: & ne principia quidem Religionis ac Philosophiæ naturalis in tuto essent.

Tridentini de Missæ sacrificio Canones.

Ex sessione 22.

Canon I. *Si quis dixerit, in Missa non offerri Deo verum & proprium sacrificium, aut quod offerri non sit aliud, quam nobis Christum ad manducandum dari: anathema sit.*

Canon II. *Si quis dixerit, illis verbis:* hoc facite in meam commemorationem: *Christum non instituisse Apostolos Sacerdotes, aut non ordinasse, ut ipsi aliique Sacerdotes offerrent corpus & sanguinem suum: anathema sit.*

Canon III. *Si quis dixerit, Missæ sacrificium, tantum esse laudis, & gratiarum actionis, aut nudam commemorationem sacrificii in cruce pacti, non autem propitiatorium: vel soli prodesse sumenti; neque pro vivis & defunctis, pro peccatis, pœnis, satisfactionibus, & aliis necessitatibus offerri debere: anathema sit.*

Canon IV. *Si quis dixerit, blasphemiam irrogari sanctissimo Christi sacrificio in cruce peracto, per Missæ sacrificium, aut illi per hoc derogari: anathema sit.*

Canon V. *Si quis dixerit, imposturam esse Missas celebrare in honorem Sanctorum, & pro illorum intercessione apud Deum obtinenda, sicut Ecclesia intendit: anathema sit.*

Canon VI. *Si quis dixerit, Canonem Missæ errores continere, ideoque abrogandum esse: anathema sit.*

Canon VII. *Si quis dixerit, cæremonias, vestes & externa signa, quibus in Missarum celebratione Ecclesia Catholica utitur, irritabula impietatis esse magis, quam officia pietatis: anathema sit.*

Canon VIII. *Si quis dixerit, Missas in quibus solus Sacerdos Sacramentaliter communicat, illicitas esse, ideoque abrogandas: anathema sit.*

Canon IX. *Si quis dixerit, Ecclesiæ Romanæ ritum, quo submissa voce pars Canonis, & verba consecrationis proferuntur, damnandum esse: aut lingua tantum vulgari celebrari debere, aut aquam non miscendam esse vino in calice offerendo, eo quod sit contra Christi institutionem: anathema sit.*

FINIS TOMI SECUNDI.

INDEX

RERUM ET VERBORUM

Quæ in hoc secundo Tomo continentur.

A

B

Cali-

C

D

E

Eucha-

F

G

Le-

N

O

P

T

Tra-

F I N I S.